CATALOGVS SANCTORVM ITALIÆ

In Menſes duodecim diſtributus.

IN QVO VITAE ILLORVM EX PARTICVLARIVM Eccleſiarum monumentis compendio deſcribuntur, adiectis vbique ſcholijs, notisq; perbreuibus: in quibus ſæpenumerò ambiguitates, & errores circa tempus pręſertim, ac hiſtoriæ veritatem contingentes deteguntur.

AVTHORE F. PHILIPPO FERRARIO ALEXANDRINO
Ord. Seruorum B. Mariæ, Sacræ Theologiæ Magiſtro, & Mathematicarum in Gymnaſio Ticinenſi publico interprete.

AD SANCTISS. PATREM, ET DOMINVM IN CHRISTO D. PAVLVM V. PONT. MAX.

Acceſsit Index geminus alphabeticus, vnus nominum Sanctorum, in quo, vbi corpora ipſorum condita ſint, indicatur: alter locorum, in quo Sanctorum qui in illis ſunt, adnotantur.

CVM PRIVILEGIIS.



MEDIOLANI, Apud Hieronymum Bordonium. M. DC. XIII.
SVPERIORVM PERMISSV.

NOS Fr. Deodatus Duccius ab vrbe Burgo S. Sepulchri, sacræ Theologiæ Magister, ac totius Religionis Seruorum B. Mariæ Virginis sub regula S. Patris nostri Augustini Prior Generalis, Dilecto nobis Reuerendiss. P. Magistro Philippo Ferrario de Alexandria in publico Ticinensi Gymnasio Doctori, & olim eiusdem Ordinis Generali licentiam à prædecessore nostro concessam Catalogum Sanctorum Italiæ ædendi, ab ijs, ad quos spectat, approbatum, confirmamus. In quorum fidem &c. Dat. Mediolani in Conuentu nostro Seruorum Pridie Kalendis Decembris 1612.

Imprimatur.

Fr. Aloysius Bariola Augustinianus Consultor S. Officij pro Reuerendissimo Inquisitore.

Al. Bossius Can. Ord. Theol. pro Illustriss. Cardinali Archiep.

V. Saccus &c. pro Excellentiss. Senatu. &c.

SANCTISSIMO
AC BEATISS.MO PATRI.
ET D. N.
PAVLO QVINTO
PONT. MAX.

F. Philippus Ferrarius Seruorum B. M. minimus S.

EN Pater Beatissime, Sanctorum Italiæ (quę vti Prouinciarum omnium Regina non modò eas cæteris in rebus, sed & Sanctorum numero, & dignitate antecellit) Catalogum à nemine, quod sciam, hactenus elaboratum. In quo vitas ipsorum à me, dum Generalis essem, inter visitandum collectas maiore quam potui compendio descripsi: quò illæ vnico, eoque non magno comprehensæ volumine breuitate magis ad legendum Lectores allicerent. Non ignoro alios phrasim, vti rudiorem reprehensuros (quæ tamen elegantior non omnibus esset peruia) alios, quòd nonnullos omiserim, paucave de aliquibus (quod culpa illorum, qui rogati scripta suppeditare non curarunt, accidit) dixerim: vel quod aliorum dicta alicubi improbauerim, criminaturos. Quod tamen mihi non

magnopere curandum est: etenim solent hominũ plerique aliorum facta, dictaq; carpere: &, vt verissimè dictum est, stat sua cuique sententia. Illum quicunque sit S. V. cui se nostra Religio ob magna accepta beneficia, maximè deuinctam fatetur, quæque me Roma abeuntem vt aliquid huiuscemòdi scriberem, hortari dignata est, dicandum duxi. Quam, exiguum munus oblatum ne dedignetur, suppliciter exoro. Si quid enim, quod non displiceat, legentibus continere visus fuerit, Id omne S. V. quæ me ad scribendum impulit (hortationes enim Principum iussa dixerim) acceptum referent; sin minus tenuitati ingenij authoris adscribent, remque felicius absoluendi alijs præbebitur occasio. Ego verò Sanctissime Pater, & familia nostra Seruorum assiduè D. O. M. enixeque rogabimus, vt V. B. qua Reip. Christianæ clauum moderante summa Orbis Terrarum pace perfruitur, diutissimè incolumen seruet.

ILLVSTRISSIMO

ET REVERENDISSIMO D.

D. FABRICIO VERALLO

S. R. E. CARDINALI,

ac Seruorum Beatæ Mariæ Virginis Protectori.

F. Philippus Ferrarius Theologorum minimus perpetuam felicitatem exoptat.

ILLVD *in more positum est, Cardinalis Amplissime, vt qui lucubrationes suas æditurі sunt, eas, quamuis doctissimi habeantur, absque Mecænatis alicuius auspicijs in lucem prodire nolint. (Vt enim sidera superiora inferioribus lumen impertiunt, ita Principes, & Mecænates, qui cæteris non solum authoritate, sed & virtutibus præstant subiectis nonnihil splendoris, dignitatisque suæ conferre videntur.) Quod sanè mihi eo magis faciendum video, quòd nulla dicendi copia; nullisve ingenij viribus præditus, onus humeris impar non inani certè gloria (cum à Græcis sapientissimè dictum sciam* κενῆς δὲ δόξης οὐδὲν ἀθλιώτερον*) at iuuandi potius desiderio ductus suscepi: eoque progressus sum, vt pedem referre non liceat. Cogitanti autem*

quem

quem patronum, qui & authoritate, & eruditione præcelleret, mihi deligerem, illicò tu humanissime Cardinalis occurristi: quo Protectore nostra Seruorum Religio maxima tranquillitate fruitur. Ita enim optimi Protectoris partes exequeris, vt singulos sua munera obire sinens, omnes in officio contineas. Ita accedentes excipis, & abeuntes dimittis, vt nemo etiam si cuius gratia venerat, non acceperit, tristis recedat. Quamobrem te protegente non modò Religio exultat, sed & se optimè sartam, tectamque fore diù sperat. Eadem & ipse spe fretus librum hunc nuper pro ingenij mei tenuitate elaboratum aspirante tui nominis aura ædere non dubitaui. Quem vt, qua soles humanitate, & benignitate, excipias, etiam rogo, D.O.M. (quod totus Ordo noster assiduè facit) toto ex corde deprecans. vt te diù ἀεὶ εὐτυχοῦντα Protectorem nobis esse concedat.

PIO LECTORI S.

ETSI apud Petrum Equilienſem Epiſcopum, Iacobum à Voragine, Aloyſium Lipomanum, Laurentium Surium, Alphonſum Villegenſem, & alios aliquot Sanctorum Italiæ vitæ leguntur: cum tamen hi minimam illorum partem ædiderint, operæpretium me facturum duxi, ſi quas ſuperiotibus annis Generalis officio fungens inter viſitandum Ordinis noſtri loca ex diuerſarum Eccleſiarum monumentis in pleriſque Italiæ vrbibus collegi, in compendium redactas, in lucem æderem. Quod vt libentius facerẽ duo me præcipuè impulere: primum quidem, vt Acta Sanctorum præclara dudum latentia aliquando quaſi è tenebris in lucem prodirent, illiſque debitus ab omnibns honos haberetur: alterum verò, vt vitæ ipſorum emendatiores, quoad fieri poteſt, legerentur, cum multas tàm prælo excuſas, quàm manuſcriptas erroribus ſcatere deprehenſum ſit. Quamuis autem eas perbreues ſcripſerimus, ne opus nimis excreſceret, (ſi enim vitas omnes ex integro, vt ab alijs exaratas inuenimus collegiſſemus, non vnum, ſed plura conficere volumina neceſſum fuiſſet, tanta Sanctorum copia nobis occurrit) nihil tamen, quod ad hiſtoriæ ipſorum veritatem pertineat, præſertim circa patriam, circa tempus, & præcipuas illorum actiones omiſimus.

Sanctos omnes appellauimus, quos ex Apoſtolicæ Sedis con-

concessione Diuino, siue Ecclesiastico veneramur officio, (licet in SS. Albo, necdum adscripti sint, minusque eos ex S. R. E. regulis Sanctos liceat appellare.) Nam Sanctos ab Ecclesijs, in quibus celebrantur, etiam Cathedralibus passim vocari perspeximus.

Vitam Beatorum aliquot insigniorum (paucorum tamē) & quorum dies depositionis certus haberi potuit, ac ergo quos magna populi deuotio viget, interseruimus. Si quæ Sanctorum vitæ, actave deesse compertum fuerit non Auctoris negligentiæ, sed eorum qui requisiti non semel, ea communicari noluere, vitio, incuriæque adscribito. Sicubi verò erratum esse, aliquidve prætermissum offenderis, id in alia poterit editione ab alijs emendari. Tu interim hasce, qualescunque sint, lucubrationes æqui, bonique consule, & vale.

INDEX TOPOGRAPHICVS

LOCORVM ITALIÆ;

In quibus SS. viget memoria, eorum quoque nominibus subiectis.

Abellini in Hirpinis.

Modestinus Ep. Florentinus Presbyter, & Flauianus Diac. mart. 10. Iunij.

Acerris in Campania.

Conus, & Conellus filius mart. 3. Iun.

In Aemilia Prou. Italia Cispad.

Iucunda V. Regij. 25. Nou.
Plures proprijs in locis adnotantur.

Aemonia in Histria.

Maximus Episc. & mart. 29. Maij.
Pelagi⁹ Diac. mar. & patronus. 29. Aug.
Flos Episc. & confess. 27. Octob.

Æsernia in Samnio.

Benedictus Ep. & Confess. 4. Maij.

Æsii in Piceno.

Floriannus mart. & patronus. 4. Maij.
Septimius Ep. & mart. patronus. 22. Septemb.

Agathæ in Samnio.

Mennas Solitarius Confess. 11. Nou.

Agrigenti in Sicilia.

Gerlandus Ep. & Conf. 25. Februar.
Gregor. Ep. & Confess. 23. Nouemb.

Alba Pompeia in Liguria.

B. Theobaldus Confess. 27. Maij.
Frontinianus mart. 6. Septemb.
Eusredus Mon. & mart. 11. Octob.

Albing[illegible]uni in Liguria.

Benedictus Ep. & Conf. 12. Febr. & 5. Decemb.
Calocerus mart. 18. April.
Veranus Ep. & patronus. 14. Nouẽb.
Transl. eiusd. 8. Iunij.

Albintemelij in Liguria.

Secundus mart. 26. Augusti.

Aletij in Salentinis.

Patroni.
Herina virg. & mart. 5. Maij.
Venera virg. & mart. 26. Iulij.
Horontius 1. Ep. & mart. Dominica vlt. Aug.
Iustus Ep. & mart. Die seq.

Alexandria Statiellorum in Liguria.

Baudolinus Ep. & patronus. 10. Nou.

Alicatæ in Sicilia.

Angelus mart. Ord. Carmelit. 5. Maij.

I N D E X.

Va-

INDEX.

Co;

Pam-

An-

Lim-

Meda

Au-

Par-

Reate in Sabinis.

Ricineti in Piceno.

R O M AE.

Ianuarij.

Februarij.

Martij.

Leo,

Aprilis.

Maij.

Iunij.

Iulij.

Augusti.

Ro-

Septembris.

Octobris.

Cy-

Nouembris.

Decembris.

Rufelli in Aprutio.

Russii apud Rauennam.

S

In Sabinis.

Sacca in Sicilia.

Salerni in Picentibus.

Sa-

Spo-

Con-

Sa-

INDEX ALPHABETICVS NOMINVM SS.

Qui in hoc Catalogo continentur, & in Italia coluntur ijs, qui in Martyrologio Rom. non sunt asterismo * praenotatis, locisque, in quibus ipsorum corpora sunt, indicatis.

Aga-

I N D E X.

d Alfe-

I N D E X.

Ani-

I N D E X.

Armen-

B

Baſilla

C

Cli-

Cre-

Digna

* Eu-

G.

Gal-

* Gisle-

H

* He-

Hya-

L

* La-

Mar.

Mar-

Maxi-

N

Ne-

O.

Opta-

* Phi-

Q

Ro-

S

Sentius

Silue-

Syluester Papa Romæ 31. Decemb. corp. ibid. in ecclesia S. Martini.
* Siluia virgo & mart. Brixiana 15. Decemb. corp. in ecclesia S. Io. Euang.
* Siluia mater S. Gregorij Papæ. corp. Romæ in eccl. eiusdem S. Gregorij.
Siluanus Episc. Veronen. 12. Septemb. corpus in ecclesia S. Petri.
Siluinus Episc. Brixien. 28. Septemb. corp. in eccl. S. Petri in Olíueto.
Simeon, seu Symeon per y. mon. apud Mantuam 26. Iulij.
Simitrius Presbyter cum alijs 22. mart. Romæ 26. Maij.
Simon puer mart. Tridenti 24. Martij. corp. in ecclesia S. Petri.
Simon, & Iudas Apostoli 28. Octob.
Simplicianus Episc. Mediolanen. 16. Aug. corp. in propria ecclesia.
Simplicianus mart. Catanæ in Sic. cum Stephano. 31. Decemb.
Simplicius Papa Romæ 2. Martij.
Simplicius, & Seruilianus mart. Romæ 20. Apr.
Simplicius Senator mart. Romæ cum aliis. 10. Maij.
Simplicius Episc. Phausaniæ in Sard. & mart. 15. Maij.
Simplicius, Faustinus, & Beatrix mart. Romæ 29. Iulij, corpora in ecclesia sancti Nicolai.
* Simplicius, Constantius, & Victorianus mart. in Marsis 26. Augusti.
Simplicius mart. Romæ cum Claudio 8. Nouemb.
Simplicius Episc. Veronen. 20. Nouemb. corpus in ecclesia S. Stephani.
Sisinnius Episc. Teens. apud Torcellum. 12. Februarij. corp. in æde S. Ioannis.
Sisinnius Diaconus Diocletius, & Florentius mart. Auximi. 11. Maij. corp. Mediolani in ecclesia S. Simpliciani.
Sisinnius, Martyrius, & Alexander mart. Ananiæ 29. Maij.
* Sisinnius Episc. Altinata Torcelli 14. Iulij.
Sisinnius Diaconus mart. Romæ cum Saturnino 29. Nouemb.
Sixtus, vide Xystus.
Smaragdus mart. Romæ cum Cyriaco 16. Martij, & 8. Augusti.
* Solarius Episc. Lunen. & mart. vide Salarius.
Sollicitus confess. Matellicæ Ord. Crucifer. 6. Martij.
Solutor martyr Rauennæ cum Valentino 13. Nouemb.
Solutor mart. Taurini cum Octauio, & Aduentore 20. Nouemb.
Sophia virgo & mart. Firmi. 30. Apr. Reliq. in ecclesia Metrop.
Sophia, vide Romæ 30. Septemb.
Sosius Diac. mart. Puteolis cum Ianuario. alias Misenæ, 23. Septemb. corpus Neapoli in ecclesia S. Seuerini. Vide in calce.
Soter Papa & mart. Romæ 22. Apr. corp. in eccl. S. Martini in Montibus.
Sotheres virgo & mart. Romæ 10. Febr. corp. Dordraci in Hollandia.
* Speciosa virgo Papiæ. 18. Iunii.
* Speciosa virgo Mantuæ 11. Iulii.
Speciosus mon. Romæ 15. Martij.
* Sperandia virgo Cingulana 11. Septemb. corp. ibid.
Spes Ab. Nursiæ 28. Martii.
* Spes Episc. Spoletanus 23. Nouemb. corp. ibid.
Stacteus mart. Tibure cum Symphorosa 18. Iulii.
Stacteus martyr Romæ 28. Septemb.
* Stephania virgo & martyr Scalis in Picentibus. 18. Septemb.
Stephanus Ab. Reatinus 13. Februarij.
* Stephanus Episc. Rheginus mart. cum aliis, 5. seu 7. Iulii.

T

Theo-

Verus

Quomodo accipiendum sit, Corpora Sanctorum in diuersis locis reperiri.

Fieri nulla ratione potest, vt idem corpus quantalibet sanctitate præditum in pluribus reperiatur locis. Hoc enim, vt in pluribus, ac innumeris (si darentur) & quantumuis distantibus locis sit eodem temporis momento, soli Corpori Dominico in Sacramento Altaris conuenit. Quòd verò aliquot SS. Corpora in diuersis locis quiescere passim affirmatur, vel aliquos ex ijs, qui se illa habere gloriantur, decipi, vel totum pro parte in loquendo figura vsitatissima, vsurpari oportet. Vsus enim ex pia quadam extensione obtinuit, vt qui Sancti alicuius corporis reliquias, siue ossa, siue cineres habent, corpus ipsum habere dicantur. Sæpe etiam corpora SS. ex vno loco in alium transferri contingit, & dum alius prioris, alius posterioris loci meminit scribendo plura videntur loca eidem corpori assignari. Illud quoque potissima deceptionis causa est, quod clam, furtimue sublatis SS. Corporibus, & aliò translatis, manentibus tabulis, & inscriptionibus in priori loco, ibi esse creduntur, quoad furtum non detegitur. Accidit & titulum, inscriptionemque cassam alicuius Sancti iuxta corpus ignotum reperiri, quod idcirco Sancti illius esse putatur; quemadmodum & corpus S. alicuius à potentioribus peti, pro quo, ij, qui apertè illud tanquam inferiores denegare non audent, nec tamen volunt suo priuari thesauro, aliud supponunt: quo pacto idem corpus duo obtinet loca: vnum re ipsa, alterum opinione. Hæc, quæ diximus, exemplis confirmare potuissemus: sed ab ijs abstinendum duximus, ne quis id grauatè ferat. Cum itaque eiusdem Sancti corpus in duobus, vel etiam pluribus esse locis audieris, vel legeris, partem pro toto, vel è contra sumi, siue causam deceptionis aliquam ex dictis intercedere putabis.

Corpora Sanctorum diuersis locis assignata.

ABdon,& Sennen mart. Romæ in ecclesia S. Marci. Parmæ in ecclesia Cathed.& Papiæ in ecclesia S.Mariæ Nouæ.

Afræ virg. & mart. Augustæ in Germ. in propria ecclesia, & Papiæ in ecclesia S. Maroli.

Agapiti mart.Præneste in propria ecclesia.Romæ in ecclesia S. Tryphonis. & Parmæ in eccl. Cathed.& Mediolani in ecclesia S. Stephani.

Agathæ virg. & marty. Catinæ in Sic. in propria ecclesia, & Veronæ in ecclesia Cathed.

Agnelli Ab.Neapoli in propria ecclesia; & Lucæ in ecclesia Cathed.

Albani mart.Moguntiæ in Germania in propria ecclesia, & Torcelli in ecclesia Cathed. ac Murani.

Alexandri Papæ,& soc.mart. Romæ in ecclesia S. Laurentij in Lucina. & in ecclesia S. Sabinæ. Parmæ in propria eccl.& Iustinopoli in eccl. Cathed.Tibure etiam S.Alexandri Papæ in ecclesia Cathed.

Anastasij mart. Romæ in Ara cœli,& in ecclesia S. Mariæ Rotundæ, ac Venetijs in ecclesia S. Trinitatis.

Ansani mart. Senis,& Spoleti in propria ecclesia.

Apollinaris Episc.& mart.Rauennæ in prop.eccl.& Papiæ in eccl.S.Th.

Artemij,Candidæ,& Paulinæ mart. Romæ in Ara Cæli; & Placentiæ in ecclesia Cathed.

Aureæ virg.& mart. Ostiæ in prop. eccl.& Parmæ in eccl. Cathed.

Barbaræ virg.& mart.Placentiæ in eccl.S.Xysti; Venetijs in eccl.Cruciferorum. & Torcelli in ecclesia Cathed.

Bartholomæi Apost.Romæ in propria ecclesia. & Beneuenti,vt ipsi Beneuentani asserunt.

Basilidis mart.Cnuanæ apud Parmam. & Mediolani in eccl. S.Celsi.

Blasij Episc.& mar.Veronæ in eccl.S.Nazarij.& Papiæ in eccl.S.Io.Don.

Bobonis conf. Vico Iriæ,& Papiæ olim in ecclesia S. Apollinaris. nunc in ecclesia S. Thomæ.

Boni Presbyteri,& Mauri mart. Romæ in ecclesia S.Laurentij in Damaso. & in ecclesia SS.Apostolorum.

Cæciliæ virg & mart.Romæ in prop.eccl. Mediolani in eccl. S.Victoris.

Calimerij Episc.& marr.Mediolani in prop.eccl.& Brix.in eccl.S.Clem.

Cantij,Cantiani,& Cantianillæ mart.Aquileiæ in prop.ecclesia. Veronæ in eccl.S.Mariæ in Organis. & Mediolani in eccl. Metrop.

Cassiani,& Hippolyti mart. Lucæ in eccl. Cathed. Cassiani verò Imolę in propria ecclesia.

Chrysanthi,& Dariæ mart.Regij in prop.Sacello. Vrię in eccl.Cathed. & Romę partim in eccl.SS.Apost partim in eccl. S.Sebastiani.

Chrysogoni mart. Aquileię in propria ecclesia. & Venetijs in ecclesia SS.Geruasij,& Proth. ac Veronę in ecclesia S. Marię in Organis.

Cosmę,& Dam.mar.Romę in prop. eccl.& Veronę in eccl. S.Proculi.

Dal-

D

Dalmatij mart.in propria eccl.in Pago apud Cuneum. Papię in ecclesia propria. & Quadringenti apud Alexandriam in propria ecclesia.

Donati Ep. & mart.Caput Arretij in propr.eccl.cum corpore,& Acerni in Lucania.

E

Euphemia virg.mart.Placentiæ in prop.eccl.& Arupeni in Iſtria.

Euſebij,Vincentij,& Soc.mart.Romæ in prop.eccl. S.Euſebij, & in eccl. S.Laurentij in Lucina. Pontiani verò Lucæ in propr.eccl.

F

Fabiani Papę,& mart.Romæ in eccl. S.Petri, S.Silueſtri, & S. Euſebij, & Placentiæ in eccl.S.Sixti.

Fauſtini, & Beatricis mart.Romæ in eccl. S.Mariæ maioris, & in eccl.S. Nicolai.

Felicis Presbyteri,& mart.Nolæ in prop.eccl.Placentiæ in eccl.S.Xyſti, & Papiæ in eccl.S.Saluatoris.

Felicis,& Fortunati mart. Aquileiæ,& Mediolani in eccl.S.Franc.

Feliculę virg.& mart.Romæ in eccl. S.Laurentij in Lucina, & Parmæ in eccl.S.Pauli.

Firmi,& Ruſtici mart. Bergomi in eccl.Cath. & Veronę in prop. eccl.

Floriani mart.Aeſij in prop.eccl.Bononię in eccl. S.Steph.

Fortunati Epiſc.Tuderti in prop.eccl.& Catanzari in Calabria.

G

Gabinij Presbyteri,& mart.Romæ in eccl.S.Suſannæ,& in eccl.S.Petri.

Germani Ep.Capuæ,& Placentiæ in eccl.S.Xyſti.

Gordiani, & Epimachi mart. Romæ in eccl. S. Laurentij in Lucina, & Venetijs in eccl.S.Paterniani.

Gregorij Nazianzeni Ep.Romæ in eccl. S.Petri, & Venetijs in eccleſ.S. Zachariæ.

H

Hadriani mart.Bononiæ in eccl. S.Felicis cum Natalia, & in Belgio in Monaſt. S.Gerardi.

Helenæ vid.Venetijs in prop.eccl.& apud Rhemos in Gallia.

Hermetis mart.Romæ in eccl.S.Alexij,& Rotornaci in Belgio.

I

Iacobi Apoſt Compoſtellæ in Hiſp. in propr.eccleſia, & in M.Grigiano apud Veronam.

Innocentij Papę Romæ in eccl.S.Martini,& in eccl.S.M. trans Tyberim.

Io.Baptiſtæ Cineres Rom.in eccl.Lateran.& Genuæ in eccl.S.Syri.

Io.Calybitæ Romæ in prop.eccl.& Parmæ in eccl.Cath.

Iulianæ virg.& mart. Neapoli in eccl. S.Mariæ Veronæ in eccl. S.Nazarij, & in Hiſp.in Op.ſui nominis.

Iuſtinæ virg.& mart.Romæ in eccl. Lateranenſ. & Placentiæ in eccleſia Cath.

Li-

L

Liberalis confeſſ. Taruiſij in eccl. Cath. & Torcelli pariter in Cath.
Longini mart. Mantuæ in eccl. & Romæ in eccl. S. Marcelli.
Lucæ Euang. Patauij in eccl. S. Iuſtinæ, & in M. Virginis.
Lucij Papa, & mart. Romæ in eccl. S. Cæciliæ, & in eccleſia S. Sixti, ac in eccl. S. M. transTyberim.
Luxorij, Ciſelli, & Camerini mart. Piſis in eccl Cath. Papiæ in eccl. Sancti Petri in Cœlo aureo.

M

Marcelli, & Apuleii mart. Placentiæ in eccleſia Sancti Xyſti, & Venetijs in eccl. Cath.
Marci, & Marcelliani mart. Romæ in eccl. SS. Coſmæ, & Damiani in eccl. S. Nicolai, & Frequenti in eccl. Cath.
Marinæ virg. Venetijs in prop. eccl. Arimini in eccl. S. Gaudentij, & Papiæ in eccl. S. Felicis.
Matthiæ Apoſt. Romæ in eccl. S. Mariæ Maioris. Patauij in eccl. S. Iuſtinæ, & Treuiris.
Marini Diac. in M. Titano. Op. Diœc. Ariminen. & Papiæ in prop. eccl.
Mauritij, & Exuperantij mart. Taurini in eccl. Metrop. & Papiæ in eccl. S. Matthæi.
Mauri, Iaſonis mart. Lucæ in eccl. Cath. & in Monte Virg.

N

Nemeſij mart. Romæ in eccl. S. Mariæ nouæ, & Papiæ in eccl. Sancti Laurentij.
Nicolai Ep. Myren. Barij in prop. eccl. & Venetijs in prop. eccl.
Nymphæ virg. Romæ in eccl. S. Tryphonis, in eccl. S. Spiritus, & in eccl. S. M. Monticulorum.

P

Pantaleonis mart. Lucæ in eccl. SS. Io & Pauli. & Vigilijs in prop. eccl.
Paterniani Ep. Fani in eccl. & Venetijs in prop. eccl.
Petri Diac. Romæ in eccl. S. Petri, & Salutiolæ in Diœc. Vercellenſ.
Petri, & Marcellini mart. Romæ in prop. eccl. & Cremonæ in eccl. Cath.
Potiti mart, Tricarici in prop. eccl & Piſis in eccl. Cath.
Primi, & Feliciani mart. Romæ in eccleſia S. Steph. Rotundi, Lugiuni in Terr. Mediolanen. Papiæ in eccleſ. S. Agathæ, & Quadringenti apud Alexandriam.
Proceſsi, & Martiniani mart. Romæ in eccl. S. Petri in Vaticano, & in eccleſia eiuſd. in Carcere Tulliano.
Proculi Epiſc. & mart. Bononiæ in prop. eccl. & Interamnæ.
Proculi Ep. Veronæ in prop. eccl. & Bergomi in eccl. Cath.
Proti, & Hyacinthi mart. Romæ in eccl. Saluatoris ad P. nouum. in eccl. SS. Apoſt. & Papiæ in eccleſ. S. Felicis.
Pudentianæ virg. Romæ in eccleſia Sanctæ Praxedis. & Parmæ in eccleſia Cathedrali.

Reguli

R.

Reguli episc.& mart.Lucæ, & Pisis in eccl.Cath.

Reparatæ virg.& mart.Lucæ in eccl.Sancti Io.Theani in prop.eccl.

Restitutæ virg. & mart. Neapoli in propria ecclesia. & Pisis in ecclesia Cathedrali.

Romani mart.Romæ in ecclesia S. Eusebij. & Lucæ in propria ecclesia.

Romulæ,& Redemptæ virg.Romæ in ecclesia S.Mariæ maioris. & Tibure in ecclesia Cathed.

Rufinæ virg. & mart.Romæ in ecclesia Lateranensi. & in ecclesia sancti Tryphonis.

S

Sabæ Abbatis, Venetijs in ecclesia S.Antonini. Romæ.

Sabinæ mart. Romæ in prop.eccl.Venetijs in eccl.S.Zachariæ, & Parmæ in ecclesia S.Bartholomæi.

Sauini Episc.& mart. Spoleti in eccl. Cath. Eporediæ in eccl. Cath Firmij in propr.eccl.M.Silicis in Diœc. Patauina.

Sebastiani mart.Romæ in prop.eccl.& Suessione in Gallia.

Secundi mart. Astæ in prop.eccl.& Venetijs. etiam in prop.eccl.

Secundi mart. alterius Ameriæ in Vmbria, & Eugubij, & Venetijs.

Sergij,Bacchi,Marci,& Apuleij mart. Venetijs in eccl.Patriarchali. Placentiæ in ecclesia S.Xysti. Papiæ in eccl. S.Felicis.

Seueri Episc. Rauennatis Rauennæ in ecclesia Classen. & Moguntiæ in ecclesia Cathed.

Simonis,& Iudæ Apost.Romæ in ecclesia S.Petri, & Veronæ in ecclesia S.Ioannis.

Soteris virg.& mart.Romæ in eccl. S.Martini, & Dordraci in Holl̃adia.

Soteris Papæ,& mart.Romæ.

Stephani Papæ & mart. Romæ in eccl.S.Sebastiani,in ecclesia S. Syluestri,& in ecclesia S.Martini.

Susannæ virg.& mart.Romæ in propria ecclesia. & Parmæ vnà cum corpore S.Tibortij in propria ecclesia.

Symphorosæ,& filiorum Romæ in ecclesia S. Angeli, Tibure in propria ecclesia. Papiæ in ecclesia S.Eusebij.

T

Theodori mart. Brundusij in propria ecclesia. & Venetijs in ecclesia S.Saluatoris.

Theonesti mart. Thebæi Vercellis in ecclesia Cath. & Moguntiæ.

Theonesti,Tabræ, & Tabratæ mart. Taruisij in ecclesia Cathed. & Torcelli pariter in Cathed.

Tiburtij,Valeriani,& Maximi mart. Romæ in ecclesia S.Cæciliæ. & Lucæ in ecclesia SS.Donati, & Paulini.

Tryphonis mart.Romæ in prop. ecclesia,& in ecclesia S.Spiritus.

V

Victoriæ virg.& mart. in Piceno in propria ecclesia, & Op. & Placentiæ in

in ecclesia S. Mariæ Campaniæ.

Victoris, & Coronæ mart. Feltriæ in ecclesia Cathed. Mediolani in ecclesia S. Eustorgij. Auximi in ecclesia Cathed.

Vigilij Episcopi, & mart. Tridenti in propria ecclesia. & Mediolani in ecclesia S. Simpliciani.

Vitaliani Episc. Capuani. Auximi in eccl. Cath. Catanzari in Calabria.

Vitalis, & Agricolæ mart. Bononiæ in propria ecclesia. Derthonæ in ecclesia Cathed.

Viti mart. Poliniani in Apulia in propria eccl. & Pragæ in Germ.

X

Xysti Papæ, & mart. Romæ in propria ecclesia. Placentiæ in propria ecclesia. & Derthonæ in ecclesia Cathed.

FINIS.

IANVARII
DIE PRIMA.

DE SANCTO CONCORDIO PRAESBYTERO, Et Martyre Spoletano.

CONCORDIVS Patre Gordiano Præsbytero, & viro ſanctiſſimo Romæ natus à S. Pio Romano Pontif. Subdiaconus ordinatus eſt, & ad S. Eutichen in prædiolo ſuo in via ſalaria apud Trebulam. C. Commorantem profectus, cum eo orationibus, & ieiunijs inſiſtens, multos à varijs lãguoribus, & morbis oppreſſos ad ſe venientes in nomine D. N. I. C. ſanabat. Cum autem rerum geſtarum fama ad Torquatum Tuſci &c. Comitem Spoleti agentem, perlata eſſet, ab eo accerſitus propter fidei Chriſtianæ conſtantiam in publicam cuſtodiam traditur: Vnde Aretini Epiſcopi, qui Comitis amicus erat, opera eductus ab eodem Epiſcopo Prę:byter, ordinatur; Verùm paulo poſt à Comite reuocatus, cum nullis neque minis, neq; blanditijs à Chriſti confeſſione poſſet abduci, primùm fuſtibus cæditur, ac in Equleo ſuſpenditur, deindè catenis ferreis conſtrictus, & onuſtus in carcerem fame perimendus recluditur; Sed noctu ab Angelo viſitatus confortatur, fame depulſa. Poſtremò allata ad eum Iouis ſtatua, vt ei ſacrificaret, vel ſi id facere recuſaſſet, capitalem ſententiam ſubiret: Cum in faciem Iouis expuiſſet vnus ſatellitum, gladio euaginato, ei caput amputauit Kal. Ianuarij. Corpus non longè ab vrbe Spoletana, vbi multæ aquæ emanant ſalutares, cæci plures illuminantur, Ægri ſanantur, & Dæmones expelluntur, conditum eſt. Paſſus eſt M. Antonino Imp. *Ex Adone in Martyrologio, à quo Sur. & Lipom. Tom. 1. acceptam referunt &c.*

Concordius in nomine D. N. I. C. Multos curat infirmos &c.

Diuerſis cruciatib. afficitur.

Ab Angelo viſitatus recreatur.

In Iouis faciem expuit.

Capite plectitur.

Cæci illuminantur, ægri ſanãtur: Dęmonesq; expelluntur.

DE SANCTA MARTINA VIRGINE, Et Martyre Romana.

MARTINA Verg. nobilis Romana Parentibus mortuis, & facultatibus ſuis Pauperibus diſtributis, ab Vlpiani Præfecti ſatellitibus compræhenditur, & ad Apollinis templum, vt ei ſacrificaret, perducitur. Quod templum, factis à Vir-

Statua Apollinis Marti- næ, precibus corruit.

gine precibus vnà cum Apollinis statua magna ex parte corruit, multosque cùm sacerdotibus ex Gentilibus oppressit. Quare Præfectus Virginem cædi, & ferreis vngulis dilaniari præcipit. Cum autem Tortores, qui se quatuor pulcherrimos Iuuenes Martinæ adstare, & ictus in ipsos tortores retorquere vidisse asserebãt, acrius illam in altum suspensam iussu Præfecti excruciarent, luce cælitus orta, in terram prostrati Virgin. vt sibi veniam impetraret, orant, ac in Christum credentes paulo post suis ipsorum gladiis capite plectuntur. Postera die Martina è custodia educta, & ante Præfectum vestibus exuta, rursus in altum sublata dirissimè torquetur, & ad quatuo palos alligata diù, continuoque à septem Tortoribus vicissim succedentibus, & illis defatigatis, aliis adhibitis, immanissimè cæditur; Cum verò illa constantior appareret, Eumenii cuiusdam suasu in Carcerem, vbi oleo feruenti plagæ perfunderentur, reducitur: sed Angelorum voces cum Martina Christum Laudantium à custodibus audiuntur. Adueniente die illa Præfecto sistitur, & Dianæ sacrificare iubetur: ad cuius templum ducta vt orauit, Dæmon, vt illa præceperat, statim abscessit, ignisque de cœlo statuam Dianæ consumpsit. Quibus Vlpianus perterritus, Virginem Iustino iudici cruciandam tradit. Qui illam Pectinibus, & mamillas vncinis ferreis dilacerari imperat. Cum centum, decem & octo vulneta Virgo absque vlla quærimonia accepisset, Iudex constantiam illius admiratus, eamque frustra ad Idolorum cultum hortatus, in carcerem reduci iubet. Quam cum Vlpianus Leoni (qui ad illius pedes procubuit) obijci, & post aliquot dies in fidei confessione persistentem, crudeliter torqueri, confractis ossibus, ac in ignem, qui aqua è cœlo descendente extinctus est, multis prius ex infidelibus interemptis, iniici imperasset, cum quid amplius faceret non haberet, capitalem in illam sententiam dixit. Passa est ann. sal. CC. XXVIII. Vrbano I. Sum. Pont. & Alex. Seuero Imp. *Ex Beda, Vsuar. Adone; Pet. in Cat. SS. lib. 2. c. 20. Baron. Tom. 2. Annal. Eccles. ad an. præd. Ant. Gallon. lib de Virg. Rom. Surio Tom. 1. Officio SS. Placentia, vbi Corpus in Basilica S. Xysti asseruatur.*

Tortores Martinæ conuertuntur, & decollantur.

S. Mart. variè, & dirissimè cruciatur Angeli i carcere cũ Mart. Deũ laudãt.

Mira Mart. constantia, & patientia.

Leo ad pedes Mart. procũbit.

Caput Martinæ amputatur.

ANNOTATIO.

Vlpianus I. C. Christianis infensissimus.

1 VLpianus celeberrimus ille. I.C. est, sed Christianis infensissimus, Qui licet Alex. Imp. Christianos propter Mammæam Matrem Christianam nõ sit persequutus, odio tamen in eos extimulatus, pœnas iuxta Superior. Principum edicta in illos exercuit.*

2 In Lectionibus huius sanctæ Virg. quæ in Ecclesia Placentina leguntur, quod sub Vlpiano Præfecto gestum est Alex. Imp. tribuitur, cum Alex. Christianorum fautor non Persecutor fuerit &c.

DE S. ALMACHIO MARTYRE ROMANO.

ALMACHIVS Romæ Alypio Præfecto vrbem administrante, cum hac die Gentiles Idola colentes argueret, diceretq; hodie octauæ Natalis Domini sunt, cessate à superstitionibus, & falsor. Deorum cultu, iussu Præfecti inauditus à Gladiatoribus interficitur. *ex Beda, Vsuardo, Adone, & Martyrol. Rom.*

ANNOTATIO.

QVO tempore, quouè Imp. S. Almachius passus sit non est eadem scribentium sententia; Nam Petr. Gales. sub Diocl. passum opinatur, & quia sub Diocl. nullus qui Aly-

Alypius vocetur, vrbis Praefecturam administrasse. Sequitur pro Olympio Alypio scriptũ fuisse ait: sicque ab alijs Olympio, non Alypio scriptum esse Baron. autẽ in suis in Martyrol. Rom. notis Almachium Honorio Imp. sub Alypio praefecto Olybri Hermogeniani, Ausonij Galli amicissimi fratre adhuc Centile martyrio coronatum censet, quem, Telemacum à Theodoreto lib. 10. hist. Trip. cap. 2. appellari ait, fuisseque propterea ab Honorio Ludos degladiatorii sublatos: Mihi verò Galesinij magis probatur sententia. Nam sub Religiosissimo Imp. Vrbem administrasse hominem Gentilem, neque Roma praesertim Idolorum cultum extitisse verisimile est. Qui vero ex Theodoreto affertur Telemacum Monacum Romam, vt Monomachiam tolleret, venisse: atque à gladiatoribus, cum eos impedire vellet, trucidatum, haud cum Martyrol. Rom. concordat. Nam, vt nominis diuersitas omittatur, Almachius alia de causa à Gladiatoribus iubente Praefecto, nimirum quia Idolatras arguebat, occisus in Martyrol. refertur. Telemacus vero à Theodoreto qui gladiatorum ludum impediret, ab eis interemptus scribitur &c.

Ianuarij 2.

DE S. MARTINIANO EPISC. MEDIOLAN.

MARTINIANVS Ep. Mediolanen. S. Maralo successit, & Ecclesiam Mediolanensem triennio summa pietate, & singulari prudentia administrauit. Epistolam scripsit ad Patres Concilio Ephesino, à quibus Sãctissimus, & charissimus Deo Episcopus appellatur. Ad Theodosium, & Honorium Aug. librum, in quo Nestorij impietatem redarguit, misit. Pertulit acerbam sub Gothis temporum conditionem. Demum multis virtutibus, & miraculis clarus, obdormiuit in Domino iv. nonis Ian. & in Ecclesia S. Stephani sepelitur. *Ex Breuiario Mediolanen. ex Vitis SS. Epp. per Io. Franc. Besutium scriptis.*

Martinianus S. Marolo successit.

Epistolam ad Concil. Ephes. scribit.

Nestorij impietatem refellit.

ANNOTATIO.

Theodosius de quo supra fit mentio, non ille magnus est, sed iunior, Arcadij Imp. cui in Oriente successit, filius.

Meminit S. Martiniani D. Ennodius Episcopus Papiens. in his versibus.

,, *Mens niuei lactis, species manifesta columbae*
, *Astutia Serpens Martiniane Vale.*
,, *Lubrica te dubij dum poscunt flumina, Vulgi*
, *Inueniunt pauidum, ne mereare legi.*
,, *Vnus erat mundo contraria Iudice narrans,*
, *Qui vt caperet regnum, vincere non metuit.*
,, *Protinus ad magni perductus limen honoris,*
, *Exul caelorum ciuibus inseritur*
,, *Post geminas Sanctis construxit mundior aedes*
, *Lumine quas clauso iussit habere diem &c.*

DE S. MACARIO ROMANO Confeſſore.

Mira Macarij abſtinentia.

MACARIVS Romanus Præfecti Vrbis Romæ Vicarius, vitæ Monaſticæ cupidus ſpretis omnibus ſolitariam herbarum radicibus, & aqua vitã egit. Inſidias Sathanæ aſſiduis precibus, & corporis caſtigatione, maximè, verò ieiunijs ſuperauit, ſicq. Deo apprimè charus ad ſummam vſque ſenectam vitæ curſum ſanctiſſimè confecit. Extat eius ex candido, & perlucido marmore Sarchophagum in Eccl. S. Helenæ apud Lauinum Amnem in Agro Bonon. Vbi eum vitam degiſſe Eremiticam conijcimus. Corpus Placentiæ in Baſilica S. Xyſti ſub Ara illi dicata conditum eſt. Vitam eius à Theophilo ſcriptam tradunt. *Ex off. Eccl. Placentina.*

ANNOTATIO.

S. Macarij Epithaphiũ &c.

1 *Locus apud Lauinum vbi S. Helena, Eccleſia Parochialis conſpicitur, vulgò S. Chierno appellatur, eſtque Fratrum Seruorum: Epithaphium verò S. Macarij in eius Sarchophago ſic habet. MACARIVS VOCOR IN CIVITATE ROM. NATVS. Solet autem Sanctus hic ab incolis aduerſus tempeſtates inuocari.*

2. *Quidam illum Abbatem ſcribunt, & corpus illius diu Nonantula aſſeruatum fuiſſe, aſſerunt.*

DE SS. MARTYRIBVS ALVERIO, ET SEBASTIANO Apud Foſſanum.

ALVERIVS, & Sebaſtianus milites Thebæi, cum ex finibus Sedunorum Maximiani Imp. perſecutionem, & crudelitatem in eos qui Chriſtianam Religionem colebant, fugientes, in Taurinorum fines circa ea loca, vbi Foſſanum Ciuitas nunc eſt, ſe recepiſſent, ab Imperatoris ſatellitibus depræhenſi, martyrio affecti ſunt. Quorum corpora in Eccleſia Campeſtri olim Parochiali apud Foſſanum, cum diù latuiſſent an. ſal. M. CCCC. XXVII. quarto nonas Ian. in Arcis lapideis cum inſcriptione, quæ eos ex Thebæa legione fuiſſe, & ſub memorato Imp. paſſos eſſe oſtendit, votum cęleſtium indicio reperta, & in Baſilicam dictæ Ciuitatis maiorem tranſlata, non mediocrem habent venerationem. *Ex tabulis Eccleſ. Foſſanen. & ex hiſtoria SS. MM. Thebæorum Auguſtæ Taurinorum annis ſuperioribus edita.*

ANNOTATIO.

1 *Acta horum SS. Mart. non extant, ſicuti & aliorum plurium, qui in Pedemontana regione coluntur.*

DE SANCTO DEFENDENTE MART. Apud Clauaſium, & alibi.

S. DEFENDENTIS Mart. memoria multis in locis celebris eſt, præcipuè Clauaſij oppido haud obſcuro Taurinen. Diœceſis apud Morgum fluuium in Padum non longè influentem: Caſali Montisferrati vrbe primaria, & Noua-

rie

riæ, quibus in locis, & alibi Ecclesiæ, Aræque illi dedicatæ sunt: cuius reliquiæ Casali in Ecclesia Eremitarum asseruari feruntur. De quo etiam miraculū Odolenei Pago Diœcesis Casalen. narratur, quòd cum quidam in die S. Defendentis festo aucupatum potius quàm Missam audire voluisset, ac Perdices captas coquere, illæ statim rediuiuæ eò obcæcato euolarunt; qui tamen facti pœnitens ad aram S. Mar. orans & veniam impetrauit, & visum recuperauit. Vbi is passus fuerit ignoratur, nisi sit idem cum eo, quem apud Rhodanum fluuium in Massiliensi diœcesi vnà cum alijs Maximiano Imp. martyrio affectum, atque à S.Theodoro Episc. Massiliensi conditum ibidem Ecclesia sibi constructa tradunt; inter alios Petrus Galesinius in suo Martyrolog. hac die: citatq; cod. M. S. Ecclesiæ Bergomens. Tametsi auctor historiæ martyrum Thebæorum Taurini excusæ hunc aliū ab illo facit, putatq; in Italia apud Pedemontium cum alijs passum fuisse sub dicto Imp. Sed ipse potius eundem, cum eo qui ad Rhodanum passus est, esse autumo; Cum nullum quod sit diuersus argumentum habeamus.

Perdices cocte euolant. Venator S. Defendentis festo violato obcæcatur. Meritis S. Defend. visum recuperat.

Ianuarij die 3.

DE S. DANIELE LEVITA, ET MARTYRE, ac Patrono Patauino.

DAniel S. Prosdocimi Episc. Patauini Diac. & discip. hebræis ortus Parentibus, dum suo fungeretur munere, ac Christi Domini fidem liberè prædicaret, iussu Vrbis Præfecti compræhensus, cum in fidei confessione constantissime permaneret inter duas tabulas ligneam, & ferream clauis configitur. Cuius corpus diu mansit ignotum, quoad an. sal. M.LXIV. cæcus quidam ex Hetruria in somnis admonitus, Patauium ductus, locum sibi per uisum ostensum demonstrauit; in quo S. Martyris corpus conditum erat, qd in Basilica S. Iustinæ apud Aram S. Prosdocimi repertum est: cæcusq; lucem recepit, aliaq; miracula perpetrata sunt. An. uerò M.CCXCV. in Ecclesiam Cathedralem translatum est. *Ex Bernardino Scardeonio lib. 2. class. 6. de Antiquitate Patauina.*

Crudele supplicium cæcus corpus S. Danielis indicans lumen adipiscitur.

ANNOTATIO.

DIes præscripta, qua S. Martyris memoria Patauij solemniter celebratur, non Passionis, sed Inuentionis est; tempus enim quo is Martyrio coronatus fuit, ignoratur.

DE S. ANTHERO PAPA, ET MART.

ANtherus genere Græcus ex Vrbe Petelia S. Pontiano in Pontif. Maximino Imp. successit. Hic inter cæteras res MM. gestas à Notarijs diligenter exquiri, in Ecclesiaq; asseruari (quod sibi martyrio causa fuit) præcepit. Epistolam scripsit ad Boeticæ, & Toletanæ Episcopos (qui illum, an Episcopos ab vna ad aliam Ecclesiam transferri liceret per literas consuluerant) valde vtilem, ac cęlestibus monitis plenam. Vnam habuit mense Decembri ordinationem, qua Fundanæ Ecclesiæ Episcopum creauit. A Maximo Vrbis Præfecto compræhensus, & ob dictam causam martyrio affectus in Cœm. Callisti sepultus est 3. Nonas Ian. Maximino, & Africano Coss. *Ex Damaso in Pontificali. Eusebio lib. 6. hist. Eccl. & Martyrol. Romano.*

ANNOTATIO.

Circa tẽpus quo Antherus Pontifex fuerit haud leue diffidiũ.

QVantum vixerit Antherus in Pontificatu variè traditur: Nam Eusebius lib. citato, cap. 20 mensem dumtaxat illi tribuit, quod ex eo facilè reijcitur, cum Epistolam ad Episcopos memoratos Kalend. Iulij eum scripsisse constet: obiisse vero iij. Nonas Ianuarij. Damasus xij. annos eum vixisse scribit, sed hoc temporum supputationi repugnat; nam illi eisdem Coss. Fabianus Papa successit, quos haud tantum vixisse manifestum est. Deindè si tot annos vixisset plures ordinationes, vt verisimile est, habuisset.

DE S. SALVATORE EPISCOPO CVIVS memoria die suprascripta Beluni recolitur.

Ianuarij die 4.

DE SS. MARTYRIBVS PRISCO, Priscilliano, & Benedicta Romæ.

Iulianus Apostata dum esset August. Romæ non fuit.

PRiscus Presbyter, Priscillianus Clericus, & Benedicta fœmina Romæ, sub Iuliano Apostata passi sunt. Is enim post arreptum Imperium (licet nunquã Romæ fuerit) per Apronianum tamen gentilem, & Christiani nominis hostem, cui Vrbis Præfecturam credidit, Christianos exagitare non destitit. Apronianus itaq; Priscum, Priscillianum vna cum Benedicta religiosissima fœmina comprehendi iuber, ac Idola venerari nolentes gladio feriri, & corpora proijci inhumata. Quæ cum Flauianus nobilissimus vir sepelienda curasset, ab eodem Aproniano exilio damnatus est. *Ex Actis S. Bibianæ Virg. & Mart. ex Adone. Pet. Aquil. & alijs.*

DE SS. MARTYRIBVS HERMETE, Aggæo, & Caio Bononiensibus.

HErmes, Aggæus, & Caius Bononiensibus initio persecutionis à Diocl. & Maxim. Imper. excitatę passi sunt, cum Christum abnegare, Deosq; colere constantissimè renuissent. Post quos Proculus, Vitalis, & Agricola martyrio coronati sunt, an. Sal. circiter ccc. i. quo tempore sedes Episcopalis Bononiæ ob Persecutionis acerbitatem vacabat, Acta tamen ipsorum martyrij non extant. *Ex Beda, Vsu. & Antiquis Martyrologijs ac ex Carolo Sigonio lib. de Episcopis Bononiensibus.* Acta ipsorum desiderantur.

DE S. DAFROSA VIDVA, & Martyre Romana.

Faustus à Dafrosa conuertitur.

DAfrosa, quæ & Darfosa à nonnullis nominatur S. Flauiani vxor, ac SS. VV. Demetriæ, & Bibianæ Mater post viri excessum domi cum filiabus sine cibo, & potu includitur, ita ab Aproniano vrbis Præfecto, vt Idola veneraretur iubetur. Sed illa diuinitus refecta, magisq; in fide roborata, Faustum propinquum à Præfecto, vt illam à Christi fide abduceret missum, ità rationibus conuicit, ac in Christiana religione erudiuit, vtà Ioanne Presbytero baptizatus, ac coram Præfecto se Christianum effectum liberè confessus, atque Deo gratias agens subito expirauit. Dafrosa verò noctu à viro in somnis ad Beatam vitam inuitatam

nihil

nihil aliud agebat, quam vt paratissima ad migrandum inueniretur. Quare paulopost ad Præfectum vocata constansque in Christi fidem reperta in exilium mittitur. Vbi post paucos dies Aproniani iussu capite truncatur. *Ex Actis S. Bibianæ Virg. & Mart.*

ANNOTATIO.

ADo, & alij pro Flauiano Fabiano legunt; quos Petrus in Catalogo SS. secutus Dafrosam S. Fabiani Papæ antequam Pontifex fieret vxorē fuisse credidit, lib. 2. c. 43. haud animaduertens Dafrosam sub Iuliano multo post S. Fabianum Papam sub Decio passum, coronatam.

Plures Flau. pro Fabiano perperam legunt.

Ianuarij die 5.

DE S. TELESPHORO PAPA, & Martyre.

TElesphorus natione Græcus ex Patre Anachorita viij. à S. Petro Apostolo Pontifex Antonino Pio Imperat. an. sal. cxxvij. post Xystum I. præfuit Ecclesiæ. Is multa constituit, in ijs, vt ieiunium quadragesimale per septem hebdomadas seruaretur. Vt in die Natiuitatis Domini Nostri Iesu Christi missæ tres à singulis Sacerdotibus celebrarentur. Ac vt in missa hymnus Gloria in excelsis caneretur. Vixit in Pontificatu annis xj. menses iij. dies xxij. habuit ordinationem mense decembri, in qua Presbyteros xv. Diaconos viij. Episcopos vero xiij. per diuersa loca. Illius tempore Valentini hæresis inualuit. Martyrio sub Eodem Imper. coronatus: sepultus est in Vaticano. *Ex Pontificali Damasi, Platina, & alijs vitæ Pontificum scriptoribus.*

Sancta Thelesphori instituta.

ANNOTATIO.

1 *SVnt qui Thelesphorum sub Hadriano Imper. martyrium subijsse, scribant, quod apertissimè Martyrolog. Rom. aduersatur, nam illum an. cxxvij. Pontificatum inijsse, in eoque an. xi. vixisse: Hadrianum verò Imperium an. cxviij. cœpisse: illudque ferè an. xxi. administrasse cum asserant, Thelesphorum sub Hadriano coronatum dicere coguntur. Cuius oppositum Eusebius lib. 4. Hist. Eccl. c. 10. vbi Thelesphorum sub Antonino Pio post Adriani obitum an. xi. præfuisse tradit, & Martyrolog. Rom. docet.*

2 *Circa huius Pontificis locum scriptores haud conueniunt. Eusebius enim lib. 5. Hist. Eccl. c. 6. illum septimum ab Apostolo Petro facit: Sed is Cletum prætermittit, Anacleto loco illius posito. Petrus Gales. in suo Martyrol. nono loco præfuisse scribit aduersus communem sententiam; quod lectorem monuisse hoc loco sufficiat.*

DE S. DOMNONE MARTYRE Bergomensi.

DOmno Bergomensis Domnionem Auum imitatus rebus suis compositis, & Eusebia sorore hærede instituta in Maximiani Imper. persecutionem, Præsidem sponte adijt, & se Christianum liberè professus est. Quare in carcerem coniectus, & paulopost adiectus, cum firmus in confessione fidei consisteret, prunis capitis eius impositis torretur, aliaque tormenta, & ludibria expertus, extra portam Ciuitatis ductus Christi exemplo necatus est. Eius constantiam Præsidis consiliarius miratus sese illicò ad Christum conuertit. Eius corpus

Præsidis Consiliarius Christianus efficitur.

Corpus nonis Ian. à Christianis sepultum fuit; vbi nunc Ecclesia S. Andreæ extructa est. *Ex off. propr. SS. Ecclesiæ Bergomens. De eo etiam in libro Vinea Bergomens. inscripta.*

ANNOTATIO.

DE *Domneone Auo S. Domnonis agitur die 16. Iulij. vti in Martyrol. Rom. in quo Domnio appellatur.*

DE S. ÆMILIANA VIRGINE ROMANA.

Æmiliana Virgo S. Gregorij Papæ Amita, & S. Tarsillæ V. soror vnà cum illa Domino in propria Domo, quasi in Monasterio vitam agens deseruiebat. Tanto autem ardore cum sorore conuersa erat ad Christum, vt quotidianis incrementis in amorem Conditoris exardescerent: hic solo corpore existentes, quotidie ad æterna gaudia transirent. Sororem habebat Gordianam, quę vitam secularem affectans, vix crebris Æmilianæ, & Tarsillæ admonitionibus, quò minus ad illam difflueret, contineri poterat. Cum autem Tarsilla vita excessisset, Æmilianæq; apparens terminum vitæ in Epiphaniæ vigilia denuntiasset, paulo post in febrim incidit, ex qua ad denuntiatum diem ad Christum, & ad Sororis consortium euolauit. Corpus illius cum corpore Tarsillæ in Ade S. Gregorij conditum est. *Ex Martyrol. Rom. & lib. de Virg. Rom. Ex homilia 38. S. Gregorij Papæ, & ex vita S. Tarsillæ.*

Tarsilla soror Æmilianæ.

ANNOTATIO.

FVit *& Aemiliana mart. de qua in Martyrol. Rom. ad diem 30. Iunij fit mentio. Romæ passa.*

DE S. RVSTICIANO EPISCOPO Brixiensi.

RVsticianus Episc. Brixiens. vigesimo primo loco Ecclesiam Brixiens. administrauit: Post S. Honorium ad munus Episcopale euocatus. Hic omni Episcopali virtute, & sanctitate florens, populum Brix. non tàm verbo, quàm vitæ probitate, & exemplo erudiuit, ac post aliquot annos sancto fine quieuit in Domino, illiq; S. Dominator suffectus est. Corpus in Ecclesia S. Zenonis Parochiali conditum requiescit. Cætera ignorantur ita vt neque Patria ipsius, neque tempus, quo Eccles. Brix. præfuerit, sciri potuerint. *Ex tab. Eccles. prad. & Catalogo Episc. Brixiens. ex Petri Gales. Martyrol. ac ex lib. Ascanij Martinengi. S. Afræ Abbatis de SS. Brixiensibus.*

ANNOTATIO.

RVsticiani *meminere Rampertus Episcopus lib. de Transl. S. Philastrij. & Helias Capreol. in Cron. Vrbis Brixiæ lib. 4.*

Ia-

Ianuarij die 6.

DE S. BASILISSA VIRG. ET MART. PARENTII.

BAsilissa Virgo, & martyr Parentij (quæ Ciuitas est Histriæ) ab ea Ecclesia duplici ritu colitur. An ea sit, de qua in Martyrologio Rom. Antiochiæ cũ Iuliano passa die 9. huius; vel de qua in eod. Martyrol. Nicomediæ martyrio affecta die 3. Septemb. agitur, siue alia, non affirmo. Cum aliæ huius nominis memorentur in Martyrologio, absque tamen virginitatis nota: nam die 22. Martij Basilissa cum Callinica, & die 15. Aprilis Basilissa cum Anastasia Romæ martyrio coronatæ memorantur. *Ex Tab. Eccles. Parentina.*

Ianuarij die 7.

DE S. CRISPINO EPISC. PAPIENSI primo huius nominis.

CRispinus ex nob. Nigrorum familia Papiæ natus, ac in Canonicorum numerum adscriptus post S. Vrsicinum ad Episcopale munus assumitur. Qui cum prædicationis officio prohibitus fungi non posset, totum se ad exornandam Ecclesiam, & Vrbem, ac ad pacem inter dissidentes componendã contulit. Altercantibus enim apud Summum Pagum iuxta Padum de prædiorum finibus Rusticis, Diaconum suum ad eos conciliandos misit. Duos itẽ fratres prati vnius causa districtis gladijs contendentes, oblata illis pecunia, composuit. Pratum illud quod Pacis appellabatur, Ciuitati donauit. Porranam villam Canonicis attribuit. Vrbem cœnosam lapidibus sternendam, Ticiniq; amnis ripas Ponte lapideo iungendam curauit. His, alijsq; præclarè gestis, populum, & clerum ad Religionem, pacemq; seruandam hortatus, cum in Episcopatu an. xxxjv. vixisset migrauit ad Dominum. *Ex Iacobi Gualla Sanctuario lib. 1. Stephano Breuentano lib. 2. hist. Papiens. & Ant. Maria Spelta in Vitis Episc. Papiensium.* Ex quibus illud miraculi loco adfertur, quod Petrus Diaconus Ticinens. vrbe trans Padum pro negotijs Ecclesiæ digressus, cum tonitruis, grandinibus, fulminibusque, ac ventis ruentibus perfugium nullum haberet, ad opem D. Crispini implorandam genuflexus confugit, statimq; cœlum ex turbatissimo serenum effectum est.

Crispin' 1 sedandis litib' elaborat. Vrbem Ticinensem sternendam: Pontemque lapideum extruendum curat.

ANNOTATIO.

PEtrus Galesin. in Annotat. ad suum Martyrol. hac die Crispinum Concilio Mediolani sub Eusebio Episc. Mediolanens. habito interfuisse. Epistolaeque Synodali ad S. Leonem I. Papam data subscripsisse tradit: quod de Crispino III. Episcopo Ticinen. non de primo: qui Zephyrino Pont. Max. & Seuero Imp. vixit intelligendum est. Sicuti & illud de Epiphanio Diacono, quo maxime Crispinus vtebatur, non primo vt Gualla, & Breuentanus scribunt, sed tertio Crispino tribuendum est.

DE S. CRISPINO, ET DAMIANO GVLIELMVS Episc. Papien. LXV.

„ A*Lter Crispinus oritur,*
„ *In præsulari solio,*
„ *Quem Damianus sequitur*
„ *In spiritali studio.*

DE

DE S. SENATORE EPISCOPO Veronensi.

SEnator inter Sanctos Proculum, & Probum Episcopatum Veronensis Diocletiano,& Maximiano Imperat. administrauit. Vir fuit sanctitate,doctrina, ac grauitate, cæterisque virtutibus, quę in optimo Pontifice requiruntur, præditus. Hic grauitati facilitatem adiunxit;eumque Ecclesiam aliquot annos summa cum laude,& populi vtilitate rexisset,tandem sept.Idus Ian.ex hac vita migrauit.Eius corpus in Basilica S.Stephani conditum in magno habetur honore. *Ex libello de Sanctis Episcopis Veronensibus Aug.Valerij Episc.Veron.& Cardinalis,& ex Antiquis monumentis dicta Ecclesia per Raphaelem Bagatam Archipresb. collectis, & alijs scriptoribus Veronen.*

ANNOTATIO.

NEmo hic miretur,si gesta propria huius. S. Episc. tempusque quo in Episcopatu vixit,omissa sunt;nam in plerisque huius Vrbis Episcopis ista desiderantur.

DE S. VALENTINO EPISCOPO INTERAMNATÆ.

VAlentinus secundus huius nominis Interamnensis Episcopus Interamnæ natus,& educatus est. hic in liberalibus disciplinis eruditus primùm,deinde in Christiana Religione ita profecit,& litteris,& moribus vt à Gelasio primo Summo Pōtifice Romæ Ecclesiæ S. Eusebij prefectus fuerit,ac paulòpost ad Interamnæ Episcopatum promotus.Multos ex Arrianis qui in ea vrbe tunc tēporis erant ad Catholicam fidem doctrina,& vitæ innocentis exemplo perduxit. Præfuit Ecclesiæ an. circiter xxxix. obijtque sep.Idus Ianuarij. Cuius corpus in Ecclesia S. Zenonis Martyris extra Vrbem conditum, multis miraculis claruit. *Ex quodam Martyrol. manuscrip. Ecclesia Interamnen. in quo praterea corpus Valentini à Longobardis Tridentum indeque à Tassilone Banaria Duce Pataniam (licet perperàm Dux, & Ciuitas hac in eo Martyrol. nominentur)translatum,ibique honorificè conditū, narratur. Quod tamen à verò maximè distat. Valentinus enim qui Patauia in Bauaria colitur non Interamnensis,sed Patauiensis Episcopus fuit, vti apud Surium, qui vitam illius adfert to.4. & in Metropoli Salisburgensi habetur, obijtque an.sal. MCXX. hic verò de quo agimus, anno D. xxxiij.*

Multos Interamnatæ vrbis Valent. Arrianos eripuit.

DE S. IVLIANO CONFESSORE NOVARIENSI.

IVlianus Diaconus S.Iulij Presbyteri frater,cum eo ex Oriēte facultate,à Theodosio Imperatore Ecclesias vbique ex more christiano construendi accepta in Italiam venit: multis itaque diuersis in locis extructis Ecclesijs, Gandianū demum agri Nouarien.Pagum peruenere, ibique sacram Ædem auxiliantibus agricolis edificare incipiunt;vbi miraculū huiusmodi accidit: Cum enim ex Agricolis quidā,ne à SS. in cęmētis,pcōstructione cōportādis,detinerētur,sese quòd mortuū in plaustro iacētē ad sepulturā deferrēt(nā vnus illorū se mortuū simularat) excusarent,cauete,inquit S.Iulianus,ne vobis quod fingitis verum cōtingat; cū aūt pertransissent,eum,qui se mortuum finxerat reuera defunctum repererūt. Quidam etiam ligna secando digitum sibi ferro præcidit, tantusque sanguis profluxit,

Quidam se mortuum simulans moritur.

fluxit, vt mori putaretur. Socij digitum ad S.Iulium deferunt, super quo signo crucis facto, illum manui, cui sic copulatus est ac si nunquam fuisset amputatus, adæ moueri iussit. Cum Nauim qua in proximam insulam traijcerent non haberent, facto signo Crucis super aquas incedentes, securi ad optatum locum perueniunt. Vnde, serpente expulso, Basilica, quæ in magna veneratione habetur, excitata est. Perfecta demùm apud Gandianum Ecclesia B.Iulianus migrauit è vita, cuius corpus à fratre tumulatum miraculis claruit, quod hoc tempore in Insula prædicta, quæ S.Iulij nominatur quiescit. *Ex Breuiario antiquo Ecclesia Nouariensis, & ex vita S.Iulij Presbyteri.*

Digitus abscissus a S. Iulio benedictus recopulatur.

SS. Iulianus, & Iulius super Aquas incedunt.

ANNOTATIO.

Illud corrigendum videtur, quod in vita S.huius Ecclesiam Gandiani extructam nonagesimo loco legitur, cum in vita S. Iulij centum in itinere erectas fuisse antequam Gandianum peruenirent, habeatur.

Ianuarij die 8.

DE S. MAXIMO EPISCOPO PAPIENSI.

Maximus Episcopus post S. Crispinum, vt plerique scriptores Ticinenses tradunt, Cathedram Episcopalem Ecclesiæ Papiensis tenuit, magnaq; Sãctitate, & doctrina effulsit. Inter ea quæ scripsisse fertur, multa de Regis officio memorantur. Solebat enim dicere Regem in arce Iustitiæ, quæ Regina virtutum est constantem, & rectum, sanctarumque legum cultorem, subditorum culpas punire debere, iustos autem, & insontes, tanquam membra Dei iniuria ipsorum vlciscentis non attingere. Qui si iudicat in veritate, tronum suum in æternum firmat, sic enim principatus conseruantur: imperia verò violenta non durãt. Cum autem S. Episcopus populum aliquot annos verbo, & exemplo gubernasset, non sine Ciuium lachrymis in cœlos abiens, corpore in Ecclesia Cathedrali tumulatus fuit. De quo illud mirum narrant, quod quidam ad illius Aram accedens, Pallium furaturus, ita aræ adhæsit, vt manus, pedesvè indè retrahere, donec manè Canonicis ad Ecclesiam conuenientibus crimen suum confessus veniam à S.Maximo impetrauit, non potuerit. *Ex Sanctuario Iacobi Gualla lib. 4. Stephan. Breuent. lib. 2. Vitam S. Maximi Paulus Diaconus scripsisse dicitur, vnà cum vit. aliorũ Episcop. Ticinen. Qui tamen liber haud reperitur.*

Iusticia virtutum Regina.

Fur Ecclesia S. Maximi egredi non potest.

ANNOTATIO.

Sunt, qui S. Maximum hom. scripsisse putent, sed Maximus qui hom. scripsit, & sermones non Ticinensis, at Taurinensis fuit Episcopus. Quo tempore vixerit hic Sanctus Episcopus haud inter scriptores conuenit. Sed si vijs. fuit Antistes medius inter Crispinum I. & II. verisimile videtur eum postquam Eccl. Ticinensem annos xv. rexisset. Dionysio Pont. Max. & Galieno Imper. vita excessisse.

Nunc

in ecclesia S. Mariæ Campaniæ.

Victoris,& Coronę mart. Feltriæ in ecclesia Cathed. Mediolani in ecclesia S.Eustorgij. Auximi in ecclesia Cathed.

Vigilij Episcopi, & mart. Tridenti in propria ecclesia. & Mediolani in ecclesia S. Simpliciani.

Vitaliani Episc. Capuani. Auximi in eccl.Cath.Catanzari in Calabria.

Vitalis,& Agricolæ mart. Bononiæ in propria ecclesia. Derthonæ in ecclesia Cathed.

Viti mart. Poliniani in Apulia in propria eccl. & Pragæ in Germ.

X

Xysti Papæ,& mart.Romæ in propria ecclesia. Placentiæ in propria ecclęsia. & Derthonæ in ecclesia Cathed.

FINIS.

IANVARII
DIE PRIMA.

DE SANCTO CONCORDIO PRAESBYTERO, Et Martyre Spoletano.

CONCORDIVS Patre Gordiano Præsbytero, & viro sanctissimo Romæ natus à S. Pio Romano Pontif. Subdiaconus ordinatus est, & ad S. Eutichen in prædiolo suo in via salaria apud Trebulam. C. Commorantem profectus, cum eo orationibus, & ieiunijs insistens, multos à varijs languoribus, & morbis oppressos ad se venientes in nomine D. N. I. C. sanabat. Cum autem rerum gestarum fama ad Torquatum Tusci &c. Comitem Spoleti agentem, perlata esset, ab eo accersitus propter fidei Christianæ constantiam in publicam custodiam traditur: Vnde Aretini Episcopi, qui Comitis amicus erat, opera eductus ab eodem Episcopo Presbyter, ordinatur; Verùm paulo post à Comite reuocatus, cum nullis neque minis, neq; blanditijs à Christi confessione posset abduci, primùm fustibus cæditur, ac in Equleo suspenditur, deindè catenis ferreis constrictus, & onustus in carcerem fame perimendus recluditur; Sed noctu ab Angelo visitatus confortatur, fame depulsa. Postremò allata ad eum Iouis statua, vt ei sacrificaret, vel si id facere recusasset, capitalem sententiam subiret: Cum in faciem Iouis expuisset vnus satellitum, gladio euaginato, ei caput amputauit Kal. Ianuarij. Corpus non longè ab vrbe Spoletana, vbi multæ aquæ emanant salutares, cæci plures illuminantur, Ægri sanantur, & Dæmones expelluntur, conditum est. Passus est M. Antonino Imp. *Ex Adone in Martyrologio, à quo Sur. & Lipom. Tom. 1. acceptam referunt &c.*

Concordius in nominé D. N. I. C. Multos curat infirmos &c.

Diuersis cruciatib. afficitur.

Ab Angelo visitatus recreatur.

In Iouis faciem expuit.

Capite plectitur.

Cæci illuminantur, ægri sanãtur: Dęmonesq; expelluntur.

DE SANCTA MARTINA VIRGINE, Et Martyre Romana.

MARTINA Verg. nobilis Romana Parentibus mortuis, & facultatibus suis Pauperibus distributis, ab Vlpiani Præfecti satellitibus compræhenditur, & ad Apollinis templum, vt ei sacrificaret, perducitur. Quod templum, factis à Vir-

Statua Apollinis Martinæ, precibus corruit.

gine precibus vnà cum Apollinis statua magna ex parte corruit, multosque cum sacerdotibus ex Gentilibus oppressit. Quare Præfectus Virginem cædi, & ferreis vnguIis dilaniari præcipit. Cum autem Tortores, qui se quatuor pulcherrimos Iuuenes Martinæ adstare, & ictus in ipsos tortores retorquere vidisse asserebãt, actius illam in altum suspensam iussu Præfecti excruciarent, luce cælitus orta, in terram prostrati Virgin. vt sibi veniam impetraret, orant, ac in Christum credentes paulo post suis ipsorum gladiis capite plectuntur. Postera die Martina è custodia educta, & ante Præfectum vestibus exuta, rursus in altum sublata dirissimè torquetur, & ad quatuo palos alligata diù, continuoque à septem Tortoribus vicissim succedentibus, & illis defatigatis, aliis adhibitis, immanissimè cæditur; Cum verò illa constantior appareret, Eumenii cuiusdam suasu in Carcerem, vbi oleo feruenti plagæ perfunderentur, reducitur: sed Angelorum voces cum Martina Christum Laudantium à custodibus audiuntur. Adueniente die illa Præfecto sistitur, & Dianæ sacrificare iubetur: ad cuius templum ducta vt orauit, Dæmon, vt illa præceperat, statim abscessit, ignisque de cœlo statuam Dianæ consumpsit. Quibus Vlpianus perterritus, Virginem Iustino iudici cruciandam tradit. Qui illam Pectinibus, & mamillas vncinis ferreis dilacerari imperat. Cum centum, decem & octo vulnera Virgo absque vlla quærimonia accepisset, Iudex constantiam illius admiratus, eamque frustra ad Idolorum cultum hortatus, in carcerem reduci iubet. Quam cum Vlpianus Leoni (qui ad illius pedes procubuit) obijci, & post aliquot dies in fidei confessione persistentem, crudeliter torqueri, confractis ossibus, ac in ignem, qui aqua è cœlo descendente extinctus est, multis prius ex infidelibus interemptis, inijci imperasset, cum quid amplius faceret non haberet, capitalem in illam sententiam dixit. Passa est ann. sal. CC.XXVIII. Vrbano I. Sum. Pont. & Alex. Seuero Imp. *Ex Beda, Vsuar. Adone; Pet. in Cat. SS. lib. 2. c. 20. Baron. Tom. 2. Annal. Eccles. ad an. præd. Ant. Gallon. lib. de Virg. Rom. Surio Tom. 1. Officio SS. Placentiæ, vbi Corpus in Basilica S. Xysti asseruatur.*

Tortores Martinæ conuertuntur, & decollantur.

S. Mart. variè, & dirissimè cruciatur

Angeli i carcere cũ Mart. Deũ laudãt.

Mira Mart. constantia, & patientia.

Leo ad pedes Mart. procubit.

Caput Martinæ amputatur.

ANNOTATIO.

Vlpianus I. C. Christianis infensissimus.

1 *VLpianus celeberrimus ille. I.C. est, sed Christianis infensissimus, Qui licet Alex. Imp. Christianos propter Mammæam Matrem Christianam nõ sit persequutus, odio tamen in eos extimulatus, pœnas iuxta Superior. Principum edicta in illos exercuit.*

2 *In Lectionibus huius sanctæ Virg. quæ in Ecclesia Placentina leguntur, quod sub Vlpiano Præfecto gestum est Alex. Imp. tribuitur, cum Alex. Christianorum fautor non Persecutor fuerit &c.*

DE S. ALMACHIO MARTYRE ROMANO.

ALMACHIVS Romæ Alypio Præfecto vrbem administrante, cum hac die Gentiles Idola colentes argueret, diceretq; hodie octauæ Natalis Domini sunt, cessate à superstitionibus, & falsor. Deorum cultu, iussu Præfecti inauditus à Gladiatoribus interficitur. *ex Beda, Vsuardo, Adone, & Martyrol. Rom.*

ANNOTATIO.

QVO tempore, quouè Imp. S. Almachius passus sit non est eadem scribentium sententia; Nam Petr. Gales. sub Diocl. passum opinatur, & quia sub Diocl. nullus qui Aly-

Alypius vocetur, vrbis Praefecturam administrasse. Sequitur pro Olympio Alypio scriptū fuisse ait: sicque ab alijs Olympio, non Alypio scriptum esse Baron. autē in suis in Martyrol. Rom. notis Almachium Honorio Imp. sub Alypio praefecto Olybri Hermogeniani, Ausonij Galli amicissimi fratre adhuc Centile martyrio coronatum censet, quem, Telemacum à Theodoreto lib. 10. hist. Trip. cap. 2. appellari ait, fuisseque propterea ab Honorio Ludos degladiatorū sublatos: Mihi verò Galesinij magis probatur sententia. Nam sub Religiosissimo Imp. Vrbem administrasse hominem Gentilem, neque Romae praesertim Idolorum cultum extitisse verisimile est. Qui vero ex Theodoreto affertur Telemacum Monacum Romam, vt Monomachiam tolleret, venisse: atque à gladiatoribus, cum eos impedire vellet, trucidatum, haud cum Martyrol. Rom. concordat. Nam, vt nominis diuersitas omittatur, Almachius alia de causa à Gladiatoribus iubente Praefecto. nimirum quia Idolatras arguebat, occisus in Martyrol. refertur. Te lemaeus vero à Theodoreto qui gladiatorum ludum impediret, ab eis interemptus scribitur &c.

Ianuarij 2.

DE S. MARTINIANO EPISC. MEDIOLAN.

MARTINIANVS Ep. Mediolanen. S. Matalo successit, & Ecclesiam Mediolanensem triennio summa pietate, & singulari prudentia administrauit. Epistolam scripsit ad Patres Concilio Ephesino, à quibus Sāctissimus, & charissimus Deo Episcopus appellatur. Ad Theodosium, & Honorium Aug. librum, in quo Nestorij impietatem redarguit, misit. Pertulit acerbam sub Gothis temporum conditionem. Demum multis virtutibus, & miraculis clarus, obdormiuit in Domino iv. nonis Ian. & in Ecclesia S. Stephani sepelitur. *Ex Breuiario Mediolanen. ex Vitis SS. Epp. per Io. Franc. Besutium scriptis.*

Martinianus S. Marolo succedit.

Epistolam ad Concil. Ephes. scribit.

Nestorij impietatem refellit.

ANNOTATIO.

Theodosius de quo supra fit mentio, non ille magnus est, sed iunior, Arcadij Imp. cui in Oriente successit, filius.

Meminit S. Martiniani D. Ennodius Episcopus Papiens. in his versibus.

„ *Mens niuei lactis, species manifesta columbae*
„ *Astutia Serpens Martiniane Vale.*
„ *Lubrica te dubij dum poscunt flumina, Vulgi*
„ *Inueniunt pauidum, ne mereare legi.*
„ *Vnus erat mundo contraria Iudice narrans,*
„ *Qui vt caperet regnum, vincere non metuit.*
„ *Protinus ad magni perductus limen honoris,*
„ *Exul coelorum ciuibus inseritur*
„ *Post geminas Sanctis construxit mundior aedes*
„ *Lumine quas clauso iussit habere diem &c.*

riæ, quibus in locis, & alibi Ecclesiæ, Araque illi dedicatæ sunt: cuius reliquiæ Casali in Ecclesia Eremitarum asseruari feruntur. De quo etiam miraculū Odolenei Pago Diœcesis Casalen. narratur, quòd cum quidam in die S. Defendentis festo aucupatum potius quàm Missam audire voluisset, ac Perdices captas coquere, illæ statim rediuiuæ eò obcæcato euolarunt; qui tamen facti pœnitens ad aram S. Mar. orans & veniam impetrauit, & visum recuperauit. Vbi is passus fuerit ignoratur, nisi sit idem cum eo, quem apud Rhodanum fluuium in Massiliensi diœcesi vnà cum alijs Maximiano Imp. martyrio affectum, atque à S. Theodoro Episc. Massiliensi conditum ibidem Ecclesia sibi constructa tradunt; inter alios Petrus Galesinius in suo Martyrolog. hac die: citatq; cod. M. S. Ecclesiæ Bergomens. Tametsi auctor historiæ martyrum Thebæorum Taurini excusæ hunc aliū ab illo facit, putatq; in Italia apud Pedemontium cum alijs passum fuisse sub dicto Imp. Sed ipse potius eundem, cum eo qui ad Rhodanum passus est, esse autumo; Cum nullum quod sit diuersus argumentum habeamus.

Perdices coctę euolant. Venator S. Defendentis festo violato obcæcatur. Meritis S. Defend. visum recuperat.

Ianuarij die 3.

DE S. DANIELE LEVITA, ET MARTYRE, ac Patrono Patauino.

Daniel S. Prosdocimi Episc. Patauini Diac. & discip. hebræis ortus Parentibus, dum suo fungeretur munere, ac Christi Domini fidem liberè prædicaret, iussu Vrbis Præfecti comprǽhensus, cum in fidei confessione constantissime permaneret inter duas tabulas ligneam, & ferream clauis configitur. Cuius corpus diu mansit ignotum, quoad an. sal. M.LXIV. cæcus quidam ex Hetruria in somnis admonitus, Patauium ductus, locum sibi per uisum ostensum demonstrauit; in quo S. Martyris corpus conditum erat, qđ in Basilica S. Iustinæ apud Aram S. Prosdocimi repertum est: cæcusq; lucem recepit, aliaq; miracula perpetrata sunt. An. verò M.CCXCV. in Ecclesiam Cathedralem translatum est. *Ex Bernardino Scardeonio lib. 2. class. 6. de Antiquitate Patauina.*

Crudele supplicium cœcus corpus S. Danielis indicans lumen adipiscitur.

ANNOTATIO.

Dies prascripta, qua S. Martyris memoria Pataui solemniter celebratur, non Passionis, sed Inuentionis est; tempus enim quo is Martyrio coronatus fuit, ignoratur.

DE S. ANTHERO PAPA, ET MART.

Antherus genere Græcus ex Vrbe Petelia S. Pontiano in Pontif. Maximino Imp. successit. Hic inter cæteras res MM. gestas à Notarijs diligenter exquiri, in Ecclesiaq; asseruari (quod sibi martyrio causa fuit) præcepit. Epistolam scripsit ad Boeticæ, & Toletanæ Episcopos (qui illum, an Episcopos ab vna ad aliam Ecclesiam transferri liceret per literas consuluerant) valde vtilem, ac cęlestibus monitis plenam. Vnam habuit mense Decembri ordinationem, qua Fundanæ Ecclesiæ Episcopum creauit. A Maximo Vrbis Præfecto comprǽhensus, & ob dictam causam martyrio affectus in Cœm. Callisti sepultus est 3. Nonas Ian. Maximino, & Africano Coss. *Ex Damaso in Pontificali. Eusebio lib. 6. hist. Eccl. & Martyrol. Romano.*

ANNOTATIO.

Circa tẽpus quo Antherus Pontifex fuerit haud leue dissidiũ.

QVantum vixerit Antherus in Pontificatu variè traditur: Nam Eusebius lib. citato, cap. 20 mensem dumtaxat illi tribuit, quod ex eo facilè reijcitur, cum Epistolam ad Episcopos memoratos Kalend. Iulij eum scripsisse constet: obijsse verò iij. Nonas Ianuarij. Damasus xij. annos eum vixisse scribit, sed hoc temporum supputationi repugnat; nam illi eisdem Coss. Fabianus Papa successit, quos haud tantum vixisse manifestum est. Deindè si tot annos vixisset plures ordinationes, vt verisimile est, habuisset.

DE S. SALVATORE EPISCOPO CVIVS memoria die suprascripta Beluni recolitur.

Ianuarij die 4.

DE SS. MARTYRIBVS PRISCO, Priscilliano, & Benedicta Romæ.

Iulianus Apostata dum esset August. Romæ non fuit.

PRiscus Presbyter, Priscillianus Clericus, & Benedicta fœmina Romæ, sub Iuliano Apostata passi sunt. Is enim post arreptum Imperium (licet nunquã Romæ fuerit) per Apronianum tamen gentilem, & Christiani nominis hostem, cui Vrbis Præfecturam credidit, Christianos exagitare non destitit. Apronianus itaq; Priscum, Priscillianum vna cum Benedicta religiosissima fœmina comprehendi iubet, ac Idola venerari nolentes gladio feriri, & corpora proijci inhumata. Quæ cum Flauianus nobilissimus vir sepelienda curasset, ab eodem Aproniano exilio damnatus est. *Ex Actis S. Bibianæ Virg. & Mart. ex Adone. Pet. Aquil. & alijs.*

DE SS. MARTYRIBVS HERMETE, Aggæo, & Caio Bononiensibus.

HErmes, Aggæus, & Caius Bononiensibus initio persecutionis à Diocl. & Maxim. Imper. excitatę passi sunt, cum Christum abnegare, Deosq; colere constantissimè tenuissent. Post quos Proculus, Vitalis, & Agricola martyrio coronati sunt, an. Sal. circiter ccc. i. quo tempore sedes Episcopalis Bononiæ ob Persecutionis acerbitatem vacabat. Acta tamen ipsorum martyrij non extant. *Ex Beda, Vsu. & Antiquis Martyrologijs ac ex Carolo Sigonio lib. de Episcopis Bononiensibus.* Acta ipsorum desiderantur.

DE S. DAFROSA VIDVA, & Martyre Romana.

Faustus à Dafrosa conuertitur.

DAfrosa, quæ & Darfosa à nonnullis nominatur S. Flauiani vxor, ac SS. VV. Demetriæ, & Bibianæ Mater post viri excessum domi cum filiabus sine cibo, & potu includitur, ita ab Aproniano vrbis Præfecto, vt Idola veneraretur iubetur. Sed illa diuinitus refecta, magisq; in fide roborata, Faustum propinquum à Præfecto, vt illam à Christi fide abduceret missum, ità rationibus conuicit, ac in Christiana religione erudiuit, vt à Ioanne Presbytero baptizatus, ac coram Præfecto se Christianum effectum liberè confessus, atque Deo gratias agens subito expirauit. Dafrosa verò noctu à viro in somnis ad Beatam vitam inuitatam,

nihil

nihil aliud agebat, quam vt paratissima ad migrandum inueniretur. Quare paulopost ad Præfectum vocata constansque in Christi fidem reperta in exilium mittitur. Vbi post paucos dies Aproniani iussu capite truncatur. *Ex Actis S. Bibianæ Virg. & Mart.*

ANNOTATIO.

ADo, & alij pro Flauiano Fabiano legunt; quos Petrus in Catalogo SS. secutus Dafrosam S. Fabiani Papæ antequam Pontifex fieret vxorẽ fuisse credidit, lib. 2. c. 45. haud animaduertens Dafrosam sub Iuliano multo post S. Fabianum Papam sub Decio passum, coronatam.

Plures Flau. pro Fabiano perperam legunt.

Ianuarij die 5.

DE S. TELESPHORO PAPA, & Martyre.

TElesphorus natione Græcus ex Patre Anachorita viij. à S. Petro Apostolo Pontifex Antonino Pio Imperat. an. sal. cxxvij. post Xystum I. præfuit Ecclesiæ. Is multa constituit, in ijs, vt ieiunium quadragesimale per septem hebdomadas seruaretur. Vt in die Natiuitatis Domini Nostri Iesu Christi missæ tres à singulis Sacerdotibus celebrarentur. Ac vt in missa hymnus Gloria in excelsis caneretur. Vixit in Pontificatu annis xj. menses iij. dies xxij. habuit ordinationem mense decembri, in qua Presbyteros xv. Diaconos viij. Episcopos vero xiij. per diuersa loca. Illius tempore Valentini hæresis inualuit. Martyrio sub Eodem Imper. coronatus: sepultus est in Vaticano. *Ex Pontificali Damasi, Platina, & alijs vitæ Pontificum scriptoribus.*

Sancta Thelesphori instituta.

ANNOTATIO.

1 *SVnt qui Thelesphorum sub Hadriano Imper. martyrium subijsse, scribant, quod apertissimè Martyrolog. Rom. aduersatur, nam illum an. cxxvij. Pontificatum iniisse, in eoque an. xi. vixisse: Hadrianum verò Imperium an. cxviij. cœpisse: illudque ferè an. xxi. administrasse cum asserant, Thelesphorum sub Hadriano coronatum dicere coguntur. Cuius oppositum Eusebius lib. 4. Hist. Eccl. c. 10. vbi Thelesphorum sub Antonino Pio post Adriani obitum an. xi. præfuisse tradit, & Martyrolog. Rom. docet.*

2 *Circa huius Pontificis locum scriptores haud conueniunt. Eusebius enim lib. 5. Hist. Eccl. c. 6. illum septimum ab Apostolo Petro facit: Sed is Cletum prætermittit, Anacleto loco illius posito. Petrus Gales. in suo Martyrol. nono loco præfuisse scribit aduersus communem sententiam; quod lectorem monuisse hoc loco sufficiat.*

DE S. DOMNONE MARTYRE Bergomensi.

DOmno Bergomensis Domnionem Auum imitatus rebus suis compositis, & Eusebia sorore hærede instituta in Maximiani Imper. persecutionem, Præsidem sponte adijt, & se Christianum liberè professus est. Quare in carcerem coniectus, & paulopost adiectus, cum firmus in confessione fidei consisteret, prunis capitis eius impositis torretur, aliaque tormenta, & ludibria expertus, extra portam Ciuitatis ductus Christi exemplo necatus est. Eius constantiam Præsidis consiliarius miratus sese illicò ad Christum conuertit. Eius

Præsidis Consiliarius Christianus efficitur.

Corpus nonis Ian. à Christianis sepultum fuit; vbi nunc Ecclesia S. Andreæ extructa est. *Ex off. propr. SS. Ecclesiæ Bergomens. De eo etiam in libro Vinea Bergomens. inscripto.*

ANNOTATIO.

DE *Domneone Auo S. Domnonis agitur die 16. Iulij. vbi in Martyrol. Rom. in quo Domnio appellatur.*

DE S. ÆMILIANA VIRGINE ROMANA.

Æmiliana Virgo S. Gregorij Papæ Amita, & S. Tarsillæ V. soror vnà cum illa Domino in propria Domo, quasi in Monasterio vitam agens deseruiebat. Tanto autem ardore cum sorore conuersa erat ad Christum, vt quotidianis incrementis in amorem Conditoris exardescerent: hic solo corpore existentes, quotidie ad æterna gaudia transirent. Sororem habebat Gordianam, quę vitam secularem affectans, vix crebris Æmilianæ, & Tarsillæ admonitionibus, quò minus ad illam difflueret, contineri poterat. Cum autem Tarsilla vita excessisset, Æmilianæq; apparens terminum vitæ in Epiphaniæ vigilia denuntiasset, paulo post in febrim incidit, ex qua ad denuntiatum diem ad Christum, & ad Sororis consortium euolauit. Corpus illius cum corpore Tarsillæ in Ade S. Gregorij conditum est. *Ex Martyrol. Rom. & lib. de Virg. Rom. Ex homilia 38. S. Gregorij Papæ, & ex vita S. Tarsillæ.*

Tarsilla soror Æmilianæ.

ANNOTATIO.

FVit & *Aemiliana mart. de qua in Martyrol. Rom. ad diem 30. Iunij fit mentio. Romæ passa.*

DE S. RVSTICIANO EPISCOPO Brixiensi.

RVsticianus Episc. Brixiens. vigesimo primo loco Ecclesiam Brixiens. administrauit: Post S. Honorium ad munus Episcopale euocatus. Hic omni Episcopali virtute, & sanctitate florens, populum Brix. non tàm verbo, quàm vitæ probitate, & exemplo erudiuit, ac post aliquot annos sancto fine quieuit in Domino, illiq; S. Dominator suffectus est. Corpus in Ecclesia S. Zenonis Parochiali conditum requiescit. Cætera ignorantur ita vt neque Patria ipsius, neque tempus, quo Ecclesf. Brix. præfuerit, sciri potuerint. *Ex tab. Eccles. prad. & Catalogo Episc. Brixiens. ex Petri Gales. Martyrol. ac ex lib. Ascanij Martinengi. S. Afræ Abbatis de SS. Brixiensibus.*

ANNOTATIO.

R*Vsticiani meminere Rampertus Episcopus lib. de Transl. S. Philastrij. & Helias Capreol. in Cron. Vrbis Brixiæ lib. 4.*

Ia-

Ianuarij die 6.
DE S. BASILISSA VIRG. ET MART. PARENTII.

BAsilissa Virgo, & martyr Parentij (quæ Ciuitas est Histriæ) ab ea Ecclesia duplici ritu colitur. An ea sit, de qua in Martyrologio Rom. Antiochiæ cũ Iuliano passa die 9. huius; vel de qua in eod. Martyrol. Nicomediæ martyrio affecta die 3. Septemb. agitur, siue alia, non affirmo. Cum aliæ huius nominis memorentur in Martyrologio, absque tamen virginitatis nota: nam die 22. Martij Basilissa cum Callinica, & die 15. Aprilis Basilissa cum Anastasia Romæ martyrio coronatæ memorantur. *Ex Tab. Eccles. Parentina.*

Ianuarij die 7.
DE S. CRISPINO EPISC. PAPIENSI primo huius nominis.

CRispinus ex nob. Nigrorum familia Papiæ natus, ac in Canonicorum numerum adscriptus post S. Vrsicinum ad Episcopale munus assumitur. Qui cum prædicationis officio prohibitus fungi non posset, totum se ad exornandam Ecclesiam, & Vrbem, ac ad pacem inter dissidentes componendã contulit. Altercantibus enim apud Summum Pagum iuxta Padum de prædiorum finibus Rusticis, Diaconum suum ad eos conciliandos misit. Duos itẽ fratres prati vnius causa districtis gladijs contendentes, oblata illis pecunia, composuit. Prædium illud quod Pacis appellabatur, Ciuitati donauit. Portanam villam Canonicis attribuit. Vrbem cœnosam lapidibus sternendam, Ticiniq; amnis ripas Ponte lapideo iungendam curauit. His, alijsq; præclarè gestis, populum, & clerum ad Religionem, pacemq; seruandam hortatus, cum in Episcopatu an. xxxjv. vixisset migrauit ad Dominum. *Ex Iacobi Gualla Sanctuario lib. 1. Stephano Breuentano lib. 2. hist. Papiens. & Ant. Maria Spelta in Vitis Episc. Papiensium.* Ex quibus illud miraculi loco adfertur, quod Petrus Diaconus Ticinens. vrbe trans Padum pro negotijs Ecclesiæ digressus, cum tonitruis, grandinibus, fulminibusque, ac ventis ruentibus perfugium nullum haberet, ad opem D. Crispini implorandam genuflexus confugit, statimq; cœlum ex turbatissimo serenum effectum est.

Crispin' i sedandis litib' elaborat. Vrbem Ticinensem sternendam: Pontemque lapideum extruendum curat.

A N N O T A T I O.

PEtrus Galesin. in Annotat. ad suum Martyrol. hac die Crispinum Concilio Mediolani sub Eusebio Episc. Mediolanens. habito interfuisse. Epistolaeque Synodali ad S. Leonem I. Papam data subscripsisse tradit: quod de Crispino III. Episcopo Ticinen. non de primo: qui Zephyrino Pont. Max. & Seuero Imp. vixit intelligendum est. Sicuti & illud de Epiphanio Diacono, quo maxime Crispinus vtebatur, non primo vt Gualla, & Breuentanus scribunt, sed tertio Crispino tribuendum est.

DE S. CRISPINO, ET DAMIANO GVLIELMVS Episc. Papien. LXV.

Alter Crispinus oritur,
In præsulari solio,
Quem Damianus sequitur
In spiritali studio.

DE

DE S. SENATORE EPISCOPO Veronensi.

SEnator inter Sanctos Proculum, & Probum Episcopatum Veronensis Diocletiano,& Maximiano Imperat. administrauit. Vir fuit sanctitate,doctrina, ac grauitate, cæterisque virtutibus, quę in optimo Pontifice requiruntur, præditus. Hic grauitati facilitatem adiunxit;eumque Ecclesiam aliquot annos summa cum laude,& populi vtilitate rexisset,tandem sept.Idus Ian.ex hac vita migrauit.Eius corpus in Basilica S.Stephani conditum in magno habetur honore. *Ex libello de Sanctis Episcopis Veronensibus Aug.Valerij Episc.Veron.& Cardinalis,& ex Antiquis monumentis dicta Ecclesia per Raphaelem Bagatam Archipresb. collectis, & alijs scriptoribus Veronen.*

ANNOTATIO.

NEmo hic miretur,si gesta propria huius. S. Episc. tempusque quo in Episcopatu vixit,omissa sunt;nam in plerisque huius Vrbis Episcopis ista desiderantur.

DE S. VALENTINO EPISCOPO INTERAMNATÆ.

VAlentinus secundus huius nominis Interamnensis Episcopus Interamnæ natus,& educatus est. hic in liberalibus disciplinis eruditus primùm,deinde in Christiana Religione ita profecit,& litteris,& moribus vt à Gelasio primo Summo Põtifice Romæ Ecclesiæ S. Eusebij pręfectus fuerit,ac paulòpost ad Interamnæ Episcopatum promotus.Multos ex Arrianis qui in ea vrbe tunc tẽporis erant, ad Catholicam fidem doctrina,& vitæ innocentis exemplo perduxit. Præfuit Ecclesiæ an. circiter xxxix. obijtque sep.Idus Ianuarij. Cuius corpus in Ecclesia S. Zenonis Martyris extra Vrbem conditum, multis miraculis claruit. *Ex quodam Martyrol. manuscrip. Ecclesiæ Interamnen. in quo praterea corpus Valentini à Longobardis Tridentum indeque à Tassilone Bauariæ Duce Patauiam (licet perperàm Dux, & Ciuitas hac in eo Martyrol. nominentur)translatum,ibique honorificè conditũ,narratur. Quod tamen à verò maximè distat. Valentinus enim qui Patauia in Bauaria colitur non Interamnensis,sed Patauiensis Episcopus fuit, vti apud Surium, qui vitam illius adfert to.4. & in Metropoli Salisburgensi habetur, obijtque an.sal. MCXX. hic verò de quo agimus, anno D. xxxiij.*

Multos Interamnatæ vrbis Valent. Arrianos eripuit.

DE S. IVLIANO CONFESSORE NOVARIENSI.

IVlianus Diaconus S.Iulij Pręsbyteri frater,cum eo ex Oriẽte facultate,à Theodosio Imperatore Ecclesias vbique ex more christiano construendi accepta in Italiam venit: multis itaque diuersis in locis extructis Ecclesijs, Gandianũ demum agri Nouarien.Pagum peruenere, ibique sacram Ædem auxilianti bus agricolis edificare incipiunt;vbi miraculũ huiusmodi accidit: Cum enim ex Agricolis quidã,ne à SS. in cęmẽtis ꝓcõstructione cõportãdis,detinerẽtur,se se quòd mortuũ in plaustro iacẽtẽ ad sepulturã deferrẽt(nã vnus illorũ se mortuũ simularat) excusarent,cauete,inquit S.Iulianus,ne vobis quod fingitis verum cõtingat; cũ aũt pertransissent,eum, qui se mortuum finxerat reuera defunctum reperierũt. Quidam etiam ligna secando digitum sibi ferro præcidit, tantusque sanguis profluxit,

Quidam se mortuum simulans moritur.

fluxit, vt mori putaretur. Socij digitum ad S. Iulium deferunt, super quo signo crucis facto, illum manui, cui sic copulatus est ac si nunquam fuisset amputatus, admoueri iussit. Cum Nauim qua in proximam insulam traijcerent non haberent, facto signo Crucis super aquas incedentes, securi ad optatum locum perueniunt. Vnde, serpente expulso, Basilica; quæ in magna veneratione habetur, excitata est. Perfecta demùm apud Gandianum Ecclesia B. Iulianus migrauit è vita, cuius corpus à fratre tumulatum miraculis claruit, quod hoc tempore in Insula prædicta, quæ S. Iulij nominatur quiescit. *Ex Breuiario antiquo Ecclesiæ Nouariensis, & ex vita S. Iulij Præsbyteri.*

Digitus abscissus a S. Iulio benedictus recopulatur.

SS. Iulianus, & Iulius super Aquas incedunt.

A N N O T A T I O.

Illud corrigendum videtur, quod in vita S. huius Ecclesiam Gandiani extructam nonagesimo loco legitur, cum in vita S. Iulij centum in itinere erectas fuisse antequam Gandianum peruenirent, habeatur.

Ianuarij die 8.

DE S. MAXIMO EPISCOPO PAPIENSI.

Maximus Episcopus post S. Crispinum, vt plerique scriptores Ticinenses tradunt, Cathedram Episcopalem Ecclesiæ Papiensis tenuit, magnaq; Sãctitate, & doctrina effulsit. Inter ea quæ scripsisse fertur, multa de Regis officio memorantur. Solebat enim dicere Regem in arce Iustitiæ, quæ Regina virtutum est constantem, & rectum, sanctarumque legum cultorem, subditorum culpas punire debere, iustos autem, & insontes, tanquam membra Dei iniuria ipsorum vlciscentis non attingere. Qui si iudicat in veritate, tronum suum in æternum firmat; sic enim principatus conseruantur: imperia verò violenta non durãt. Cum autem S. Episcopus populum aliquot annos verbo, & exemplo gubernasset, non sine Ciuium lachrymis in cœlos abiens, corpore in Ecclesia Cathedrali tumulatus fuit. De quo illud mirum narrant, quod quidam ad illius Aram accedens, Pallium furaturus, ita aræ adhæsit, vt manus, pedesvè indè retrahere, donec manè Canonicis ad Ecclesiam conuenientibus crimen suum confessus veniam à S. Maximo impetrauit, non potuerit. *Ex Sanctuario Iacobi Gualla lib. 4. Stephan. Breuent. lib. 2. Vitam S. Maximi Paulus Diaconus scripsisse dicitur, vnà cum vit. aliorũ Episcop. Ticinen. Qui tamen liber haud reperitur.*

Iustitia virtutum Regina.

Fur Ecclesia S. Maximi egredi non potest.

A N N O T A T I O.

Sunt, qui S. Maximum hom. scripsisse putent; sed Maximus qui hom. scripsit, & sermones non Ticinensis, at Taurinensis fuit Episcopus. Quo tempore vixerit hic Sanctus Episcopus haud inter scriptores conuenit. Sed si vijs. fuit Antistes medius inter Crispinum I. & II. verisimile videtur eum postquam Eccl. Ticinensem annos xv. rexisset. Dionysio Pont. Max. & Galieno Imper. vita excessisse.

Hunc

, *Hunc Maximus ex nomine;*
, *Sed amplior in meritis*
, *Insequitur ex munere*
, *Associatus superis*

DE S. SEVERINO EPISC. NEAPOLITANO.

Severinus Episcopus Neapolitanus S. Victorini Mart. frater, fuit, vti Vsuard*, Ado, Martyrolog. Rom. omnesq; Martyrolog. Scriptores tradunt: Is post multarum virtutum perpetrationem plenus sanctitate, vt à supracitatis scribitur, sancto fine quieuit. Verum ipse dum essem Neapoli, ac in tabulis Ecclesiæ Neapolitanæ Seuerini Episcopi nomen minimè descriptum cernerem, diligenter sciscitari à Canonicis, alijsq; in huiusmodi rebus versatis cœpi, librosque qui de Sanctis Ecclesiæ Neapolitanæ tractant perlegi: tandem me ad Ecclesiam S. Seuerini contuli, nec quicquam de Sancto Seuerino Episcopo, qui Neapolitanus fuerit, scire potui. Seuerinus enim, qui à Neapolitanis colitur; cuiq; Basilica in qua corpus eius asseruatur, dicata est, non Episcopus, sed Abbas fuit. Ex quo suspicio mentem meam subijt, nomen Seuerini Episcopi Neapolitani in Martyrolog. alicuius incuria irrepsisse, & vti apud Adonem Acta. S. Victorini Matt. cum actis S. Victorini confessoris confunduntur: sic Seuerinum Septempedanum Episcopum, qui S. Victorini confessoris germanus fuit per errorem Neapoli attributū fuisse. Qua de re multa apud Baronium in suis in Martyrolog. Rom. notis nonis Sept. & ad 6. Id. Iul. habentur. Quæ autem à me dicta sunt, non vt Martyrolog. Rom. improbem, sed potius vt dubitationem à Peritioribus tollendam excitarē accipias velim.

Nulla extat Neapoli Sancti Seuerini memoria.

DE S. SEVERINO ABBATE NORICORVM Apostolo Neapoli.

Seuerinus Abbas quo tempore Attila Hunnorum Rex multis Italiæ Vrbibus deletis obierat Pannoniaq;, & Noricum à Barbaris præmebantur exoriente in ea loca veniens Astari Norici Tipensis oppido vitam planè Angelicam agens, ac finitimis vrbibus fidem in Christum prædicans morabatur. Is multa spiritu profetico prænoscebat: cum enim Astarensibus Ciuibus vrbis euersionem ob eorum peccata prædiceret ab ijsq; irrideretur, eò profecto oppidum à Barbaris expugnatur, cæteraq; vti ab ipso prædicta fuerant, illis euenere. Cum Comagenum oppidum apud Danubium à barbaris obsessum venisset, ac per medios hostes nemine, quod mirum fuit, eum prohibente, neque interrogante ingressus fuisset, in dicta ciuibus triduana pœnitentia, certam illis salutem pollicetur: Vrbemq; ab obsidione, quam hostes post triduum ingenti metu ob repentinum terremotum perculsi, noctuq; in seipsos arma conuertentes, soluere coacti sunt, vt promiserat, liberauit. Cum Flauiana Ciuitas Danubio glacie diù constricto fame penè conficeretur, Seuerino eò aduentante, atque pro illa ad Deum præces fundente, glacie subito resoluta ingens annonæ copia Nauibus aduecta famis discrimen abstulit. Quocunque etiam venisset, locum ab hostibus, vel à vastatione defendebat. Locustas territorium quoddam depascentes oratione sua, prǽterquam ab agro cuiusdam, qui cum cæteris ad orandum inuitatus in Ecclesiam venire contempserat, fugauit. Multa prǽterea miranda pattauit. Nam Iouiaci oppido mulierem semimortuam vitæ, leprosum, & Monacum difficili oculorum ægri-

Seuerinus vitam Angelicam trāsiget.
Seuerinus p medios hostes illæsus transit.
Vrbem obsessam liberat.
Flauianā Ciuitatem famè pęnè consectam diuinitus restaurat.
Seuerini miracula.
Prædicit obitus sui diem.

ægritudine laborantem oratione statim restituit sanitati. Diem obitus sui, multo antè prædixit, discipulisq; vt corpus suum, quod ciuitas euertenda foret transferre iussit. Obijt autem in Ciuitate Norica in cœnobio sibi à Rugorum Rege constructo, corpusq; vt mandauerat, Lucuollanū propè Neapolim Italiæ traslatum est: Inde Gelasio Summo Pontifice Neapolim in Basilicam eius nomini dicatam delatum magno habetur in honore *Ex. Pet. in Catal. SS. lib. 2. c. 56. & ex Surio tom. 1. vitam ab Eugipo Monaco Gelasij Papa iussu conscriptam referente.*

ANNOTATIO.

Nonulla apud Pet. corrigēda videntur, præsertim circa loca ab eo perperam nominata. Porrò Flauiana C. cuius fit mentio ea est, quam modo Viennam Austria primariam dicimus. Norsea verò, qua olim Lauriacum Norici metrop. fuit. Solo nunc aquata.

DE SS. MARTIRIBVS CLAVDIO, CARBONANO, TITVBANO, ET PLANIO
Interamnensibus &c.

CVM Claudius Imp. impia in Christianos ædicta promulgasset: ijque vbique ab eius Præfectis ad necem conquirerentur: Claudius Militiæ Interamnensis Princeps vnà cum Carbonano, Tibucliano, & Planio militibus impij Imp. iussa paruipendens Christianos in carceribus detentos fouebat, & cruciatos ad tormenta pro Christo fortiter ferenda roborabat: Quapropter & ipsi iussu Præfecti compræhensi, ac in Christi confessione cōstantes martyrij palmam accepere ann. sal. CC. LXX. quorum corpora secundo ab Vrbe Interamnensi lapide, vbi nunc Sancti Zenonis Mart. extat Ecclesia apud torrentē sepulta sunt. *Ex monumentis Ecclesia Interamnens. & quodam Martyrol. antiq. eiusd. Eccl. M.S.*

Claudius militiæ Princeps.

Claud. Christianos fouet ac est fide roborat &c.

ANNOTATIO.

Claudius sub quo hi mart. passi sunt non ille. Qui ante Neronem Imperauit (is enim Christianis nullum negotium fecit.) Sed qui inter Galienum, & Aurelianum præfuit imperio.

DE S. LAVRENTIO IVSTINIANO
Primo Patriarcha Veneto.

LAVRENTIVS Venetijs nob. gen. ex Iustiniana familia natus à puero optimis moribus ità excultus fuit, vt omnibus esset amabilis. Nato vndeuigesimum annum Christus Dominus in somnis apparet, eumque ad se spectandum inuitat. Quare cum Mater, vt illum à Religione auerteret, iam appararet ad Marinum Auunculum, in Cęnobium S. Georgij, quod in Alba appellāt, fugiens, habitum induit ibi religiosum. Quam in cibo, & somno parcus, in studio verò, & orationibus, assiduus fuerit, vix dici potest. Mira in eo patientia, in morbo circa collum oborto, à quo non nisi ferro, & igne liberari potuit, diù ferendo eluxit. Insignis humilitas, qua se oībus despicabilem exhibebat; & Paupertas quam vti carissimam Sponsam complexus fuerat. Habebat Laurentius Socium,

Laurentius Dominus in somnis apparer.

sociùm, qui tunc temporis fortè in Oriente aderat, qui reuersus nolens sodali amantissime carere, ad monast. illum inde modis omnibus extracturus pergit; sed contra accidit; nam aspectu Laurentij immutato perterritus, & oratione persuasus, eandem viam statim aggressus est. Aliud mirum circa Monacum à Dæmone vt ad seculum rediret exagitatum cōtigit: Illi enim Laurentius ramusculum Lauri aqua decoctū in horto plantādum ea conditione tradidit, vt si reuiresceret, sibi in Religione perseuerandum ex diuino beneplacito certò sciret; reuiruit autem ramus, tentatioq; ab eo recessit. Fama sanctitatis Laurentij peruagante ab Augenio 4. Summo Pont. Episcopus Venetus creatus, restitit quantum potuit: sed Pontificis literis Episcopatum quem absq; vlla pompa inijt, accipere compulsus est. Nulla in domo Episcopali aulæa: nullus ibi auri, aut argenti vsus: familia satis copiosa quidem, sed pauperum. Eugenio Pont. è viuis sublato, eiq; Nicolao. V. suffecto cum Gradensis Patriarcha diem obijsset, Laurentius primus Venetis Patriarcha datur. Multa scripsit, quæ summam sapientiā, doctrinam, ac pietatem redolent. Solebat autem dicere veram scientiam esse hæc duo scite, Deum esse omnia, & se nihil. Cum res Venetæ, ob graue, & diutinum cum Philippo Duce Mediolanen bellum susceptum maximè afflictę viderentur, nobilis quidam Venetus apud Corcyram agens Heremitam super rebus Patriæ consuluit, à quo huiusmodi retulit responsum. Commotus est furor Dñi cōtra Vos, qui Verbū eius proiecistis, & nisi Pōtificis vestri lachrymę pro vobis interpellarent, dudum quasi Sodoma perijssetis. Spiritu etiam prophetico prędictus fuit; cum enim LXXIII. ætat. an. ageret, assiduisq; Vigilijs, & laboribus confectus, iam æternæ vitæ præmium capescere videretur, Marcello Discipulo sano merenti etiam celerem ex hac vita discessum prædixit, Hieronymo verò alteri discipulo grauiter ægrotanti sanitatem. Ipse verò paulo post è vita migrauit. Cuius corpus cum altercantibus de Sepultura Canonicis, & Religionis S. Georgij, dies LXVII. dum Marcelli Summi Pontificis responsum expectatur, inhumatum fuisset, ita integrum, & incorruptum, genis ei rubescentibus mansit, ac si recens obijsset. Multis interim ægrotis ad illud confluentibus, & sanitatem impetrantibus an. Sal. M.CCCCX. *Ex eius vita prolixè scripta, & à Surio tom. 1. relato.*

Idem Sodalē à Religione auertentem ad eam conuertit &c.

Miro modo Monacum retinet in Religione &c.

Episcopatū Venetum sibi oblatum, ac diu retectū suscipere compellitur &c.

Creatur primus Venetiarum Patriarcha.

Admiranda scribit.

Vrbs Veneta lachrymis S. Laurentij reseruatur &c.

Spiritu prophetico clauit.

Corpus 67. diebus inhumatū, & incomptū manfit &c.

ANNOTATIO.

IS nondum Apotheosi donatus est. Officio tamen Ecclesi. de Apost. Sedis licentia colitur, Venetijs.

Ianuarij die 9.

DE S. MARCELLINO EPISCOPO ANCONITANO.

MARCELLINVS ob eius virtutes ad Sacerdotium, & Episcopatū euectus, non superbia elatus, sed ieiunijs, vigilijs, & orationibus peruigil, carnem suam vitijs, & concupiscentijs macerans crucifigebat. Plenus erat charitate, mansuetudine, & lenitate; castitatem perpetuò coluit; multaque in eo erat apud Dominum fiducia: cum enim Ciuitas Anconitana incendio miserè conflagraret, quòd eò mag. scte scebar, quò illud aqua magis restinguere conabantur: Anconitani ad Sanctum Episcopum, quem Deo charum, mirabiliaque fecisse sciebant, confugiunt, orantq; vt Vrbi incensæ subueniat, qui, vt Sanctus Greg.

Marcellinus inclytus virtutibus coruscat.

Greg. PP. in Dialogis scribit, contra incendium vbi magis vigebat, deferri se postulat: (Neque enim præ senio, & membrorum imbecillitate incedere poterat) Ductus eò, signoq; Crucis munitus, vix finem fecit orandi, cum (mirandum) flamma ignis, quasi S. Viri conspectum fugiens retrocedere cœpit, & extingui: Liber adhuc in quo Vir S. orare solebat ostenditur, in quo incendij manent vestigia. Cum. n. Dæmon in Sanctū Episcopū maximam ignis vim retorsisset, il'ęq; illæsus permansisset, in libro tamen, quem præ manibus habebat, signa combustionis remansere, ad cuius contactum in hanc vsque diem plures ægroti sanari dicuntur. Cum autem ex hac vita S. Marcellinus excessisset, corpusq; illius apud S. Cyriacū Vrbis Patronum conditum esset, mulris claruit miraculis: ex quibus pauca narrare non piget. Quidam Nobilis Anconitanus oculorū lumine destitutus, ad tumulum S. Marcellini in eius die festo, comitantibus consanguineis deductus, opem illius implorat, cui S. Episcopus Vespere socijs dormitantibus sacris vestibus indutus apparet, & tactis oculis visum restituit. Aliud eadem sequenti anno mirum huiusmodi contigisse, memoria produnt: Quod cum Ciuis quidam prædiues gesta, & miracula, S. Marcellini, quæ audierat in Ecclesia, familiæ suæ magna cum deuotione referret, id Dæmon non ferens filium illius in ignem iniecit, qui licet capite & toto pectore in illo aliquamdiù volutatus, extractus tamen illæsus prorsus remansit. Illud quoque non prætereundum quòd, cum sub Thoma Episcopo Vicus Troianus incendio vastaretur, vt primum eò liber. S. Marcellini memoratus delatus est, statim cessauit incendium, quod nulla vi humana potuerat extingui. *Ex primo libro Dialogorum S. Greg. c. 6. & ex vita manuscripta apud Ecclesiam Anconitanam.*

Anconitanā Vrbem ab incendio liberat.

Marcellinus miraculis elucet &c.

Lumine oculorum destitutus sanat.

Puer à Dæmone in ignē coniectus illæsus eripitur &c.

Vicus Troianus incendium &c. libro S. Marcellini extinguitur.

ANNOTATIO.

Tempus, quo hic S. Episcopus vixit, sciri haud potest, cum in eius vita præter miracula, & ea quæ à S. Greg. PP. scribuntur, nil aliud contineatur &c.

Ianuarij die 10.

DE S. AGATHONE PAPA.

AGATHO genere Siculus, ex Monaco S. Bened. Pontifex Romanus inter Domnum Præcessorem, & Leonem successorem ann. salut. DCXXVIII. creatur. Hic adeò mitis, adeòq; benignus, & mansuetus fuit, vt nemo illum adiens ab illo tristis, aut mærens abiret: adeò vero sanctus, vt leprosum sibi obuium solo osculo sanauit. Eo & Constantino IV. Imper. orthodoxo agentibus sexta Synodus Generalis aduersus Monothilitas hæreticos, vnam tantum operationem, & voluntatem in Christo Domino asserentes à CCLXXXIX. Episcopis Constantinopoli celebrata est, in qua, post diutinam inter Catholicos, & hæreticos, quorum Gregorius Patriarcha Constantinopol. & Macarius Patriarcha Antiochenus Principes erant, concertationem Macarius ob eius pertinaciam (Gregorius enim resipuit) & eius Sectatores Anathemate percussi alio Antiochenis Episcopo creato, damnati sunt. Ipse verò Agatho Romæ contra eosdem Synodū Episcoporum CXXV. habuit. Cumque Ecclesiæ annos IV. præfuisset. obdormiuit in Domino, & ad S. Petr. sepultus est. *Ex Leone Ostiensi in Cronicis, & Platina; alijsq; Vita Pontificum Scriptoribus.*

Agatho singulari benignitate commendatur.

Osculo leprosum sanat.

Synodū Constantinopol. aduersus Monothelitas celebrat.

Monothelitarum Principes hæretici.

Romæ Conc. habet Epp. 125. contra eosdem.

AN-

ANNOTATIO.

Nonnulli Agathonem Romanum Romano Patre natum affirmant: in ijs Petrus Galef. in suo Martyrol. sed Platina in eius vita, Maurolycus in suo Martyrol. ac plerique alij siculum fuisse testantur, Pantonio Patre natum. Fortassis illum in Sciliarense Patre, qui Roma originem duceret, natum dici posset. &c Baron. Constantinum Pugonatum Imp. Agathon. praestationem pecunia à quouis Pont. in sua creat. solita solui à Gothis Regib. indictam remisisse scribit retenta tamen Pontifices confirmandi auctoritate.

Pro confirm. Pontificis pecunia soluebatur ante Agathonem.

DE S. IOANNE BONO EPIS. MEDIOLANENSI.

IOANNES Bonus Patria Genouensis re verè, & nomine bonus Episcopus Mediolanen. XXXIX. circa annum sal. D. C L. creatur, qui licet electionem initio detrectaret, illi tamen demum assensit. Arrianam hæresim principio strenuè oppugnauit, ac tandem extinxit: sed & Ioanni Episcopo Bergomens. cui familiaris erat aduersus eandem Sectam maximo fuit adiumento. Eius suasu Theodolinda Regina Basilicam Sancto Ioanni Baptistæ Modoetiæ magnificentissimè extruxit: ipseq; Ecclesiam S. Materno Decij pago agri Mediolan. exædificauit. Eximia fulsit sanctitate, quam inter cætera eo miraculo, quod Aduam flumen siccis pedibus traiecit, maximè comprobauit. Cum Ecclesiæ Mediolan. an. X. summa cum laude præfuisset. quarto Idus Ian. migrauit in Cœlum. Cuius corpus in Ecclesia Metropolitana hoc tempore conditum est eò à S. Carolo Arch. Cardinali solemniter translatum. *Ex vit. Epp. Mediolanen. à Ioanne Fran. Besutio scriptis, & Annalibus Bosij.*

Ioannes Arrianam hæresim extinguit

Aduam flumen siccis pedibus traijcit.

ANNOTATIO.

Ne circa tempus error irrepserit, subdubito; nam Ioannes Ep. Bergomas, cuius hic fit mentio, sub Agathone Pap. vixit. Cum Concil. Rom. aduersus Monothelitas sub eo Pont. celeb. interfuerit, ac in Episcopatu annos xxix. tantum vixerit.

DE SS. VIRGINIBVS LEONTINIS TECLA, ET IVSTINA.

TECLA Virgo Leontina Nobilis S. Isidoræ filia, ab ea Christianæ fidei præceptis instituta, plurimos ex fidelibus, Tyrannorum persecutionem declinantes, in suis prædijs fouebat. Martyrumq; corpora pretio redempta sepeliebat. Cum autem hæc agens paralysim sex annos in lecto iacens passa esset, seq; Sanctis Alphio, Phisadisphio, & Cyrino, qui ad eam visendam venerant, commendasset, pristinæ sanitati restituitur. quo ex tempore ipsos SS. Martyres visitare, necessariaq; ministrare non destitit, ac eorundem corpora è puteo extracta sepeliuit. Quod vbi Tertullus Præses resciuisset in iudicium illam vocar; ad quam defendendam, cum ad quingentos ex eius seruis conuenissent, quos tamen, soli Deo confisa, dimisit, moritur Præses, ipsaque Beatum Agathonem Episcopum Liparitanum, in suo prædio latentem cum Neophito presbytero Leontium ad publicè Christi fidem prædicandam, accersit. Quibus Romã profectis illa operam suam in fidelium turba augenda. nauiter impendit, ac opes ingentes in extruendis templis insumpsit, ac primum SS. Fratribus, alterum viginti

Tecla insigni ergà Christianos pietate coruscat.

SS.

SS. militibus, ac SS. Neophytæ, & Isidoræ ædificauit, fanumq; vetus Idolis expurgatum Deiparæ Virgini ædificauit. Episcopatum quoque magnificentissimè extruxit, dotemq; amplissimam attribuit. Tandem in huiusmodi pietatis operibus versata, orationiq;, & eleemosynis intenta de obitu à SS. fratribus per visum ante mensem admonetur; cuius corpus cum 4. Idus Ian. ex hac vita migrasset à Neophyto Episcopo in templo eorundem SS. Fratrum tumulatum est. Iustina verò & ipsa nobilis genere, ac Christiana Religione nobilior Teclæ cognatę in Leontinorum conuersione socia fuit. Cum autem alterum oculum, quo erat priuata Sancti Alphij precibus recuperasset: feruentius, charitate flagrans, vniuersam substantiam in construendis Ecclesijs distribuit, ac ad cœlestem patriam sæpe à SS. Pueris sibi pronunciatum euolauit. *Ex lectionibus earundem SS. quæ de off. proprijs Ecclesiæ Leontinæ nuper a Sacra rituum Congregatione approbatis leguntur.*

Deobitu à fratribus SS ante mésem admonetur.

Iustina totã facultatem in construendis Ecclesijs distribuit.

ANNOTATIO.

IN dictis lectionibus præmemoratis illud adnotãdum putaui, quod, cum titulus SS. VV. illis præponatur, ac Tecla Virgo nominetur: Iustina tamen non virgo, sed mulier appellatur.

DE S. ALDO EREMITA PAPIÆ.

S. Aldus quando, & vbi vixerit, adhuc scire minimè potui: eius corpus Papiæ, primùm in Sacello. S. Columbani conditum fuit, indè in Basilicam S. Michaelis translatum est, ibiq. Natalis eius celebrari solet. Meminere illius Iacobus Gualla lib. 6. c. 8. Sanctuarij. Stephanus Breuentanus lib. 3. c. ... hist. Ticinensis. (Qui tamen corpus in Cathedrali Ecclesia quiescere, scribunt.) & Arnoldus Vuion. lib. 3. ligni vitæ in additionibus, ex quo loco S. Aldum Monacum Bobiensem vitam Eremiticam in finitimis locis egisse, conijci potest.

ANNOTATIO.

NOn possum non mirari in Basilica dicta S. Michaelis, pro S. Aldo Sanctam Aldam muliebri specie depictam, & quod admirationem auget, officium vnius mulieris, loco vnius confessoris, vt audio recitatum fuisse.

Res admiratione digna, ac ritu.

Ianuarij die 11.

DE S. HYGINO PAPA, ET MARTYRE.

HYginus, seu Hyginius Patria Atheniens. Patreq; Philosopho natus Pontificatum post S. Thelesphorum Antonino Imparatore gessit, multa Ecclesiæ vtilia constituit in ijs, vt in Baptismate vnus, aut vna baptizatum attingerent, aut de sacro fonte leuarent. Gradus Ecclesiasticos distinxit. Prohibuit, ne quis ex secundo matrimonio natus cum consanguinea Prioris matrimonij contraheret. Decreuit, vt Ecclesiæ in quibus missæ celebrantur consecrarentur, ac ne res Ecclesiæ vsibus dicatæ in profanos cõuerterentur. Creauit Episcopos Sex. Presbyteros 15. Diaconos 5. Præfuit Ecclesiæ annos 4. & sub eodem Imperatore Martyr occubuit. *Ex Damaso in Pontificali; Platina in Vit. Pontif. Petro Gales. de martyrolog. & alijs.*

Hyginus multa lau labiliter decernit.

Ter mése Decembri ordinatione habita.

ANNOTATIO.

Panuini sententia minus probabilis.

HOnofrius Panuinius inter alios S. Hyginium,& alios Pontifices sub Hadriano, Antonino Pio, & Marco Aurelio, haud martyrio coronatos fuisse autumat, eo argumento, quòd memorati Imperatores in Christianos persecutionem minimè excitarint, atqui eos inquiri vetuerint; sed cum antiqua Martyrologia Pontifices à S. Petro vsque ad Syluestrum Martyres occubuisse habeant, Ecclesiaque eos vti Martyres colat, ità proculdubio credendum est. Neque Argumentum adductum cogit, & si enim Imperatores aliquot Ecclesiam, haud persecuti sunt, illorum tamen Præfecti, Imperatoribus absentibus, Christianos, non solum delatos, sed etiam inquisitos puniebant. Quod sanè exemplo Vlpiani, qui plurimos cruciari, morteque affici iussit sub Alexandro Christianorum propter Matrem studioso, demonstrare sufficiat. Quis verò nesciat Hadrianum licet persecutionem edicto haud commouerit, multos immanissime tortos, quòd Christiani essent occidisse? testis sit Brixia, vbi Hadriani sæuitia in Christianos efferbuit.

Vlpianus sub Alex. Christianos sine Imperatoris edicto persequitur.

DE S. ALEXANDRO EPISCOPO, ET MARTYRE FIRMANO.

ALexāder Firmi in Piceno, ex Sinigarda familia natus traditur. Qui in Christiana religione educatus, cum doctrina, & vitæ sanctimonia præcelleret, vrbis suæ Episcopus creatus est. Cum autem Christi fidem prædicaret, in persecutione tentus martyrio coronatur 3. Idus Ianuarij. Cuius corpus à Christianis sepultum, nunc in Ecclesia Cathedrali quiescit. *Ex Tab. & monum. Eccles. Firmana.*

ANNOTATIO.

ACta illius & aliorum SS. eius Eccles. non semel ab Archiepiscopo flagitauimus. Sed nihil aliud, quòd illa vt putamus, exciderint sciri præter narrata potuit.

DE S. LEVCIO EPISCOPO BRONDVSINO.

LEucis Alexandriæ natus, & Eupreslius dictus, mortua matre decennis vnà cum Patre Monasterium S. Hermetis Theodosio Imp. ingreditur, & litteras discit, breuiq; disciplina, ac obedientiæ virtute omnibus antecelluit; cum autem in festo Beatissimæ Deiparæ Mariæ, & Patri ex hac vitæ migratio, & filio ad vrbis Brundusinæ hæresim extinguendā profectio in somnis fuisset denunciata, Leucius defuncto Patre cum aliquot Clericis Brūdusium venit, apud Amphytheatrum propè vrbem moratus, vbi ad se venientes Christianam fidē docebat, & sacro lauacro regenerabat. Quo tempore vrbs, in qua biennio non pluerat, maximè affligebatur. Cuius Præfectus nomine Antiochus Leucio si pluuiam vrbi impetrasset, se in Christum crediturum pollicetur. Leucius itaq; clero, & Christianis conuocatis, vix suspiciens in cœlum Deo, & Sanctis Litanias decantare cœpit, cum copiosissimus imber descendit, quo miraculo Præfectus, ac 27. millia populi baptismum suscepere: Basilicamq; in vrbis medio in Dei Genitricis, & D. Io. Baptistæ honorem construxerunt. Cum verò omnes in fide confirmasset, ac munus Episcopale aliquandiù sanctissimè administrasset, plenus meritis suum Deo reddidit spiritum, & in eo loco, vbi è naui ad vrbem descenderat, humari voluit. *Ex monumentis Ecclesiæ Brondusinæ, ex Breuiario antiq. Capuano, ac ex lectionibus eiusdem B. Leucij, quæ in Ecclesia Brondusina*

S Leucius insolito Aquæ miraculo 27. millia homines ad Christū conuersos baptizat.

sina recitantur, in quibus miracula ab eo patrata narrantur in ijs de Melantia Nobili muliere Alexandrina ab hydropisi liberata: de Zerca Mago ab igne combusto, cum Leucius signo Sanctissimæ Trinitatis munitus illæsus exisset de necatis à dracone in Ægypto, ab eo baculo tactis, ad vitamque reuocatis. Vbi etiam Leucium vrbis Alexandrinæ Episcopum fuisse legitur, Ecclesiam.q; Alexandrinam tādiù administrasse quoad concitata à Saturnino Præfecto in Christianos persecutione diuinitus admonitus, Brondusium, vt eam vrbem ab idolorum cultu abduceret nauigauit. In quibus tamen nonnulla emendatione videntur indigere, illud maximè, quod vrbs Brandusina eo tempore regem haberet; nisi fortè Regem Præfectum intelligant, qui error in aliquor SS. historijs deprchenditur. Italia enim nullos nisi post maximam Imperij declinationem Reges habuit. Quod etiam S. Leucium Alexandriæ Episcopatum gessisse, nisi fortè tanquam suffraganeum, & alterius vrbis Episcopum minus verisimile est. Cum Episcoporum Alexandrinorum nomina, in quibus Leucius haud reperitur, ad multa tempora habeantur.

S. Leucius multis fulget miraculis. Melantia ab hydropisi liberatur. Leucius ignē ingressus illæsus exit. A Dracone necatis vita restituitur.

ANNOTATIO.

PRæter superius annotata, illud de Saturnini præfecti persecutione in Christianos sub Theodosio Imp. Christianissimo fuisse non potuit, nisi forte is Arianus existēs in Catholicos sæuiret. Multa itaque S. Leucij acta indigent censura.

Hymnus de S. Leucio Episcopo ex eius officio.

OPtata dies aduenit
Exultans in delicijs,
Qua Patriarcha Leucius
Lætus migrat ad Dominum.
Hic clarus vitæ meritis
Refulgens, & miraculis,
Pulsis procul erroribus
Plebem lauat baptismate.
Præcepta Christi prædicans;
Et sanctitate radians,
Medelam confert languidis,
Functos ad vitam reuocat.
Gaude Brundusia polis
Tantis ornata titulis;
Sed clarior, eximium
Patrono habens Leucium.
In Brundusina claruit
Vrbe Confessor Domini,
In hac relinquens terrea
Migrauit ad Cœlestia.

DE S. PAVLINO EPISCOPO AQVILEIENSI.

S. Paulinus Carolo Imp. charus.

Contra hæreticos strenuè decertat.

Paul.[9] miram vitæ austeritatem colit. Multas à Barbaris patitur iniurias.

Carol. Imp. Ecclesiā Aquileien. muneribus, ac priuilegijs auget.

PAulinus ob eius vitæ probitatem, & doctrinam ad Episcopatū, siue Patriarchatū Aquileien. Carolo Magno Imp. assumitur, cui Imp. ità charus fuit, vt rebus non Italia solum, verum & in Gallia, ac Germania componendis eius opera vteretur, & multas opes, quas tamen ille Pauperibus distribuit, elargiretur. Aduersus hæreticos strenuè certauit, maximè verò in Concilio Francofordiæ Hadriano Primo Pontif. Max. Aduersus Iconoclaustas coacto. Ipse Cōcilium Foroiuliense, in quo plura contra hæreses, & pro morum reformatione sanciuit, indixit, & celebrauit. In ijs occupatus haud tamen de vitæ suæ austeritate aliquid remittebat. Cum ieiunia, vigilias, pias meditationes, & cæteras exercitationes spirituales assiduè prosequeretur. Prædicationi quoque Euangelicæ vacabat, qua Carinthiæ populos, & nationes finitimas ad fidem Christi perduxit. Martyrij cupidus fuit; licet autem voti compos non fuerit, multas nihilominus à Barbaris perpessus est iniurias, & molestias. Multis etiam claruit miraculis, quibus doctrinam a se prædicatam confirmabat. Eius causa Carolus Imp. multis muneribus, ac priuilegijs Aquileien. Ecclesiam decorauit. Multis tandem laboribus pro Ecclesia perfunctus, senioq; confectus migrauit ad Christum an. sal. D.CCC. IV. Foroiulij in maiori Basilica sepultus. Cuius Natalis 3. non. Ian. ab Ecclesia Aquileien. celebratur. *Ex monumen. eiusd. Ecclesia.*

ANNOTATIO.

QVod dictum est Paulinum ad Episcopatum Aquileien. assumptum fuisse & Concil. Foroiulien. celebrasse Carolo Mag. Imp. non sic accipi debet, quasi Carolus Mag. iam Imp. declaratus fuisset. Nam quod ad Concil. attinet illud celebratum est sub Hadriano I. PP. an. Pontif 20. & D. 791. Carolus aut. Imp. declaratus fuit an. D. 801. a Leone III. qui Hadriano successit.

DE S. ANASTASIO ABBATE SVPPENTONIÆ.

Anastasius cœlesti voce ad cœlum vocatur.

ANastasius Romanus primùm Ecclesiæ Romanę Notarius posteà Monacus fuit; vt enim Deo liberius inseruiret, abdicato à se officio Suppentoniam apud Nepitam se contulit, vbi in Cœnobio habitum Monasticum induit; sic autem in vita Monastica profecit, vt mortuo Abbate illi Monacorum consensu sufficeretur. Mira effulsit sanctitate, Religione, ac pietate, miraculis etiā clarus, cum autem Deus, vt scribit S. Gregor. libro primo Dialog. c. 8. illum ad se trahere vellet, nocte quadam ex alta rupe Monasterio, quod inter Nepitam, C. & M. Soractem constructum erat, imminenti, vox cœlestis ad eum facta, Anastasi veni exaudita fuit. Mox eadē ad septem Monachos facta proprijs nominibus expressis, cum paulisper siluisset, octauum fratrem vocauit, quam vocem cum vniuersa Monachorum congregatio audiuisset, vocatorum obitum expectabat. Nō multo post itaque Anastasius cum cæteris, qui simul vocati cęlitus fuerant obdormiuit; post quem, modico intercedente tempore, & octauus decessit. Cùm verò Sanctus Anastasius animam exalaturus esset, mira res contigit: Nam Monacus quidam, qui & ipse dissolui cupiebat ad S. Abbatis pedes prouolutus cū la

chrymis

chrymis orabat, ne se vltra septem dies superuiuere pateretur, eumque per illum ad quem Anastasius abiturus erat, adiurabat: Qui Sancti Anastasij intercessione meruit ad dictam diem vita defungi. *Ex hoc loco citat. Dialog.*

Monacus Anastasij intercessione optata die decedit.

ANNOTATIO.

Anastasium Nepita, si qua haud procul Suppentonia distabat, venerationem habere accepimus.

DE S. TATONE ABBATE COENOBII S. VINCENTII in Samnio, ad fontes vulturni.

TAto Nobilis Beneuentanus, vt Christo seruiret, spretis omnibus, Patria, ac Parentibus relictis vnà cum Paldone, & Tasone fratribus, quibus erat idem propositum, Peregrinationem suscepit. Ac primùm in fines Marsorum ad Thomam Abbatem senem, cuius fama sanctitatis vigebat, vt illum, quid sibi esset agendum, consulerent, sese conferunt; cuius persuasu in Samnium circa Vulturni amnis ortum venientes ibi in solitudine vitam asperrimam sub Paldonis maioris natu regimine, multis sibi socijs adiunctis, ducunt: Mortuo Paldone Greg. 11. Pont. Max. Taso ætate minor in administratione subrogatur, cuius cum Monachi austeritatem, & seueritatem non ferrent, Tatonem in locum illius subrogãt: Quæ res ad Pontificem delata improbatur. Ipse autem Tato interim sanctitate conspicuus III. Idus Ian. an. sal. DCCXXIX. obdormit in Domino. *Ex monum. dicti Monast. ac ex libro Authperti Abbatis de Abbat. Monast. S. Vinc.*

Tato asperrimam vitam in solitudine degit.

ANNOTATIO.

Monasterium S. Vincentij à Principibus Beneuentanis primum, deinde ab Imp. Constantinopolit. cum Apulia, & Samnio, & alijs regionibus post Saracenos exactos potirentur, auctum fuisse auctor est Baron. in Annal.

Ianuarij die 12.

DE S. ZOTICO MARTIRE TIBVRTINO.

ZOticus qui & Getulius S. Symphorosæ vir Hadriano Imp. Christianam colebat religionem in Sabinorum finibus, Christianosq; fouebat, alebat, & erudiebat, ad quem Imp. Cercalem Vicarium misit comprehendendũ; sed Getulius ita rationibus Cercalem conuicit, & in fide Christi erudiuit, vt omnibus relictis à S. Xysto Pont. eò accersito, baptisma reciperet, ac posteà iussu Hadriani vnà cum Amantio Tribuno martyrium subiret. Getulius à Licinio Cõsulari, ab Imper. ad vrbem Sabinorum misso, cędi iubetur, cum Dijs sacrificare nollet, ac in carcerem recludi vnà cũ socijs, vbi ad dies xxvij. Licinio Romã ad Imp. profectò pmansere. Imp. ita percitus milites, qui eos flammis exurerent, misit; ac eos ligatis manibus, ac pedibus apud Tiberim flumen xiij. ab vrbe lapide in ignem conijciunt. Cum autem flamma Getulium non attingeret, illeque solutis vinculis Christum Dei filium laudibus efferret, caput ei fustibus confractum est. Cuius corpus à Symphorosa honorificè in arenario agri sui sepultum est. *Ex Antiquis codic. M. S. è quibus Surius tom. 3. passionem descripsit.*

Zoticus Cercalem Imp. Vicarium cõuertit, atque erudit.

Getuliũ flamma haud attigit.

ANNOTATIO.

PAssus est cum socijs iiij. Id. Iunij, licèt à nonnullis ad hanc diem, fortè ob corporis inuentionem, vel translationem. Corpus Tibure quiescit, & caput an. sal. 1587. die 17. Iulij in nouum templum Societatis Iesu solemni Pompa translatum est.

DE S. TATIANA MARTYRE ROMANA.

Tatiana nobilis Romana Alexandro Imper. Vlpiano Vrbis præfecto delata quod Christiana esset, eiusque iussu ad Deorum templa, vt illis sacrificaret perducta, vbi se Crucis signo communisset, & orasset subitò terremotu Idolum corruit cum templi parte, quæ plures ex infidelibus oppressit: abeunte Dæmone, ac de Tatiana, quod ab illa expelleretur, querente. Aderat Vlpianus, qui à Tatiana tentus (perterritus enim fugam parabat) ac vt Deo suo opem ferret monitus, illam indignatus alapis in facie cædi, ac ferreis vncinis circa oculos laniari iussit. Sed Sancta Martyr in tormentis constans, & vultu hilaris tortoribus iam fessis apparebat. Quare Præfectus iratior factus ora Tatianæ testarum fragmentis contundi præcipit. Quo tempore voce cœlesti ab astantibus audita, roboratur, & eos, qui ad eius pedes se proiecerant, in Christi fide erudiebat: quos Vlpianus equuleo tortos capite damnauit. Postera die iterùm Tatiana Præfecto Sistitur, qui, cum illa se Dæmonijs nūquam sacrificaturam diceret, neque eius supplicia formidaret, eam vestibus exutam gladijs mandat concidi, riuulis lactis loco sanguinis ex vulneribus scaturientibus. Cum autem Præfectus Magam illam appellaret, ea verò Præfectum, vt in se omnia tormentorum genera experiretur prouocaret, ille ad quatuor palos alligatam à duodecim ministris sine intermissione cædi iubet. Cùm autem Tatiana quasi verbera non sentiens, immanitatem Tyranno exprobraret, in carcerem vt adipe sequenti die feruenti perungeretur, reducitur. Sequenti verò luce ad Præfectum ducta, cum constantior videretur iussu, illius ad Deorum templa, vt vel illis sacra faceret, aut feris deuoranda obijceretur, libens adducitur. Sed in sententia persistens, atque Tyrannum irridens, leoni obijcitur, qui se ad eius pedes cum proiecisset, populus Præfectum, vt à cruciatibus iam cessaret, orabat. Verùm is confusus, ac victus in carcerem eam remisit. Sequenti verò die in Equuleo suspensam toto corpore dilaniari iubet, ac demum extra vrbem capite plecti. *Ex lib. Virginum Rom. Antonij Gallonij. qui Passionem ex Antiquis M.S. excerpsit.*

Dæmon discedens à Tatiana expelli queritur.

Virgo Præfectum ad omnia tormentorū genera prouocat.

Leo ad Virgin. pedes procumbit / sternitur.

ANNOTATIO.

Etsi Tatiana in Martyrol. Rom. & Menol. Græc. tantùm mart. memoratur nulla virginitatis facta mens. Ex Actis tamen. M.S. S. Mariæ maioris Virginem fuisse apparet sicuti, & ex lib. Virg. Rom.

DE S. PROBO EPISCOPO VERONENSI.

Probus Veronæ Episcopus sexto loco post S. Senatorem circa annum sal. CCXXXVI. Veronensem rexit Ecclesiam quo tempore Maximinus Imperator, qui Alexandro successerat Christianos exagitabat. Hic Sanctus Episcopus vitæ sanctimonia, & egregijs virtutibus clarus, cum primis verò charitate præditus munus Episcopale præclarè gessit, atque pridie Id. Ian. ex hac vita discessit, cuius corpus in Basilica S. Stephani humatum creditur. *Ex libello Aug. Valerij Episcopi Veron. & Cardinalis, ex Raphaele Bagata Archipresbytero, & ex Franc. Corna.*

Probus vitæ sanctimonia, ac charitate imprimis clarus.

ANNOTATIO.

Dissident Veronenses de S. Probi Corpore, alij enim in Basilica S. Stephani sepultū tradunt, id ex tabula Marmorea ibi extante probantes, alij verò in Basilica Sācti Proculi,

Proculi, quòd etiam ex tabula lapidea ex constitutione Synodali, & ex imagine eiusdem depicta cum hac inscriptione. S. Probus demonstrant. Ipsi Veronenses viderint.

DE S. HONORATA VIRGINE PAPIENSI.

HOnorata Virgo S. Epiphanij Episcopi Ticinensis soror, cæterarum hoc est Luminosa, Speciosa, & Liberata natu minima. Hæc à teneris in Monasteriũ S. Vincentij, quod extra portam Palatinam situm erat, ingressa, Luminosæ à S. Epiphanio Romam profecturo, vt illam institueret, traditur. Quo tempore cum Odoacer Rex captam vrbem Ticinen. deprædatus fuisset, Luminosa, & Honorata cum alijs monialibus abducuntur in captiuitatem. Cum autem eas Epiphanius redemisset, ac Luminosa paulò post discessisset. Honorata optimis moribus instituta aliquot annos mira sanctitate pollens, pijsque operibus addicta superuixit, donec & ipsa extremum diem clausit. Cuius corpus primum in eadem Sãcti Vincentij Æde sepultum est, postea à S. Litifredo Episcopo in somnis admonito, Triduano ieiunio indicto, ac populo visione patefacta ad Eccl. S. Mariæ Veteris, quæ nunc S. Mariæ Capularũ nominatur translatum est. In qua translatione miraculum contigit: Nam iuxta Basilicam S. Michaelis, clero præcedente, & populo subsequente, corpus tandiu substitit immobile, donec S. Episcopus illi suũ pallium superposuit. Mulier quoque ægra, vt nec loco moueri, nec loqui posset viso S. Virginis corpore, opeque eius postulata, integram sanitatem retulit. præter alios corpore vitiatos, & ægrotos ac dœmoniacos eo tempore sanatos. Quòd multis ad famam miraculorum ex vicinis locis confluentibus, vt corpus Virg. in medio Ecclesiæ triduo asseruaretur, quod III. Idus Ian. apud altare S. Mariç cœnobij prædicti, quod Monialium est, historiarum antea dictum, decenter reconditum fuit. *Ex vita M S. apud moniales dicti Cœnobij. Eius mentio in vita S. Epiph. habetur.*

Honorata S. Epiphanij soror.

Odoacer Rex Ticinum prædatur.

Dum S. Honoratæ corpus transfertur miraculũ contigit, ac alia multa, sunt secuta.

ANNOTATIO.

EIus meminit Martyrol. Rom. ad diem xi. Ian. Sed Ecclesia Papiensis illius memoriã die 12. celebrat. Quæ dies translationis est, non Natalis, quæ ignoratur.

Ianuarij die 13.

DE SS. QVADRAGINTA MILITIBVS Martyribus Romæ.

QVadraginta milites Romæ extra vrbem via lauicana sub Galieno Imper. passi sunt, quorum nomina, descripta in libro vitę, ignorantur. Hi Christianam colentes religionem, depręhẽsi, cum à fide desciscere nollent. Extra vrbem ducti capitalem sententiam exceperunt. Idibus Ianuarij. *Ex Adone Martyrolog. Rom. & lib. 2. c. 72. & alijs.*

ANNOTATIO.

ETsi plurimi sub Galieno martyrio affecti leguntur: non tamen iussu ipsius Galieni (qui vt scribit Euseb. lib. 7. c. 12. Hist. Eccles. persecutionem à patre excitatam sustulit, & rescripta in Christianorum fauorem dedit) sed iussu Praefectorum, sicuti sub Alexandro Antonino Pio, & sub alijs Imper. factum est.

DE S. POTITO SARDO MARTYRE.

Potitus Calari in Sardinia natus, ac à puero in Christum credens multis modis à Patre, vt à Christo desciscerer, tentatur, ac demum carceri includitur. Patre autem inter colloquendum ad Christum conuerso, ab Angelo monitus Patriam deserit, seque ad M. Ephirum ad fidem Christi prædicandam confert, vbi Dæmonem in Angelum lucis transfiguratum vitam voluptuosam sibi suadentem, & indè forma tauri horribilis cornibus impetentem, ac minantem se vt Romã perduceretur effecturum, signo Crucis, & oratione fugat, & ad Vrbem Valeriã nam veniens Agathonis Senatoris vxorem leprosam curat, Agathone cum tota familia, multisque ex ea vrbe in Christum credentibus. Interim Romæ Agnes Antonini Imper. filia à Dæmone, qui se egressurum nisi Potito è M.Ephiro accersito negabat, correpta vexatur. Quæsitus itaque Potitus iussu Imperat. ac inuentus à Gelasio Romam perducitur, Agnetemque à Dæmone liberat. Verùm ingratus Imperat. quod nollet se Deorum munere Agnetem liberasse fateri, & eos colere, illum flagellis cædi, & ad Idola perduci iubet. Cum autem illa oratione Potiti corruissent, S. Iuuenem in carcerem trudi, ingenti saxo collo illius alligato, à quo tamen ab Angelo liberatur: iratus Imperat. præcipit. Eductus deinde in Amphitheatrum Imper. præsente in equuleo suspenditur, facibus ardentibus ad eius latera admotis. Cum verò Potitus hanc Imper. immanitatem exprobraret, vnguibus manuum, pedumque sibi crudeliter detractis, feris obijcitur, à quibus nil læsus, in partes dissecari iubetur. Sed Carnifices repentè in furorem conuersi sese mutuo feriunt. Quo miraculo ad duo millia populi ad Christum conuersis, in ollam feruentis olei injicitur, ac laudes Deo decantans Imperat. irridebat. Qui illum liquato, & feruenti plumbo perfundi iubet, ac tempora clauo ignito transfigi, quo diuinitus extracto, Imperat. circa tempora maximo afficitur dolore, rogatque Potitum, vt sibi opem ferat. Qui ad Agnetis preces in Theatrum adductus, ac se baptizare petentis Imperat. statim oratione sanauit. Qui nihilominus factum magicis artibus assignans, cum impietatis à Potito accusaretur, linguam illi præcipit amputari. Qui tamen sine lingua laudes Deo canens, Imperatori dicebat, frustra Imper. his tuis tormentis fatigaris: nam Deo volente, non Romæ, sed alibi capitis abscissione excessurus sum. Quod cum Antoninus audiuisset, populi conuersione veritus, illum militibus occidendum tradidit loco quo vellent. Milites itaque Potitum apud Asculum in Apulia capite truncant. Cuius corpus à Christianis sepultum, posteà Tricarici in Eccl. S. Trinitatis in arca an. sal. M.D. repertum coli cæpit, ac Patroni loco haberi. *Ex vita M. S. apud Eccl. Tricaricensem, ex qua Alexander Flaminius Ciuis Tricaricensis versibus exarauit. Ex lib. de SS. Sardiniæ Ioannis Marsa Arca, ac ex Cronicis Sardiniæ.*

Dæmon in Angelum lucis transfiguratus, ac dein de sub Tauri forma signo crucis, & oratione à Potito fugatur.

Agnetem à Dæmone liberat.

Antoninus Agnetis Pater Potitum varijs, ac diris cruciatibus afficit.

Mirũ de Carnificum furore.

Iterum dirissimè cæditur.

Potitus elinguis laudes Deo canit.

ANNOTATIO.

Antoninus Imper. qui tot cruciatibus S. Potitum affecit, non ille Pius est, sed Antoninus verus, qui cum Lucio Aurelio Commodo fratre circa annum sal. clxviij. quo tempore Potitum martyrio affectum tradunt persecutionem in Christianos commouit.

Vita S. Potiti per Flaminium versibus scripta inter alia correctione eget, vbi pro Sardinia Sardos Vrbem Lydiæ in Asia scribit.

Antoninus Verus, non Pius V. Potitum excruciat.

Ianuarii

Ianuarij die 14.

DE S. FELICE PRÆSBYTERO, ET MARTYRE NOLANO.

Foelix Nolæ Hernia Patre natus à teneris in clericorum numerum adscribi voluit, ac per ordinum gradus factus Sacerdos multos ab immundis spiritibus vexatos sanabat. Quo tempore Persecutio in Christianos, ità percrebuit, vt Maximianus Nolæ Episcopus doctrina, & pietate clarus. Cum obsenium se posse tormenta ferre desperaret, fugere cogeretur, quem Imperat. satellites non inuenientes, Sanctum Felicem compræhensum carceri tenebricoso includunt, ac manibus pedibusq; vinculis constrictum supet acutis testarũ fragmentis sternunt; sed inde ab Angelo eductus Sanctum Episcopum quęrere iubetur: quem in Sylua pęne frigore, & fame mortuum reperit & in humeros sublatum apud fidelem Viduam reficiendum, & curandum defert; cum prius vuæ racemo diuinitus inter spinas inuento S. Episcopũ recreasset. Sed cum S. Felix Idolorum cultores impietatis argueret, liberæq; Dei verbum prædicaret: illis in cũ irruentibus è manibus ipsorum elapsus intra duos muros loco aranearũ telis repente contexto, delituit: ac in ædibus piæ fœminæ per tres menses, siue per sex, vt in eius vita legitur clàm sustentatus est, vbi cum aqua in cisterna ob æstum defecisset diuinitus sibi prouisum fuit. Pace Ecclesiæ ob Tyrannotũ mortem reddita, Fœlix in publicum prodijt, ac sua prædicatione multos qui in persecutione à veritate exciderant, & qui nunquam Christo nomen dederant, conuertit. Quo tempore S. Maximianus Episcopus senio confectus migrauit è vita; vniuersus verò populus Nolanus Felicem Episcopum maximè optabat, & poscebat. Sed ille cõstanter Episcopatu recusato, vt Quinctus paulo ante ipsum ad Sacerdotium promotus, ad id munus eligeretur, obtinuit: Erat paupertatis amantissimus; nam cum prædia, quæ illi ampla fuerant in persecutione vsurpata posset, ac ab amicis suadete tur recuperare, id facere noluit, hortulo, & agello, quos suis manibus colens victum exiguum sibi parabat, contentus, nolens persecutionis merito carere. Cum itaque in summa victus, & vestitus parcitate vixisset, in Euangelij prędicatione assiduè versatus, tandem ad cœlestem gloriam euolauit xix. Kal. Febr.
Ex Breu. Rom. ac ex vita, à S. Iuliano Episcopo Nolano versibus conscripta.

Fœlix in profligandis malis spiritibus insignis extitit.

Racemus Vuæ inter spinas diuinitus reperitur

Fœlix Persecutorum manibus euasus Aranearum telis mirabiliter delituit.

Fœlix Nolanis ipsum Episcopum poscentibus constanter resistit.

A N N O T A T I O.

ETsi quo tempore, siuè sub quibus Imper. S. Fœlix vixerit ex Breuiario, Martyrologiovè Romano non apparet, sub Diocletiano tamen, & Maximiano, quibus imperio abdicatis Ecclesiæ pax reddita est, vixisse credendum est.

Miror quosdam S. Fœlicem inter Confessores, uti apud Alphonsum Villegam in suo SS. Flore, computare, cum illum Ecclesia vniuersalis inter Martyres celebret. Neque refert, quod in pace, quòd multis alijs martyribus contigit decesserit: nam à persecutoribus fidei verbera, carcerem, & vincula passus est.

D. PAVLINI EPISCOPI NOLANI, IN FESTO S. Felicis Præsbyteri carmen in 3. Natali.

„ *Venit festa dies cœlo, celeberrima terris*
„ *Natalem Felicis agens, qua corpore terris*

„ *Occidit,*

,, Occidit, & Christo superis est natus in astris.
,, Cælestem nactus sine sanguine martyr honorem,
,, Nam confessor obit pœnas non sponte lucratus
,, Acceptante Deo fidam pro sanguine mentem,
,, Qui cordis tacitis scrutator, ferre paratus
,, Aequiparat passis sat habens interna probasse.
,, Supplicium carnis iusta pietate remittit,
,, Martyrium sine cæde, placet, passura voluntas
,, Sufficit, & summa est meriti testatio voti.

DE S. DATIO EPISCOPO MEDIOLANENSE.

Constant. ad Iustin. Imp. vt Gothos Arrianos Italiam diuexãtes reprimeret proficiscitur.

Datius domũ quandam à dęmonũ ſtridoribus liberat.

DAtius Mediolanen. ob eius sanctitatem doctrinam, & virtutes post sanctũ Magnum ab Arrianis ob fidem Catholicam, quam viriliter tuebatur, sede pulsus, Constantinopolim ad Iustinianum Imper. vt Gothos Arrianos Italiam diuexantes reprimeret proficiscitur. In itinere apud Corinthum diuersatus in domo, quæ ob Dœmones inhabitabilis erat, recipitur. Cum itaque vir sanctus somnum cepisset ex itinere fessus, nocte intempesta Dœmones domum stridoribus complent, leonum rugitibus, mugitibus boum, balatibus pecudum, & alijs ferrarum vocibus, quibus Vir Dei; en inquit, vt tu ob superbiam cœlo pulsus dignus es vt bestias imiteris. Qua voce Dœmones perculsi domum ita deseruere, vt deinceps illorum voces, & strepitus exauditi non sint. Reuersus Mediolanum, cum Ecclesiam suam duos & viginti annos sanctè administrasset, migrauit in cœlum XIX. Kal. Febr. circa an. sal. DXLV. *Ex Breu. Mediolanen. ac ex vitis Episcoporum Mediolan. per Io. Franc. B. sutium script. De eo S. Greg. lib. 3. c. 4. Dial. vbi miraculum Corinthi patratum recensetur.*

ANNOTATIO.

FErunt S. Datium Mediolani ex Aliatorum familia eo tempore nobili procreatum; sed haud conueniunt Scriptores in anno, & die, quibus obijt. Sunt enim qui illum die XVI. Ian. & anno D. LXI. obijsse scribant, quod innuisse sat sit. Cum rei veritas ex vrbis Mediolan. Annalibus, & Ecclesiæ, præcipuè petenda sit.

Ex Procap. (quod & Baron. in Annal adnotat.) S. Datium cum primarijs Mediolani ciuibus ad Belisarium vt Insubriam, & liguriam à Gothis tanquam Arrianis liberaret, profectum apparet An. D. 539.

DE S. ANDRÆA EPISCOPO FÆSVLANO.

Mirum de Andræa somnium.

Andræas paratam sibi sponsam elegãtissimam, ac nobilissimam reijcit.

ANdręas ex Nobili Corsinorum familia Florentiæ nascitur, mater eius grauida lupum parere, qui Ecclesiam ingressus agnus euaderet sibi per somnium visa est, quod non multo post reipsa comprobatum fuit. Nam cum adolescens venationibus vitam ducere, arma tractare, rixas prosequi, parentes negligere, aliaque his similia agere cępisset, eumque mater increpans quòd illum à Deo precibus impetrasset, somniumque prædictum ei narrasset, valde commotus, statim Ecclesiam Carmelitarum ingressus, cum preces fudisset, repentè quasi de lupo in agnum mutatus in illorum religiosorum familiam recipi humiliter petit. Receptus vt ad seculum rediret, & vxorem, quæ sibi parata erat elegantissimam, nobilissimam, & diuitem duceret à Dœmone sub specie propinqui tentatur,

tur, qui, eo generosè resistente illicò disparuit. Ipse verò magis orationibus, sacrisque lectionibus; & regulæ exercitamentis vacans, Florentinæ puellam ethica febri laborantem oratione sua curauit. Ordinatus Præsbyter priuatam missam in syluis contra propinquorum expectationem celebrauit. Lutetiam causa studiorum missus breui ad Magisterij gradum peruenit. Auenione cęco ad portam templi eleemosynam petenti lumen restituit. In Italiam reuersus Episcopo Fæsulano vita defuncto inuitus sufficitur, electus enim fugit, & aliquandiù delituit, sed coactus Episcopatum gerere, vigilijs, ieiunijs, assiduisque corporis macerationibus, ferrea catena præcinctus, operam dare minimè destitit. Pauperum præcipuam curam gerebat, illis ad victum necessaria vel non poscentibus suppeditans, proprijsque manibus ægrotis ministrans. Cum vni tibiam vlceribus diutinis plenā manu sua attigisset, illicò sanatus est. Ecclesiam Cathedralem ruinam minantem proprijs sumptibus refecit. Bononiam vt seditionem sedaret ab Vrbano Summo Pont. missus, re ex sententia confecta, Fæsulas redijt, vbi inter sacra Natiuitatis Domini solemnia, cum Sanctissima Deipara Virgo sibi apparens obitum prædixisset, in die Epiphaniorum fęliciter migrauit ad Christum. *Ex libro de vit. SS. Episc. Ecclesiæ Fæsularum à Franc. Diaceto Episcopo script.*

Andræas puellā ethicā febre curat. Lutetiæ Magisterio insignitur. Episcopatū Fæsulanum, quoad licuit recusauit. Singulari in Pauperes charitate eminet. Tibiam vlceribus plenam manu sua attingens mirabiliter sanat. Beatiss. Dei Mater ei obitū prædicit.

ANNOTATIO.

Nondum in SS. Numerum relatus est, propediem tamen referendus: de eo nihilominus; vt in Fæsulana Diœcesi officium duplex recitaretur à Greg. xiij Pont. Maxim. concessum fuit.

Ianuarij die 15.

DE S. EPHYSIO MARTYRE CARALITANO.

Ephysius, siue Ephysus natione Syrus apud Antiochiam ex Patre Christiano, cui nomen erat Christophorus, & Alexandra matre natus, adolescens Diocletiano alienus à Christiana religione charus fuit; à quo in Italiam aduersus Christianos missus, voce ad eum de cœlo facta ad Christum in itinere conuertitur. Inde in Sardiniam contra Barbaricinos Montanos populos, qui ab Imperat. deficientes insulam excursionibus vexabant Dux proficiscitur; quos signo Crucis in vexillis delatæ, munitus mirabiliter victos profligauit. Calarim postea veniens eam Vrbem, cui S. Iuuenalis Episcopus præerat ab Idolorum cultu ad Christianam fidem perducere conatur; Quo tempore datis ad Imper. litteris sese Christianum profitetur, illumque ad eandem religionem amplexandam hortatur. Qui Iulio Sardiniæ Præsidi mandat, vt Ephysium modis omnibus ad Deorum cultum reuocet. Is itaq; Ephysium frustra, vt sententiam mutet, admonitum, fustibus mactari, ferreisque vngulis excarnificari, ac in carcerem conijci iubet, vbi ab Angelis inuisitur, & roboratur. Cū postea è carcere ad templum, vt Dijs imolaret duceretur, & Christo Domino preces fudisset, Idola omnia in terram corruentia, tanto Præsidem furore affecere, vt Insula excedens Flauiano prouinciam administrandam relinqueret; Qui Sanctum Mart. multis cruciatibus affecit: Nam illum primùm in ignem iniecit, deinde resina, pice, & oleo cōspersum in ardentem clibanum misit, ac tandem abijs nil lęsum apud Noram decollari præcepit xviij. Kal. Febr. *Ex vita per Marcum Presbyterum scripta, vt Ioannes Franc. Fara auctor est, ac ex monumentis Ecclesiæ Pisanæ, & ex Io. Maria Arca lib. de SS. Sardiniæ.*

Ephysius signo crucis in vexillis delatæ Barbaricos profligat. Ephysius ferreis vngulis excarnificatur, ac in carcerem coniectus ab Angelis inuisitur, & roboratur. Idola eius precibus corruunt. Dirissimis à Flauiano afficitur cruciatibus, ac tandem decollatur.

ANNO

ANNOTATIO.

S. Ephysius secundum quosdam natione grecus, secundū alios Syrus.

Mirum, quod in vita huius S. Mart. eum natione grecum fuisse legitur, cum tamē in eadem apud Antiochiam in Aelia (qua apud nullum auctorem reperitur, nisi ea sit Heliopolis) Ciuitate natum fuisse scriptum sit. Multa etiam M. S. qua vidimus continent inuerisimilia quapropter purgatione aliqua indigent.

DE S. SECVNDINA VIRGINE, & Martyre Anagnina.

S. Secundina quinque mēsibus carceri mancipatur. Ministri, voce de cœlo facta, ad fidē cōuertuntur. Secundina vestibus exuta in dirissimis cruciatibus ingenti per corpus splendore emicat, ac carnificibus imbecillitatē exprobrat. Lac ex eius corpore pro sanguine profluit. Angeli canētes eius animam in cœlum deducūt.

SEcundina Virgo Anagniæ, quo tempore S. Magnus Episcopus captus, & Martyrio affectus est, & ipsa Decio Imperat. ab eius satellitibus comprænhensa, carceri diutino mancipatur, ex quo post quinque menses educta cūm nec minis, nec promissis à Valeriano Præfecto à Christiana religione remoueri posset: primùm palmis cæditur; sed ministri voce de cœlo ad eos facta; *Vos oratione Secundina vicitis.* Ad Christū conuertuntur, ab eaque in carcere reducta instructi, deindè baptizati, ad xviij. Virgini abeundi potestatem fecerūt. Postera die ante Præsidem tracta, cum in sancto proposito constantissima reperiretur, vestibus exuta dirissimè cæditur, ingenti ex eius corpore splendore, quem carnifices, & milites adstātes ferre nō poterāt egrediēte, illaq. quò acrius cędebatur, eò forrior tortoribus imbecillitatē exprobrabat. Illud ēt mirabile cōtigisse fertur, quod pro sāguine ex eius corpore lacero lac profluit, & suauissimus odor exhalabat; quibus populus animaduersis, Virginē, vt pro ipsis intercederet ad Deū deprecabatur. Cūq. Virgo S. oraret, tonitruo ingenti facto, Spiritum Deo reddidit. Cuius animam Angeli *Veni sponsa Christi accipe coronam, quàm tibi Dominus præparauit in æternum*, cantantes in cœlum deduxerunt. Corpus verò à Christianis in vico Salapi nominato conditum, postea in Ciuitatem translatum est. *Ex vet. M.S. Ecclesia Anagnina.*

DE S. IO. CALYBITA ROM. CONFESSORE.

Ioan. Calybita duodenarius dicendi facultate, ac philosophia pręstat. Ioan. mirabili adeo enituit abstinentia, vt per diē non alio quā Eucharistiæ cibo reficeretur. Ioannes in paternā domū incognitus recipit.

IOannes cognomento Calybita Romæ. Eutropio, & Theodora nobilissimis parentibus ortus Leone Imp. in litterisque eruditus an. ætatis xij. agens in dicendi facultate, & philosophia præcelluit. Quo tempore cum Abbate Monasterij Acœmeti locutus, vitæ monasticæ desiderio incenditur, & cum eo ex peregrinatione Hierosolymitana reuerso conscensa naui, inscijs parentibus, nil secum præter librum Euangeliorum auro, & gemmis ornatum, ac pecuniam pro naulo à parentibus in sodalium conuiuium acceptam deferens in Monasterium prædictum nauigat. Vbi breui habitum monasticum indutus sic in Regulari disciplina profecit, vt omnes exemplo sui ad æmulationem prouocaret. Erat abstinentia admirabili, quodque mirandum est, diu non alio cibo, quàm sacra Eucharistia refectus. Verùm cum Dęmon ingens videndi parentes desiderium illi immisisset, ex ea tentatione tantam maciem, & squallorem contraxit, vt breui moriturus videretur. Cui Archimandrita id ex nimia abstinentia ei euenisse ratus, re intellecta, & cum fratribus communicata abeundi non sine omnium lachrymis potestatem fecit. Ioannes in itinere permutatis cum quodam egeno vestibus, sordidisque, ac laceris illius indutus, ad ædes paternas tandem peruenit: quas videns, lachrymisque obortis Christum genuflexus precatur, ne ab eius seruitio amore parentum abduceretur: Noctemque illam flendo, & orando, duxit insomnem. Mane egressus familiæ Præfectus illum abigere (ita pallor, tabes, macies, & vestes illæ laceræ eum omnibus exosum fecerant) voluit, sed miseratione,

precibusque

precibusque commotus intra atrium primum consistere permisit. Post hæc Ioan. Parentes aureis vestibus indutos egredientes videns, maximo dolore cordis tactus, ad orationem confugiens, internam sensit consolationem: Qua & lachrymas erumpentes cohibuit. & hostem triumphauit. Alia die egressa mater horrorem ex nimis illius aspectu squallido, non ferens inde abire iubet. Sed Præfectus exoratus ei tuguriolum in angulo extruxit. Pater verò ex quadam pietate ductus cibum illi constituit: quem tamen alijs egenis quotidie ieiunans distribuebat. Cum aliquandiu in assiduis orationibus, meditationibus, & vigilijs vixisset vitæq; terminus sibi à Christo Domino denuntiatus adesset, Præfectum orat, vt ad se Dominam vocet, ad quam nõnulla, quæ ei diceret, non ingrata habebat. Illa cum nollet propter fœditatem accedere, iterum rogata, & quod breui hominem moriturum intellexerat, ad eum venit. Cui Io. loco retributionis librum illum Euangeliorum tradidit, sibi prius, quòd non alio loco, nec alijs vestibus eum sepeliri faceret, iureiurando pollicitæ. Illa librum marito defert: Quo recognito vterque de Io. filio Dei virum interrogant. Quibus ille, ego, inquit, sum Io. filius vester. Illi verò in amplexus & oscula filij procumbentes ad multã horam multis ex vrbe ad id spectaculi confluentibus, maximam vim lachrymarum profundunt. Io. animam inter Parentum manus exhalante. Quem dum mater oblita iuramenti aureo vestitu induisset, statim paralysi corripitur; à qua tamen sanata est, eo suis vestibus rursus induto. Corpus in ipso Tuguriolo conditum est, Templo, cui parentes prædia amplissima attribuere, magnificentissimò super extructo. *Ex eius vita à Lipom. & Sur. tom. 1 ex Metaph. relata.*

Ioannes inter Parẽtum manus animã exhalans.

ANNOTATIO.

GRæci S. Ioannem Calybitam vocant, quod in Tugurio intra septa paterna Domus habitauit: Tugurium enim græce καλύβη *dicitur.*

Monasterium in quo habitum religiosum accepit Acœmeton hoc est peruigil, seu insomne (id enim apud Græcos Ἀκοίμητος *significat) vocabatur apud Constantinopolim, quod in eo noctuq; diuq; Monachi in orationibus, & diuinis laudibus occupati modico tempore dormientes excubarent.*

Sub quo Imp. vixerit non ita certum est, cum apud alios sub Theodosio, apud alios verò sub Leone illum vixisse legatur. Vtrunq; verum puto; vixisse, s. & sub Theodosio II. qui modico tempore imperauit, & sub Leone III. Iconomacho circa an. Domin. DCCXVII.

Ianuarij die 16.

DE S. MARCELLO PAPA, ET MARTYRE.

MArcellus Romanus ex regione Viæ latę Constantio, & Galerio vsque ad Maxentium Imp. post S. Marcellinum Pontificatum gessit. Hic multa decreuit Ecclesiæ vtilia. Vrbem in titulos 25. diuisit, quasi in Diœceses, seu Parœcias propter eos, qui baptizandi erant, cum multi in dies ad Christum in vrbe cõuerterentur. Duas scripsit Epistolas priorem ad Episcopos Antiochenæ Ecclesiæ, in qua Ecclesiam Romanam omnium aliarum Eccles. caput esse demonstrat, nullumq; concilium absque Romani Pontif. auctoritate celebrari posse: alteram ad Maxentium Tyrannum, quem, ne Ecclesiam persequi velit, monet: Esse enim (inquit) in manu Dei potestatem terræ, eumq; superborum, & iniquè agentium memoriam perdere, bonos verò, & humiles non derelinquere.

S. Marcellus Vrbem in 25. titulos, seu Parœciãs distribuit.

quere. Eius hortatu Priscilla nobilis Romana Cœmeterium ingens via salaria ædificauit. Lucina verò & ipsa nobilis Vidua, & diues bonorum suorum Ecclesiam instituit hæredem. Quibus cognitis Maxentius Lucinam extra Vrbem relegat, & Marcellum comprehensum, & ad se perductum hortatur, vt deposito Pontificatu finem faciat fidem Christi prædicandi. Quod cum Marcellus agere recusaret, illum in Cathabulum, in quo bestiæ publicè alebantur, vt illarum curam sustineret, mittit. Vbi aliquandiù moratus, haud tamen officium intermisit per litteras gerens, quæ præsens facere non poterat. Inde à Clericis noctu ereptus, domum B. Lucinæ Eccl. consecrauit quæ S. Marcelli nuncupatur, ibiq; munia Episcopalia obibat quoad Maxentius eò bestias cathabuli ductas à Marcello custodiri & curari præcepit. Quare S. Pontifex breui phedore confectus, cum annos quinque, menses sex & dies 21 præfuisset Eccl. creassetque mense Decembri Præsbyteros 25. Diaconos duos, & Episcopos per diuersa loca 21. obdormiuit in Domino, cuius corpus à B. Lucina aromatibus delibutum in Cœmeterio Priscillæ conditum est. *Ex Pontificali S. Damasi PP. Platina, & Breuiario Romano.*

Marcellus bestias in Cathabulo curat.

ANNOTATIO.

Discors scriptorum sententia de tempore Pontificatus S. Marcelli.

DE annorum numero, quibus S. Marcellus vixit in Pontificatu, non est eadem Scriptorum sententia; Nam alij quatuor tantum annis, alij quinque, alij quinque, & sex menses Pontificatum gessisse tradunt; diuersitas autem hæc ex diuersis supputationibus annorum Consulum, & Imp. nascitur, qua in re S. Damaso tanquam illorum temporum vicino magis credendum censeo. Baron. in Annal. ad an. Dom. 309. Marcellum sedisse annos 5. ex menses 2. minus dieb. 5. scribit.

DE S. TITIANO EPISCOPO OPITERGINO.

TItianus Herarcleæ, (quæ Venetiæ in ora maris Hadriaci sita erat) nobili genere natus, ac à prima ætate in litteris, & pietate educatus à S. Floriano primo Opitergij Episcopo Diaconus creatur, ac Opiterginæ Ecclesiæ Oeconomus, vt præcipuè pauperum curam gereret. Quo in munere summam apud omnes laudem consecutus est. Accidit autem, vt eo tempore S. Florianus pro nonnullis Ecclesiæ suæ grauibus negotijs ad aulam regiam se conferret. Sed ante discessum conuocatis omnibus causam suæ profectionis aperit, ac vt si intra annum ad eos non rediret sibi alium Pastorem eligerent, certò se ex hac vita migrasse scientes, dixit. Profectus itaque ad Regem, & si reuerti poterat ad Ecclesiam, martyrij tamen cupidus in alienam Prouinciam ad Euangelium prædicandum se recepit. Quare Opitergini anno transacto Episcopum suum obijsse rati, Titianum miro totius populi consensu in Episcopum sibi deligunt. Qui non multo post cum S. Florianum viuere accepisset, ad eum ocyus contendit. Cui Florianus obuians ita dixisse fertur, O Titiane Episcope venerande, cur gregem tibi commissum dereliquisti. Titianus verò ad eius pedes prouolutus respondit, ne Pater gregem tuum, oro dimittas, sed ad pristinam sedem reuertere, cum te viuente alius Præsul esse non possit. Verùm Florianus in proposito constans, & haud Titiani precibus commotus, illum ad suum Episcopatum redire iussit. Ipse autem Florianus per diuersa loca prædicando multosq; Christo lucrifaciendo, tandem sancto fine quieuit. Titianus Opitergium reuersus munus Episcopale sanctissimè prosequutus, & ipse ad extremum multis onu-

S. Titianus Opitergij Episcopus Flauiano nondum defuncto, deligitur.

stus

ſtus meritis, clarusq́; miraculis migrauit ad Chriſtum. *Ex antiquis Eccleſiæ Opitergina Monum. M.S.*

ANNOTATIO.

HVius S. Epiſcopi vita ad nos imperfecta tranſmiſſa eſt idcirco geſta illius, & miracula narrare minimè poſſumus. Sed neque S. Floriani Epiſcopi obitus diem ſcire potuimus.

Manca eſt huius S. vita.

DE S. HONORATO ABBATE FVNDANO.

HOnoratus Abbas fundanus in Samnio obſcuro loco natus (Pater enim erat agricola) ita à pueritia in Dei amorem exarſit, vt ne illum offenderet non ſolum à grauioribus, ſed etiam à leuibus peccatis abſtineret. Vt autem ætate paulatim ſic & virtutibus in dies magis creſcebat. Is cum à ſuis quadam die ad epulas inuitatus, nunquam, vt quicquam de conſueta abſtinentia remitteret, adduci potuit: (Carne enim perpetuò abſtinuit) cum autem à ſuis, quaſi piſces in montibus quæreret, irrideretur, dũ aqua deficiente eam ex fonte hauriunt ſimul & piſcem recens, & diuinitùs natum extrahunt, quo miraculo permoti Honoratum quamuis iuuenem reuereri cęperunt. Adulta ætate Abbas fundanus creatur, & CC. Monachorum Pater extitit. Quo in munere plura ſanctitatis ſigna ab eo ædita ſunt, in quibus ingens ſaxũ, quod caſu ſuo Monaſterio ruinam, ac Monachis interitum minabatur, ſigno crucis ne caderet, effecit. Ceſſit è vita 17. Kal. Febr. *Ex primo lib. cap. 1. dialogorum S. Gregorij Papæ.*

Honoratus miro in Deũ flagrat amore.

Piſcis ex fonte mirabiliter extrahitur.

Saxum in ruinam Monaſterij citò caſurum ſigno Crucis immobile reddit.

ANNOTATIO.

ALij de Honorato ad diem 17. Decembris agunt, fortè ob aliam eius eo die feſtiuitatem.

DE S. PRISCILLA MATRONA ROMANA.

PRiſcilla Matrona Nobilis Romana S. Pudẽtis Senatoris Mater, Sãctarumq; VV. Pudentianæ, & Praxedis auia Nerone Imp. vixit. Hæc inter cæteras virtutes eximia fuit charitate: Nam & Apoſtolos Petrum, & Paulum, quorum fuit diſcipula, Romam venientes hoſpitio accepit, & pauperibus aſſiduè eleemoſynas miniſtrabat. Quinetiam ſua omnia, & ſeipſam Martyrum obſequio mancipauit. Fertur etiam illud percelebre cæmiterium, quod de ſuo nomine Priſcillæ nominatum eſt, via ſalaria ſuis ſumptibus ędificaſſe, in quo tot Sanctorum Martyrum corpora condita ſunt. Eius memoria XVII. Kal. Febr. in Eccl. celebratur. *Ex Martyrolog. Romano, & ex Vita S. Pudentis, ac prædictarum VV.*

Priſcilla eximia præfulget charitate.

De alia S. PRISCILLA MATRONA ROMANA.

FVit & Priſcilla Matrona Romana Maxentio Imp. & Marcello Pont. quæ eiuſdem S. Marcelli Pont. hortatu Cœmiterium illud inſigne toties in Martyrolog. memoratum, quod in eo multorum SS Martyrum corpora ſepelirentur, ſuis impenſis via ſalaria extruendũ curaſſet. *Ex vita S. Marcelli Papæ, & Mar-*

Altera Priſcilla Romana.

fertur

fertur vitam S. Priscillæ S. Honoratum Episcopum Arelatensem scripsisse, vt auctor est Pet. Gales. in suo Martyrolog. hac die.

ANNOTATIO.

INcertum est de qua Priscilla Martyrolog. Rom. hac die mentionem faciat. Pet. Gales. loco præcitato de Priscilla, quæ tempore S. Marcelli Papæ vixit, & cœmiterium via salaria extruxit verba facit, non de illa, quæ hospitio accepit Apostolos. Antonius vero Gallonius, qui librum scripsit de Virginibus Romanis, Priscillam, cuius hodie meminit Martyrol. Rom. illam esse putat, quæ tempore Apostolorum vixit, quæque cœmiterium prædictũ ædificauit, ac Baronium in Annot. in Martyrolog. Romanum citat, qui ex actis SS. VV. Pudentianæ, & Praxedis à Pastore scriptis, Priscillamque cœmiterium supra dictum construxit, & de qua in Martyrolog. hac die fit mentio discipulam Apostolorum Matremque Pudentis esse adnotat. Quare Platina cum Pet. Gal quantum ad cœmeterium attinet hallucinatum fuisse videtur. Nisi dicamus secundam Priscillam illudmet cœmiterium processu temporis fortè collapsum restaurasse, sibique propterea, vt fieri solet, nomen quasi illud extruxerit, attributum; facile enim pia fœmina, vt quod ab alia Matrona eiusdem nominis ædificatum fuerat, illa reficeret, persuadere fuit.

Ambigitur qua de Priscilla agat Martyrol. Rom.

DE S. FELICE EPISCOPO TVBABOCENSI, Et Martyre Nolano.

FElix Tubabocensis Episc. in Africa Diocl. & Maxim. Imp. dum Eccl. suæ curam gereret apud Anolinum accusatur Christianæ religionis, eiq; sistitur, à quo quod nomen sibi esset interrogatus, libera voce respondit, se Christianum esse. Quapropter in carcerem coniectus inde post dies 12. eductus, nauigio vinctus imponitur, in quo dies 4. cum sine cibo prorsus fuisset, ac penè inedia confectus, ad Campaniæ littora appulit: ac inde vinculis rursus cõstrictus Nolam perducitur: ibique cum in fidei confessione stabilis permaneret à iudice capitalem sententiam accepit. Cuius corpus ibidem a Christianis conditum fuit. *Ex Pet. in Catal. SS lib. 2. cap. 85. et Pet. Gal. in suo Martyrol. hac die. Ac ex Paulo Regio lib. seu p. 2. de SS. Regni Neapolitani.*

Felix IV. dies ieiunus.

ANNOTATIO.

NOmen vrbis, cuius S. Felix Episcopus fuit, erratum existimo. Nulla enim vrbs eius nominis in Africa apud Strab. Ptol. Victorem Vticen. neque in lib. conciliorum legitur. Videtur autem legendum Tuburbicensis. Tuburbis enim vrbs in Africa à Ptol. lib. 4. & Plin. lib. 5. cap. 4. memoratur, & Op. Tuburbicen. licet Tuburnicense legatur apud Plin. loco memor.

DE S. VALERIO EPISCOPO SVRRENTINO.

VAlerius Surrenti in Picentibus natus, vbi primum ex pueris excessit, atq; humanis litteris instructus fuit, vt tranquillam vitam degeret, ac Deo, abiecta cæterarum rerum cura, inseruiret, in solitudinem se contulit, sibiq; ædiculam templo S. Renati adiunctam extruxit, in magna egestate vitam ducens. Ad quem multi fama sanctitatis adducti accurrebant, multaq; à Deo illius intercessione impetrabant. Quibus Surrentini permoti Valerio eorum precibus diu, & valde resistente Episcopatum deferunt. In quo ille cum exiguo tempore

Valerius sibi Ædiculam extruit.

vt vixisset adhuc iuuenis ad Dominum migrauit 17. Kal. Febr. ac in eadem ędicula, in qua ante Pontificatum vixit, sepultus est. *Ex vita illiud per Dauid Romanum conscripta.*

ANNOTATIO.

QVo tempore hic S. Episcopus vixerit non legi, & si enim illum post S. Renatum Eccl. Surrentinæ præfuisse certum est, non tamen an illi immediate successerit, sciri potuit. Illud non dubium est S. Valerium vnum ex quinq; Vrbis Surrentinæ Protectoribus esse.

DE S. LIBERATA VIRGINE PAPIENSI.

LIberata nobilis Virgo Ticinensis Soror S. Epiphanij Ep. fuit. Tres habuit Sorores itidem virgines, & sanctas, quarum Luminosa, & Honorata in Monast. ipsa verò, & speciosa, quæ sponsum habuit in propria Domo quasi in Cœnobio cœlibem, & Deo charam vitam in orationibus, & pijs operibus duxerunt. Cum Liberata ex hac vita decessisset, corpus illius in Eccl. quæ nunc S. Epiphanij nũcupatur apud corpus S. Speciosæ sororis conditum fuit. cuius memoria hac die in dicta Eccl. à Canonicis Regularibus recolitur. *Ex vita S. Epiphanij, & Sororum: & Eccl. prædicta tabulis.*

Liberata tres habet sorores Virgines, & Sanctas.

ANNOTATIO.

HVius S. Virg. Vita neq; M. S. neq; typis euulgata reperitur. Hac eadem Die Mantuæ S. Libera Virgo in propria Eccl. colitur, quam eandem cum ea, quæ Liberata dicitur in Martyrolog. Rom. colitur q; eius Natalis die 18. huius, esse putamus. Nam eadem, & Veronæ dicta die celebratur, Liberaq; loco Liberata appellatur.

DE S. IOANNA VIRGINE MONIALI CAMALDOLENSI apud Balneum in AEmilia.

IOanna ex pago agri Balneensis, qui Fons clausus appellatur orta, in Monasterium Monialium S. Luciæ inter Conuersas recepta obedientia maximè, & humilitate refulsit. Cuius Deus sanctitatem miraculis comprobauit. Cum enim illa diem obijsset, Tympana Ecclesiarum Balnei nullo pulsante sonabant, quo miraculo Clerus, & Populus Balneensis Commotus Corpus illius solemni pompa elatum in Ecclesia Maiori condidit, multis post mortem subsecutis miraculis. Cum enim Balneum peste maximè affligeretur, vbi B. Ioannę Sacellum Populus publico voto adstrictus extruere pollicitus fuisset illicò Lues illa cessauit. Extructo autem sacello, cum hac inscriptione D. IOANNAE OB PATRIAM A PESTE VENDICATAM. Illud non silentio inuoluẽdum. Quod cum quidam clam reliquiarum partem noctu abstulissent in suam ipsorũ patriam deferendam, cum per totam noctem incedentes longe à Balneo distare se arbitrarentur, mane se ad Balneensis Ecclesię Ianuam inuenere. Quare ea re perterriti crimen confessi, brachium, quod abstulerant, restituerunt. Obijt die 17. Kal. Februarij ann. post Christum natum 1105. *Ex Monum. Eccles. Balnen. De ea Aug. Floret. lib. 3. Hist. Camald.*

Patriam à Peste liberat.

Reliquias furati per totã noctem incedentes mane ad Ianuam Ecclesiæ deprehenduntur.

ANNOTATIO.

NOndum Collegio SS. Virginum adscripta est. Eius tamen natalis hac die Sedis Apostol. permissu celebratur, vt accepimus.

Ianuarij die 17.

DE SS. MONACHIS, ET CONFESSORIBVS ANTONIO, MERVLO, ET IOANNE ROMÆ.

ANtonius Monachus Romæ in Cœnobio S. Andreæ vnà cum S. Gregorio postcà Papa vixit. Quem idem quotidiè multas lachrymas emittentem, atque ad gaudia cęlestis patriæ anhelantem scribit. Qui cum sacra eloquia meditaretur, non in eis, vt inquit Gregorius, scientiam, sed fletum compunctionis inquirebat, vt mens eius excitata magis inardesceret, & ima deserens ad cœlum per contemplationem euolaret: cum illi in visu nocturno, *paratus esto, quia Dominus, iussit te migrare*: hisque respondisset, se non habere sumptum ad migrandum, protinus audiuit, *si de peccatis tuis agitur dimissa sunt*. Cum autem magno adhuc metu trepidaret, nocte alia eadem audiuit, ac post quinque dies febre correptus, cunctis fratribus orantibus, & flentibus migrauit. Merulus quoque in eodem Monasterio lachrymis, & eleemosynis vehementer erat intentus, assiduèque psallebat. Hic in visu coronam ex albis floribus in caput suum de cœlo descendentem vidit. Qui mox infirmatus magna animi alacritate decessit. Ex cuius sepulchro cum Petrus, qui Monasterio S. Gregorij præerat, sepulturã facere vellet post annos 14. mira, suauisq; fragrantia emanauit. Ioãnes in eodem Cœnobio magnæ in dolis adolescens humilitate, & grauitate præditus fuit. Cui ægrotanti senex quidam per somnium apparẽs, ac virga tangens dixit *Surge, ex hac enim molestia haud morieris sed paratus esto, quia non diù hic futurus es*. Qui licet à medicis desperatus esset, repentè sanatus est; atque biennio in Dei seruitio occupatus fuit. Cum autem quidam frater mortuus in eiusdem Monasterij Cœmiterio sepultus fuisset, ac cæteri fratres recessissent, Ioãnem qui remãserat de sepulchro vocauit, qui post 10. dies inuasus febribus obijt. *Ex lib. 4. cap. 47. Dialog. S. Greg. PP.*

Antonius sua peccata esse dimissa cęlitus audit.

Merulus Coronam videt.

Ioãnes ægrotans diuinitus sanatur.

Ioannes mortuum ad vitã reuocat.

ANNOTATIO.

NIhil de his apud alios scriptum reperitur, Quicunque enim de eis agit, à S. Greg. PP. loco memor. accipit.

DE S. SAVINO EPISCOPO PLACENTINO.

SAuinus, siue Sabinus, vti in Rom. Martyrolog. Patria Romanus, factus Eps Placentiæ virtutibus, & miraculis coruscauit. Multa in Episcopatu præclarè gessit, Corpus S. Antonini mart. eius vrbis tutelaris, quod diù obscuro loco latuerat, Dei monitu inuentum in Basilicam S. Victori Mart à S. Victore Epo dicatam magna populi frequentia detulit. Interfuit Cõcilio Niceno; deinde vnà cũ S. Ambrosio Mediolan. Epo Concilio Aquileiensi. Tanta fuit doctrina, vt S. Ambrosius sua scripta illi recognoscenda tradiderit. Fuit etiã insigniũ miraculorũ perpetrator: Nã inter alia, vt S. Greg. PP. in Dialog. scribit, cũ Diaconus S. Sauini Padũ alueum suũ egressum agros Eccl. occupare nuntiasset, Sanctusq; Eps respondisset, vade dic ei, *Sauinus Episcopus mandat tibi, vt ad proprium redeas alueũ*. Diaconus verò irridens exequi mãdatũ cõtempsisset: Accersito Notario pceptũ huiusmodi dictauit. *Sauinus seruus Domini nostri Iesu Christi Pado præcipio tibi in nomine Iesu Christi D.N. vt in locum tuum rediens, deinceps in hac loca non exeas, nec Eccles. terras lædere præsumas*; iussitque Notario vt præceptũ illud

D. Ambrosius sua scripta D. Sauino recognoscenda mittit.

Sauinus diuinus miraculorum Patrator.

Sauinus Pado præcipit, vt in suum redeat locũ.

illud Pado fluuio deferret, & in aquas eius projceret. Quo facto, mirabile dictu statim Padus in pristinum alueum se recepit, neque vnquam in ea loca Ecclesiæ reuersus est. Cum S. Sauinus Eccl. Placentinā annos 45. sanctißimè rexisset, suum Deo reddidit spiritum 3. Idus Decemb. Corpus eius in Ecclesia tūc SS. 12. Apostolis dicata, quæ postea *S. Sauini* dicta est, conditum fuit à *S. Mauro* Episcopo eius successore 16. Kal. Febr. Qua die eius solemnitas ab Eccl. Placentina celebratur. *Ex lectionibus Romæ approbatis, quæ Placentiæ in eius die festo leguntur; & ex libro 3. cap. 10. Dial. S. Greg. PP.*

ANNOTATIO.

QVod S. Sauinus Aquileiensi Concilio interfuerit in dubium reuocari minimè potest, cum id ex actis dicti Concilij, & Episc. subscriptionibus colligatur de Niceno dubitari potest cum illud anno sal. CCCXXV. ex Cronologia Eccl. celebratum sit, Aquileiense verò anno sal. CCCLXXXI. Ex quo cum inter dicta Concilia anni LVI. fluxerint: Sanctus verò Sauinus annos XLV. Eccl. Placentinæ præfuerit, illum Concilio Niceno non adfuisse manifestum est, nisi quis dicat Sauinum Iuuenem, et ante Episcopatum ei Concilio interfuisse, quod minus probabile est.

An. S. Sauin. Niceno Cōc. interfuisset iure ambigitur.

Ianuarij die 18.

DE S. PRISCA VIRGINE, ET MARTYRE ROMANA.

PRisca nobilißima Virgo Romana vix 13. annos nata apud Claudium Imp. Christianæ fidei accusatur, cuius iussu compræhensa, ductaq; ad Apollinis templum, cum ei sacrificare constanter recusaret alapis cæditur. Quo tempore cum Deo gratias ageret, lux ex alto illam circūnfulsit, & vox eam confortans exaudita est. In carcerem reducta sequenti die sistitur Imp. Cui ne frustrà in suadendo vt Deos coleret tempus contereret, cum Virgo libere dixisset, iratus Tyrannus illam vestibus exutam crudeliter cędi imperat: Cumque cæderetur ingens ex eius corpore, qui oculos intuentium perstringebat splendor exibat. Cum verò Tirannum tortoribus, vt acrius cæderent instantem irrideret, ille maiori ira exardescens eam adipe ferurenti perfundi iubet, ac in carcerem, vbi ab Angelis visitata est, reducit. Post triduum in amphytheatrum educitur à feris deuoranda; Sed ferocißimus Leo in illam immissus rapido cursu, vt ad Virginem peruenit, quasi feritatis oblitus ad eius pedes blandiens se proiecit. Qua nouitate commotus Imper. eam in carcerem magis tetrum recludi imperat, in quo cum triduo sine cibo fuisset, ad Tirānum denuo perducta, in equuleo extensa, ferreis vncinis toto corpore dilaniatur, ac in ardentem fornacem injcitur. Demum nil læsa ab igne extra vrbem capite abscisso illustre martyriū compleuit. Corpus eius à Christianis via Ostiensi decimo ab vrbe milliario sepelitur. Donec à *S. Eutichiano* Papa in vrbem relatum in Eccl. *SS.* Aquilę. & Priscillæ apud Arcum Romanum conditum est. *Ex Breu. Rom. & ex lib. Ant. Gallonij de SS. VV. Romanis.*

Lux D. Priscam circum fulget.

S. Virgo immanissimè cęditur.

Ferocißim. Leo blandiēs ad pedes Virgin. proiect.

In ardentem iniecta fornacem illæsa egreditur.

ANNOTATIO.

PAssa est ann. D. 271. Dionysio Pont. & Claudio Imp. Cuius corpus Romæ in propria Ecclesia cum corp. S. Aquilæ matris quiescit. ex Tab. illius Ecclesię.

DE SS. VIRGINIBVS LIBERATA, ET FAVSTINA COMI.

LIberata,& Faustina Sorores Virgines Ioannatis viri prępotentis, ac in Curtia Genesina inter Padum,& Apeninnum agri Placentini Arcem, in qua habitabat, dominantis filiæ, ab eo piè educatæ cum quadam die mulierem mortem viri sui insolabiliter dolentem,& flentem audissent, à carnali Matrimonio abstinere, seq; cœlesti, ac immortali sponso dicare decreuerunt. Quare inscio Patre, Marcello Præsbytero duce, pretiosiora quæq; muliebria secum deferentes Patriam relinquunt, Comumq; traiecto Pado triduò perueniunt. Ibi Oratorio apud portam Ciuitatis sub S.Mariæ Virg.titulo extructo (quod nunc S. Ambrosio dicatum est) assiduis orationibus, vigilijs, & ieiunijs aliquandiù Deo inseruiere. Sed ob populi frequentiam inde secedentes ad Cosiam fluuiolum haud procul ab vrbe Eccl.S.Ioanni Bap. dicata, cellulisq; cum multis Virginibus sacro velamine accepto ab Episcopo vitam sanctissimam sub arcta regula duxere. Quod vbi Pater resciuisset, eas ad se reducere, missis nuntijs, frustrà tamen conatur. Quare Ioannas filias vt in sancto proposito permanerent hortatus, multa ei Monasterio (quod nunc S. Margaritæ nuncupatur) empta donauit. Illæ verò multis vigilijs confectæ demum migrarunt ad sponsum. Faustina quidem natu minor 18.Kal.Febr. Liberata verò triduo post Sororem. Quarum corpora ibidem sepulta, postea in Basilicam maiorem in vrbem an. Sal.1317. translata sunt. *Ex Breuiario Comensi, antiquisq; eius Eccl. Monum. ac ex lect. quæ nuper approbata in Eccl. Placentina leguntur.*

Faustina, & Liberata sanctissimã sub arcta regula uitam ducũt.

A N N O T A T I O.

M*Artyrolog. Rom. solius Liberatæ meminit hac die. Sed Comi Placentiæ, & Veronæ simul hæ Virgines coluntur, nec immeritò cum vitam egerint indiuiduam. Liberata alicubi Libera uti Veronæ,& Mantuæ nominatur. Dilhiebon S. Liberatæ ad eius aram Veronæ.*

„ L*ibera Virgo Dei precibus, pietate benigna*
„ *Tu memor esto mei, liberans à morte maligna.*

DE SS. VIRGINIBVS, ET MARTYRIBVS ARCHELAA, Tecla,& Susanna apud Nolam.

ARchelaa, Tecla, & Susanna Virgines in persecutione Diocletiani, immanitatem Persecutorum fugientes, ex Emilia in Campaniam apud Nolam peruenere, vbi habitantes, infirmos, qui deferebantur ad eas orationibus sanabant. Illarum vestitus vilis erat, victus adeò tenuis, vt non Virgines, sed heremitæ in maxima vitæ austeritate ob maciem, & crines detonsos, viderentur. Quas Leontius Campaniæ præses fama ad eum perlata comprælienfas Saletnũ ad se perduci iubet. Cumq; Archelaa fidenter interrogata respondisset, quod Christum verum Deum cœli,& terræ Conditorem prædicaret, seq; non alium præter illum Dominum agnoscere; Deos autem, qui Imperatorum iussu coluntur, nec oculos, nec aures habere, neq; sibi, aut alijs prodesse posse: his dictis Præses ira inflãmatus, Leonibus, quibus datus cibus non erat, Archelaam obijci iubet: à quibus tamẽ illa nullũ passa detrimẽtũ, Leõtius iratior factus, Leonibus interfectis, Virgines in vincula,& in carcerẽ conijci imperat. Postera die Præses Archelaã sibi præsentatã hortatur, vt Deos colat, multa illi pollicitus. sin minus cruciatus

SS. VV. orationibus infirmos sanãt

Archelaæ nil à Leone molestiæ patitur.

cruciatus,& necem illi minatur, ac virginem demum promissa, & minas illius contemnentem in Sartaginem oleo,& pice fetuērem immissam, pectinibus ferreis dilaniari præcipit; Quibus in tormentis vox de cœlo illam confortans, & auxilium pollicens, auditur. Leontius verò cum virginem illæsam vidisset, ministris, vt ingens saxum, quo illa contereretur, mandat admoueri: Sed Virgo indè saxo ab Angelo remoto, liberatur. Demùm Leontius, cū adstantes Deū, quem Archelaa prædicabat, verum,& solum acclamantes audisset, Sacras Virgines Lictoribus occidendas tradit. Quæ extra Nolam ductæ ad milliarium capitis amputatione martyrium compleuerunt. circa an. sal. 293. Quarum corpora nunc Salerni in Eccl. S. Georgij asseruantur. *Ex antiq. M. S. in lectiones 12. distincto, ac ex primo lib. Pauli Regij de SS. Regni Neapolitani.*

Archelaa crudelissimè exagitatur. Eadem voce de cœlo confortatur. A Saxo, quo conterenda erat, ab Angelo liberatur.

ANNOTATIO.

IN memorato M.S. has Virgines ex Vrbe Roma, vel ex partibus Romandiolæ in campaniam refugisse legitur. Quæ in re censura videntur egere.

DE SANCTO FACIO CONFESSORE VERONENSI CREMONAE.

FAcius Veronæ natus post persecutiones, quas in Patria 30. annorum spatio sustinuit, indè abiens Cremonam circa an. sal. 1226. venit, vbi aurificis artem exercens quidquid lucrabatur in Ecclesias,& pauperes erogabat. Qua eius cognita bonitate à ciuibus eleemosynis ab Vrbe pauperibus, & ægrotis fieri consuetis, præficitur. In Patriam vt inimicis reconciliaretur reuersus, ab ijs Scaligeris, qui Veronæ, dominio potiebantur per calumniam delatus, carceri mancipatur. Vbi cum multos ægrotos, qui cognita viri sanctitate ad eum deferebantur (in quibus infans nobilis fœminæ, qui dies octo cum fine lacte, & cibo fuisset, animam agebat,& mulier 18. annos à Dæmone obsessa fuere) liberasset, liber vna cum alijs captiuis, intercedentibus Cremonensibus, qui auxilio Veronensibus in bello venerant, dimissis; Cremonam redijt, vbi Oratorio extructo, societatem virorum, qui infirmos,& carceratos visitarēt, nudos vestirent, famelicos pascerent, & alia pietatis opera exercerent, instituit; qui ordo Spiritus Sancti fuit appellatus. Quod si aliquando artem exercere vacabat: res tantum sacras, & eis fine mercede operabatur. Multus erat in oratione, frequens Ecclesias visitabat; multas suscepit peregrinationes; Romam, & in Hispanias ad D. Iacobi Apostoli corpus visendum peregrinatus. Opera quædam ex argento, quæ adhuc monstrantur Ecclesiæ Cathedrali dono dedit, in quibus Calix est, qui rebus pretiosioribus ab igne in Sacrario accenso consumptis, diminutus seruatus est, & quòd magis mirandum, in Ecclesia ad altare B. M. V. repertus fuit in columis. Vocatus ad nobilem quendam, qui à medicis desperata salute relictus, iamq; sumptis Sacramentis animam redditurus erat, illi sanitatem si ad S. Iacobum voueret se iturum prædixit: Qui facto voto statim è lectulo omnibus stupentibus surrexit. Quem etiam ad soluendum votum comitatus in patriam multis terra, & mari periculis superatis reduxit. Illum Episcopus Cremonensis tot signis, & virtutibus adductus Monasteriorum Mulierum, virorumq; Visitatorem instituit generalem. Qui tandem tot laboribus persunctus febri correptus, sacrisque munitus animam Deo reddidit an. sal. 1272. corpus quod multis miraculis

Miracula duo S. Facij Veronæ perpetrata. Infans dies octo fine lacte animam agens sanatur. Mulier obsessa liberatur.

S. Facius in Hispanias ad S. Iacobi Apostoli corpus visendū peregrinatur. Salutem nobili à Medicis desperatā restituit.

miraculis claruit ab vniuerso Clero, & populo honorificè sepultum est. *Ex vita ipsius Cremonæ edita an. 1604. ac ex libro de SS. Eccl. Veronensis.*

ANNOTATIO.

De S. Facio officium celebrant Ecclesiæ Cremon. & Veronensis

Nondum in Sanctos relatus est, cognita tamen eius Sanctitate, vt de eo officium Ecclesiasticum recitetur Ecclesiæ Cremonensi, & Veronensi ab Apostolica Sede concessum fuit. cum in Tab. Ecclesiæ Cremonen. relatus fuerit.

Ianuarij die 19.

DE SS. MARTIRIBVS MARIO, MARTHA, AVDIFACE, ET ABACHVM ROMAE.

Marius, & Martha Persæ coniuges Nobiles cum Audiface, & Abachum filijs ex Perside Romam, vt Sacra loca, & sepulchra Christianorum venerarentur Claudio Imp. venere; vbi Martyrũ corpora sepeliebant, Christianos in carcerem coniectos, & egenos suis facultatibus sustentabant, & alia pietatis opera exercebant. Quibus cognitis Claudius Imper. Musiano vrbis Præfecto mandat, vt SS. Viros compræhensos omni tormentorum genere nisi Dijs immolarent discruciet. Sed illi nunquam à Christi fide neque minis, neque pollicitationibus abduci potuerunt. Quapropter primùm fustibus cæsi deinde in equuleo torti, tùm candentibus laminis adusti, vnguibus ferreis excarnificantur. Quibus incruciatibus omnes vno ore Deo canebant. Iratus Præfectus quasi sua tormenta despicerent, postremò illos per medium Vrbis abscissis manibus, & ad collum alligatis duci, & extra Vrbem 13. milliario necari iubet: ac primũ Marthæ, quæ virum, & filios ad Martyrium pro Iesu Christi fide fortiter subeundum hortabatur, mox cæteris in eadem arenaria ceruices abscinduntur. Quorum corpora in ignem coniecta, ac seminusta, Felicitas Matrona Romana nobilis, collecta in suo prædio sepeliuit. *Ex Breuiario Romano.*

SS. Martyres Pietatis opera exhibent.

Varijs afficiuntur cruciatibus.

ANNOTATIO.

Corpora SS. Marij & Marthæ in æde S. Adriani Mart. Romæ asseruari feruntur ex Tab. illius Eccles. & libris de stat. & Eccles. vrbis Romæ.

DE S. PONTIANO MARTIRE SPOLETANO.

Pontianus Nobilis adolescens, & ciuis Spoletanus in Christiana fide eruditus & Fabiano Iudici Antonino Imp. delatus, varijs modis, vt Christo renuntiaret, ab eodem Iudice tentatur, qui vbi blanditijs nil obtinet, Sanctum Iuuenem virgis ferreis cædi iubet, quoad toto corpore sanguis deflueret, ac Dijs nullo pacto sacrificare volentem, super carbones ardentes incedere cogit. Cum autem eis Pontianus diceret, *Ecce securus in nomine Dei mei super prunas incedo tu mitte in aquam feruentem manum, & proba vtrum te tuus Iupiter liberare possit*: Ad maiorem iracundiam Iudex prouocatus Corpus Pontiani in equuleo extensum ferreis vncinis præcipit dilaniari, sed illis fractis Tortoribusq; deficientibus in obscurum carcerem, vbi angelica visitatione roboratur, detruditur. Iterumq; Fabiano præsentatur, qui frustra illum vt Principum decretis pareret, hortatus, leonibus deuorandum obijcit. Cum autem feræ Populo spectante martyri blandirentur. Fabianus furore percitus in carcerem Pontianum

Inclyta S. Iuuenis Pontiani in tormentis perferendis constantia.

Feræ S. Martyri blandiũtur.

tianum iterum reductum per dies 12. continuos inedia affligit. Cum verò Ministri carcerem ingressi Pontianum viuum, & Deo canentem inuenissent, Iudex illum plumbo liquefacto perfundi, & in lecto ferreo subiecto igne extédi imperat. Ac vbi se nihil proficere, & Pontianum ab igne nihil lædi videt, ductum extra Vrbem ad Pontem sanguinariũ capite plecti iubet. Corpus à Christianis ibidem, vbi postea Basilica eius nomini dicata fuit, sepelitur. *Ex Monum. Ecclesiæ Spoletinæ M.S. & ex Martyrol. Adonis, & aliorum.*

S. Pontianus 12. dierũ inediã patitur. Cruciatus illi innouãtur donec capite plectatur.

ANNOTATIO.

BAron. in Annal. Pontianum sub Antonino an. D. 154. coronatum scribit & infra ad an. 175. sub M. Aur. eius quod supra scripserat oblitus, eundem cũ Concordio passum adnotat.

DE S. BASSIANO EPISCOPO LAVDENSI.

BAssianus Syracusis in Sicilia nobili genere natus, à Sergio Patre Romam studiorum causa missus literis operam dedit Gordiano Præsbytero institutore, à quo in Christiana Religione eruditus, baptizatur. Quod vbi Pater, à Christi fide alienus, resciuisset, filium à suscepta religione abducere conatur: sed ille diuino monitu Rauennã se contulit, apud quam mira res cõtigit. Cerua enim, vt ferunt, Venatoribus illam insequentibus iuxta Phycoclen Vrbem (quæ postea Cernia dicta est) ad Bassianum confugit, cum verò vnus Venatorum Ceruam per vim à S. Viro abstrahere conaretur, à Dæmone arreptus animam agebat, nisi Basſianus illum sua oratione liberasset. Rauennæ aliquandiu demoratus multa ad Iesu Christi laudem mirabilia gessit, interquæ illud non prætereũdum videtur, quod cum Imperator Bythimnium Iudicem maiestatis læsæ per calumniam delatum decollari iussisset, Basſiani oratione, cui se is cõmãdarat, effectum est, vt securis lictori ter percutere conanti, semper in terram decideret, sicq; mortem euaderet. Rauenna Laudem venit, cuius Vrbis ob famam sanctitatis factus Eps, munus sãctissimè administrauit multis clarus miraculis, Interfuit Cõcilio Aquileiensi vna cum S. Ambrosio, & alijs SS. Episcopis Italiæ. Mediolanum vocatus ad S. Ambrosium ægrotantem, certam diem, qua ex hac vita migraturus erat, Clericis prædixit, & defuncto iusta persoluit. Domum reuersus cum Ecclesiam Laudensem plures annos summa cum laude rexisset, nonagenarius obdormiuit in Christo in sua Eccl. sepultus. Quem Laudenses vti præcipuum Patronum venerantur. *Ex Monum. Eccl. Laudensis, ex Breuiario Mediolanen. Mombritio, & alijs.*

Mira res de Cerua ad S. Basſianum confugiente. Phycoclis olim dicebatur vrbs Ceruia flaminiæ. S. Basſianus Bythimnium Iudicẽ morti traditũ sua oratione liberat. Episcopus Laudensis creatur. D. Ambrosio ægrotanti extremam diẽ prædicit.

ANNOTATIO.

PEt. in Cat. lib. 2. c. 101. plura S. Bassiani præter narrata miracula recenset de paralitico, & muto [illegible] curatis, de puero à serpente occiso suscitato, deq; puella a Dæmone obsessa liberata. Obijt Honorio, & Theodosio Iuniore Imperantibus.

DE S. LEVCIO MARTYRE TVDERTINO.

SAncti Leucij Martyris memoria Tuderti peruetusta est: nam in summo vrbis Tudertinæ fastigio templum suo nomini dicatum, cũ Cœnobio fratrũ Prædicatorum, in quo Corpus illius piè asseruabatur, magnamq; habebat

apud Ciuitatem venerationem,extitisse ferant. Cuius reliquiæ ad exiguitatem redactæ,in nouum dicti Ordinis Monasterium,cui S.Mariæ titulus est, translatæ,singulis annis in Dominica in Albis,solemni apparatu, extractæ populo Tudertino monstrantur. Cuius S.Martyris memoriam quasi extinctam renouauit,& in Kalendarium Tudertinæ Eccl. vnà cum cæteris eius vrbis Patronis,Angelus Cæsius Episcopus adscripsit. Cæterùm gesta huius Martyris vnà cum tempore,& genere martirij iniuria temporum dispeciere. *Ex lectionibus dicta Eccl. Roma Clem. VIII. Pont. Max. approbatis.*

Angelus Cæsius Episcopus Tudertinus.

ANNOTATIO.

HVius S. Mart. nulla extat in Martyrol. Rom. neque apud alios scriptores memoria quæ solummodo Tuderti viget.

DE S. CATELLO EPISCOPO STABIENSI.

CAtellus Episcopus Stabien. Sabiniano, & Bonifacio Summ. Pontificibus eximia sanctitate vixit. Hic Sancti Antonini,qui apud Surrentinos colitur amicissimus fuit,& cum illo Stabijs aliquandiù vitam degit.Cum verò Antoninus solitudinis desiderio in mōtem excelsum inter Stabias, & Surrētum secessisset,Catellus ne tanto sodali priuaretur,eò profectus,& ipse solitariam vitam egit;& in Sancti Michaelis Archāgeli,qui illis apparuerat, & ad inchoata vita perseuerandum hortatus fuerat, honorem sacello extructo in eo sacra Deo facientes inseruiebant. Quo tempore Catellus apud Sabinianum Papam quòd Eccl. suam deseruisset, in montibusq; & Pastorum caulis sacra faceret accusatur,& cōprehensus,Romamq; perductus carceri,in quo diù vsq; ad Bonifacium Pont. mansit,mancipatus fuit, Antonino non minus ex eare, quam ipse Catellus afflicto; tametsi diuus Michael eum bono animo esse iubebat. Cum autem Sabinianus debitum vniuersæ carnis persoluisset, Bonifatiusq, cui Catellus Pōtificatum prædixerat Sabiniano successisset,eiq; Antoninus per visum nocturnum apparens Catelli causam ad memoriam reuocasset, illum carcere eductum,ac donis multis ornatum in suam Sedem restituit.Catellus itaq; Stabias reuersus Antoninum obuium,& in eius amplexus accurentem habuit. Cuius cōsuetudine exiguo tempore vsus(Antoninus enim à Surrentinis, apud quos eiusdem ordinis Cœnobium erat instantissimè postulatus ab eo discessit) non multo post 19.Kal.Feb in cœlos euolauit. Cuius corpus Stabijs sepultū, nunc Castello Maris Stabiensi, quod Stabijs euersis successit,reconditum colitur. *Ex vita S. Antonini Abbatis per Paulum Regium Ep. Equens. lib. 1. de SS. Regni Neapol.& per Dauid Romaum in libro de Sanctis Surrentinæ Ciuitatis Protectoribus.*

S.Michael Arcāgelus Diuū solatur Catellum.

ANNOTATIO.

VIta per prædictos auctores scripta in nonnullis correctione indiget præsertim in eo quod Sanctum Catellum à S.Bonifacio Papa suæ sedi restitutum inquiunt, & tamen ad eandem solitudinem rediisse: Neq; enim probabile est Sanctum Pontificem aduersus Sacros Canones Ep. suæ sedi restituisse,qui relicta Ecclesia in solitudine degeret: Nisi quis dicat S.Catellum à Bonifacio carcere eductum optionem ad Episcopatum redeundi vel eo dimisso in solitudinem repetendi habuisse.

DE

DE S. AMMONIO EPISCOPO DERTHONENSI.

AMmonius Eccl. Derthonensi præfuit, eamq; ea sanctitatis laude administrauit, vt defunctus in numero Sanctorum habitus fuerit. Acta illius non extant, neque quotus Episcopus fuerit certò scitur. Eius tamen memoria duplici ritu ab Ecclesi. Derthonensi celebratur. Ac eius reliquiæ, quæ in Cathedrali Eccl. asseruantur in eius die festo populo Derthonensi, qui illas veneratur, exponuntur. *Ex Tabulis, & Monum. Eccl. Derthonensis.*

ANNOTATIO.

IN Episcopatu Derthonen. extat Epp. Derthonensi. Series in pariete ipsius Episcopi depicta; Sed in aliquibus potius coniectura, quam certis monumentis vsi videntur.

DE S. ABVNDANTIA VIRGINE SPOLETANA.

ABundantia Spoleti Experio, & Sigismunda nobilibus parentibus, qui eã à Deo precibus impetrarunt, Carolo Magno Imper. orta est. Cuius sanctitas summa in ipsa infantia declarata fertur. Nam dum sacro lauacro regenerare-tur Ecclesię lampades sponte accensas, & campanas pulsatas vltrò esse tradunt. Ferunt etiam illam mox natam mulierem quandam adulterij falsò accusatam diuinitus locutam, ab infamia, & morte liberasse. Octennis vt in eius gestis legitur Ecclesi. ingressa ante Imaginem B. M puerum Iesum gestantis, cum ab eo pomum aureum, quod in eius manibus pictum erat petijsset, (mirabile dictu) puer manu extensa pomum illi porrigit. quæ Domum profecta flores tempore hyemali exorto ex cerptos redonauit. Adolescẽtula adhuc Maiolo Abbati traditur instituenda, cum quo postea, & matre annum 22. agens Hierosolymam pergit, vbi locis omnibus Sanctis deuotissimè inuisis, mysterijsq; per hebdomadam maiorem peractis, maximam vim lachrymarum in eo loco, in quo Beata Virgo filium Crucem baiulantem obuiam habuit, profudit; ac detractis vestibus cilicio, quo matre inscia vtebatur, & vncinis ferreis adeò seipsam diuerberauit, vt sanguis toto corpore, more riuuli difflueret. Quod videns mater tanto dolore perculsa est, quòd filiam mortuam crederet, vt animam illicò exhalarit. Abundantia inde per loca solitaria Angelo Duce pergens, ad speluncam Beati Honufrij, in qua sola quinquennio delituit. Experius autem filiæ desiderio, flagrans Hierosolymam venit, Maiolumq; ob amissam filiam sibi creditam tristem adit, à quo cum filiam vitam Heremiticam agere didicisset, ad eam inquirendam se accingit, & tandem inuentam in Patriam reuexit. Abundantia autem Patre defuncto patrimonium alendis pauperibus, & virginibus maritandis consumpsit: ac templo D. Gregorio Martyri exædificato obdormiuit in Domino. Campanis sponte sonantibus, & Angelis Deo laudes canentibus. ad cuius corpus infirmi plures delati sanitatem pristinam recuperarunt. *Ex vita eius M. S. quæ in Ecclesia Spoletina in festo huius Virginis in aliquot lectiones distributa legi consueuerat. Quæ cum nonnulla inuerisimilia contineat Piorum, & Doctorum hominum censura indiget.*

Miracula vel in ipsa Sanctæ Abundãtiæ Infantia effecta.

S. Abundantia octennis Pomum aureum à Pucio Iesu accipit eique flores hyeme redonat.

Hierosolymam cũ matre peregrinatur.

Corpus ad mortem macerat.

Ad Speluncam B. Honufrij Angelo duce profecta, ibi per quinquenniũ latitat.

Abundantia defuncta, cãpanæ vltrò sonantes, ac Angeli canẽtes audiũtur.

Vita huius Sanctæ Piorũ virorum censura indiget.

Eius

ANNOTATIO.

EIus Corpus in Eccl. Cathedrali piè asseruatur. Habetque hac die apud Spoletanos non mediocrem venerationem.

Ianuarij die 20.

DE S. FABIANO PAPA, ET MARTYRE.

FAbianus Romanus post Sanctum Antherum, Gordiano, & Philippo Imp. vsque ad Decium Pontificatum gessit. Cuius electionem ità factam narrãt: Cum is ex agro cum amicis suis in vrbem reuerteretur, & Christiani pro eligẽdo Pontifice conuenissent in vnum locum, in electioneq́, alio alium nominante dissiderent: Statim vt in eum locum ingressus fuit rei exitum sciendi cupidus, cœlitus columba super ipsum delapsa Pontifex ab omnibus acclamatur. Electus itaque regiones septem Diaconis, qui curam haberent pauperum diuisit. Septem quoque Subdiaconos, qui res gestas Martyrum à septẽ Notarijs scriptas colligerent, creauit. Statuit, vt quot annis feria 5. in cœna Domini vetere combusto crisma innouaretur. Noua ædificia in Cœmeterijs extruxit. Tres scripsit epistolas, vnam omnibus Eccl ministris communem, in qua de septem Diaconorum, & Subdiaconorum institutione loquitur: alteram ad orientales Episcopos in qua de Crismate renouando verba facit. Tertiam ad Hilarium Episcopum, in qua viles personas ad accusandos Sacerdotes non admittendas esse decernit. Pęnam Talionis renouat, & appellationem Episcopi ad Apostolicam Sedem deferendam esse constituit. Hæresim Nouati, Apostatas quantumlibet pęnitentes ab Ecclesia recipiendos non esse contendentis, ab eo in Africa disseminatam sexaginta Episcoporum totidemq́; Presbyterorum, & aliquot Diaconorum Concilio coacto extinxit. Fecit ordinationes quinq; mense Decembri, quibus Presbyteros 22. Diaconos 7. Episcopos 11. creauit. Deniq; in persecutione Decij Martyrio coronatus in Cœmiterio Callisti via Appia sepelitur. Cum annos 15. dies 4. præfuisset. *Ex Breu. Rom. ex Damaso in Pontificali, Platina, & alijs.*

Fabianus columba cęlitus demissa, Pontifex acclamatur.

Laudabilia, ac sancta sancit.

Tres salutares Epistolas scribit.

Quandã Nouati Hæresim extinguit

ANNOTATIO.

ELectionis modum supramemoratum alij circa S. Zephyrinum, non circa Fabianum contigisse ferunt, vt Euseb. lib. 6. Hist. Eccl. c. 21. scribit.

Quantum ad tempus huius Pontificis attinet, dubium occurit ex eo, quod Eusebius lib. citato Gordianum, sub quo Fabianus Pontificatum capit, Imperium per sex annos administrasse, & post eum Philippum vnà cum Philippo filio septem annos, cui Decius biennio successit, tenuisse scribit. Ex quo cum Gordianus ante Fabianum Papam esset Imperator atq; Fabianus initio imperij ipsius Decij interfectus fuerit (etenim etiam Cornelius Fabiani successor ab eodem Decio exilio damnatus est) per tantum temporis spatium Fabianum Pontificatũ gessisse haud colligi videtur. Quæ dubitatio etiam contra Platinam non integros quindecim annos vnà cum Damaso tribuentem insurgit, cum Philippum quinq; tantum annos imperium tenuisse scribat. Quare in re vel Impp. Cronologiam claudicare, vel minus Fabianum præfuisse dicendum est. Quamuis ob Eccl. reuerentiam hoc posterius minus asserendum sit. Baron in Annal. Fabianum Pontif. creatum an. D. 239. sub Maximino, & an. 15. Pont. sub Decio martyrio coronatum scribit.

Dubium de pręfata electione.

Ambigitur de tempore huius Pontificis.

DE

DE S. SEBASTIANO MARTYRE.

SEbastianus Patre Narbonensi, matre verò Mediolanensi natus, Mediolani liberalibus disciplinis excultus; Adolescens Christianam clàm colens Religionem Romam proficiscitur: Vbi ob generis nobilitatem, & virtutem Diocletiano Imp. carus Dux primæ cohortis creatur. Sed cum Christianos opera, & facultatibus foueret, & tormentorum acerbitatem formidantes cohortatione sua confirmaret in quibus Marcum, & Marcellianum nobiles Romanos in carcere apud Nicostratū. (cuius vxoris Zoæ vocem quam amiserat Sebastianus restituit) detentos, vxorum lamentis emollitos sic ad martyrium sua oratione publicè accendit, vt mortem subire pro Christo non dubitarint, quæ cum Diocletianus resciuisset, Sebastianum ad se accersitum vehementer obiurgat, & omnibus artificijs à Christi fide auertere conatur. Verum cū nihil neque pollicitationibus, neque terroribus obtineret, iratus illum ad palum alligatum sagittis configi iubet, quoad omnium opinione mortuus videretur. Quem, cum Irenæ Sancta mulier sepeliendi gratia auferri iussisset, repertum viuum Domi suæ curauit. Sebastianus itaque Paulo post confirmata valetudine Diocletiano obuiam fit, eiusq; impietatem liberius accusat. Imperator primum aspectu illius, quem mortuum credebat obstupefcēs; deinde rei nouitate, & acri S. Martyris reprehensione ira exardescens, illum tandiu virgis cædi imperat, donec animam Efflaret eius corpus in cloacam proiectum iuxta Circum à Beata Lucina in somnis admonita (illi enim S. Sebastianus apparens vbi esset, & quo loco humari vellet, indicauit) ad Catacumbas, vbi postea insignis Basilica S. Sebastiani nomine ædificata est (Ex septem, quæ visitari a Peregrinis solent, vna) à seruis adiuta noctu sepeliuit. *Ex Breuiario Rom. ac ex Passione a septem notarys scripta. Quam Surius tom. 1. prolixè admodum refert.*

Sebastianus nobilis, atq; ideò Diocl. carus Dux primæ cohortis creatur.

Sebast. telis configitur.

Diocl. impietatis obiurgat.

S. Sebastiani Ecclesia vna ex septem est.

ANNOTATIO.

QVo an. S. Sebiastianus passus sit ex actis, quæ à Laur. Sur. tom. 1. recitantur non apparet. Auctor Floris SS. illum an. D. 301. passum asserit, nescio quo authore. Probabilius verò esse videtur, vt an. D. 282. ante persecutionem in Christianos edicto vbiqua excitatam, coronatus sit. vt Baron in Annal. ad tum an. scribit. Nam passus est Caio Pont. Max. adhuc viuente, vt eius acta declarant. Nec refert quod an. D. 302. persecutio excitata sit. Siquidem Diocl. antea Romæ persecutionem, & edicto excitarat, non tamen vniuersalem sicuti an. 302.

Ianuarij die 21.

DE S. AGNETE VIRGINE, ET MART. ROMANA.

AGnes Virgo Romana eximia specie, sed animi dotibus magis clara, annos 13. nata; cum Domum rediret ab vrbis Præfecti filio visa vehementer adamari cœpit. Qui virginem, vt sibi nubere velit promissionibus, & muneribus tentat. Verùm cum Agnes omnia despiceret, seq; nobiliori sponso desponsatam diceret, ea repulsa furens Præfecti filius rem ad Simphronium Patrem defert; Qui Virginem ad se accersitam primum blanditijs, deinde minis de sententia colendæ fidei Christianæ, & castitatis deducere conatur: At vbi nihil obtinet, virilem constantiam in tenera ætate vehementer admirans, Parentes vocat, & vt Agnetem de ea mente abducant, hortatur, ne cōtra eam, quod Christiana

ftiana esset contra Impp. decreta, quæstionem instituere cogeretur. Agnes itaq; in sententia persistens sequenti in Iudicium sistitur. Vbi cum rursus filij Præfecti nuptias negligeret, vt inter Virgines Vestales vitā degeret, decretum est: Sed Virgo se nolle veste hunc honorē habere, cōstanter respōdit. Cū Symphronius alterum horum inquit elige, aut Deæ Vestæ sacrifica, aut Lupanar ingredere; cui Agnes: Si Dei mei virtutem probè cognitam haberes, haud verba tàm profana proferres. Nec minas istas tuas timeo, cum Angelum mihi custodem Deus meus adhibuerit. Quibus verbis incensus Symphronius Virginem spoliari, & ad Lupanar duci iubet. Vbi Virgo Angelum inuenit, locum splendore illustrantem, & veste cælitus delapsa operitur. Filius autem Præfecti eò vt Virginem violaret ingressus, statim mortuus concidit: Sed Agnetis præcibus ad vitam reuocatus exiens voce magna Christum Iesum vnicum, & verū Deum, Deorum verò Templa esse Dæmonum domicilia exclamans publicè confitebatur, quare Symphronius qui Virginem libenter absoluisset, Pontificum calumniam veritus, causam Aspasio Vicario desit. Qui Agnetem, tanquam magicarū cantionum ream, in ignem maximè accensum inijci imperat: Sed flamma in duos diuisa adstantes Gentiles Agnete illæsa, combussit, immisso autem lictore Sancta Virgo gladio martyrium compleuit. Cuius Corpus in prædio suo via Nomentana sepultum est cumq; ad eius tumulum ingens fidelium turba confluceret, a Paganis expellitur. In quibus Emerentiana Virgo, quæ constanter hostes fidei reprehenderat ab illis lapidibus obruta in cælum euolauit. *Ex Martyrologijs antiquis, ac ex libro S. Amb. Episc. de Virginibus, qui eius passionem pluribus descripsit. A Lipom. & Surio Tom. 1. relata*

Virgo Agnes ad Lupanar ducta veste cœlitus delapsa obtegitur, ac iuuenis eam violaturus mortuus cōcidit B. Agnetis precibus reuixit. Ignis Agnetē non tangit; verum adstātes Gentiles comburit. Ad corpus S. Agnetis virgo Emerētiana lapidibus obruta in cœlum euolat. Sub Diocletiano, & Maximiano Imper. martyrio coronatur.

ANNOTATIO.

Mirum, quod, cum tam multi grauissimi scriptores de S. Agnete egerint (nam non solum S. Ambrosius sed & SS. Aug. Hier. Prudentius. Fortunatus, Gregorius Magnus, & alij illius meminere) nullus tamen quo tempore seu sub quo Imperatore martyrium passa sit, expressit. Sed ex verbis S. Hier. in Epist. ad Demetriadem in qua Agnetem in vltima persecutione passam scribit sub Diocletiano, & Maximiano quibus defunctis, vel Imperio abdicatis pax Ecclesiæ reddita est, coronatam, conijcere possumus.

Agonem huius Virginis præclare Prud. describit in Peristeph. de qua inter alia sic.

, *Duplex corona est præstita martyri*
, *In tactum ab omni crimine virginal,*
, *Mortis deinde gloria liberæ.*
, *Aiunt iugali vix habilem thoro*
, *Primis in annis forte puellulam*
, *Christo calentem fortiter impijs*
, *Iussis renisam, quominus Idolis*
, *Addicta sacra desereret fidem.*

DE S. EPIPHANIO EPISCOPO PAPIENSE.

Epiphanium Infantem diuinus fulgor illustrat.

EPiphanius Ticinij nobili genere natus, circa quem infantem dormientem diuinum quendam splēdorem (qui sanctitatem eius præmōstrabat) uisum fuisse

fuisse ferunt. Is factus Episcopus Ticinensis post S. Crispinum, cuius diaconus fuerat Leone I. Pontif. populum ad virtutes maximè verò ad castitatem, & sobrietatem hortabatur, primusque Ecclesiam ingredi solitus erat. Orta inter Anthemium Rom. Principem, & Rithimerum Patritium illius generum non parua discordia, Romam profectus eloquentia effecit, vt Gener in Soceri gratiā rediret. Quod etiam inter Condiberum Rauennatem Ducem, & Nepotem, Patritium Arimini, vbi iam ad arma ventum erat præstitit. Cum postea Odoacer, Aerulorum Rex, Ticinum, quo se Horestes receperat, expugnatū diripuissent, Ciuesq; (in quibus Luminosam, & Honaratam Virgines eius sorores) captiuos abduxisset, S. Episcopus ita barbarum illum emolliuit, vt multos ex illis liberaret. Post Odoacris discessum sacras Aedes refecit, vrbemq; solo æquatā nomine Papiæ ei indito reædificauit, ab Odoacre tributi, quod vniuersis Italiæ vrbibus imperatum fuerat, remissione ad quinquennium impetrata. Cum post hæc in curam Episcopalem incumberet, multosque obsessos à Dæmonibus liberaret; Theodoricus Gothorum Rex Papiæ sedem regni constituit. Ad quem ante cum Laurentio Episcopo Mediolanensi ad Æmiliæ Liguriæq; calamitates sublenandas legatus profectus erat. Qui Rauennam contra Odoacrem proficiscēs, domum, & familiam Epiphanio, quem in veneratione haud mediocri habebat, precibusque illius commendat. Papiam post extinctum Odoacrem rediens S. Episcopum orat, vt ad Gūdubaldum (quem alij Gundibaldum vocant) Burgundionum Regem vnà cum Victore Episcopo Taurinensi se conferat: ac captiuos, quos ille ex Liguria, & Insubria in Galliam abduxerat, persoluto pretio redimeret. Epiphanius Lugdunum, vbi Gūdubaldus agebat, profectus, erogato pretio, captiuos cum alijs ad sex millia sibi à Rege condonatis (tanta erat in viro eloquentia, & fama sanctitatis illius apud Regem) secum deduxit. In itinere apud Tarātasiam fœminam ab immundo spiritu sola benedictione liberauit. Papiam reuersus ingentiq; lætitia exceptus febri, qua apud Parmam, dum Rauenna à Rege Theodorico rediret laborare cœperat, ingrauescēte post multa data populi salutis monita anno sal. 494. Episcopatus verò 31. 12. Kal. Febr. migrauit ad Christum, ac in Eccl. SS. Vincentij, & Gaudentij à se extructa, quæ nunc S. Epiphanij dicitur conditus est: omnibus eius discessum è vita lugentibus. Post se quatuor Sorores Luminosam, Liberatam, Speciosam, & Honoratā sanctissimas Virgines reliquit. Quarum tres priores apud illum sepultæ sunt: postrema in Monast. veteri quod Historiarum dicebatur apud Episcopium, vnde anno 1597. die 7. Aprilis in Cœnobium S. *Mariæ* quod Capulatum vocant trāslata est. *Ex Iacobo Gualla lib. 3. Sanct. Steph. Breu. lib. 2. Hist. Papien. Ant. Maria Spelta in vit. Epp. Papien. Ex Ennodio successore, qui vitam Epiphanij prolixius scripsit. Meminit eius Paulus Diac. lib. 16. de Gest. Romanorum, & Platina in vita Gelasii PP.*

Epiphanius in componēdis cōtrouersijs singularis extitit.

Papiam ædificio, atque hoc nomine innouat, exornatque.

Obsessos cōplures liberat.

Eximia Epiphanij eloquentia.

Fœminam à malo spiritu uindicat.

Quatuor sorores S. Epiphanij, Virgines itidem, ac Sanctæ.

ANNOTATIO.

Hic dubitatio circa tempus obitus S. Epiphanij occurrit. Nam, si Gelasius ad Pontificatum anno 494. die 11. Martij assumptus est, vt Ecclesiastica habet Cronologia nonnullorum, non video, quomodo S. Epiphanius dicto anno, & dicto Pontifice decesserit. Quare Platina, Panuinio, & Baronio in Annal. qui Gelasium anno 492. creatum scribunt potius fides habenda est.

Illud etiam de Epiphanij successione post S. Crispinum II. haud subsistere potest: nisi dicam is Crispinum, cui Epiphanius successit, secundum quò ad sanctitatem quidem; at nomine III. esse. Porrò Epiphanius Episcopatum, iniJt an. D. 466. Hilaro Pontif. Max. quo anno S. Prosper Episcopus Regien. Extremum diem clausit, Obijt autem an. 495. Gelasio I. Papa. Theodorico Rege adhuc superstite.

DE

DE S. CRISPINO, ET EPIPHANIO

Gulielmus Ep. LXV. Papien. sic cecinit.

, *Crispinus vir mitissimus*
, *Director Epiphanij*,
, *Cui successit protinus*
, *In gradibus officij*.

Ianuarij die 22.

DE S. GAVDENTIO EPISCOPO NOVARIENSI.

Gaudentius castimonia insignis.

Morbos curat, & obsessos liberat.

Gaudentius cũ Eusebio Vercellen. Episc. fidei acerrimus propugnator.

Gaudẽt. multis fulget miraculis.

D. Ambrosij Equum adeò fixit, donec ipsum visitare posset.

Obitus sui diem vaticinatur.

Gaud mortuo, vngues, barba, & cæsaries succrescunt.

GAudentius Eporidiæ natus, cum doctrina & vitæ sanctitate polleret, Episcopus Nouariensis creatur; quam Ecclesiam annos 20 sanctissimè administrauit, inter cæteras autem virtutes, quibus præditus erat, castitatem præcipuè coluit: erat etiam abstinentia, & pietate insignis, ante sacros ordines sacris literis operam nauauit. Inde sacris ordinibus initiatus ad Sacerdotiumq; promotus, morbos orationibus curabat, & spiritus immundos eijciebat: nec tamen à Sacræ Scripturæ studio vacabat, cum Patrum scripta assiduè volutaret, Nouariam veniens S. Laurentio Præsbytero, qui proprijs manibus non procul ab Vrbe Sacrum Fontem, in quo Gentiles Baptizabat, cõstruxerat, adiutor, & discipulus adhæsit: Sancti Ambrosij Mediolanen. Episcopi valde familiaris fuit, qui illum Pontificem futurum prædixit. Cui Gaudentius ero quidem inquit, sed non à te sacrandus. Is fuit in primis fidei Catholicæ vnà cum Eusebio Vercellensi Episcopo propugnator acerrimus. Cui Eusebius exilio degens propriam Ecclesiam commendauit, multis miraculis coruscauit. In quibus illud memorandum quod S. Ambrosium pertranseuntem, & eius equum quominus vlterius progrederetur fixit, donec ad se visendum remearet. Diem obitus sui prædixit, & dum ad populum concionem haberet suum Deo reddidit spiritũ. Cuius corpus sex mensibus inhumatum, incorruptum, crescentibus cæsarie, barba, & vnguilis, permansisse ferunt. *Ex Breuiario Nouar. ac ex Monum. eiusd. Eccl. M.S. vitam Mombrit. in 1. vol. de SS. à Leone Episcopo scriptam refert*.

ANNOTATIO.

QVidam S. Gaudentium primum Nouaria *Episcopum fuisse tradunt, inter quos Petrus Gales. in suo Martyrolog. Tabula tamen Nouar. Eccl. haud primum illum Episcopum faciunt*.

Illius depositio die 3. Augusti Nouaria celebratur. Ex quo ac die illius ordinatio videtur recoli.

DE S. DOMINICO ABBATE SORANO.

SAnctus Dominicus Fulginei honestis Parentibus ortus, Monachis S. Syluestri instruendus traditur. Sacris initiatus breui ad Sacerdotium promouetur. Sed maioris cupidus perfectionis; spretis omnibus sub Nonnoso Abbate Monachus fit, seq; in Montem solus recipit. Cognitus autem ab Vberto Marchione, rogatur, vt Cœnobium in sua Ditione extrueret. Quod Scandriliæ, & alibi factum est. Indè in Samnium ad Valuæ solitudines venit, vbi aliquot

quot Monasteria à Comitibus Valuensibus fama sanctitatis illius permotis ędificantur. Verùm in proximam solitudinem, cuius maximo desiderio tenebatur, se conferens, cella ibi extructa, aliquandiù vitam asperam pane, & aqua cōtentus duxit. Cum autem Vix alta decidisset, nec posset panem in singulas hebdomadas, vt solebat, accipere, vnius hebdomadæ panis illi spatio 40. dierum satis fuit. Tanta illius sanctitas erat, vt puer febri grauissima correptus modico aquæ, in qua Dominicus manus lauerat, hausto, illicò sanatus sit. Ex eo loco Trisaltùm Campanię locum veniens populos ab illegitimis matrimonijs, alijsq; criminibus prædicando deterruit. Claruit spiritu profetico; Dodæ enim Nobilissimæ Matronæ, & Comiti Marsorum, eius viro multa prædixit, quæ illis euenere. Cum Giseltruda Comitissa vinum per famulos, qui partem vini biben tès, vas aqua compleuerunt, illi misisset, Dominicus illos reprehendit, & ad pœnitentiam reduxit. Cum alius pisces mitteret, partemq; serui in via pęnes arborem abscondissent, eos monuit, ne pisces reconditos repeterent, qui abeuntes loco piscium serpentes inuenere. Ex qua re perterriti à viro Dei veniam suppliciter postulant. His, alijsq; diuulgatis Amatus Signiæ Comes illum vehementer rogat, vt sibi Monasterium in suo Comitatu construi pateretur; Apud Soram quoque aliud Cęnobiū à Rainerio, multis prędijs attributis, Sorę Domino ædificatur: Cui ab eodem rogatus triennio præfuit, vbi multa edidit miracula; Siginulfus enim nobilis, qui seruum ad Mon. Dominici confugientem, vi, Dominico contradicente, extraxerat, omnibus statim viribus destitutus est. Sed resipiscens, & seruo restituto sanitatem impetrauit. Præsbyter, qui famæ Dominici detrhacbat in amentiam versus, & ad eum perductus oratione liberatur. Amatus quoq; Præsbyter, & Vicarius apud Sublacum, & Carseolos, cuius mores Dominicus reprehenderat, dum equo citato cursu in S. Virum lancea illum confossurus ferretur factus immobilis, vsq; membrorum destitutus, postulata venia sanitatem recuperat, ac ad meliorem frugem conuersus in solitudinē se recepit. Arpini missam celebraturus concubinas eijci iussit ab Ecclesia, quarum quæ iacto in eum lapide, dixerat, *sic tu, vt lapis iste, ad nos redire possis*, statim oculis capta est; Verum pœnitens facti, visum recepit. Tandem vir sanctus anno, sal. 1031. ætatis vero 80. exorto in gena vlcere migrauit ad Christum. Soręq; sepultus, miraculis etiam post mortem claruit. *Ex Vita prolixa ab Almerico Monaco Cassinensi, qui postea Card. tit. SS. Quatuor Coronatorum fuit, scripta, quæ in vulgatam linguam traducta typis excusa est.*

Dñs pane, & aqua contextus vitā asperam in solitudine degit.

Quadraginta diebus S. Dominico panis vnus sufficit.

Dominicus miraculis, prædicatione, ac spiritu profetico enituit.

Seruum, qui partem piscium absconderat, monet, vt deferat, quam in serpentes conuersos reperit.

Dominicus varijs miraculis celebris.

Meretrix oculis capta visum recipit.

ANNOTATIO.

Extat apud Soram Monasterium, in quo S. Dominicus vitam duxit, & sepultus est. Quod nunc S. Dominici ex eo nominatur. De eo Leo Ostien. in Cron. lib. 3. cap. 33. & alibi.

DE S. BLESILLA MATRONA ROMANA.

Blesilla S. Paulæ Romanæ adeò à S. Hieronymo Præsbytero celebratæ filia, Sanctæq; Eustochiæ, & Paulinæ Soror, maior nata; licet nobili viro in matrimonium tradita, sic tamen Christo adhęserat, vt viro post sex menses defuncto magis amissam virginitatem, quam mortem; illius verò anno ætatis 20. viduata lugeret. Erat ingenio acutissimo prædita, breui enim nō modo linguam latinam, sed & græcam, & hebraicam didicit. Vestitu vulgari vtebatur, ita vt ab ancillis haud discerneretur. Ieiunijs autem, vigilijs, lacrymis, alijsq; maceratio-

rationibus corporis sic erat addicta, vt ob maciem vix pedibus sustentaretur. Nunqnam à Sacræ scripturæ, cuius librum aliquem semper habebat præmanibus vacabat. Cum tandem vitæ terninum sibi adesse præsentiret, ac nimio febris ardore æstuaret, adstantes orabat, vt Christum sibi propitium præcarentur, si minus, quod voluerat adimplere potuisset. Ex qua infirmitate breui ad eũ, quem toto corde dilexerat, migrauit. *Ex Epistola D. Hieronymi 25. ad Paulam, ac ex lib. de Virginibus Romanis, & ex Vita S. Eustochia Virg.*

Blesilla lingua latina, græca, & Hebraica exculta fuit.

ANNOTATIO.

DE Besilla nihil in Martyrol. Rom. De ea plura Baron. in Annal. ad an. D. 382. habet à S. Hieronym. accepta.

Ianuarij die 23.

DE S. EMERENTIANA VIRGINE, ET MART. ROMANA.

EMerentiana Virgo Romana S. Agnetis Virg. collactanea; cum post eiusdẽ Agnetis Passionem ad illius sepulcrum vnà cum alijs Christianis accedẽs, & orans (licet nondum baptizata, sed tantum cathecumena esset) ab Idolorum cultoribus deprehensa; cum cęteri fugam arriperent, ipsa in Idolatras inuehi cæpit, ac in loco, in quo erat, consistens, illos impietatis vehementer, & libere accusaret; Quare à concitata multitudine lapidibus obruitur, sicq; ad sanctæ Agnetis tumulum orans, proprioq; sanguine, quem pro Christo constanter effudit, baptizata in cœlum euolauit: corpore ibidem à Christianis humato. *Ex Breu. Romano, ac ex Passione S. Agnetis Virginis.*

Emerentiana Idolatras reprehendit.

ANNOTATIO.

De Emerentiana plura apud S. Ambros. lib. 4. Epist. 34.

DE S. AMASIO EPISCOPO TEANENSI.

AMasius ex Oriente Romam, Iulio I. Sum. Pont. venit, à quo prædicandi licentia accepta Soram Arriana hæresi infectam proficiscitur, à Crescentia nobili fœmina, cuius filium Artemium à paralisi liberauit, hospitio acceptus. Eo autem miraculo, quòd paraliticum sanasset diuulgata, plurimi diuersis morbis oppressi ad eum confluebant, quos omnes sanabat, ac à Dæmone oppressos liberabat; quibus permoti Ciues Sorani hæresim Arrianam detestantes catholicam fidem amplectebantur. Quod cum nobiles quidam, qui Sectam Arrianam maximè fouebant, indignè ferrent nec efficacibus Amasij rationibus respondere valerent, ad minas, vt mos est, confugientes illum pugnis, & fustibus, vsq; ad mortẽ cędunt. Qui post illorũ discessum à terra, in qua iacebat, surgens, paulatim ea vrbe relicta in Territoriũ Teanense se contulit, atq; valetudine cõfirmata, Teanũ, vbi Paulo ante S. Paris Episcopus migrauerat, ingreditur, & à S. Vrbano S. Paridis diacono perhumanè excipitur, ac ab eo, vt munus Episcopale sibi demandandum non detracter, instantissimè petit (Doctrina enim, & vitæ sanctitas Amasij, fama perferente, illi perspecta erat) electus itaq; Romamq; profectus à Iulio (cui electio iucundissima fuit) Episcopus Teanensium consecratur. Reuersus Teanum assiduis concionibus populum non solum ab Arriana labe immunem, sed & à vitijs quantum fieri poterat alienum seruabat: Erat autem in hortando impiger, in corrigendo seuerus, in parcendo facilis,

Miracula S. Amasium clarificant.

Ariani ipsũ pugnis, ac fustibus cædũt.

facilis, & in respondendo humilis; Nemo non contentus ab illo abibat. Cum aliquot annos Eccl. suæ sanctè præfuisset, finem vitæ non longè abesse præsentiens, sibi Cœmeterio, ac sepulcro constructo 10. Kal. Febr. an. sal. 350. cessit è vita. Cui Sorani, qui illum verberibus affecerant, pœnitentia ducti, Ecclesiæque Catholicæ conciliati, templum construxerunt, bonis aliquot temporalibus templo relictis. *Ex vita à Paulo Regio lib. 2. de SS. Regni Neapolitani, ac ex off. Eccl. Teanensis.*

ANNOTATIO.

SI obijt S. Amasius an. D. 350. hoc est an. 14. Pontif. Iulij I. & Imperij Constantij Aug. haud multos annos vixit in Episcopatu: Siquidem inter eius aduentum ad urbem Romam, & ad Episcopatum assumptionem aliquot anni sub eodem Iulio effluxere, uti ex eius vita colligitur.

DE SANCTO MARTYRIO CONFESSORE APVD MARSOS.

MArtyrius Monacus S. Seueri Præsbyteri discipulus fuit. Hic licet ignarus literarum esset, maximè tamen deuotus extitit. Cum fratres Panem coquendum signo Crucis, vt consueuerant minimè signassent: ipse illũ iam prunis tectum cum signasset, ingenti crepitu facto, extractus cũ signo Crucis diuinitus impresso repertus est. Cum ad ignem asportandum vas non haberet, illum vestimento proprio acceptum, vsq; ad Montem in quo fratres erãt absq; vlla læsione vestium detulit. Eodemq; pallio, quo prunas ardentes gestauerat, coopertum leprosum repentè sanauit, ac in humeros sublatum deferens, cum Monasterio appropinquaret, fratres compellans, clamabat, *currite, & cito ianuam Mon. aperite, quia frater Martyrius Dominum portat*; Quibus dictis verbis Leprosus cum Martyrio dixisset, Martyri tu me non erubuisti super terram, nec ego te in cœlo erubescam, statim disparuit. *Ex S. Greg. Papa lib. 1. c. 11. Dial.*

Martyrius panem in clibano tectum signo crucis signat.

Vestes Martyrij ignem sine læsione ferũt, leprosumq; sanant.

Martyri᷑ Dominum super humeros gerit.

ANNOTATIO.

DE Martyrio Mon. rursus S. Greg. Papa in Homilia 39. in Euangel. pluribus agit miraculum Leprosi narrans, ac illud subiungens quod Martyrius nihil senserit ponderis, in ferendo Leproso. Baron. hunc ab illo diuersum putat forte ob id quod in Lycaonia vixisse fertur, sed tamẽ idem hic cum illo esse videtur ob miraculi identitatẽ.

Ianuarij die 24.

DE S. FELICIANO EPISCOPO FVLGINATE, ET MARTYRE.

FElicianus foro Flaminij Christianis, & honestis Parentibus natus, Romam studiorum causa mittitur, Eleutherio Pont. Max. Vbi Victori Diacono, qui Eleutherio successit in Pontificatu operam dedit. Ab Eleutherio factus Præsbyter Fulgineũ venit, multosq; Christo Domino sua prędicatione lucrifecit. A fidelibus electus Eps inuitus Romã ad Victorem Pontif. deducitur, à quo Eps consecratur, ac Pallio cũ potestate alios Epp. ordinandi donatus, Fulgineũ redit. Interamne prędicãs plures ad fidẽ perducit, ibiq; Valẽtinũ Diaconũ Epm ordinat,

Felicianus Pallium à Victore suscipit

ordinat. Abundio secum ducens Spoletum venit, vbi leprosos, Dæmoniacosq; sanat, ac mortuos duos ad vitam reuocat. Trebulæ quoq, multos ab Idolorum cultu ad Christum conuertit: Fulginei verò exceptus post concionem, omnibus luce cælitus oborta prostratis, infirmos omnes oratione sua curat; Quod, & Hispelli, & Meuaniæ plurimis ad Christianam fidem conuersis præstitit. Post hæc ingressus Assisium, vt ibi Christum annunciaret, à Lucio Flauio Consule verberibus affectus, & eiectus, Perusiam, Eugubium, Nuceriam, & alias Vrbes prædicando percurrit. In Piceno quoq; Christiana fide annunciata Ecclesias aliquot ædificat, & clericos ordinat. Fulgineum reuersus dum munus Pastorale fidenter exequitur, contigit, Decium Imp. per eam Vrbem transire, vbi cum Felicianum in ea Prouincia Christum prædicare, ac Abdon, & Sennen, quos ex Persia Romam vinctos ducebat, visitasse accepisset, accersitū, monet vt Christo renuntians Deos colat; Quod cum facere recusaret in equuleo suspensum, virgis, & scorpionibus cædi, vngulis ferreis excarnificari, ac demum cum alijs Christianis vinctum ante Rhedam suam trahi iubet; Verum S. Episcopus cruciatibus tot afflictus, senioq; confectus non longe ab Vrbe Fulginate spiritum Deo reddidit. Cuius corpus eo loco, vbi nunc Ecclesia Cathedralis suo nomini dicata est, cæco lumini, claudo gressui, ac mortuo vitæ restitutis, dum ferretur ad sepulturam, cōditū fuit. *Ex Monum. Eccl. Fulginatis, & Vita typis excusa.*

Felicianus varijs miraculis clarescit.

Felicianus Assisij verberibus cæditur.

Felicianus post cō plures cruciatus exhantlatus ante Rhedā Imp. trahitur.

ANNOTATIO.

FOrtassis mirum videbitur alicui, quod S. Felicianus tantum temporis vixerit: si quidem inter S. Eleutherium Papam, & Decium anni circiter 80. fluxere, hoc est ab electione vnius ad electionem alterius: sed nil mirum, nam quando passus fuit valde senex erat, nec initio Pontificatus Eleutherij Romam adysse constat.

DE S. ZAMA I. EPISCOPO BONONIENSI.

ZAma Gallieno Imp. circa annum sal. 270. à S. Dionysio primus Bononiensium Episcopus creatur. Qui Bononiæ peramanter à Christianis exceptus (multo antè enim fides Christi in ea Vrbe annunciata fuerat) Sedem in Suburbio (vbi postea S. Felicis Eccl. condita est) collocauit. Fidemq; iam, vt supra dictum est, inter Gentiles disseminatam mirificè propagauit. Mortem sine martyrio obijt, ex quo illum ante commotam in Christianos à Diocletiano, & Maximiano persecutionem decessisse, manifestum est. Quæ ille Patria fuerit, & quantum in Episcopatu vixerit, ignoratur. Eius natalis nono Kal. Feb. Bononiæ celebratur. *Ex lib. Caroli Sigonij de Episc. Bononiensibus.*

ANNOTATIO.

DIximus S. Zamam circa annum Domini 270. ordinatum fuisse à S. Dionysio Papa Carolum Sigon. secuti, qui anno præd. Zamam ordinatum fuisse scribit; sed siuè Damasum Papam in Pontif. qui Dionysium annos sex. m. duos d. 4. sedisse asserit, siue Platinam lib. de V. Pontef. qui eundem Dionysium an. 257. creatum fuisse, ait, sequamur. fieri non poteſt, vt Zama anno prædicto 270. Episcopatū inierit; Nam Dionysium secundum prædictos; cum tantum sex vixerit, & secundum alios nouē cum aliquot mensibus ad prædictum annum 270. non peruenisse, liquet, etiam si illum anno 260. vt alijs videtur Pontifex creatus fuerit. Baron. in Annal. an. D. 272. Zamam 1. Episcopum Bononien. à Dionys. Pap. ordinatum scribit.

Caroli Sigonij opinio meritò in dubium reuocatur.

DE

DE S. SVRANO ABBATE.

SVranus Abbas Longobardorum tempore vixit in ea regione, quæ Suta dicebatur (quæ in Vmbria fuisse putatur, in Vmbria enim Sucrani populi à Plinio memorantur.) Is Longobardis omnia deprædantibus, illis qui ad Monast. suum confugiebant, cuncta, quæ in Monasterio habebat, largiebatur. Cum autem in eleemosynis etiam vestimenta, ac in horto consum psisset, à Longobardis aurum ab eo postulantibus tentus se nihil habere diceret; ab illis in montem vicinum, vbi ingens sylua erat, ductus, ab vno eorum gladio cæsus est. Corpore autem eius in terram cadente mons ille, cum sylua, quasi pondus sacri cadaueris ferre non posset, protinus totus contremuit. *Ex D. Greg. Papa lib. 4. cap. 22. dialog.*

Sura Vmbriæ.

ANNOTATIO.

EX Historia prædicta S. Suranū Mart. esse colligimus; licet nulla martyrij mentio in Martyrolog. Romano fiat; neq; refert, quod causa fidei non fuerit occisus, cum plures alios insontes interfectos alia de causa, quā fidei vti Martyres veneramur.

Suranus vti Martyr habendus.

DE S. EXVPERANTIO EPISCOPO I. CINGVLANO.

EXuperantius in Africa Patre Eulasio, & Matre Perpetua natus, in sacris literis educatus castitatem inter cæteras virtutes, & religionem contra parentum voluntatem coluit. Annorum 12. ab Episcopo proprio baptizatur: acceptaq; à Patre parte bonorū sibi obtingente, & relicta patria aliquot Ciuitates prædicādo, & eleemosynas faciendo vnà cū Formario adolescēte à se baptizato peragrauit, nauiq; conscensa, dū dormit orta sæuissima tempestate à Nautis expergefactus, vt ad Deum suum præces funderet, illos vt in Christum crederent, hortatur; sic enim periculum euasuros esse aiebat. Quibus (ab eo prius in fide Christi instructis) credentibus, ac baptizatis mare statim pacatissimum redijt, nauisq; ad Italiæ littora appulit. Exuperantius gratijs Deo actis cum socio Dei monitu Romam venit Pascali Sum. Pōt. vbi aliquandiù, quòd inter prędicandum Romanos liberius increpasset in carcere detentus iussu Pōtificis extrahitur. Quo tempore Vrbs, quæ peste laborabat Exuperantij precibus liberatur multis etiam infirmis ab eodem sanitate impartita. Cum autē Theodosius Episcopus Cingulanus è vita excessisset, Pontifex Exuperantium illi, licet inuitum, subrogat, qui Cingulum aduentans maximo cum applausu à Ciuibus susceptus illam Ecclesiam annos 15. summa pietate rexit. Ad extremum, cum ægrotaret, finemq; sibi imminere intelligeret clerum, & ciues ad fidē, obedientiam, & pacem seruandas hortatur, & cum, quo loco extra vrbem humari vellet, ac Portam Montanam dixisset, suum Deo tradidit spiritum. Cuius corpus cum efferretur mulier Daria nomine graui morbo oppressa digitum Exuperantij osculata illicò liberatur, cum post annos 12. finitimæ vrbes infirmitate difficilima affligerentur, Beatumq; Formarium Præsbyterum, vt pro ipsis intercederet, rogarent, ille ieiunio illis indicto ab Angelo admonetur, vt earum vrbium Episcopi, & Populi aduenientes Corpus S. Exuperantij inde eleuatum, honorificentiore loco reconderent. Quo facto ab ea plaga liberatæ fuerunt extructa in eius honorem Ecclesia, quæ adhuc S. Exuperantij dicitur, & Parochialis est. *Ex vita M.S. qua apud Cingulanos asseruatur. In qua plura inuerissi-*

Exuperātius mare pacatū Nautis abluitis, reddit.

Romæ liberiùs concionatur.

Exuperantij multis miraculis corusceat.

Cingulanus Episcopus creatur.

S. Exuperantius defunctus mira operatur.

milia, & fabulis proxima cõtinentur à nobis prætermissa. Quod autem in præd. M.S. Sanctum Exuperantium Romam Pascasio S. Pont. à quo Episcopus ordinatus est, venisse dicitur, pro Pascali Pascasio scriptum putamus. Nullus enim Romanus Pontifex eius nominis fuit.

ANNOTATIO.

Cingulani S. Exuperantium præcipuè, uti Patronum suum venerantur, non solum hac die, qua Depositionis, siuè obitus est, sed etiam 4. Kal. Iunij, quando corpus illius in Oppidum translatum est.

DE BEATO RAYNALDO CONFESSORE Ord. Cruciferorum.

Beatus Raynaldus Ordinis Cruciferorum in oppido M. Vlmi, quod non infimum inter oppida Piceni locum obtinet, à Maceratensi Ciuitate V. M. P. distans, in honore haud mediocrè habetur, Ecclesia eius nomine dicata. Quẽ Fratres Cruciferi in suis Ecclesijs Officio diuino venerantur hac die. Eiusdem Franc. Maurolycus meminit in Martyrologio. *Ex Tab. Cruciferorum.*

ANNOTATIO.

Quo tempore inter Mortales vixerit scire non potui, licet vitam, actavè illius à prædictis Fratribus flagitauerim.

Ianuarij die 25.

DE S. PROIECTO DIACONO, ET MART. CASALENSI.

Proiectus S. Euasij Episcopi Astensis Diaconus, cum eo Arrianorum persecutionem declinans apud Sedulam Vrbem (vbi nũc Ciuitas Casalẽsis est) venit. Cum autem multos in ijs locis ad Catholicam fidem perducerent, Atubali Sedulæ Præfecti iussu compræhensi carceri emancipantur; vbi cum in Confessione catholicæ fidei constantissimi reperirentur, Euasio primùm, deinde Proiecto cũ alijs 146. caput amputatur. Quorum corpora à Natali Præsbytero, & alijs Christianis ibidem condita sunt. Ecclesia Paulo post à Luitherando Longobardorum Rege Sancto Euasio extructa. *Ex hist. Casalensi, & Vita S. Euasij Tridoni anno 1568. edita in qua nonnulla corrigenda animaduerti, inter quæ, illud quod Atubalus, quem Arrianum fuisse ex dicta historia apparet, Euasium ad Idolorum cultum perducere conabatur, non enim erant Idola eo tempore in Italia, nec ea Arriani venerabantur. Sunt, & alia in hist. præd. inuerisimilia, seu etiam falsa, de quibus in Vita S. Euasij suo loco dicemus.*

Castigatio uitæ S. Euasij, in qua nõnulla de S. Proiecto amputanda.

AN-

ANNOTATIO.

Arvernis in Gallia agitur hac die de S. Proiecto Episcopo, & Mart. & Parentij in Histria de SS. Proiecto, & Acolyto Martyribus.

Ianuarij die 26.

DE S. ATHANASIO EPISCOPO SVRENTINO.

Athanasius Episcopus Surentinus inter Sanctum Valerium, & S. Baculum eiusdem Vrbis Episcopos & Patronos effulsit; de quo nihil apud Scriptores memoriæ proditum est: Illud tantum ex antiquis picturis habetur illum fenem fuisse caluitio venerabilē, & barba abrasa. Fuit Athanasius alter Episcopus Neapolitanus sanctitate celebris, quem eūdem cum Surentino quidam faciūt. Verùm Surentini ex antiqua traditione hunc Athanasium à Neapolitano diuersum, & suum Episcopum agnoscunt, & venerantur. *Ex lib. David Romei de SS. Surenti Protectoribus.*

S. Athanasius Surentinus alius est à D. Athan. Neapolitano.

ANNOTATIO.

Neapolitani suum Athanasium die 15. Iulij celebrant: qua die eius natalis in Martyrol. Rom. adnotatur.

DE S. THEOPHANIO CONFESSORE. Centumcellense.

Theophanius Comes Centumcellensis, operibus misericordiæ addictus, hospitalitatis præcipuè studiosus erat. Cum autem ex hac vita, migraturus esset, tanta acris tempestas contigit, vt ad sepulturam deferri nō posset. Vxori itaq; cū vehemēter plorans illum alloqueretur, quid faciam, & quo modo te ad sepeliendum efferam: illi ab eo responsum fuit, noli mulier flere, quia mox, vt ego defunctus ero, aeris serenitas redibit. Quo dicto vocem mors, mortemq; serenitas secuta est, de quo S. Gregorius alia narrat miracula. Nam pedes illius humore podagræ tumidi, ex quibus sanies profluebat, dum corpus ex more lauandum nudaretur, ita sani ipsi, & manus inuenti sunt, ac si mali nihil habuissent. Cum marmoreum operculū sepulturæ illius quarto die vt aliud apponeretur decentius ablatum fuisset, tanta odoris fragrantia ex eius corpore emanauit, vt pro vermibus aromata scatere videretur. *Ex lib. 4. dial. S. Greg c. 27.*

S. Theophanius pietatis operibus clarissimus.

Huius S. morte serenitas prædicta mirabiliter sequitur.

Tumore pedum liberatur.

Eius corpus summā odoris flagrantiā efflat.

ANNOTATIO.

Quo tempore S. Theophanius vixerit, ex ijs, quæ à S. Greg. loco citato narrantur, conijcere possumus, cum enim S. Greg. se de odoris fragrantia ab illis, qui marmor ad ostium sepulturæ Theophanij elaborauerant, audiuisse affirmet, dubio procul S. Gregorij tempestate vixit. Colitur Theophanius à Cornuetanis vti protector vrbis die 9. Iulij. quod ea die corpus eius inuentum, translatumuè fuerit.

Ianuarij die 27.

DE S. VITALIANO PAPA.

Vitalianus officia diuina componit.

VItalianus Patria Signinus circa an.sal.655.post Eugenium Pontifex creatur. Hic regulam Ecclesiasticam, qua in officijs diuinis celebrandis vterentur (erat enim diuino cultui maximè intentus) composuisse fertur. organa cantui addidisse quidam putant; quod tamen cum Ecclesia Romana organis minime vtatur præsente Pontifice, minus probabile videtur. Theodorum Archiepiscopum Cantuariensem, & cum eo Adrianum Abbatem viros doctissimos, multaq; vitæ probitate insignis, vt eos populos in fide, & religione Christiana continerent, misit in Angliam. Hoc Pontifice Cęsarea Persarum Regina cum aliquot Christianis inscio Rege Constantinopolim venit: ibiq, honorificè excepta baptizata est. Cum autem Rex per legatos vxorem ab Imperatore Constantinopolitano repetijsset, isq; respondisset cum Regina ipsa, cuius erat velle, & nolle agendum esse, Regina verò se in Persidem non reuersuram, nisi Rex quoq; Christianus fieret dixisset, eo responso accepto multis comitatus, & ipse Constantinopolim venit, vbi ingenti pompa acceptus, datoq; Christi nomine sacro lauacro regeneratus est. Hoc eodem Pontifice Constans Imp. Romam venit, Pontifice cum clero sibi obuiam facto, qui, vt erat summæ auaritiæ deditus Roma discedens, ferè omnia Ecclesiarum ornamenta, plurimaq; vrbis antiqua monumenta, maximè verò statuas ex ære, & marmore pulchriores abstulit, Sed apud Syracusas à suis interfectus tanti sacrilegij pœnas exoluit. Vitalianus autē, cum Ecclesiæ annos 14. & menses 5. ferè preclarè sanctéq; præfuisset, obdormiuit in Domino 6.Kal, Febr. *Ex Platina, & alijs vit. Pontif. scriptoribus.*

Cesarea Persarum Regina sacro baptismo Constantinopoli abluitur.

Eiusq; Vir Rex ibidem Christianus efficitur.

Constans flagrans auaritia, Roma discedens, pretiosiora abstulit debitasq; haud multo post pœnas exoluit.

ANNOTATIO.

PRo Constantio Constantē Imp scripsimus, licet Platina Constantiū nō Constantē habeat: neq; enim præter Constantium Constantini Magni Patrem, & alterum eiusdem Constantini filium vllus huius nominis alius Imp. fuit. Baron. haud cum Plat. conuenit circà tempus creationis, & obitus Vitaliani. Nos verò secuti sumus Baron. in Annal.

A Platina dissentitur.

DE S. IVLIANO MARTYRE SORANO.

IVlianus Dalmata, Christianus Antonino Imp. in Italiam venit. Qui apud Anagniam satellitibus hostibus fidei obuiā factus, ab eisq; de Patria de nomine, & causa aduentus interrogatus, ad singula respondit, illi verò cum Christianum eum esse intellexissent, mortem minari, nisi Christo renuntiaret, cæperunt. Cumq; in Christi fide constans persisteret, eum vinctum Soram perducunt, apud Carnelium fluuium flagellis dirè cæsum, colloq; ferrea cattena circundato in vrbem pertractum Daciano Proconsule sistunt. Qui primum carceri Iulianum per dies 7. absq; cibo, & potu includi iubet, & post eos dies eductum blandè monet, vt Christo posthabito, Deos coleret: at Iulianus Deos irridens, & Christum solum verumq; Deum asserens varijs cruciatibus afficitur. Primùm os illi pugillis contunditur: deinde in catasta extensus acriter torquetur: Sed is à Deo confortatus, præsentes, ne simulacris Deorum, quæ sunt opera manuum hominum, siderent, hortatur. In carcerem reductus diluculo

S. Iulianus dirè cæditur.

diluculo sequenti iubente Proconsule in equuleo suspensus cruciatur. Quo tempore, & templum Serapidis corruit, & manus tortoribus arefiunt. Quibus Proconsul permotus sententiam in Iulianum tamquam magum, & Deorum contemptorem capitalem dixit. Ductus itaq; extra vrbem apud templum prędictum, cum prius orasset, martyrium capitis amputatione compleuit. *Ex lectionibus, quæ in die illius festo in Ecclesia Sorana recitantur.*

Serapidis Tēplum, ruit, ac manus tortoribus, dũm Iulianus torquetur, arescunt.

ANNOTATIO.

Habent, & Atinates Iulianum Martyrem Patronum suum, quem apud se passum ferunt. Verùm cum hac eadem die, & eodem Imp. eodemq; mortis genere coronatum illum asserãt, eundem Iulianum qui Soræ passus est, esse putamus, cum Martyrolog. Romanum hac die Iulianum Soræ, non Atinæ passum esse testetur. Neq; qui Atinæ colitur à Sorano diuersus dici potest, cum, vt prædiximus, acta sint eadem.

Idem Iulianus est, qui Soræ, & Atinæ colitur.

DE B. MANFREDO EREMITA APVD LACVM LVCANVM.

MAnfredus patria Mediolanensis ex nob. Septala familia spretis opibus, & mundi huius delicijs. Se in solitudinem pœnitentiæ causa recepit, cum sua pauperibus erogasset: & vile amictu indutus, extructaque in monte apud Lucanum Lacum ædicula, ibi vitam aliquandiu asperrimam duxit diuinarum rerum intentus contemplationi. Cuius Deus Sanctitatem in morte miraculis declarauit: nam, & Campanæ proximi pagi nullo pulsante sonuerunt: & incolis de Sepulturæ loco contendentibus plaustrum, cui corpus impositum erat iuuencis indomitis vinctum ab eis mirabiliter per crepidines montis ad Ripę Ecclesiam delatum est in ora Lacus prædicti ibique honorifice conditum. Cuius dies Festus 5. Kal. Februar. magna populi frequentia celebratur. *Ex Sanct. Pauli Morigia, & Eccles. Ripen. Monum. M.S.*

ANNOTATIO.

QVo tempore is vixerit haud potui scire. Nondum SS. Catal. adscriptus, neq; in Tab. Comen. Eccl. adnotatus est.

DE S. FLAVIANO MARTYRE Montisphysconis Patrono.

FLauianus Nobilissimus Romanus (fuerat enim Vrbis Præfectus) Sanctæ Dafrosæ Virg. & SS. VV. Demetriæ, & Bibianæ Pater. Cum Christianos foueret, ac suis facultatibus in Iuliani Apostatatæ persecutione sustentaret Martyresq; ad pro Christo cruciatus perferendos hortaretur, illorũ q; corpora sepeliret (In ijs Priscum, & Priscellianum, ac Benedictam) accusatus apud Apronianum Præfectum variè tentatur, vt Imperatori adhærens Deos veneraretur, sed frustrà. Nam in Christi confessione constantissimus fuit. Quare Præfectus ira accensus nulla Nobilitatis habita ratione Flauianum more seruorum, & tanquam Proditorem in facie ignominiosè sigillatum ad Aquas Taurinas in exilium misit; vbi post triduum animam Deo reddidit. *Ex passiono S. Bibianæ Virg. eius filiæ.*

Flauianus, licet nobilissimus, more seruorum in facie signatur, exulatq;.

ANNOTATIO.

Acta S. Flau. quæ in Eccl. Montis Physconis habentur, multa cōtinent fabulosa, correctione digna. Cur aquæ dicantur Taurinæ.

Eiusdem Flauiani acta M.S. quæ in Ecclesia Montisphysconis habentur legimus; sed in eis multa fabulosa continentur, ac actis M. S. Sanctæ Mariæ Maioris contraria: Nam inter alia Flauianum ad Montem, qui Arcisis dicebatur, nunc autem Mons flasconis venisse, fessumq; ex itinere, cum deesset aqua, effossa terra, fontem emanasse aquas Taurinas dictum, quod Sanctus Flauianus more Tauri in eo biberit, ibiq; obdormisse in spelunca, quem missi ab Imper. mortuum repertum nunciasse ac Imperatore id non nisi caput eius videret, credente, amputatum caput Romam Imperatori detulisse, sed admonitos in somnis caput in eundē locū restituisse, sicq; Flauianū gladium persecutoris, quem viuus euaserat non euasisse mortuum, & alia huiusmodi narrantur, quæ cum Martyrolog. Romano, & antiquis M. S. aduersentur, maximè cum Iulianus Romæ Imp. nunquā fuerit, neq; in Italia, maxima indigent correctione.

DE S. AEMILIANO EPISCOPO, ET MART. TREBIATE.

S. Aemilian° Paraliticum, quem Idolorum Sacerdotes sanare nequeūt, in medio fori curat.

S. Aemilian° variè, ac crudelissimè exagitatur.

Rota ad S. torquendum parata confracta ad 500 ex Gentilib° occidit.

Interim Hilarianus, Dionysius, & Hermipp° decollantur.

Lac ex S. Corpore pro sanguine manat.

Atque arbores flores, & fructus emittunt.

Aemilianus natione Armenus Christianis, & honestis parentibus ortus, prædicandi, & patiendi pro Christo cupidus Dioclet. & Maxim. Impp. venit in Italiam; ac primum Spoletij vmbriæ Metropoli constitit. Vbi cum aliquandiū orationibus, vigilijs, & prædicationibus vacasset à Rom. Pont. Episcopus Trebiæ creatur. Quò, cum Hilariano Monaco, qui ei in sacris literis præceptor fuerat; & cum Hermippo, & Dionysio nobilibus adolescentibus nuper ad Christum conuersis venit, ac multos Christo lucrifacere prædicando cœpit. Verùm ab Idolorum Sacerdotibus accusatus comprehenditur, & cum coram Præside non sine illius, & adstantium admiratione de Christiana fide disseruisset, seq; illam opere comprobaturum pollicitus esset, venitur ad miraculū: Nam paraliticus in medio fori constitutus, quem Idolorum Sacerdotes Dijs inuocatis sanare non potuerant, statim ab Aemiliano Christi nomine inuocato sanatus est. Sed Præses forte Imperatorum decreta veritus dira Aemiliano supplicia minatur, nisi Dijs imolaret, ac id facere recusantem in equuleo suspensum, ardentibusq; facibus ad eius corpus admotis cruciari iubet. Igne autem diuinitus extincto manibusq; tortorum deficientibus, ludexiratus id magicis artibus tribuens S. Episcopum in Sartaginem plumbo liquefacto plenam mitti, deinde saxo ad collum alligato in Ditumnum flumen demergi, ac demum feris obijci imperat, ex quibus omnibus Martyr diuinitus ereptus, populo magnum, & verum esse Deum Christianorum clamante, ingens rota, quæ illum dilaceraret, iubente Præside, paratur. Quæ diuina virtute confracta ad quingentos ex gentilibus occidit. Interim Hilarianus, Dionysius, & Hermippus cum Dijs Sacra facere nollent, & ad eorum preces simulacra Deorum concidissent, gladio iussu Præsidis feriuntur. Post quos Aemilianus frustrà blanditijs tentatus, ac nouis supplicijs ei propositis imperterritus extra Vrbem ductus capitalē sententiam excepit. Ex cuius corpore ac pro sanguine fluxisse, arboresq; flores, & fructus emisisse ferunt. *Ex Monum. Eccl. Spoletinæ, & Trebiatis.*

ANNOTATIO.

De Aemiliano agitur Spoletij, quem propterea nonnulli Episcopum Spoletinum putant; quod Actis repugnat. Quo tempore passus sit, Acta non habent, quæ Spoletij

Spoletij vidimus. Vbi nihil agitur de Socijs. Hermippo, & Dionisio. De quibus Tribia agi intelleximus.

Ianuarij die 29.

DE S. VALERIO EPISCOPO LVCENSI II. & Martyre.

VAlerius Lucæ in Hetruria natus à *S.* Paulino Episcopo, cuius discipulus fuit, ad fidem Christi conuersus, ac in fide eruditus ab eodem Præsbyter Ordinatus est, cui in Episcopatu subrogatus, nō solū iam effectos Christianos, in fide confirmauit, sed assiduis prædicationibus multis ad Christum perductis ex Gentilibus, Ecclesiā Lucensem mirificè auxit. Quare ab Idolorū Cultoribus tentus martyrio affectus est. Cuius cor. à Christianis conditum postea miraculis fulgens in ædem *S.* Paulini translatum est. *Ex Monum. Eccl. Lucen.*

ANNOTATIO.

H*Aec ex quodam M.S. quod ab ea Ecclef. accepimus; licet in Tab. eiusd. Eccl. haud Episcopus Lucen. nominetur. Hac die etiam Valerius Episcop. Cæsar Augustanus. Cuius Corpus Alexandria, qui escit, & Valerius Episcopus Treuirensis, cuius corpus Treueris est, colitur. Ex quo hunc ab illis diuersum esse apparet.*

DE S. AQVILINO PRAESBYTERO, ET MART. Mediolan.

AQuilinus Herbipoli (quæ est Franconiæ in Germania Metropolis) nobili genere natus à puero Christianus æquales suos, qui de fide male sentiebant, disputando exagitabat. Adolescens Canonicus Coloniensis factus, paulòque post in patriam reuersus Patrimonium omne, mortuis parentibus, pauperibus distribuit. Sicque expeditior rediit Coloniam, vbi defuncto Episcopo ob eius sanctitatem, & doctrinam communi omnium cōsensu Episcopus eligitur, Quem honorem ne acciperet Parisios confugit, eamque ciuitatem peste laborātem maximè iuuit, & orationibus subleuauit. Indè in Italiam digressus Ticinum venit, & tandem Mediolanum, vt S. Ambrosij Episcopi, cuius studiosissimus erat, sepulchrum veneraretur. Vbi ab Arrianis contra quos pro fidei Catholicæ defensione certamen inierat; dum ad eiusdem S. Ambrosij Basilicam orandi causa de more accederet, gladio in Gutture transuerberatus occiditur. Cuius corpus in Eccl. S. Laurentij honorificè conditum est. *Ex Breu. Mediolanen.*

S. Aquilinus Episcopatū Coloniens. fugiens recusat, ac Parisium peste laborantē subleuat. Mediolani cum Arianis decertat.

ANNOTATIO.

Q*Vo tempore Sanctus Aquilinus vixerit, & Martyr occubuerit ex historia eiusdem minimè apparet. Coniectura est illum sub Theodorico Rege Arianorum patrono passum fuisse.*

DE

DE S. CONSTANTIO EPISC. ET MART. PERVSINO.

CONstantius Perusiæ Christianis parentibus ortus, bonisq; litteris eruditus breui in omni virtutum genere excelluit; ac annum agens 30. Episcopus suæ ciuitatis in locum demortui creatur. Quo in munere multos prædicatione, vitæ exemplo, & miraculis ab idolorum cultu ad Christum conuertit. Quare ad M.Antoninum Verum Imp. delata, Lucium Consularem Perusiam mittit. Qui Imperatoris mandato cum Carisio Præside communicato Constantiũ cum alijs Christianis comprænhensum, & Præsidis blanditias, minasq; deridentem, pugnis contundi, deinde Thermis septuplo, magis quam consueuerant, accensis, includi iubet. Sed aquis diuinitus tepefactis, Thermisq; luce insolita collustratis, illarum custodes cum vxoribus liberis, & propinquis Christianam religionem amplectentes Constantium liberũ inde dimittunt. Qui ad Monticellum locum agri Perusini veniens, paulopost cum Anastasio (ad quem diuerterat) Carpopharo, alijsq; Christianis Perusiam reductus, prunis ardentibus obruitur: Tum coniectus in custodiam (vbi multos, varijs morborum generibus oppressos liberauit) paulopost Christianorum precibus, & opera extractus, Assisium dum ire contendit, in via ab Imperatoris satellitibus, qui tunc Spoletij agebat, comprænhensus tandiu vulneribus afficitur, vt penè animam exhalaret: Sed ab Angelo recreatus Assisium perducitur, in eandem custodiam, in quã ante Concordius Præsbyter, & Põtianus coniecti fuerant traditur. Inde paulopost cum socijs Hispellum, Spoletum perducendus trahitur. Vbi cũ plures ad Christum conuerteret, à Satellitibus apud Trebiam tandem pro Christi fide capite plectitur. M. Antonino Vero Imp. & Sotere Pontif.Max. circa annum sal.175. cuius corpus inhumatum ab hostibus relictum, Fulginas Ciuis, Leuianus nomine, diuino monitu perquisitum, & choris Angelorum circumseptum repertum, Perusiam deferri curauit. lumine oculorum ijs, qui deferebant, diuinitus restituto, ibiq; ad ciuitatis Mœnia honorificè conditum est. Ecclesia ibi postea suo nomini dedicata. *Ex lectionibus, quæ in eius festo Perusiæ nuper Romæ approbatæ leguntur.*

S. Constanti' multos ad Christũ conuertit.

Thermæ, quibus S. Cõstantius includi debet aquis cælitus tepefactæ sunt, ac luce insolita collustrãtur.

Thermarum custodes conuertuntur.

S Constanti' diros perfert cruciatos.

Corpus S. choris Angelorum circũseptum, repertum.

ANNOTATIO.

DVo in memoratis lectionibus correctione digna animaduertimus; primum quòd pro Antonino Vero Imp. Antonio Vero Imp. legitur. Alterum quòd anno prædicto 175. mense Ianuario haud Soter, sed Anicetus Ecclesiæ praerat, vt ex Annalib. Baron. Soter enim subrogatur Aniceto eodem anno die 14. Maij. Nondum itaque Soter PP. erat die 29. Ianuarij an. D.175.

DE S. CONSTANTIO EX IVL. ROSCIO HORTINO.

,, *HIc ille intenues primum sese extulit auras*
,, *Antiquæ Albionum præclarus origine gentis.*
,, *Et v x terdenos æui compleuerat annos.*
,, *Iamque animo interiore agitat diuina, nec illum*
,, *Terra iuuat, sordent grauibus mortalia curis.*
,, *Interea plebs tota foro diffusa patenti*
,, *Acclamat dignus sacras Constantius aras*

Qui

,, *Qui regat, & veste niteat, claraque Tyara*
,, *Præficitus templo inuitus, morumque magister*
,, *Dat Iura, & sancti: retinet sub legibus vrbem.*

DE SS. PAPIA, ET MAVRO Martyribus Romanis.

PApias,& Maurus milites Romani Diocl. & Maximiano Impp.cum Sāctorum Saturnini,& Sisinnij Martyrum constantiam mirarētur, ac ad eorum preces Iouis statuam contritam vidissent, ad Christum conuersi Laodicij vrbis Præfecti iussu comprehenduntur, ac primum se Christianos esse confessi ora lapidibus contusi in vincula conijciuntur. Vbi baptizati, post aliquot dies educti cū in fidei confessione constantes permanerent variè torti sunt; nam primùm fustibus cæduntur, deinde plumbatis tandiù percutiuntur, quoad animas exhalarent. Quorum corpora à Christianis in via Nomentana 4.Kal.Feb. sepulta sunt. *Ex Martyrolog. Romano, Adonis, & Galesinij, ac ex Petro in Catalogo lib. 3. cap. 40.*

ANNOTATIO.

PLeriq; hos Sanctos Martyres in carcere à S. Marcello Papa baptizatos, ac martyrio affectos ab eodem vna cum Ioanne Presbytero sepultos tradunt: Verùm dubium ex eo generatur, quòd Diocletianus, & Maximianus extra Vrbem existentes anno sal.404. Imperio se abdicarunt, quo anno S. Marcellus Pontifex creatus est, Ex quo mihi pro Marcello Marcellino potius legendum videtur. Marcellino enim PP, Saturnin. & Sisinnius passi sunt.

Verisimilius Marcellinum pro Marcello legendum videtur.

Sed ad circa finem Imperij Dioclet & Maxim. accidisse dici potest. Quod ex eo facilè persuadetur, cum in gestis S. Marcelli Papa horum Martyrum mentio fiat. Verùm enim verò cum hi sub Dioclet. passi in Martyrol. Rom. referantur, Marcellus autem Galerio, & Constantio Imper. Pontif. inierit, à Marcellino Papa potius, & Ioan. presbytero quam a Marcello Papa sepulturæ traditos fuisse videtur, vel si à Marcello, ab eo nondum Pont. id factum esse dicendum est.

DE SS. MARTYRIBVS SEVSTIO, & alijs octuaginta Tudertinis.

ABlauius in Hetruria Proconsul Dioclet. & Maxim. Imper. Tudertum veniens, multos ex Christianis affecit martyrio, in quibus octuaginta fuere, quos S. Cassianus Episcopus Tudertinus ad Christum conuerterat. Hos Ablauius dum immobiles in fidei susceptæ proposito permanerent, absque vlla iudicij forma pœna capitali damnauit. Quorum corpora in ignem coniecta sunt in regione Apentina, quo loco apud Vrbem à D. Fortunato Episcopo Martyribus templum augustum extructum fuit circa ann. sal. 303. Quos Martyres proximè Sanctus Cassianus effuso sanguine secutus est. Erat in horum Martyrum nume ro Seustius, eiusdem Ablauij ex fratre Nepos, quem Proconsul facilè liberasset, sed Ciuitate reclamante, vt idem in Seustium, quod contra alios, exequeretur, veritus Imper. edicta Nepotem blanditijs, & promissis à sententia reuocare conatur: illumque Matri, vt à proposito remoueret, tradit: Sed cum illa Christiana fuisset

S. Cassianus martyrio coronatur.

fuiſſet depræhenſa (nam occultè filium ad Pontianum Epiſcopum in ciſterna latitantem adduxit, ab eóq; vnà cum filio ad Martyrium fortiter ſubeundum vehementer inflammata eſt) Ablauius iratus illam ad ſe cum filio redeuntem, ac in Idola ſibi oblata, vt illa coleret, expuētem, diù excruciari iuſsit, & Seuſtiū diuerſimodè tortum, & fuſtibus cæſum proprijs manibus pugione iugulauit. Quo tempore ingens terræmotus Apentinam Regionem, quæ veteri Ciuitati imminebat multo hiatu abſorbuit. Corpus Seuſtij capſa lignea incluſum duobus iuuencis indomitis raptandum iuſſu Procōſulis iungitur, ad Traſimenum Lacum in loco, qui dicitur confinis conſtitere, ubi Aretina nobilis Matrona Corpus illius ſepeliuit, Eccleſia ibi extructa. *Ex lectionibus, & officijs Eccl. Tudertina nuper à Sacra Rituum Congregatione approbatis.*

Mater S. Seuſtij in Idola expuit.

Terræmotus ingens Apentinam regionē abſorbet.

ANNOTATIO.

Est, quod in hac Sanctorum Martyrum hiſtoria dubitationem ingerit: Nam ſi Sanctus Seuſtius ex numero 80. Martyrum erat, quos Sanctus Caſſianus Epiſcopus, poſt illos coronatus, conuerterat, quomodo à S. Pontiano Epiſcopo potuit vnà cum Matre ad Martyrium inflammari? præſertim cum S. Caſſianus die 13. Augusti paſſus legatur. Fortaſſe dicet aliquis non ſubijſſe Seuſtium Martyrium eodem tempore cum alijs 80. Sed ex ipſa hiſtoria contextu circa idem tempus quo 80. Seuſtius paſſus fuiſſe; licet non eadem die, videtur. Deinde cum Caſſianus Pontiani diſcipulus fuerit, ab eo ad Chriſtū conuerſus, Romæ, quo poſt 80. MM. & Seuſti Paſſionem vinctus, perductus fuerat, vti ex eiuſdem vita legitur, ſic dici minime poteſt. Ex quo etiam illud quod SS. MM. 80. a Caſſiano conuerſos dicitur, falſum eſſe liquet, cum Caſſianus nondum Chriſtianus eſſet, nedum Epiſcopus. Qua de re infra vbi de Caſſiano agetur.

De S. Caſsiani martyrij tempore verè dubitari licet.

DE S. SEVERA VIRG. ET MART. ROMANA, AC de SS. Maximo eius Patre, Secunda Matre, Marco, & Calendio Fratribus, ac Flauiano Præfecto.

Seuera Virgo Romana Maximi militum Præfecti, & Secundæ Vxoris filia ab eis in fide Chriſti erudita eſt: cū autem idem Maximus fidem in Chriſtum alijs centum prædicaſſet, & alios conuertere ad Chriſtum non deſiſteret: re ad Maximianum Imp. delata, ad Arenam fodiendam cum 120. militibus, quos nuper Chriſto conciliarat damnatur. Cum verò alios, qui ad eum viſendum accedebant, ad Chriſtum perducere conaretur Marcus Legionis Tribunus eos fuſtibus cædi imperat: Tribuno autem propterea cæco effecto, Imp. miſit, quo 120. vnà cum Maximo capite plecteret, cæteros verò combureret. Quorum Corpora à S. Marcellino Papa, & Ioanne Præsbytero via Salaria ſecundo ab Vrbe lapide ſepulta ſunt. Seuera poſt aliquot dies vnà cum, Secunda Matre, Marco, & Calendio fratribus ad Iudicem perducitur, ac Secunda qui dem interrogata, in ipſa reſponſione ſpiritum Dęo reddidit; reliqui verò cum in fidei confeſsione cōſtantes eſſent, ac Flauianus Præfectus, qui Angelicas manus ſuper eorum capita viderat, vehementer commotus ad Chriſtum conuerſus cum tota ſua domo à Theodoro Præsbytero baptizatus eſſet, eos Imperator centum cellas relegatos, capite plecti iubet, prius plumbatis cæſos. Quorum corpora ibidem condita ſunt vbi locus adhuc S. Seueræ nominatur. *Ex Catalogo SS. lib. 3. cap. 41. Anton. Gallonio lib. de Virginibus Romanis. ex Baronio t. 2. An.*

Seuera ad fodiendam arenam cū 120. damnatur.

Maximus cū 120. capite plectitur.

Flauianus Præfectus ad Chriſti conuertitur, & cū tota ſua domo martyrio coronatur.

AN-

ANNOTATIO.

ALiquis fortaſſe mirabitur, cur in Martyrolog. Romano, neq; Seuera. nec ſupra memoratorum Martyrum vlla fiat mentio; ſed minimè mirandum eſt, quia ſi Sancti omnes, quorum acta probata extant, in Martyrolog. deſcriberentur, illud in immenſum creſceret, & licet Card. Baronius multos addiderit ex facultate ſibi à Romano Pontifice conceſſa, multos tamē omiſit, quorū tamen geſta in ſuis Eccl. probauit.

Mirum non eſt ſi omnes SS in Martir. Rom. minimè reperiuntur.

DE SANCTO BACVLO EPISCOPO SVRENTINO.

BAculus Neapoli nobili loco natus à Parentibus piè, & in liberalibus diſciplinis educatus; quò magis ætate, eò etiam virtutibus creſcebat. Factus vir fama eius eruditionis, vitæq; probitatis peruolante à Surentinis in demortui Epiſcopi locum eligitur. De electione à legatis certior factus primùm illam reſpuit; ſed cum Surentini in poſtulatione perſiſterent aſſiduis eorum precibus ad extremum ceſſit. Surentum itaq; veniens munus Epiſcopale tanta cæpit prudentia, & religione adminiſtrare, vt nihil, quod ad boni Paſtoris officium pertinere videretur, omitteret. Erat in cultu diuino maximè ſollicitus, in cura pauperum peruigil, ac vt omnium Pater omnes conſilio, & opere fouebat, ita vt neminem à ſe triſtem dimitteret. Eccleſia ſua ſumma cum laude plures annos adminiſtrata 4. Kal. Feb. non ſine omnium lacrymis ceſſit è vita. Cuius corpus ad Mænia Ciuitatis, vt aduerſus hoſtes duplex haberetur præſidium, ſepelitur, donec in medium Vrbis in templum Idolis purgatum, & D. Felici Epiſcopo, & Mart. Nolano dicatum illatum eſt. Claruit miraculis, in quibus illud præcipuè memoriæ proditum eſt, quod cum Sergius Præsbyter, qui poſtea Stabienſium Epiſcopus fuit, Aram S. Baculi quatuor columnis teſtudinem illius fulcientibus ornaſſet, tantus, tamq; ſuauis odor ex illius corpore efflabatur, vt etiam extra Eccleſiam diffuſus ſentiretur. Cum autem Sergius columnam humero ſuſtinere conaretur, ſtatim dimidia corporis parte debilitatus, viribusq; deſtitutus eſt, donec proſtratus in terram, veniam ob irreuerentiam, & opem à Sancto Epiſcopo petens priſtinæ ſanitati reſtituitur. *Ex lib. Dauid Romai de SS. Surenti Protectoribus.*

Baculus Surentinū Epiſcopatū reiectum ſuſcipit

Corpus S. Baculi miraculis claruit.

ANNOTATIO.

TEmpus, quo Sanctus Baculus vixit ab auctore vitæ illius haud expreſſum eſt, illud enim ſe ſcire non potuiſſe ait: antiquum tamen eſſe ex eo colligitur, quod corpus illius in templum Idolorum translatum fuit.

DE S. IVLIANO HOSPITE.

IVlianus cognomento Hoſpes honeſto loco natus, adoleſcens cum inter venandum Ceruum inſequeretur, mira res contigit. Nam Ceruus conuerſus, & loquens Iuliano fore, vt parentes interficeret, prædixit. Qui ne tantum facinus admitteret, longius à Patria ſecedens à Principe quodā, cui fideliter in ſeruierat, dux militū creatur, & Viduā caſtri vnius dominā vxorē duxit. Interea parentes amiſſum filiū per diuerſa loca exquirentes, tandem ad illud caſtrum, quo

Ceruus alloquitur d. Iulianum.

quo tempore Iulianus aberat, perueniunt, ab vxoreque cui causam sui aduentus aperuerant, hospitio excipiuntur. Quos Iulianus summo mane domũ reuersus in proprio lectulo dormientes inuenit, eosq; vxorem cum adultero aliquo concumbentem suspicatus, interfecit. Egressus autem, cum vxorem à templo, vbi missam audierat redeuntem vidisset, & quinam in suo lecto cubarent, percunctatus, Parentes suos intellexisset, tanto dolore afficitur, vt statim omnibus relictis ad fluuium, in quo multi periclitabãtur, hospitio ibi extructo, vnà cũ vxore, quæ illum secuta est, diu habitauerit transeuntes hospitio accipiens, & transuadans. In quibus pauperem, leprosumq; hyeme circa mediam noctem ob intensissimum frigus lugubri voce clamantem, & iam viribus deficientem transuexit: Calefactumq;, & refectum in proprio lectulo reposuit, qui paulopost splendenti habitu in cœlum ascendens, se ad eum missum dixit, vt illi peccatum suum iam dimissum esse nuntiaret. Iulianus autem non multo post cum vxore sua sancto fine quieuit. *Ex Petro in Catalogo lib. 3. cap. 56.*

S. Iulianus Parentes interficit.

Pauper in cœlum ascendens, peccatum suum iã esse dimisũ, nunciat.

ANNOTATIO.

AN Sanctus hic Italus fuerit, vel in Italia vixerit, aut decesserit, mihi incompertum: Vitam tamen illius hic libuit inserere, quod eius memoria in Aquileiensi diœcesi, in qua hac die colitur, celebratur: fierique potest, vt in Carnis, in quibus flumina intumescentibus aquis non sine manifesto discrimine transuadari solent, vixerit.

BAPT. MANTVAN. S. IVLIANVM IOBANVM VOCAT; sic enim de eo scribit.

,, *IMberbis Iobanus adhuc lanugine prima*
,, *Iam fruticante agros, saltusque agitare solebat,*
,, *Venatuque ferum pectus exercere frequenti.*
,, *Dumque per anfractus, & tesqua per inuia tendit,*
,, *Incidit in Ceruum; cuius Deus ora mouendo*
,, *Talibus insonuit verbis; Iobane Parentum*
,, *Interfector eris, scelus hoc euadere tenta.*

Ianuarij die 30.

DE S. FELICE PAPA HVIVS NOMINIS TERTIO.

FOelix Romanus Pontificatum post Simplicium Zenone Imper. & Rege in Italia Regnante ann. sal. 483. gessit. Is cum Eutychianum Acatium Episcopum Constantinopolitanum effectum esse accepisset: coacto aliquot Episcoporum Concilio illum damnauit. Cum autem transacto triennio Zeno Imper. eum resipuisse Romam scripsisset, fœlix Messenum, & Vitalem Episcopos, vt, an ita esset, inquirerent, Constantinopolim misit; qui apud Heracleam pecunia corrupti Pontificis mandata neglexere. Quare Sanctus Pontifex eos tanquam simoniacos, & inobedientes à fidelium communione remouet, licet Messenum redeuntem, & crimen confessum ad pœnitentiam admiserit. Posthæc Fœlix Sancto Agapito mart. apud S. Laurentiũ Ecclesiã dedicauit, ac inter alia, vt Ecclesiæ, non, nisi ab Episcopo, consecrarentur, decreuit. Cum bis mẽse Decembri

S. Fœlix Vitalem, & Messenum Episcopos à communione remouet.

Fœlix, vt Ecclesiæ à solo Episcopo cõsecrentur, decernit.

cembri ordinationibus habitis Præsbyteros 28. Diaconos 5. Episcopos 30. creasset Ecclesiæq; annos ferè 9. præfuisset obdormiuit in Domino. *Ex Platina, & alijs vit. Pontificum scriptoribus.*

ANNOTATIO.

Hunc pleriq; secundum huius nominis Pontificem faciunt, ob eam causam, quòd Felicem secundum à Pontificum numero, vt schismaticum explodunt, sed cum Ecclesia Catholica illum tanquam Pont. & Mart. non modo habeat, sed etiam colat, hunc re vera tertium dicere debemus. Baron. in Annal. an. D 492. scribit Felicem obijsse 5. Kal. Martij. Cum tamen hac die in Martyrol. Rom. adnotetur.

DE S. ARMENTARIO PAPIÆ EPISCOPO.

Armentarius Ecclesiæ Ticinensi post S. Damianum circa an. à Christo nato 720. Episcopus præfuit. Is orationibus maximè addictus erat: dicereque solebat, iuxta iustè petita non exaudiri impossibile esse, & orationem ad impetrandum, quod petimus, efficacissimam esse, imperioq; sublimiorem: vis enim orationis aiebat vim ignis extinxit, ora leonum conclusit, bella dissoluit, Dæmones expullit, tempestates, & morbos fugat, mortisque vincula disrumpit, irā Dei, malaq; omnia à nobis auertit: cum Vir Sanctus Ecclesiam Ticinensem aliquot annos sanctè administrasset, tertio Kalen. Febr. qua die eius natalis ab Ecclesia Papiensi recolitur, ad præmium euolauit in cœlum. *Ex Iacobo Gualla lib. 2. cap. 2. Sanctuarij Stephano Beneuentano li. 2. c. 2. c. historia Ticinensis, & alijs. Meminit eius & Pet. Gales. in suo Martyrolog. qui corpus Armentarij miraculis clarescere scribit.*

S. Armentarius orationem summoperè commendabat.

ANNOTATIO.

Gesta huius S. Episcopi, & tempus quo vixit, vt aliquot aliorum sciri minimè potuerunt cum pleraq; monumenta Ecclesiæ Ticinẽsis obcrebras vastationes, quas passa est, dispererint. Corpus in Sacrario Maioris Ecclesiæ vnà cum corpore S. Lithifredi asseruatur hoc tempore. Fertur in Episcopatu annos 12. vixisse, obijsseque Gregorio III. Pont. Max. & Leone Isaurico Imp. Iconoclasta.

Ticinum crebrò vastatū.

DE S. SAVINA MATRONA LAVDENSI.

Sauina nobilis Matrona Laudensis in immani Maximiani Imp. persecutione multa ergà Christianos in carceribus detētos officia pietatis exhibebat, Martyrumq; corpora perquirens, ea honorificè, vt poterat sepelienda curabat, in ijs Sanctorum Naboris, & Felicis, qui extra Mediolanum fortiter pro Christi fide dimicantes martyrium fœliciter compleuerant, noctu accepta, vehiculoq. imposita, minis impiorum neglectis Mediolanum in Basilicam Philippi detulit, & condidit: Ad quorum Sepulcrum Sancta Mulier orans migrauit è vita 3. Kal. Feb. *Ex Breuiario Mediolanen.*

S. Sauina pietatis officijs mirificè intenta.

S. ad SS. Naboris, & Felicis sepulcrū migrauit.

ANNOTATIO.

Licet hæc Sancta Matrona Mediolano, quòd ibi obierit diem, attribuuntur; Lauden. tamen fuit. Ex nob. vt aiunt Laudenses, Tressenorum familia. Corpus Mediolani in æde S. Francisci.

DE

Ianuarij die 31.

DE SANCTO GEMINIANO EPISCOPO, ET Patrono Mutinensi.

Geminianus Dæmonibus infensus.

Sæuissimam tempestatem serenat.

Imperatoris filiam, obsessam liberat, atque ægros curat.

Mira Atilæ clementia.

Seuerus Episcopus Rauēnas S. Geminiani obitui interfuit.

GEminianus Mutinæ nob. Parētibus ortus, à puero in literis eruditus in clericorū numerū adscribitur ac nō multo post Diaconus ab Antonio Epis. Mutinen. creatur. Post cuius Episcopi decessum à Clero, & à Populo in illius locum deligitur. Quem honorem, cum recusasset, aliquandiù delituit: Verùm postea repertus, instanteq; Populo, & Patritio Episcopus Mutinen. ab Archiepis. Rauennate consecratur. In Episcopatu aliquot à Dæmone molestias passus est. Exeunti enim ab Ecclesia terrens apparuit, quem S. Episcopus signo Crucis effugauit. In aere minitantem se breui vlturum, quod post modicum tempus præstitit. Nam Imperatoris Constantinopolitani filiam ità oppressit, vt ab ea, se non egressurum, nisi præsente Geminiano diceret, quem Imperator diù conquisitum, & tandem inuentum per legatos, orat, vt ad se Constantinopolim quàm primum veniret. Geminianus itaq; cum legatis, naui conscensa ortam seuissi[m]am tempestatem in alto mari à Nautis excitatus (dormiebat enim) precibus Deo porrectis sedat. Vbi Constantinopolim venit cum filiam a Dæmone, aliosq; infirmos curasset, ab Imperatore multis muneribus affectus ad propriam Sedē remeauit. Quo tempore, cum Atila Hunorum Rex Mutinam hostiliter ingressurus esset, ei S. Episcopus occurrit pro communi salute Regem deprecaturus, à quo interrogatus quis esset, respōdit se Dei seruū esse, cui ille, se flagellum Dei ad seruos eius puniendos esse, dixit. Reuersus Geminianus portas Vrbis iussit aperiri. Rex verò vnà cum exercitu ingressus per Vrbem non secus, ac per agrū recta, quasi ciues nec ædes cerneret, nullo prorsus malo illato pertransijt. Cuius rei gratia quotannis festum, quod victoriā S. Geminiani vocatur, solēni ritu celebratur. Geminianus tandē meritis, annisq; plenus ægrotans, voce è cœlo ad eum facta, post aliquot dies 3. Kal. Feb. cessit è vita, cuius exequiæ dum fierent Seuerus Episcopus Rauennatum celebrans, dū legeretur Epistola, obdormijt, excitatusq; se Geminiani fratris nuper defuncti funeri interfuisse, illumq; curasse, dixit. Quod ità euenisse, vt Seuerus narrauerat, ab illis, qui Mutinam missi fuerant, depræhensum est. Multis claruit post mortem miraculis, in quibus illud maximè mirandum, quod cum Theodorus eius sucessor, Sanctiq. Ambrosij discipulus, Basilicam supra Geminiani tumulum constructam dedicaret, populusq; ad celebritatem cōuenisset, Fluuio exundante, aqua totam vrbem vsq; ad superiores Ecclesiæ fenestras crescens occupauit, nec tamen Ecclesiam, ne gutta quidem ingressa est. Ex qua populus intra templum illud consistens, mirabile dictu, hauriens bibit, in cuius miraculi memoriam Ecclesia Mutinensis festum diem recolit. *Ex vita illius typis excussa, ac ex antiquis lectionibus Mutinens. Ecclesiæ: Vitam etiam Pet. in Catalogo lib. 3. cap. 57. refert.*

A N N O T A T I O.

Historia castigatione nō caret.

NOnnulla in huius Sanctissimi Episcopi historia corrigēda continentur, illud præsertim quòd Ioviniano Imperatore natus sit, quòdq; Cōstātinopolim, ad eiusdem Imperat. filiam curandam accesserit, & quòd Attila Mutinā inuasuro occurrerit. Cum enim Iouinianus post interfectum Iulianum apud Persas ab exercitu acclamatus vix sex menses imperauerit, Dadastanq; in Asia, dum Constātinopolim tenderet obierit

obierit. Fieri non potest, vt Geminianum eò ad se accesserit, muneribusque affecerit. Cum etiam inter Iouinianum ad Imperium assumptum anno sal. 363. ad Attila in hac loca, post Aquileia excidium, Leone Primo Sum. Pontif. (qui anno sal. 440. creatus est, & an. 452. occurrit Attila) aduentum multi effluxerint anni non video quomodo S. Geminianus tantum, & vsque ad id temporis vixerit, maximè cum ante S. Seuerum Episcopum defunctus sit, qui Seuerus, cum sub Iulio Primo Concilio Sardicensi interfuerit; circa annum salutis 347. celebrato: dubio procul ad Leonis Primi Papa, & Attila Regis Italiam inuadentis tempora non peruenit, si tempus, quo ad Episcopatum euectus fuit, & quo vixit supputatum fuerit. Ex historia Rauennatum & ex Cronologia Ecclesiastica. Magna itaque opus est censura.

DE SANCTO IVLIO PRÆSBYTERO APVD NOVARIAM.

IVlius Præsbyter in Christiana Religione educatus, vnà cum fratre Iuliano ex Oriente Theodosio Imperatore Romam peregrinatus, ibi diù ad Aquas salutas commoratus fuit. Roma in Liguriam, seu potius in Insubriam venit; in peregrinatione, multas Ecclesias, facultate ab Imperatore Idolorum templa demoliendi, Ecclesiasque more Christiano exædificandi impetrata cõstruxit. Aliquot miraculis perpetratis, in quibus vnum referre nõ pigebit. Quidam, dum ligna incautè secaret, digitũ sibi ferro amputauit, ex quo tantus sanguis effluxit, vt mori putaretur. Is digitus ad S. Iulium perlatus, factoque ab eo signo crucis, ad eum, cuius erat, relatus manui, vnde exciſus fuerat, admotus, sic hæsit, ac si nunquam fuisset amputatus. Cum autem Sanctus Vir Ecclesias centum ædificasset pietatis laude, vitæque sanctitate clarus, ac alijs rebus diuinitus gestis apud Nouariam pridiè Kalen. Febr. migrauit è vita. Cuius corpus vnà cum fratris in Insula, quæ Sancti Iulij dicitur intra Hortanum Lacum, quẽ siccis pedibus super pallio traiecisse ferunt, conditum magna populorum frequentia colitur. *Ex Breuiario Mediolanen. & Ecclesia Nouariensis Monumentis. De eodem Pet. Galesinus in suo Martyrologio.*

Iulius absciſsum digitum suo loco mirabiliter cõnectit.

ANNOTATIO.

IN Martyrologio Romano Mediol. S. Iulius adscribitur; cum tamen ex eius vita, eum non apud Mediolanum habitasse, aut decessisse, sed apud Nouariam satis constet. Sed puto potius Mediolani, tanquam Metropolis, sub qua Nouaria continetur, mentionem in Martyrologio factam fuisse, seu potius ob eã causam, quod de eo in Breuiario Mediolanen. agitur.

DE SANCTA MARCELLA

Vidua Romana.

MARCELLA Nobilis Romana post Viri, quo septimo mense orbata est, excessum, à Cereali viro consulari, qui ingentes illi diuitias pollicebatur, in matrimonium postulata, ita respondit. Si velim nubere, & non pudicitiam seruare, maritum vtique quærerem, non hæreditatem, cum autem ille diceret, posse senes diù viuere:

Marcella secundas reijcit nuptias.

imò (inquit illa) possunt iuuenes citò mori, senes autem non diù viuere vitam; itaq; vidualem amplexa vestibus, quibus tantùm frigus arceret, membráq; contegeret vtebatur; Auro, neq; argento vsa, pecunias, magis in egenorum ventribus, quam in marsupijs reponens. Husquam sine matre erat. Clericorum, aut Monachorum, si quando oporteret, nullum sine arbitris alloquebatur. Virgines, ac viduas semper in suo habebat comitatu. Diuinis scripturis assiduè vacabat. Raro in publicum procedens, nobilium Matronarum quoq; domos vitabat. Matri sic erat obediens, vt plura, quam imperabat, faceret. Sic autem suam multis annis transegit ætatem, vt se ante vetulam cerneret, quàm se adolescentulam fuisse meminisset, sicq; semper vixit, vt moritura. Cum fidem catholicam in vrbe turbari vidisset, contineri non potuit, quin Nouatoribus generosè resisteret. Roma à Gothis Athalarico Rege capta, & ipsa non mediocriter exagitata est: Nam flagellis, & fustibus cæsa, pedibusq; hostium attrita fuit. Facultatibus autem sublatis dicebat, nuda exiui de matris meæ vtero, & nuda reuertar. In ea vrbis direptione precibus, & lacrymis nè Principia Virgo abduceretur à militibus obtinuit, & ipsa post aliquot dies sano, integroq; corpore migrauit ad Christum. *Ex Diuo Hieronymo in Epistola 16. ad Principiam.*

Marcella Nouatoribus intrepidè sese opponit.

Egregia Marcellæ patientia.

ANNOTATIO.

Principia, ad quam S. Hieronymus scripsit, à S. Marcella loco filia habita est, de qua plura apud Antonium Gallonium lib. de Virginibus Rom.

DE SS. MARTYRIBVS CYRO, ET IOANNE.

Ioannes Edessæ in Syria natus, Cyrus autem Alexandriæ ortus cum familiaritate contracta vterq; Christianæ Religionis causa variè exagitati essent: Diocletiano Imp. Romæ, vti à nonnullis traditur, in carcerem cõiecti multis verberibus cæsi, accensisq; facibus adusti, ac ferventi pice deliburi; tandem, cum in fidei confessione immobiles permanerent, præcisis ceruicibus, illustre martyrium compleuerunt via Portuensi. Qui in Vico Equensi apud Surentum vti Patroni eius vrbis præcipuò honore habentur. *Ex Martyrolog. ac ex vita per Sophronium Episcopũ Alexandrinũ scripta à Surio, & Lipomano tom. 1. relata.*

ANNOTATIO.

Licet in Romano Martyrologio Romæ passi videantur, in actibus, tamen ipsorum à supracitatis auctoribus relatis, eos alibi passos apertissimè liquet; Romæ tamen annotantur in Martyrologio, quòd ex Alessandria ipsorum corpora Romam delata via Portuensi condita fuerint. Passa est cum illis Aspasia cum tribus filiabus Theotide, Theodote, & Eudoxia; licet Pet. Gales. Ioannem, & Cyrum, cum quibus pradicta Mulieres passa sunt diuersos à Cyro, & Ioanne, de quibus suprà egimus, esse tradiderit in suo Mart.

SS. Cyrum, & Ioannem alibi, quam Romæ passos fuisse ex multis Auctoribus apparet.

Aspasia cum Theotide, Theodote, & Eudoxia filiabus martyrium subit.

Carmina de SS. Cyro, & Io. in æde S. Praxedis.

„ *Corpora Sancta Cyri renitent hic atq; Ioannis.*
„ *Quos quondam Roma dedit Alexandria magna.*

DE

Februarij die prima.

DE S. IGNATIO EPISCOPO ANTIOCHENO, & Martyre Romę.

IGnatius Antiochenæ Ecclesiæ tertius Episcopus, in persecutione Traiani Imp. ad bestias damnatus Romam vinctus mittitur. Smyrnam cum venisset, Epistolas scripsit vnam ad Ephesios alteram ad Magnesianos, tertiam ad Trallenses, quartam ad Romanos, in qua inter alia hæc continentur; *de Syria vsq; Romam pugno ad bestias in mari, & in terra, nocte dieq; cum decem Leopardis, hoc est, militibus, qui me custodiunt, ligatus; Quibus, & cum benefeceris peiores fiunt. Iniquitas autem eorum mea doctrina est: sed non idcirco iustificatus sum. Vtinam fruar bestijs mihi prȩparatis: quas, & oro mihi veloces esse ad interitum, ne, sicut & aliorum Martyrum, non audeant corpus attingere. Quod si venire noluerint, ego vim faciam, ego me vrgebo, vt deuorer. Ignoscite mihi filioli: quid mihi prosit, ego scio. Nunc incipio esse Christi discipulus, nihil de his quæ videntur, desiderans, vt Iesum Christum inueniam. Ignis, Crux bestia, confractio ossium, & diuisio membrorum, omniaq; tormenta Diaboli in me veniant: tantū Christo fruar.* Et Smyrna discedens quintam ad Philadelphios, sextam ad Smyrneos, & propriam ad Policarpum Smyrnensem Episcopum, in qua illi Antiochenam commendat Ecclesiam. Vbi Romam venisset inauditis cruciatibus tortus: postremò Leonibus in Amphiteatro inspectante Senatu, & Populo obiectus, cum eos rugientes audiret ardore patiendi, inquiens *Frumentum Christi sum dentibus bestiarum molar, vt panis mundus inueniar* ab illis deuoratus est anno Traiani 11. cuius reliquiæ Antiochiam relatæ, extra portam Daphniticam in cœmeterio condita sunt. *Ex lib. S. Hieronymi Presb. de scriptoribus Eccles. & Breuiario Romano.*

S. Ignatius quatuor epistolas scribit, cum Smyrnæ consisteret.

Smyrna discedens alias tres ad diuersos mittit.

S. Ignat. Romę inauditos cruciatus patitur, ac tandem à Leonibus deuoratur.

ANNOTATIO.

IN *Martyrolog. Rom. S. Ignatium Romæ feris obiectum præsente Traiano Impr. legitur, quod non paruam habet difficultatem: nam cum an. 11. Imperij Traiani passus sit, vt Eusebius scribit in Cronicis, eo tempore Traianus non Romæ, sed in Asiacum exercitu morabatur: siquidem ex Dione anno Imperij octauo cum exercitu in Orientem Profectus, non amplius Romam reuersus est, sed in Cilicia apud Selenontem Vrbem interijt. Augetur dubitatio ex Symeone Metaph. qui scribit in actis illius, Ignatium Antiochia Romam à Traiano missum fuisse.*

An Traiano præsente Romę Ignatius fuerit bestijs obiectus, ambigitur.

DE S. SEVERO MARTYRE RAVENNATE.

SEuerus Ciuis Rauennas Christianam colebat religionem, cum Maximianus Imperator in eam Ciuitatem venit. Cum autem is vitam innocentem degeret, ac miracula in iuuandis alijs æderet, delatus Imperatori, comprehendi iubetur, ac ad illum perductus, vt Dijs sacra faceret, quod facere cum constanter renuisset, iubente Imperatore interficitur. *Ex Monum. Rauennatis Eccles. ac præsertim ex Hieronymo Rubeo lib. 2. historia Rauennat.*

E 2 AN-

ANNOTATIO.

Hieronymi Rubei error circa corpus S. Seueri martyr.

De eodē allucinatur Petr. in Catal. lib. 3. cap. 66.

Commundus error est Hieronymi Rubei, scribentis corpus huius S. Seueri Oropitū translatum ibi asseruari, & maximè coli: nam Seuerus, qui Oropiti, siue Vrbe veteri colitur, non hic Seuerus est Martyr, sed alius Seuerus presbyter, & confessor, de quo in Martyrol. Romano 1. Octobris. Qua in re & Pet. in Catal. lib. 3. cap. 66. Seuerum mart. cum Seuero confess. & presbytero confundens hallucinatur.

DE SANCTO SEVERO EPISCOPO RAVENNATE.

S.Seuerus Lanificus ab vxore irridetur, qui columba super caput illius volitante Archiepiscopus acclamatur,

S. Seuerus antè electionē ignarus, repentè doctissimus Theologus euadit.

Concilio Sardicensi interfuit, & subscripsit.

Cadauer vxoris iussu S. Seueri locum filiæ concedit.

SEuerus Rauennas Pauper, & Lanificio victum quærens, cum Prouinciales Episcopi pro Archiepiscopo eligendo in Ecclesiam Cathedralem conuenissent, quæ nunc templum Spiritus Sancti appellatur; curiositate ductus, vt columbam, quam cœlitus descendere super futurum Archiepiscopum audierat, descendentem videret, in eum locum se contulit vxore reclamante, & verbis huiusce modi irridente, *Vado, quia statim super te descendente columba, Episcopus fies*. Completa itaque oratione, qua Sancti Spiritus numen inuocabatur, descendit ab alto columba super caput illius, sese post templi ianuam ob vestimentorum vilitatem occultantis, quæ sæpius ab eo repulsa, semper ad caput eius circumuolitans redibat. Quo miraculo perspecto, omnes illum Archiepiscopum acclamant: Qui Romam perductus, & à Summo Pontifice confirmatus Rauennam reuertitur, & munus Episcopale sanctè, ac prudenter cœpit administrare. Illud admirandum ferunt Seuerum, qui literarum ignarus erat, vt primùm sacris indutus vestibus, Vmbonem ascendit, concionem ad populum adeò doctam habuisse, qualis à perfecto, doctissimoque Theologo haberi poterat. Concilio Sardicensi sub Iulio Primo contra Arrianos interfuit, & subscripsit. Cum Innocentia filia defuncta esset, cadauer autem Vincentiæ vxoris sepulturam occuparet, iubente Seuero (mirandum) sese collegit, & locum concessit filiæ. Factus certior, qua die migraturus esset è vita, habita de rebus diuinis ad eos, qui aderant concione, vt erat sacris indutus vestibus ad sepulchrum vxoris, & filiæ pergens cum in altum sublatis manibus cœlum aspiciens genuflexus orasset, statim animam Deo reddidit Kal. Februarij. Cuius corpus Classi sepultum est. *Ex officijs Ecclesiæ Rauennatis, & Hier. Rubeo lib. 2. historia Rauennatis. Extat Petri Damiani sermo de S. Seuero à Lipomano relatus.*

ANNOTATIO.

Hieronymi Rubei haud recta suspicatio de tempore Sancti Seueri, Caio Sum. Pontif.

HIeronymus Rubeus loco citato Seuerum ad Episcopatum Caio Summ. Pontif. & Aureliano Imp. promotum fuisse scribit ann. sal. 276. cum tamen ex Platina Onuphrio Panuinio, & Ecclesiastica Cronologia. Caius Pontificatum anno 283. Aurelianus vero Imperium anno 272. inijsse appareat. Si itaque Caio Papa Episcopus factus est, post an. Dom. 283. & interfuit Conc. Sardicen. sub Iulio Primo an. D. 347. facile coniectari possumus, quantum vixerit in Episcopatu.

DE

DE S. VRSO PRÆSBYTERO AVGVSTANO.

SAnctus Vrsus Augustæ Prætoriæ in Shalassis, aud mediocrem habet venerationem Is S. Grati Episcopi Augustensis discipulus fuit, & Prior Ecclesiæ quæ nunc S. Vrsi de suo nomine dicitur, eius ordinis, aut sodalitatis, quæ in Pedemontana regione S. Bernardi nominatur. Miraculis claruit viuens, claretq; vsque in præsentem diem. Nam quoties Ciuitas nimia aeris siccitate laborat, arcam in qua corpus eius asseruatur, circũferentes opportunam solent impetrare pluuiam. Quoties etiam nimis abundant pluuiæ, sacro eodem corpore per vrbem delato, serenitas optata succedit. Illud quoque de S. Grato mirandum ferunt, Talpas illius causa nusquam in agro Augustensi ad III. M. P. reperiri. *Ex Monum. & Chron. M.S. Augustæ.* Ex Tab. Eccl. & Martyrol. P. Galeſ.

S. Vrsus S. Grati Episcopi discip.
Corpus illius in proceſ. delatum pluuiam, & serenitatem impetrat.
Circa Augustam non inueniũtur talpæ.

ANNOTATIO.

IN Tab. Eccl. Taurinenſ. S. Vrſus Episcopus hac die adnotatur, cum tamen Episcopus non fuerit, vt eius acta declarant, niſi forte is de quo in Metropolitana Taurinenſi agitur, ab hoc ſit diuerſus. Episcopum quoque per errorem facit Pet. Galeſ. in ſuo Martyrolog.

Nõ fuit Episcopus.
Error Petri Galeſ.

DE S. BRIGITTA VIRG. APVD FOESVLAS.

BRigitta, siue Brigitta Virgo S. Andreæ Diaconi Fœsulani soror, & ipsa seculari vita relicta virginitatem suam Deo vouit; eiq; toto corde inseruijt. Cum autem fratrem ex hac vita migraturũ diuinitus accepisset, ex Scotia Fœsulas breui diuina virtute delata, fratri morienti affuit. Post cuius obitum in sylua supra Fœsulas densissima, ac horrida, reliquum vitæ ad vltimam vsque senectã ab omni hominum, & mulierum consuetudine aliena cõfecit. Tandem assiduis vigilijs, ieiunijs, alijsq; corporis macerationibus, & ànnis grauata. Kal. Febr. migrauit ad sponsum, ac miraculis claruit. Cui in eodem loco apud opacum templum constructum, & dicatum est, eoq; deuotionis ergò hac die accolæ finitimi cõfluere solent. *Ex lib. de SS. Eccleſiæ Fæſulanæ Franciſco Diaceto Episcopo Fæſulano auctore.*

Brigitta S. Andreæ Fœsulani Diaconi soror.
Vitam in horrida sylua trãsigit sanctitate conspicuã.

ANNOTATIO.

HAec longè ab ea cuius hodie in Martyrologio Romano mentio ſit, quaque virginitatem ligno altaris tacto, eoque ſtatim viridi facto coram Episcopo comprobauit, diuerſa eſt: illa enim circa an: ſal. 521. floruit: hæc Caroli Magni temporibus vixit. Licet vtraque virgo Scotica ſit.

Brigittæ Virgines Scoticæ duæ.

DE S. VERDIANA VIRGINE, apud Castrum Florentinum.

VErdiana Virgo in Castro Florentino humili loco nata. à pueritia, orationibus, & abstinentiæ dedita duodenis cilicio induta duriorem aggreditur vitam, mirisq; miraculis fulsit. Cum Ciui cuidam deseruiret, in summa annonæ charitate, fabas Domini sui pauperibus erogabat: quas cum herus non reperijsset, ità in illam ita exarsit, vt ad clamorẽ vicini accurrerent, sed Verdiana lachrymis à Deo ope implorata, arcam fabis plenam inuenit, ac si ex ijs nihil accepisset. Quapropter herus illam venerari, ac humaniter tractare cœpit. Quæ alijs mulieribus comitata in Hispaniã ad S. Iacobi tumulũ peregrinata est, indè

Verdiana Arcã fabis plenam, quam eleemosynis exhauserat, diuinitus reperit.
Verdiana ad S. Iacobi corpus veneran dum peregrinatur.

indè Romam. Reuersa in Patriam, in eremo in ipso iuuentutis flore (erat autem aspectu eleganti) inclusa, assiduis vigilijs, orationibus, & ieiunijs (semel enim in die circa solis occasum cibum sumebat) vitam duxit. Vino semper abstinuit, humi ferreo cingulo, cilicioq; præcincta cubabat. Sæpissimè Dominicam passionem meditando flebat; sibi data nihil in crastinum reseruans, pauperibus distribuebat. A colloquijs & visitationibus sic abhorrebat, vt vocata nec responderet, maximè verò in solemnitatibus per Aduentum, & Quadragesimam. Cũ vexari ad Sancti Antonij imitationem cuperet, binas serpentes, quæ maximum horrorem facerent ingressæ per fenestram, ab ea nunquam, maximè cum comederet, recedebant; quinetiam illam caudis grauiter percutiebant, nisi & ipsis cibum porrigeret, aut in eodem vase pasci sineret. Hos cum Ardingus Episcopus Florentinus, qui ad Sanctam Virginem visendam venerat, expellere vellet, ipsa ne tali exercitio priuaretur, orauit: abscissasq; caudas illis signo crucis restituisse fertur, licet pro eo beneficio ei infestiores essent; donec vna ab incolis interfecta altera disparuit; Ex quo Verdiana diem extremum sibi instare intellexit. Cum itaque annos triginta in eremo inclusa vixisset, dum Psalmos Pœnitentiales recitaret, animam Deo reddidit. an. sal. 1222. Cuius mortem campanis sponte sonantibus, ab infanti lactente patefactam ferunt: Accurrunt Sacerdotes, & populus muroque disiecto illam genuflexam, manusque ad Cœlum tendentem, licet mortuam, inueniunt. Corpus per dies 16. inhumatum, suauissimum odorem mittens, multis ægrotis sanatis, mansit. In eo loco Ecclesia eius nomine constructa manet. Clemens VII. Sum. Pont. vita, & miraculis examinatis, in quibus aquam in vinum conuersam ferunt (cum enim quidam aquam ex proximo puteo haustam Virgini per fenestram porrexisset, vinum effectam sensit, eamque idem qui hauserat, & porrexerat alijs gustandam tradidit) Pueri genu, & brachium fracta, signo crucis illicò sanasse, & mulieri cæcæ palmam porrexisse, qua oculis admota, statim visum recepit, vt officio Ecclesiastico illam venerarentur concessit. *Ex Siluano Razio lib. de SS. Hetruriæ, vitam à S. Attone Episcopo Pistoriensi scriptam referente, ac ex Cronicis ordinis Vallis Vmbrosæ.*

Mira Verdianæ abstinentia, asperrimaq; corporis maceratio

Serpentes secum habitãt, eiq; grauiter percutiunt, nisi cibũ porrigat, ac in eodem vase eos pasci sinat.

Campanæ in morte Verdianæ spontè sonãt: Infans vè lactans eã diuinitus patefacit.

Verdiana aquam in vinũ conuertit, aliaq; miracula operatur.

ANNOTATIO.

Fvit S. Virgo Verdiana Ordinis Vallis Vmbrosæ. vixitque in Eremo reclusa apud Castrum Florentinum, Florentinæ Diœcesis ab ipsa Vrbe ad 20. millia passuum distans. Ardingus autem Episcopus supra memoratus is fuit, qui septem Ordinis Seruorum Institutores habitu religioso induit.

Verdiana Ordinis Vallis Vmbrosæ.

Februarij die 2.

DE S. APRONIANO MARTYRE ROMÆ.

APronianus Commentariensis cum in persecutione Maximiani Laodicij Præfecti Beatum Sisinnium Diaconum, qui illius custodiæ cum alijs creditus fuerat, aspectibus præsentasset, ac vocem de cœlo allatam, *venite benedicti Patris mei percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi*, audisset, repentè commotus credidit in Christum, à Beato Sisinnio baptizatus, & à S. Marcello Papa sacro Chrismate consignatus. Quapropter iussu Præfecti, cum in confessione fidei permaneret immobilis, dicta in eum sententia, capitis obtruncatione martyrio coronatus est. *Ex Martyrolog. Vsuardi, ac ex Actis S. Sisinnij Diaconi, & S. Marcelli Papæ.*

Apronianus, voce cælitus emissa, credes baptizatur.

AN-

ANNOTATIO.

Pro Marcello, Marcellinum reponendum censeo, ob causam alibi allatam, cum Marcellus sub Diocletiano, & Maximiano nondum Pontifex esset.

DE SS. MARTYRIBVS FORTVNATO, FELICIANO, & Candido Romæ, ac SS. Triginta millium martyrum.

Vsuardus, & Martyrolog. Rom. hos martyres Romæ passos esse commemorant; sed quomodo, martyrij genere Triginta millium SS. Mart. quos Pet. Gales. in persecutione Diocl. an. sal. 305. martyrio affectos fuisse scribit; quo tépore Persecutio in Christianos maximè efferbuit. Quamquam quod ad tempus attinet Gales. errare videtur, cum Diocler. & Maximianus Imperium ann. 304. deposuerint: illisque Constantius, & Galerius successerint. Excusari posset Gales. quod durante adhuc Diocl. & Maximiani persecutione passi sint, non tamé durante Imperio eorundem, sed cum asserat id accidisse, dum magis efferbesceret persecutio, haud excusari posse videtur.

Galesini error circa an. Imperij Diocl. & Max.

DE SS. MARTYRIBVS LAVRENTIO, ET HIPPOLYTO FORO SEMPRONII.

Laurentius, & Hyppolitus Martyres à Fori Sempronij Ecclesia celebrantur hac die. An autem in ea vrbe, vel alibi, & in quanam persecutione martyrium passi fuerint incertum est. Nihil enim de ijs ab Ecclesia Semproniensi præter nomen, & diem, qua memoria ipsorum anniuersaria recolitur habere potuimus. *Ex Tab. memor. Ecclesiæ.*

ANNOTATIO.

Horum solus Pet. Gales. mem. hac die: neq; quicquam aliud de ipsis legimus, quam quæ ex Monumen. Eccles. Foro Sempronien. accepimus.

Februarij die 3.

DE S. LAVRENTIO EPISCOPO SPOLETANO.

Laurentius vnus ex ecc. Viris, qui Iustiniano Imp. Romam venere; cú adolescens probis moribus, & doctrina esset excultus, à Vigilio Pont. Max. in clericorum numerum adscribitur, ed eamq; vitæ sanctitatis, & eruditionis præstantiam breui peruenit, vt Sancto Ioanni Archiepisc. Spoletano, qui diem suú obierat, subrogaretur. Cui Spoletini cum Vrbis portas præclusissent, quòd Episcopum non externum, sed suum suum poscerent, diuinitus, tota Ciuitate stupescente, patefactæ sunt. Quo miraculo Spoletini permoti illum honorificè susceperc. Sic autem Episcopale officium administrauit, vt summam ab omnibus laudem consequeretur. Tanta fuit in omnes benignitate, vt némo qui illum ob aliquam causam adiret, ab eo tristis abiret. Cum annos 11. Ecclesiæ suæ sanctè præfuisset, curarum humanarum pertæsus, Episcopatui sponte cedens, in solitudinem ab vrbe Spoletina ad 60. stadia distantem se recepit, vbi Monasterio cuiusdam viri locupletis facultatibus extructo, multis patratis miraculis,

Spoleti. portæ mirabiliter patefiunt. Episcopatui sponte cedés in solitudiné se recipit, ibique moritur. S. Laurentius complurium Monachorú Pater.

S. Laurenti[*] complurium Monachorũ Pater.

multorum Monachorum Pater extit: Ac tandem annis, & meritis onustus 3. Non. Febr. migrauit ad Christum. Cuius corpus Spoletium delatum in Basilica Cathedrali conditum fuit. *Ex Monumen. Ecclesiæ Spolet. ac ex lectionibus, quæ in eius officio recitari solebant.*

ANNOTATIO.

Eius festum transfertur.

HVius S. Episcopi Festiuitas transfertur Spoleti propter Festum S. Blasij, quod ibi solemnius celebratur.

DE S. SALVATORE EPISCOPO BELVNENSI.

SAnctus Saluator Episcopus ex antiqua traditione Belunensis fuit Antistes: Eamq; Ecclesiam plures annos sanctissimè rexit, multis in vita editis miraculis, ac post mortem circa eos, qui opem ipsius implorabant. Quapropter aræ illi erectæ, templaq; diuersis in locis dicata fuere. Ex quibus etiam nũc in pago Maretio haud procul à Beluno vnum sub eius inuocatione cõspicitur, & alterum apud Carthusianos: quod præ uetustate maxima ex parte collapsum est. Eius memoria ab Ecclesia Belunensi anniuersaria celebritate colitur; alia tamen die propter intercurrentes solemnitates. *Ex Tab. Eccles. Belunen. & Chron. eiusdem vrbis à Io. Pillonio conscriptis.*

ANNOTATIO.

COrpus huius S. Episcopi in Lapideo sepulchro Ecclesia diruta memorata, apud Carthusianos quiescere putatur, vbi in pariete huiuscemodi adhuc legitur inscripti S. SALVATOR EPISCOPVS BELVNI. Qui quo tempore apud nos vixerit, ignoratur. Eius Festum in Tab. ad diem 3. Ianuarij adnotatur.

Februarij die 4.

DE S. EVTYCHIO MARTYRE ROMANO.

EVtichius Romæ iussu Imp. cui, quòd Christianus esset, delatus fuerat, comprehensus, vt à Christo deficeret minis, ac blandiijs tentatur. Sed cum in fidei Christianæ confessione fortis, & cõstans esset ministris cruciandus traditur, qui illum variè tortum in Carcerem conijciunt, vbi, testarum fragmentis pro lecto suppositis, duodecim dies sine cibo, & potu fuit. Inde extractus multisq; affectus verberibus in puteum Martyrum sanguine plenum, quo curatus est extractusq; Martyrio consumato in Cœmeterio Callisti sepelitur. Corpus postea in Basilicam S. Laurentij à S. Damaso Papa, qui sepulchrum illius versibus exornauit, translatum est. *Ex Epitaphio sepulcro eius apposito à S. Damaso.*

S. Eutychius crudeliter afflict[*] 12. dies ieiunus extat.

ANNOTATIO.

SVb quo Imp. S. Eutihcius coronatus fuerit sciri non potuit, cum S. Damasus, qui solus eius meminit, de re hac nihil scriptum reliquerit.

Carmina de S. Eutychio Mart. in marmore insculpta.

„ *EVtychius Martyr crudelia iussa Tyranni*
„ *Carnificumq; vias pariter tunc mille nocendi*
„ *Vincere quod potuit, monstrantis gloria Christi.*
„ *Carceris in luuiem sequitur noua pœna per artus.*
„ *Testarum fragmenta parant, ne somnus adiret.*
„ *Bis seni transiere dies, alimenta negantur.*

Mit-

„ *Mittitur in Baratrum Sanctus, lauat omnia sanguis,*
„ *Vulnera, quæ intulerat mortis metuenda potestas.*
„ *Nocte soporifera turbant in somnia mentem.*
„ *Ostendit latebra insontis, quæ membra teneret.*
„ *Quæritur, inuentus colitur, fouet, omnia præstat.*
„ *Expressit Damasus; meritum venerare sepulchrum.*

DE SS. MARTYRIBVS AQVILINO, GEMINO, GELASIO, Magno, & Donato Foro Sempronij.

AQuilinus Geminus, Gelasius, Magnus, & Donatus apud Forum Sempronij passi sunt. Hi omnes, quòd essent Christiani apud Vrbis Præfectum accusati compræhenduntur, ac vt Dijs immolarent frustrà admoniti, capitali in eos sententia pronunciata, capitis abscissione martyrium cõpleuerunt. Quorum corpora à Christianis pridie Non. Feb. condita sunt. *Ex Adone, Vsuardo, & Pet. in Catalogo lib. 3. cap. 82.*

ANNOTATIO.

PLeriq; Vsuardum secuti hos Sanctos Martyres Romæ passos arbitrantur: sed cum Romæ locus, qui forum Sempronij dicatur, non sit, sit autem Forum Sempronij Vrbs Vmbriæ ad Metaurum Flumen inter Caltium, & Fanum, Fortunæ, non Romæ eos passos esse, dicendum est, sed in Vrbe prædicta. Quod cum Martyrologio Romano concordare videtur, in eo enim habetur non Romæ in Foro Sempronij, sed simpliciter Foro Sempronij, quasi in vrbe vel oppido aliquo.

Vsuardi sententia haud recipitur.

Ante non multos annos Horum Mart. Foro Sempronij Festiuitas celebrari Octauio Accorumbono Episcopo Auctore cœpta est an. D. 1584. Sacra Rituum Congregatione prius consulta. Sacello in ædibus Ciuitatis pub. illis extructo: qua die cœreus ab ipsa Ciuitate in Eccl. Cathedrali quotannis in ipsorum Mart. memoriam offertur. Corpora in Eccles. Cathedrali latere putantur.

DE S. GELASIO CONFESSORE PLACENTINO.

GElasius S. Opilij frater Placentiæ honestis, & Christianis Parentibus ortus, adhuc puer, cum Opilium fratrem in cubiculo orantem inuenisset, Angelorum multitudinem colloquentem cum illo proprijs oculis vidit, vocemq; audiuit *Sinite Paruulos venire ad me, talium est enim regnum cœlorum*. Cũ autem ætate cresceret, vitæ quoq; sanctitate crescebat, ac tanquam oliua fructifera in domo Domini vberes bonorum operum fructus proferebat. Sicq; tenera adhuc ætate migrauit ad Christum. Cuius corpus primùm à S. Mauro Placentiæ Episcopo in æde S. Sauini extra vrbem conditum est; Deinde ab Euerardo Episcopo in vrbem in nouam S. Sauini Basilicam delatum est, ac demum à Fabritio eius Ciuitatis Episcopo an. sal. 1481. in honestiorem eiusdem Ecclesiæ locum solemni processione vnà cum corporibus Sãctorum Peregrini, Victoris, & Domnini translatum. *Ex officijs Ecclesiæ Placentinæ Romæ nuper approbatis.*

Paruulorum vocatio ad cœlum.

Translatio SS. Peregrini, Victoris Domnini, & Gelasij.

ANNOTATIO.

VIxit S. Gelasius vnà cum Opilio fratre circa an. sal. 420. vti ex Vrbis Placentinæ Annalibus præsertim apud Hubertum Locatum legitur.

DE S. OBITIO CONFESSORE BRIXIANO.

OBitius Eques Strenuus Brixianus, bellum inter se gerentibus Brixianis, & Cremonensibus, quibus fœderati Bergomates erant circà an. sal. nostræ 1191. cũ hostes super Olij ponte insequeretur, eo præ põdere rupto, & collapso,

vnà cum illis in flumine demersis decidit. Sed diuino munere seruatus, & suis postera die ab hostium cadaueris extractus, se ad inferos descendisse, innumeramq; animarum multitudinem eò delatam diuersis, & inauditis pęnis affectam vidisse narrabat. Qui vbi conualuisset, relicta militari, ac seculari vita, vitam adeò religiosam duxit, vt miraculis, & viuens, & defunctus claruerit. Nã cum pontem super Olio construeretur, ac architecti manus sub trabe pressa contrita fuisset, illam Obitius inuolutam pallio, manibus suis fouens mirabiliter sanauit. Cum corpus ad sepulturam efferretur, multiq; languentes aqua, qua illud lotum fuerat, aspersi sanarentur, Ancilla quędam fistulis, & plagis plena, cum aquam minime inuenire potuisset, terra ea aqua madefacta plagas tetigit, continuoq; sanata est. Mulier cæca ad S. Obitij tumulum à puellis delata, cum illa vehementius oraret visum recepit, domumq; ductorem vię non requirens, reuersa est. Mulier quoq; toto corpore contracta ad tumulum Obitij deducta, non sine ingenti qui eam nouerant admiratione curata fuit. Vir etiam quidam ita manibus, ac pedibus languẽs erat, vt vix ferulis nixus loco dimoueri posset: qui per annum in arca apud S. Obitij sepulchrum moratus, cum illud ex deuotione tetigisset, gradiendi recepit facultatem. Obijt diem pridiè Non. Februarij in Cœnobio Monialium S. Iuliæ: quibus pœnitentiæ causa viuens inseruiuit, sepultus. *Ex Monum. & antiq. Lection. eiusd. Eccles. De eo Helias Capreol. in Annal. lib. 6. Pet. Gales. in Martyrol.*

S. Obitius cũ alijs cadens in flu. nõ mergitur.

Manum contritam Architecti sanat.

Languentes aspersi aqua lotionis sanãtur.

Cæca lumen recepit.

Contracta sanatur.

Vitiat⁹ pedibus tumulo Obitij curatur.

A N N O T A T I O.

ET si in Tab. Eccles. Brixien. non adnotatus legitur: eius tamen natalem in Eccles. S. Iuliæ V. & M. vbi corpus eius asseruatur, celebrari accepimus.

DE S. VERONICA.

VEronica Religiosa fœmina Hierosolymitana, vt habet vetus traditio, quo tempore Christus Saluator noster ad patibulum ducebatur, Lineum Capitis sui peplum ei ad faciem tergendam cruore ex Sacro Capite Spinis Coronato diffluente porrexit: cui diuini vultus illius imago diuinitus impressa remansit. Hoc Sancta fœmina Romam detulisse, eoq; Tiberium Augustum difficili morbo, laborantem sanasse fertur. Porrò illud ad S. Clementis Papæ manus peruenisse, & successorum; à quibus in Vaticana Ecclesia asseruatum ad hęc vsq, tempora non sine maxima Populi Rom. deuotione quotannis exponi solet, vultusq; Sanctus, ac Sudarium Veronicæ nominatur. Ipsa verò Veronica prid. Non. Februar. ob dormijsse traditur. *Ex Martyrol. Pet. Gales. De Veronica, & Sudario illius F. Daniel. Mallonius in Elucidat. in Sacram Syndonem. Vigner. in Inst. Theol. cap 10. Supplem. Cronic. Christianus Adriconius in Descrip. Terræ S. & alij. præsertim Matth. Sperbergen.*

A N N O T A T I O.

PEt. Gales. Virginem Veronicam facit: Alij ex præd. Matronam: Vbi obierit, & quo in loco corpus illius conditum fuerit nullus docet.

Eadem in Hispania in Ciuitate Giennensi maximo habetur in honore. Altera verò Saluatoris imago, ei quæ in Vaticano seruatur, Lucæ similis asseruatur.

DE

DE SANCTO GEMVLO MARTYRE apud Gannam.

Gemulus natione Germanus cũ Episcopo, cuius nepos erat ex Germania Romam ad SS. Apostolorum limina proficiſcẽs apud Gannam (pagus eſt agri Mediolanenſis Variſio op. proximus) à Latronibus, qui Episcopi equum rapuerunt, quosq; ad restitutionem blandè hortabatur, impiè truncatus eſt. Cum ab eis interrogatus, an libenter martyrium pro Christo ſubiret, nihil ſibi antiquius accidere poſſe reſpondiſſet. Qui (mirandum) caput ſuſtulit, eoq; ceruici aptato ad Episcopum vſque peruenit, ab eoq; ſepultus eſt. Illud etiam admiratione dignum, quòd lapides eius fontis, in quem ſanguis martyris profluxit, ſiue nati, ſiue immiſſi adhæc vſque tempora rubeſcunt quaſi ſanguine tincti: ex quibus plures S. Carolum Borromæum, dum Diœceſim viſitaret, abſtuliſſe deuotionis ergo fama eſt. *Ex quodam eius Eccleſ. M.S.*

Miraculum inauditum.

Lapides in fante Sancti Gemuli rubeſcunt.

ANNOTATIO.

In eo M.S. tempus quo hic S. M. occubuit, deſiderari animaduertimus Eius feſtiuitas hac die celebratur; Et quoties pluuiæ inopia laborant Incolæ, illam S. Gemuli interceſſione impetrare ſolent.

Februarij die 5. DE S. AGATHA VIRGINE, ET MARTYRE Cataneæ in Sicilia.

Agatha Virgo nobili genere in Sicilia nata, egregia forma prædita, & Caſtitatis laude præclara à Quintiano Siciliæ Prætore Decio Imp. eius amore capto, modis omnibus tentatur, vt ſibi conſentire vellet. Sed cum ab ea nihil obtinere poſſet, eam eo prætextu quòd Chriſtiana eſſet compræhẽſa ad ſe perduci. & Aphrodiſiæ infami mulieri deprauandam tradi iubet. Cum autem Virgo de conſtantia Chriſtianæ fidei colendæ, Virginitatisq; ſeruandæ dimoueri non poſſet. Aphrodiſia ſe in Agatha operam perdere Quintiano nunciat. Qui Virgini ad ſe adductæ, non te pudet (inquit) nobili genere natam humilem, & & ſeruilem Chriſtianorum vitam agere? Cui illa multo præſtantior eſt humilitas, & ſeruitus Chriſtiana Regum opibus, & ſuperbia. Quibus verbis iratus Prætor optionem ei dat, velit ne potius venerari Deos, an vim tormentorum ſubire: At illa conſtans in fide colaphis primùm cæſa, in carcerem mittitur. Poſtridiè educta, cũ in ſententia perſiſteret, admotis candentibus laminis ad eius corpus in equuleo torquetur. Deinde mã milla illi abſcinditur, quo in vulnere Agatha Quintianum appellans, crudelis, ait, tyranne non te pudet amputare in fœmina, quod ipſe in Matre ſuxiſti? Mox coniecta in vincula à Sene quodam, qui ſe Chriſti Apoſtolum dicebat noctu ſanata eſt. Iterum ad Prætorem ducta, & in Chriſti Confeſſione perſeuerans, in acutis teſtulis, & candentibus carbonibus ſubiectis volutatur; quo tempore Vrbs tota ingenti terremotu contremuit, duoq; parietes corruentes Siluinium, & Falconium intimos Prætoris familiares oppreſſerunt. Quintianus autem commota vehementer Ciuitate, populi tumultum veritus, Agatham ſemimortuam in carcerem clam reduci imperat, vbi Deum precata his verbis *Domine qui me cuſtodiſti ab infantia, qui ab-*

Agatha caſtimonia inſignis.

Agatha inter multa, ac dira ſupplicia mã millarum abſciſſione affli-cta.

Quintiani immanitatẽ conſtanter obiectat.

Agatha à B. Apoſtolo ſanatur.

Terræmotus geminos Prætoris familiares opprimit.

ſtuli-

stulisti à me amorem sæculi, qui me carnificum tormentis superiorem fecisti, accipe animam meam. Nonis Febr. migrauit in cœlum. Cuius corpus à Christianis sepelitur. *Ex Breuiario Romano.*

ANNOTATIO.

Controuersia de Vrbe S. Agathæ.

Maxima inter Catanenses, & Panormitanos de Agatha, vtrisque illam suam Ciuem asserentibus cōtrouersia est. Illud indubitatum illam Catanæ passam, & sepultam esse; fieri autem potest, vt Panormi nata, vel indè ducens originem Catanæ habitauerit, vbi à Quintiano tentata, & excruciata fuit, alioquin non ita verè dictum fuisset à S. Agatha. Per me ciuitas Catanensium decorabitur à Domino I.C.

Huius Virginis memoria multis in locis est celebris, multaque ab ea Oppida denominantur, in quibus Agathensis Ciuitas inter Beneuentum, & Capuam nominatur.

DE SS. EPISCOPIS GENVINO SABIONENSI, ALBVINO Brixionensi, & Agnello Tridentino.

Genuinus schismati cū alijs minimè cohæret.

Genuinus, siuè Ingenuinus Secundus Sabionensis Episcopus S. Cassiani, qui apud forum Cornelij passus est, successor, quo tempore Longobardi Italiam occupauere, cum Smaragdus Patritius, qui Imperatoris Cōstantinopolitani vices in Italia gerebat, Seuerum Patriarcam Aquileiensem Ioanni Archiepiscopo Rauennati, qui à Pont. Rom. defecerat, communicare persuasisset vnà cum Agnello Episcopo Tridentino, Petro Altinate Iuniore Veronensi, Orontio Vicentino, Rustico, Taruisino; Fonteio Feltrino, Agnello Acedensi, Laurentio Bellunensi, Maxentio Iuliensi, & Hadriano Polensi huic Schismati minimè consensit; quapropter omnes prædicti uexati multas calamitates perpessi sunt, maximè verò *S.* Agnellus Episcopus Tridentinus, & S. Genuinus, Episcopus *S*abionensis. Qui in exilium pulsus obdormiuit in Domino nonis Febr. *S*ancto Constantino, siue, vt ab alijs scribitur, Cōstantio illi succedente. Corpus ipsius Genuini post multos annos *S*abiona Vrbe sub Aquilaiēsi Metropoli destructa Brixinonem, siue Brixinam finitimā ciuitatem vltra Tridentum sub *S*alisburgensi Metropoli translatum est, cui eadē die *S.* Albuinus Episcopus Brixinonensis vita excedens, clarusq; miraculis associatus est. *Ex Pet. in Catalogo, lib. 3. cap. 85. apud quem nomina aliquot præd. Episcoporum deprauata leguntur.*

ANNOTATIO.

De Sancto Genuino, de quo Paulus Diaconus lib. 8. de gestis Romanorū meminit, idcirco hic egimus, quod Episcopus fuerit sub Aquileiensi Patriarcha. De S. Agnello idem P. ul. Diac. ibid. mentionem facit, sed Angelum eum nominat, & Genuinum Ingenuinum. Baron. in Annal. ad an. D. 591. Paulum Diac. reprehendit in eo, quod Io Episcopum Rauennatem inter Schismaticos recenset, ac inter oppugnatores trium Capitulorum, cum è contra defensores eorum Capitulorum essent Schismatici.

Fe-

Februarij die 6.

DE S. GVARINO BONONIENSI EPISCOPO, & Card. Prænestino.

GVarinus Bononiæ honesto loco natus, à puero Ecclesiæ addictus, Clericus fit, cum multum literis, & moribus profecisset factus grandior, familiam Canonicorum Regularium ingreditur, in qua eam vitæ normã multos annos seruauit, vt honores omnes sibi ob uitæ sanctitatem oblatos respueret. Nam, & Episcopatum Ticinensem, & alios accipere noluit: sed tandem à Lucio Secundo Pont. Max. inuitus, & quasi coactus Episcopus Prænestinus ordinatur. Qui equos nobiles, ac generosos sibi à Pont. ad dignitatis amplitudinem conseruandam donatos, statim iussit vendi, & prætium pauperibus distribui: modico tenuique victu, ac vestitu, qui nullum præseferret splendorem, contentus. Vixit autem in Episcopatu, & Cardinalatus honore ad annos 15. non secus, ac in Monasterio viuere solitus erat, & an. sal. 1159. octauo Idus Febr. è viuis excessit. Postea ab Alexandro Tertio in Sanctos relatus. *Ex offic. Canonicorum Regularium, & ex Carolo Sigonio lib. 2. de Episcopis Bononiensibus.*

Guarinus humillimus in recusandis honoribus Eccles. Guarinus pôpam despector, ac pauperum fautor. Guarinus monasticam vitam in Episcopatu; & Cardinalatu degit.

ANNOTATIO.

VIxit Guarinus (qui ex familia Guarinia fuit) in Episcopatu annos 15. nam an. D. 1144. Episcopus Prænestinus creatus est, an. verò 1159. obijt diem, quo anno Alex. III. Pap. die 5. Sept. Pontifex renunciatus est.

Februarij die 7.

DE S. ROMVALDO ABBATE APVD FABRIANVM.

ROmualdo Rauennæ Sergio Patre nobili genere natus; Adolescens in Monasterium Classense pænitentiæ causa, ob patratum à Patre eius homicidium fecessit, vbi sermonibus Religiosi hominis ad pietatem vehementer incensus, bis viso in Ecclesia noctu Beato Apollinari Monachus efficitur, & ad Marinum in Venetorum finibus vitæ sanctitate celebrem, vt eo Magistro ad arctam, & sublimem perfectionis viam vteretur, se contulit. Multis Sathanæ insidijs, & hominum inuidia expetitus, se assiduis ieiunijs, & orationibus exercebat, rerumque cœlestium meditatione lachrymas perfundens fruebatur, vultu nihilominus adeò lætus, vt intuentes omnes exhilararet. Magno apud Principes, & Reges fuit in honore, multiq; eius exemplo. & consilio mundi illecebris spretis, solitudines petierunt. Martyrij cupidus in Pannoniam proficiscitur; sed morbo, quo procedens affligebatur, leuabatur autem recedens, reuerti cogitur. Miraculis viuens, & mortuus fulsit, profetiæque dono non caruit: Nam inter alia puerum à Dæmone oppressum modico panis benedicti ei porrecto liberauit, & mulierem, quæ oblocuta de illo amens, & energumena effecta fuerat, modico panis benedicti ei transmisso, pariter pristinæ restituit sanitati. Quidam, qui pœnitentia ductus sæculum deseruerat, seque in cella recluserat, cum exire, Romamque negotiorum tractandorum causa proficisci cogitaret, occultam cogitationẽ illius Ingialberto discipulo aperuit, qui ita vt à Sancto Romualdo audierat reperit. In Sitriæ monte apud Fabrianum, (vbi scalam à terra cœlum pertingentem, per quam homines in veste candida

ascen-

Romualdo Principes, & Reges magni deferunt honorem; atq; eius exéplo multi in solitudines se cõ dunt. Romualdus martyrij cupidus. Romualdus miraculis, ac vaticinijs clarus. Romualdi diuina scalæ inuisio.

ascendebant, & descendebant Camaldulenses Monachos designantes per risum conspescit, multas molestias sustinuit; Nam inter alias. cum adolescentem valdè incontinentem corriperet, is Monachis persuasit Romualdum id facere, vt proprium delictum nefandum tegeret: quapropter congregati sanctissimum Abbatem à celebratione per aliquot menses suspenderent. Paruit Vir Sanctus illotum præcepto, quamuis nullo, & iniquo, donec post sex menses diuinitus admonitus rediјt ad celebrationem. Denique cum an. 115. ageret, ex quibus centum in summa uitę asperitate Deo seruierat, an. sal. 1027. migrauit ad Christum. Cuius corpus quinquennio, postquam sepultum fuerat, integrum repertum Fabriani in Ecclesia sui ordinis honorificè conditum fuit. *Ex Breuiario Romano, & ex illius vita à Sur. & al. relata.*

Iniqua petulantis Iuuenis in Sanctũ Romualdum diffamatio.

Romualdi vita annorũ 115.

ANNOTATIO.

Sanctum Romualdum Clemens Octauus Pont. Max. nondum in Sanctos relatū in Kalendario, & Breuiario Romano descripsit. Quæ descriptio loco Apotheosis fuit. Neque enim Canonizatio vbi sanctitas conspicua est, & manifesta, necessariò requiritur, tot perquisitionibus, vt fieri solet, ritibusque peracta.

Romualdus absque tot disquisitionibus, quæ de more fieri solent à Clem. VIII. in SS. numerum refertur.

DE S. MASSIMO EPISCOPO NOLANO.

Maximus Nolanus Episcopus, cum in Diocletiani, & Maximiani Imper. persecutione fideles ob minas, & cruciatus perterritos una cum S. Fœlice Præsbytero solaretur, &, ut in fide stabiles essent, hortaretur: recrudescente persecutione annis grauatus cum se posse ferre persecutorum tormenta disperaret, in locum solitarium extra Vrbem aufugit, Vbi fame, & lassitudine oppressus animam agebat. Cum Sanctus Fœlix, & ipse Persecutores declinans Sanctum Episcopum humi iacentem, ac penè mortuum inuenit, quem Fœlix cum uuæ racemum (cuius tempus nondum aduenerat) diuinitus inter dumos inuentum expressisset, & eius liquorem in os (quod compressis dentibus ita clausum erat, ut sine ui reserari non posset) immisisset in humeros sublatum in Domum religiosæ Viduæ recreandum portauit. Persecutione autē mitescente ad Episcopatum rediēs gregi suo pascendo aliquandiù operam dedit, donec ætate confectus septimo Idus Feb. ad cœlestem Patriam euolauit. *Ex gestis S. Fœlicis Præsbyteri, ac Monum. Ecclesiæ Nolanæ.*

Vuæ racemo inter dumos reperto recreatur semimortuus Maximus.

ANNOTATIO.

IN Breuiario Romano Massimianus appellatur, vti in lectione S Fœlicis Præsbyteri, & Martyris, apparet, at in Martyrologio Romano 18. Kalen Februarij Et in tabulis Ecclesiæ Nolanæ septimo Idus Februar. Massimus non Massimianus nominatur.

Lęue in nomine discrimen.

DE SANCTO PAVLO EPISCOPO BRIXIENSI secundo huius nominis.

Paulus secundus huius nominis Episcopus Brixiensis, (alter enim Paulus Episcopus eiusdem vrbis ad diem 29. Aprilis ibidem colitur) Ecclesiæ prædictæ inter Sanctum Dominatorem, qui illum præcessit, & S. Paterium succes-

successorem aliquandiù præfuit. Qui de Vrbe sua optimè meritus, septimo Idus Februarij migrauit in cœlum. Cuius corpus in Ecclesia S. Petri in Oliueto hoc tempore conditum requiescit. Gesta, & tempus, quo vixit ignorantur. *Ex tabulis Ecclesiæ Brixiensis. Et Eliæ Capreoli Annalibus. Meminit illius, & Pet. Gales. in suo Martyrologio.*

ANNOTATIO.

Rampertus Episcopus Brixiensis in libello de Translatione S. Philastrij illum inter Sanctos Episcopos illius Sedis adnumerat.

DE S. RICARDO REGE ANGLICO Confessore, Lucæ.

Richardus Angliæ Rex, & Sueuiæ Dux Offonis Regis ex sorore nepos, cum ex Vuinna vxore Vuinibaldum, qui Eistatensis Episcopus fuit, & Vuinibaldum, Heidenhemensem Abbatem, vnà cum Vualpurga Abbatissa genuisset, Patriæ exul factus, Mundi spretor, & sui contemptor: Regiam coronam pro eterna vita deposuit, ac exutus purpura vilem induit tunicam: Vualpurga in Regno dimissa cum filijs peregrinaturus nauem conscendit, horribili suis precibus sedata tempestate. Cumque ad Bonifacium Episcopum Moguntinum Cognatum suum venisset, relictis apud illum filijs ipse habitu peregrini Romam ad Apostolorum limina per loca magis deuia affectans solitudinem pergit. Superatis autem Alpibus post multa discrimina, ac famis, sitis, & frigoris aliaque incommoda Lucam Hetruriæ vrbem peruenit. Vbi ægrotans breui cessit è vita septimo Idus Februarij anni sal. 771. Zacharia Pont. Max. Cuius corpus in ede S. Frigdiani multis claruit miraculis in sanandis morbis, & Demonibus expellendis. E quibus duo recensebimus. Quidam deuotione erga S. Richardum affectus ad eius altare quotidie Missas celebrandas curabat. Is doloribus lateralibus correptus. Ita affligebatur, vt cum sibi arte Medicorum succurri non posset, nulla reliqua esset spes salutis. Cum autem voce lachrymabili diceret. *Heus S. Richarde vbi sunt tot à me tibi oblata obsequia? Obsecro mihi misero subueni.* Dormienti modicum Sanctus apparet, monetque, vt ad aram suam in Ecclesiam deduceretur; quòd vbi factū esset, illicò recepit sanitatem. Cum ante alius pedibus ita debilitatus, vt nullo pacto posset incedere, inspectante populo incedendi recuperasset facultatem. Quædam mulier Gaschola nomine anno Dominicæ Incarnationis 1150. ita à Dæmonibus oppressa agitabatur, vt à multis viris, ijsque fortissimis teneri haud posset. Quæ ad S. Rechardi tumulum perducta tota ferè ciuitate præsente liberata est. *Ex vita eius M. S. & Epitaphio ipsius in Eccl. S. Frigdiani Lucæ existente, quod à Sur. tom. 1. refertur, & ab Arnoldo Vuionensi Monacho Belga lib. Lig. vita 4.*

ANNOTATIO.

Extat & aliud Epitaph. in ead. Eccles. versib. exaratum huiusmodi.

„ *Hic Rex Richardus requiescit sceptrifer almus*
„ *Rex fuit Anglorum, Regnum tenet ille Polorum*
„ *Regnum dimisit, pro Christo cuncta reliquit,*
„ *Ergo Richardum nobis dedit Anglia Sanctum,*

Hic

„ *Nec genitor Sancta Vualburgæ Virginis alma*
„ *Et Vuillebaldi Sancti simul Vuinebaldi.*
„ *Suffragium quorum dat nobis regna Polorum.*

DE S. IVLIANA VIDVA BONONIENSI.

Iuliana pulchritudine, & Pudicitia, insignita. V. filios Deo genuit. D. Ambros. ad quatuor filias S. Iulianæ librum de Virginib. scribit. Iuliana a D. Ambro. reliquis SS. MM. Vitalis, & Agricolæ obtentis, templũ cõstruit. Iuliana in contemplationibus mirabilis. Iuliana ad Paradisi gaudia, voce cœlitus audita, vocatur. Censura circa prædicta. Caroli Sigonij, & Card. Baronij sententia hic haud recipitur.

IVliana Vidua Bononiæ nobili familia procreata, ab infantia operibus pietatis dedita apparuit. 15. annos nata nobili cuidam Ciui à Parentibus in Matrimonium datur, cũ pari pulchritudinis, & pudicitiæ laude floreret. Mortuo viro liberos, quos ex eo susceperat (suscepit autem marem vnum, & feminas quatuor) sic piè educandos curauit, vt filius in clericorum numerũ adscriptus postea Ecclesiæ S. Stephani Abbas fuerit. Filiæ verò perpetuam Virginitatem, quam Christo vouerant, seruarint, ad quas S. Ambrosius Episcopus Mediolanensis librum de Virginibus scripsit. Cum autem idem S. Ambrosius corpora Sanctorum Vitalis, & Agricolæ inuenisset, Iuliana ab eo precibus obtinuit reliquias, quibus templum ab eodem Ambrosio dedicatum construxit. Erat S. Vidua diuinæ contemplationis sic addicta, vt sæpius in extasim acta, nõ facilè à circunstantibus excitaretur. Cum verò ad annum ætatis 72. peruenisset, ex istoq; carcere vitæ corruptibilis educi à Deo postulasset, vocem de cœlo se ad Paradisi gaudia vocantem audiuit, nec multo post in morbum incidens lęta migrauit ad Christum, cuius cordi Crucem impressam visam fuisse ferunt. Corpus non sine totius vrbis mærore à S. Petronio Episcopo sepultum fuit. *Ex vita illius Bononia typis excussa, ac ex Cronicis Ecclesiæ S. Stephani, vbi Corpus eius requiescit.*

ANNOTATIO.

NOnnulla in eius vita corrigenda sunt; ac inter cætera in eo quod D. Augustinum ei librum de Viduitate dicasse, dicitur cum id de Iuliana Romana ex Aniciorũ familia accipiendum sit. Illud etiam de Ecclesia SS. Vitalis, & Agricola ædificata, ac de reliquijs eorundem in illam illatis legitur, non Bononia, sed Florentia, vti ipse S. Ambrosius, & Paulinus in vita eiusdem Ambrosij, scribunt, contigit.

Carolus Sigonius in lib. de Episcopis Bononiensibus, & Card. Baronius in Annotationibus ad Martyrolog. Rom. hac die Iulianam, de qua S. Ambrosius, & Paulinus Florentinam à Bononiensi diuersam, putant, sed Florentiæ nullam huius nominis Viduam floruisse sanctitate legimus, neq; Florentini Iulianam vti Ciuem suam agnoscunt. Quare Iulianam, quæ Bononiæ nata, & defuncta colitur ex nobili, & antiqua Banciorum familia, & quæ Florentiæ Ecclesiam, in qua reliquiæ prædictorum Martyrum conderentur, exædificauit, eandem esse putamus.

Februarij die 8.

DE S. INVENTIO EPISCOPO PAPIENSI.

Iuuentius S. Syri discipulus, & Comes Iaruenses, Dertonẽses, Astenses ad Christum conuertit.

INuentius, siue vt ab alijs scribitur Iuuentius S. Syri primi Episcopi Ticinen. discipulus, & comes, cum eo Aquileia Ticinum venit, ac in Liguria Christi fidem disseminans Genuenses, Dertonenses, & Astenses conuertit. Incolas etiam inter Padum, & Montem Apenninum vsq; ad Placentinorum fines fidei Christianæ præceptis imbuit. Pompeo autem Episcopo secundo, qui S. Syro successe-

successerat, mortuo, ne à populo Ticinensi in eius locum eligeretur, Laudē Pōpeiam clam aufugit, at à Ticinensibus agnitus, Ticinumq; perductus, onus Episcopale inuitus suscepit. In quo inter alia præclara eius gesta; sedulam in pauperibus, viduis, orphanisq; subleuandis, & peregrinis suscipiendis operam dedit. Qua in re illud memoria dignum videtur, quod cum quidam à vidua plus exigere, quam illa; ab eo acceperat, vellet, nec ab Episcopo rogatus ab iniqua exactione desisteret: Iuuentius summam petitam misit creditori, qui statim ea accepta concidit mortuus. Illud etiam prætereūdum non est, quòd Fiscali quodam ob pecuniam in Ticinum flumen lapsam insolabiliter flente S. Episcopus misericordia motus, ad flumen, vbi pecunia exciderat festinans, aquæ, vt illam redderet imperauit, quæ statim (mirabile dictu) supernatans Fiscali reddita est. Aliud quoque admiratione dignum narrant, quòd cùm S. Episcopus pro suo munere populum instrueret, sacravè faceret Porphyrius Dux, Idolorum cultor Ticinum aduentans militum ingentem multitudinem, qui & Episcopum, & populum interficerent in Ecclesiam immisit; at illi, in se arma conuertentes, sese loco Ciuium cædentes sternunt, quos uir sanctus precibus ad Deum fusis illos omnes rediuiuos excitauit, Deum Christianorum uerum magna voce clamantes. Quod Dux cernens, & ipse ad Iuuentij Genua prouolutus in Christum credidit, baptizariq; cum alijs petijt. Demum Ecclesia Ticinensi annos 39. sanctissimè administrata triduo, priusquam excederet à SS. Syro, Nazario, & Celso per visum admonitus, sacris missæ mysterijs peractis, populumq; ad in accepta fide permanendum hortatus spiritum Deo reddidit. In Aede à se Diuis prędictis extructa, quæ nunc S. Iuuentij dicitur, conditus. *Ex Iacobo Gualla lib. 3. Sanct. cap. vltimo. Stephano Breuentano lib. 2. cap. 4. historia Papiensis, & alijs, meminit & Petrus Galesinius, post Vsuardum, Adonem, et Martyrolog. Rom. licet alia die apud Vsuard.*

Iuuentius in egenorū curam piissimè inuigilat.

Præclara Iuuentij gesta.

Porphyrius Idolorū cultor, ac eius milites in seipsos arma conuertunt, atque a S. Iuuentio ad vitam reuocatos baptizari cum alijs humiliter rogat.

Iuuentius à SS. Syro Nazario, & Celso de obitu admonetur.

A N N O T A T I O.

Hic Gualla apertissimè labitur, dum S. Iuuentium Mediolani ab Arianis qui nōdum erant, (cum sub Constantino Magno cœperint vnà cū Ario eorum auctore Ecclesiam vexare) malè habitum scribit. Idem cum Breuentano circa tempus obitus S. Iuuentij haud conuenit. Gualla enim an. 117. Breuent. an. 154. eum obijsse scribit. Sed Breuent. an. 156 scribere debuit. Nam creatum an. 117. annos 39. vixisse refert. Anton. M. Spelta aliter circa tempus habet: nam eum ad Episcopatum assumptum ait an. D. 121. Sixto I. Pont. & Hadriano Imp. (cum tamen eo an. Alex. non Sixtus Pontificatum gereret) obijsse ann. 161. Aniceto Pont. Max. & Antonino Pio Imper. quo tempore non Anicetus, sed Pius Eccles. praeerat, vti apud Baron. in Annal. apertè legitur.

Fuit alter Iuuentius, siue Euentius Episcopus Ticin. qui Concilio Aquileien. vnà cum SS. Ambrosio Episcopo Mediolanen. Bassiano Lauden. Philastrio Brixien. Sabino Placent. & alijs an. D 381. interfuit vti ex subscript. Episc. eius Concil. & Annalib. Baron. ex vita S. Eusebij, & Limenij Episc. Vercellens. Cuius tamen scriptores Ticinens. non meminere. Is præfuit Eccles. Ticinens. ante Crispinum III.

Gualla, ac Breuentani dissidium, ac vtriusque error.

DE S. HONORATO EPISCOPO Mediolanensi.

HOnoratus Mediolani natus ex Castilionia familia: is virtutibus pditus fuit, vt S. Auxano in Archiepiscopatu successerit, maximè vero ob eloquētiā, doctrinā, & morū sanctitatē Benedicto Sum. Pont. Hic Ecclesiā Longobardorū

, *Nec genitor Sancta Vualburga Virginis alma*
, *Et Vuillebaldi Sancti simul Vuinebaldi.*
, *Suffragium quorum dat nobis regna Polorum.*

DE S. IVLIANA VIDVA BONONIENSI.

Iuliana pulchritudine, & Pudicitia, insignita. V. filios Deo genuit.

D. Ambros. ad quatuor filias S. Iulianæ librum de Virginib⁹ scribit.

Iuliana a D. Ambro. reliqis SS. MM. Vitalis, & Agricolæ obtentis, templũ cõstruit.

Iuliana in contemplationibus mirabilis.

Iuliana ad Paradisi gaudia, voce cœlitus audita, vocatur.

IVliana Vidua Bononiæ nobili familia procreata, ab infantia operibus pietatis dedita apparuit. 15. annos nata nobili cuidam Ciui à Parentibus in Matrimonium datur, cũ pari pulchritudinis, & pudicitiæ laude floreret. Mortuo viro liberos, quos ex eo susceperat (suscepit autem marem vnum, & feminas quatuor) sic piè educandos curauit, vt filius in clericorum numerũ adscriptus postea Ecclesiæ S. Stephani Abbas fuerit. Filiæ verò perpetuam Virginitatem, quam Christo vouerant, seruarint, ad quas S. Ambrosius Episcopus Mediolanensis librum de Virginibus scripsit. Cum autem idem S. Ambrosius corpora Sanctorum Vitalis, & Agricolæ inuenisset, Iuliana ab eo precibus obtinuit reliquias, quibus templum ab eodem Ambrosio dedicatum construxit. Erat S. Vidua diuinæ contemplationis sic addicta, vt sæpius in extasim acta, nõ facile à circunstantibus excitaretur. Cum verò ad annum ætatis 72. peruenisset, ex istoq; carcere vitæ corruptibilis educi à Deo postulasset, vocem de cœlo se ad Paradisi gaudia vocantem audiuit, nec multo post in morbum incidens lęta migrauit ad Christum, cuius cordi Crucem impressam visam fuisse ferunt. Corpus non sine totius vrbis mærore à S. Petronio Episcopo sepultum fuit. *Ex vita illius Bononia typis excussa, ac ex Cronicis Ecclesia S. Stephani, vbi Corpus eius requiescit.*

ANNOTATIO.

Censura circa prædicta. Caroli Sigonij, & Card. Baronij sententia hic haud recipitur.

NOnnulla in eius vita corrigenda sunt; ac inter catera in eo quod D. Augustinum ei librum de Viduitate dicasse, dicitur cum id de Iuliana Romana ex Anicior ũ familia accipiendum sit. Illud etiam de Ecclesia SS. Vitalis, & Agricola adificata, ac de reliquijs eorundem in illam illatis legitur, non Bononia, sed Florentia, vti ipse S. Ambrosius, & Paulinus in vita eiusdem Ambrosij, scribunt, contigit.

Carolus Sigonius in lib. de Episcopis Bonononiensibus, & Card. Baronius in Annotationibus ad Martyrolog. Rom. hac die Iulianam, de qua S. Ambrosius, & Paulinus Florentinam à Bononiensi diuersam, putant, sed Florentia nullam huius nominis Viduam floruisse sanctitate legimus, neq; Florentini Iulianam vti Ciuem suam agnoscunt. Quare Iulianam, qua Bononia nata, & defuncta colitur ex nobili, & antiqua Banciorum familia, & qua Florentia Ecclesiam, in qua reliquia predictorum Martyrum conderentur, exadificauit, eandem esse putamus.

Februarij die 8.

DE S. INVENTIO EPISCOPO PAPIENSI.

Iuuentius S. Syri discipulus, & Comes Iaruenses, Dertonẽses, Astenses ad Christum conuertit.

IVuentius, siue vt ab alijs scribitur Iuuentius S. Syri primi Episcopi Ticinen. discipulus, & comes, cum eo Aquileia Ticinum venit, ac in Liguria Christi fidem disseminans Genuenses, Dertonenses, & Astenses conuertit. Incolas etiam inter Padum, & Montem Apenninum vsq; ad Placentinorum fines fidei Christianæ præceptis imbuit. Pompeo autem Episcopo secundo, qui S. Syro successe-

successerat, mortuo, ne à populo Ticinensi in eius locum eligeretur, Laude Pōpeiam clam aufugit, at à Ticinensibus agnitus, Ticinumq; perductus, onus Episcopale inuitus suscepit. In quo inter alia præclara eius gesta; sedulam in pauperibus, viduis, orphanisq; subleuandis, & peregrinis suscipiendis operam dedit. Qua in re illud memoria dignum videtur, quod cum quidam à vidua plus exigere, quam illa; ab eo acceperat, vellet, nec ab Episcopo rogatus ab iniqua exactione desisteret: Iuuentius summam petitam misit creditori, qui statim ea accepta concidit mortuus. Illud etiam prætereūdum non est, quòd Fiscali quodam ob pecuniam in Ticinum flumen lapsam insolabiliter flente S. Episcopus misericordia motus, ad flumen, vbi pecunia exciderat festinans, aquæ, vt illam redderet imperauit, quæ statim (mirabile dictu) supernatans Fiscali reddita est. Aliud quoque admiratione dignum narrant, quod cùm S. Episcopus pro suo munere populum instrueret, sacraue faceret Porphyrius Dux, Idolorum cultor Ticinum aduentans militum ingentem multitudinem, qui & Episcopum, & populum interficerent in Ecclesiam immisit; at illi, in se arma conuertentes, sese loco Ciuium cædentes sternunt, quos uir sanctus precibus ad Deum fusis illos omnes rediuiuos excitauit, Deum Christianorum uerum magna voce clamantes. Quod Dux cernens, & ipse ad Iuuentij Genua prouolutus in Christum credidit, baptizariq; cum alijs petijt. Demum Ecclesia Ticinensi annos 39. sanctissimè administrata triduo, priusquam excederet à SS. Syro, Nazario, & Celso per visum admonitus, sacris missæ mysterijs peractis, populumq; ad in accepta fide permanendum hortatus spiritum Deo reddidit. In Æde à se Diuis prędictis extructa, quæ nunc S. Iuuentij dicitur, conditus. *Ex Iacobo Gualla lib. 3. Sanct. cap. vltimo. Stephano Breuentano lib. 2. cap. 4. historiæ Papiensis, & alijs, meminit & Petrus Galesinius post Vsuardum, Adonem, et Martyrolog. Rom. licet alia die apud Vsuard.*

> Iuuentius in egenorū curam pijssimè inuigilat.
>
> Præclara Iuuentij gesta.
>
> Porphyrius Idolorū cultor, ac eius milites in seipsos arma conuertunt, atque a S. Iuuentio ad vitam reuocatos baptizari cum alijs humiliter rogat
>
> Iuuentius à SS. Syro Nazario, & Celso de obitu admonetur.

ANNOTATIO.

Hic Gualla apertissimè labitur, dum S. Iuuentium Mediolani ab Arianis qui nōdum erant, (cum sub Constantino Magno cœperint vnà cū Ario eorum auctore Ecclesiam vexare) malè habitum scribit. Idem cum Breuentano circa tempus obitus S. Iuuentij haud conuenit. Gualla enim an. 117. Breuent. an. 154. eum obijsse scribit. Sed Breuent. an. 156 scribere debuit. Nam creatum an. 117. annos 39. vixisse refert. Anton. M. Spelta aliter circa tempus habet: nam eum ad Episcopatum assumptum ait an. D. 121. Sixto I. Pont. & Hadriano Imp. (cum tamen eo an. Alex. non Sixtus Pontificatum gereret) obijsse ann. 161. Aniceto Pont. Max. & Antonino Pio Imper. quo tempore non Anicetus, sed Pius Eccles. praerat, vti apud Baron. in Annal. apertè legitur.

> Gallæ, ac Breuentani dissidium, ac vtriusque error.

Fuit alter Iuuentius, siue Euentius Episcopus Ticin. qui Concilio Aquileien. vnà cum SS. Ambrosio Episcopo Mediolanen. Bassiano Lauden. Philastrio Brixien. Sauino Placent. & alijs an. D. 381. interfuit vti ex subscrip. Episc. eius Concil. & Annalib. Baron. ex vita S. Eusebij, & Limenij Episc. Vercellens. Cuius tamen scriptores Ticinens. non meminere. Is præfuit Eccles. Ticinens. ante Crispinum III.

DE S. HONORATO EPISCOPO Mediolanensi.

HOnoratus Mediolani natus ex Castilionia familia: is virtutibus pditus fuit, vt S. Auxano in Archiepiscopatu successerit, maximè vero ob eloquētiā, doctrinā, & morū sanctitatē Benedicto Sum. Pont. Hic Ecclesiā Longobardorū bar-

Ecclesiam Canusinam an. 52. sanctissimè rexisset 5. Idus Feb. ex hac luce migrauit in cœlum. *Ex Sancto Greg. Papa lib. 2. cap. 15. & lib. 6. cap. 5. Dialogorum, ac ex Breuiario antiquo Capuano, & lectionibus, quibus in eius celebritate Ecclesia Canusina vtebatur.*

Sabinus sui corporis dissolutioné clero, ac Turbæ prædixit.

ANNOTATIO.

De eo Petr. in Catal. lib. 3. cap. 133. sed alia die: hoc est die 13. Kal. Martij.

DE S. RAYNALDO EPISCOPO NVCERINO.

Raynaldus ex Vichi Comitis Alemani, qui territorium inter Nuceriam, & forum flaminij ab Imperatore obtinuerat, stirpe progenitus, ab ineunte ætate humanis, & sacris literis edoctus, sæculi huius diuitijs, & pompis contemptis, sese in Eremum Monasterij fontis Auellanæ contulit, vbi vigilijs, orationibus, pijsque meditationibus aliquandiù exercitus ad eam vitę spiritualis perfectionem peruenit, vt Vgone Episcopo Nucerino defuncto, illi, (licet inuitus) successerit. Maxima fuit in pauperes, pupillos, & viduas benignitate; quibus omnia necessaria ad victum ministrabat. In ijs puerum alebat, quem sibi, & clericis secum accumbentibus eleemosynam quotidie, petere iusserat, quò sic magis pauperum recordaretur. Magna in se vitæ austeritate, noctes insomnis integras ducens in orationibus, & meditationibus vtebatur: Somnum eo corre-ptus modicum super nuda humo capiens, parcissimoq; victu contentus, Facundinum Episcopum Prædecessorem, qui asperā in solitudine vitā ducens apud Ciuitatem orando migrauerat imitatus. Nūquam ridere, siue tristari visus est. Vixit ea tempestate, qua S. Frācīscus Assisij ordinem minorum instituit. Tandē senio confectus, cum in Episcopatu an. 3. tantum vixisset circa annum sal. 1225. ex hac vita migrauit. Cuius corpus in templo maiori Nuceriæ conditum fuit. Multa edidit miracula: Nam viuens Leprosum sibi obuiam factum osculatus sanauit. In cella cum SS. colloqui à clericis audiebatur. Ab Equitibus quibusdā, quòd ad illius apparitionem equi turbati eos deiecissent percussus, cum illi immobiles diuinitus constitissent, abeundi facultatem illis impetrauit. Cū Archidiaconus pauperem, contra quā iusserat, vestire differret, propriam exutus illi donauit. Quare veste tandem ab Archidiacono empta parua indutus, cum inter celebrandum brachia nuda in Eucharistiæ eleuatione apparerent, ab Angelo, aurea, argenteaq; veste contegi visa sunt. Multos à dæmonibus obsessos liberauit. *Ex Monumentis Ecclesiæ Nucerinæ, vitaque eius M.S.*

Raynaldus in Eremum secedit.
Inuitus sufficitur Episcopatui Nucerino.
Puerū pauperem iugiter commensalē habet.
Facundinum Episcopū in austeritate vitæ, nocturnis vigilijs, ac modico victu egregiè æmulatur.
Raynaldus risus, ac mœroris expers.
Complura, ac illustria Raynaldi prodigia.

ANNOTATIO.

An in Sanctos relatus fuerit, incompertum est; illud certum, Nuceriam eum vti suum Protectorem, & Aduocatum præcipuè colere.

Februarij die 10.

DE SS. MARTYRIBVS ZOTICO, IRENAEO, HYACINTHO, & Amantio. Romæ.

Qvo tempore Decius Imp. immanem in Christianos persecutionem exercebat, inter multos, qui Christiano nomine compræhensi martyrium subierunt, Zoticus, Irenęus, Hyacinthus, & Amantius pro Christo Domino necati memorantur. *Ex Martyrolog. Bedæ, Vsuardi, Adonis, & Romano. Genus ipsorum, & Martyrij ignoratur.*

Decius immanis Persecutor.

AN

ANNOTATIO.

Anno Domini 255. circiter passi sunt, quo tempore maximè in Christianos vbique terrarum efferbuit Deciana persecutio: de qua S. Dionysius Episcopus Alex. plura in Epistola ad Fabium Episcopum Antioch.

DE DECEM MILITIBVS MARTYRIBVS ROMAE.

IN eadem Decij persecutione decem milites propter Christum cōpræhensi via Lauicana martyrium consummarunt 4. Idus Febr. Cum constanter tormenta pertulissent. *Ex eisdem Martyrologijs supracitatis.*

ANNOTATIO.

Licet sub quo Imp. passi sint, neque Vsuardus, neque alij dicant; Petrus tamen Galesinius sub Decio coronatos scribit.

DE S. SOTHERE VIRG. ET MART. ROMANA.

SOtheres Virgo Romana nobilissimo Consulum, & Vrbis Præfectorum genere procreata, à teneris annis Christum colens, illi Virginitatem suam vouit. Cum autem propter Christianam professionem delata fuisset, iussu Iudicis comprehensa, ad eumque perducta constanter Deos venerari recusauit; quapropter, vt vel dolore, vel pudore sententiam mutare cogeretur faciem alapis cædi iubetur, quæ licet esset adolescentula, vultumq; velo obducto homini bus occultaret, dolorem, pudoremq; patiendi cupida propter Christum, nihili faciens, faciem opertam tortoribus cędendam vltro obtulit læta, quòd in ea corporis parte, in qua pudoris tentamenta esse solent, torqueretur. Cum autem teneras penè offerret genas, priùs Carnifex cędendo defecit, quàm Martyr iniuriæ cederet, non enim collum inflexit, non ora conuertit, non gemitum ædidit, neque lachrymas dedit. Tandem, cum hoc, & alia pœnarum genera vicisset, gladio percussa via Appia coronata est, circa ann. sal. 404. *Ex Martyrolog. Rom. & S. Ambrosio lib. 5. de Virginibus, ac in exhortatione ad Virgines.*

Sotheres nō minùs martyrij ardore, quam constātia in perferendo præcellens.

ANNOTATIO.

Vsuardus, & Ado Sotherem in Oriente passam referunt, sed cum Martyrolog. Romanum auctoritatem D. Ambrosij, & aliorum secutum illam Romæ via Appia coronatam scribat, illorum Codicem deprauatum, et pro Roma in oriente positum fuisse, credendum est. Corpus huius Virgin. auctore Ioanne Molano Dordraci in Holandia summo honore habetur, licet Sura ibi passim nominetur.

Hac die in Martyrol. Rom. passa refertur nulla facta Imp. sub quo passa est mentione: Baron. autem in Annal. illam anno Domini 304. 4. *Non. Febr. (qua in re dissidet à Martyrol. nisi sit error Typographi) coronatam scribit.*

DE S. SILVIANO EPISCOPO, IN CAMPANIA.

SIluianus, siue Siluanus Episcopus in Campania claruit sanctitate: cuius tamen Vrbis Episcopus fuerit minimè constat. Cardinalis Baronius in suis doctissimis annotationibus ad Martyrolog. Rom. illum Episcopum Veliternū fuisse opinatur. Sed Velitris nulla extat Sancti huius memoria. *Deinde Velitræ non in Campania, sed in Latio sunt, vt omnibus manifestum est.*

Baronij de Siluano Episcopo sententia, ac illius castigatio.

ANNOTATIO.

De eo Beda in suo Martyrol. à quo Martyrol. Rom. Molan. Gales. & alia Martyrologia accepere, & Baron. in Annot. vt supra.

DE S. GVLIELMO EREMITA, ET CONFESSORE.

Gulielmus à D. Bernardo côuersus.

Gulielmus supplex veniam precatur Inno. II. Pont. Max.

GVlielmus Aquitaniæ Dux, & Pictauorum Comes, cum Schisma aduersus Innocentium II. Pont. Max. fouisset; eosq; qui verum Pontificem sectâtes Petrum Leonem pseudopapam execrabantur, minis, & terroribus exagitasset alijs eiectis, alijs carceri inclusis à Sancto Bernardo Abbate ad eum profecto, & cum Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento in manibus, quo magis illum deterreret, alloquio mirabiliter conuersus est: nam ad solitarium hominem, qui Sanctitate in Pictauorum finibus clarescebat, se contulit illum, quid sibi agendum esset, consulturus, qui, vt ferream loricam supernudo, & habitu vili indutus in morem peregrini Summum Pontificem veniam petiturus adiret, consuluit. Quare Gulielmus Eremitæ Monitis obtemperans ad Innocentium Pontificem supplex venit, seq; quis esset, & qua de causa venisset aperuit; Quòd cum Pont. vix crederet, illum pro pœnitentia suscipienda ad Hierosolymitanum Patriarcham remisit. Profectus itaq; Hierosolymam, & à Patriarcha pœnitentiam postulans, ab eo recognitus (Patriarcha enim Gulielmi Capellanus, seu Pedagogus fuerat) perhumaniter exceptus fuit: Acceptaq; ab eo pœnitentia, quam sibi asperam imponi voluit, peragrata Palæstina Romam, & in Hispaniam ad S. Iacobi Apostoli Corpus venerandû peregrinatus est, alijsq; Peregrinationibus assumptis, & peractis; demùm, cum secundò Hierosolymã redijsset, vbi Saracenis captus multa perpessus est, in Hetruriam veniens in ditione Senensi apud Rosetum in loco, qui Stabulum Rhodis dicebatur, in solitudine reliquum vitæ sanctissimè multis clarus miraculis confecit. *Ex vita à Surio tom. 1. relata, ac ex officijs proprijs fratrum Eremitarum.*

ANNOTATIO.

Vitam aliter Pet. in Catalogo cap. 11. in additionibus, & Petr. Gales. describunt, maximè verò Galesinus, qui S. Gulielmum Ciuem Parisiensem Parisiisque defunctum scribit. Hymnus Sapph. S. Gulielmi.

ANtra deserti generis paterni
Turgidas planè titulos perosus
Orbis, & vanas furias petisti
Sacra secutus.
Sobriè viuens, simul & pudicè
Carnis effrenos stimulos refrenans,
Immemor nunquam propriæ salutis
Ipse fuisti.
Sic tuis tandem meritis beatas
Occupas sedes, frueris q; Diuûm,
Gloria æterna sine fine gaudens.
Numine sacro.

DE

DE S. PEREGRINO CONFESSORE PLACENTINO.

PEregrinus ex eorum numero fuit, qui primis temporibus in Euangelio Placentiæ prædicando plurimùm elaborarunt, non solum autem prædicatione, & doctrina; sed etiam vitæ sanctimonia multum multis ad viam salutis perductis profecit: donec vocante Domino in cœlestes sedes obiens demigrauit. Cuius corpus in Basilica S. Sauini conditum nouissimè à Fabritio Placentino Episcopo recognitum vna cum corporibus SS. Gelasij, Victoris, & Donnini in alium eiusdem Ecclesiæ decentiorem locum an. sal. 1481. translatum est. *Ex officijs Ecclesiæ Placentinæ.*

A N N O T A T I O.

TEmpus quo S. Peregrinus floruerit ex eius vita in officijs prædictis breuiter exarata haud continetur.

DE S. SCOLASTICA VIRGINE.

SCholasticha Virgo nobili loco Nursiæ nata S. Benedicti Abbatis Soror, fratris exemplum secuta, vitam Monasticam apud M. Casinum in loco, qui Pumarola dicebatur, duxit, orationibus, ieiunijs, vigilijs, pijsq; meditationibus addicta. Semel in anno quoad vixit in locum sub dicto monte, quo & Benedictus aliquot Monachis comitatus descendebat, venire consueuerat: diemq; in colloquijs spiritualibus insumere. Postremo anno, cũ de more Scholastica, & Benedictus in eundem locum conuenissent, diemq; de more summa cum spiritus exultatione transegissent, Scholastica Benedictum ad Monasteriũ iam redire parantem vt noctem illam apud se faceret, summopere rogat, cum autem ille non annueret, quòd nephas extra Cœnobium noctu morari esse diceret, illa Deum precata est, vt quod frater negarat, obtineret: ac illicò coruscare, fulgurareq;, & vehementer pluere cæpit, sicq; Benedictus ad Scholasticam redire coactus, noctem illam de sacris rebus loquens cum Sorore duxit insomnem. Mane Benedictus ob id quod acciderat Sororem repræhendit, quæ se à Christo, quod ab eo obtinere non potuerat petisse, & impetrasse non negauit. Non multo post, cum S. Benedictus oraret animam Scholasticæ instar columbæ candidæ in cælum ascendere conspicit. Descendens itaq; corpus Sororis tunc defunctæ clatum in tumulum sibiq; paratum intulit, vt quemadmodum animo fuerant coniunctissimi, sic nec corpore post mortem essent separati. *Ex S. Gregorio Papa lib. Dialog. 2. in vita, & Miraculis S. Benedicti, & ex Vit. Virginum.*

Scholastica soror S. Benedicti.

Semel in anno inuisebat fratrem.

Scholastica pluuiam à Deo obtinet, quominùs Benedictus eam deserat.

Animam S. Scholasticæ instar columbæ cœlum tranare cernit Benedict.

A N N O T A T I O.

MIgrauit Scholastica ex hac vita mortali circa an. sal. 532. quam Abbatissam fuisse, hoc est multarum Virginum Matrem tradunt, Patremq; illius Theoprobum nomine nobilissimum Nursiæ Comitem fuisse.

Scholastica multarum Virginum Mater.

Februarij die 11.

DE S. CASTRENSI EPISCOPO CAPVÆ.

CAstrensis Episcopus Africanus, vnus ex in exilium missis in Persecutione aduersus Catholicos sub Valente, & Valentiniano Imp. excitata, diù carceratione

Castrensis verberibus cæditur.

ceratione,& verberibus afflictus fuit. Demùm vnà cum Rossio, Secundiano, Heraclio, Prisco, Elpidio, Marco, Tomaso, Augusto, Canione, & Vindonio, Episcopis nauigio vetusto impositus, maris tempestatibus sine remigio exponitur: sed Deo gubernante omnes ad campaniæ littora incolumes appulere, ac primùm Castrensis apud Suessam Incolis, qui sint, vnde veniant, & qua de causa exponit. In Suburbijs hospitio exceptus, vbi sanctitatem miraculis cæpit demonstrare. Nam virum gibosum,& contractum vnà cum Beatrice vxore ægrota sanauit, iumentis, qui sanctos viros aduexerant, mox mortuis ad vitam restitutis. Dæmonem quoq; ab eo, qui se susceperat, eiecit. Cum autem per aliquot dies Plebem in fide instruxisset; demum morte, quam præuiderat, instante, post missæ celebrationem, se in sepulchrum sibi paratum inferri iussit, in quo post quam expirasset ab Orosio Præsbytero non sine omnium lachrymis humo contectus est 3. Idus Februatij. *Ex Breuiario antiquo Capuano, & veteri M.S. in quo prolixè eius acta narrantur.*

Castrensis multis clarus miraculis.

A N N O T A T I O.

DE S. Castrense Episcopo in Martyrologio Romano agitur hac die, & prima Septembris, sed ibi de eo cum supra memoratis Episcopis. Quamuis autem Episcopus Capuanus, ex eo quod in Martyrolog. Rom. Capua adscribitur, alicui videri posset, haud tamen Capuanus fuit. vti ex tabulis Ecclesiæ Capuanæ, & ex Catalogo Episcoporum Capu. patere potest. Corpus eius hoc tempore in Ecclesia Cathedrali Montis Regalis, vbi præcipuè colitur quiescit ibi ob miracula, quæ ab eo super nautis, & à Dæmone obsessis fiunt, hi versus insculpti in lapide leguntur.

Castrensis Capuanus Episcopus haud est.

„ *Conseruat nautas, & Dæmonis eripit ira,*
„ *Quem primò obsesso de corpore fecit abire.*

DE S. LAZARO EPISCOPO MEDIOLANEN.

LAzarus Lazaro patre ex Boccardia familia natus, ob eius virtutes à S. Clicerio Episcopo Mediolanen. Ecclesiæ Maioris Primicerius creatur, cui vita functo ob præclaras animi dotes in Episcopatu successit, Ecclesiamq́; Mediolanen. in maxima Gothorum barbariç sanctissimè gubernauit, multis afflictus, calamitatibus. Is Triduanas litanias instituit, qui ritus in Ecclesia Mediolanen. adhuc perseuerat. Cum an. 11. sedisset Pridie Idus Martij circa an. sal. 494. Leone primo Pont. obdormiuit in Domino. *Ex tabulis Ecclesiæ Mediolanen. in actis eiusdem Ecclesiæ, ac ex vitis à Ioanne Francisco Besutio scriptis. Corpus in Basilica S. Nazarij conditum est.*

Lazarus Litanias triduanas Mediolani instituit.

A N N O T A T I O.

IN prædictis Besutij Tabulis anno 426. S. Lazarum Episcopatum cepisse legitur, quod si ita esset anno 437. obijsset, quo tempore S. Leo Papa nondū ad Pontificatū ascenderat: cum ex Platina, & alijs Leo 1. anno 440. Pontifex creatus fuerit. Panuin. in Cronol. Ecclesiast. Lazarum an. D. 426. Cœlestino 1. Pont. creatum scribit neque alium Ep. Mediolanen. unde ad an. 437. quo S. Eusebius ad eam Eccl. regendam assumitur, ponit.

In dicta Besutij animaduersio.

DE

De Lazaro apud Ennodium hæc leguntur.

,, *LAzarus, vt diri premeret pede culmina Mundi*
, *Vocibus acutus vix venit in medium,*
,, *Quem frons lacta parum vitijs depinxerat hostem*
, *Mulctantem culpas luminibus tacitis.*
,, *Respiciens lapsus detersit nubila vitæ*
, *Curam sæpe dedit vulneris obsequio.*
,, *Non latuit testis facinus qui gessit in antris*
, *Absens criminibus tortor vbiq; fuit.*
,, *Innoxius placida vernabat luce serenus*
, *Ceu speculum inijciens faciem.*

DE S. CALOCERO EPISCOPO RAVENNATE.

CAlocerus S. Apolinaris primi Rauennatum Episcopi discipulus fuit, à quo Præsbyter ordinatus est, Vicariusq; Rauennæ relictus dum ille per Æmiliam prædicaret, Ecclesiasq; ordinaret. Is Sancto Marciano 4. Episcopo vita functo 5. loco, inditio columbæ electus, subrogatus est. Qui, cessante sub Hadriano Imp. persecutione maximam Rauennatum partem assiduis prædicationibus ad Christum conuertit. Cumq; ad centesimum ætatis annum peruenisset, terrio Idus Febr. vitam cum morte commutauit in cœlos translatus, ibi perenniter victurus. Corpus apud S. Aderitum sepultum fuit, donec à Petro Archiepiscopo in Basilicam Vrsinam translatum est. *Ex antiq. Ecclesiæ Rau. lectionibus, & Hieronymo Rubeo in historia Rauennate lib. 1.*

Calocerus columbæ signo eligitur.

Centenarius excedit.

ANNOTATIO.

EX Cronologia Ecclesiastica Panuini annos 5. Sanctus Calocerus Ecclesiæ Rauēnati præfuit, quo tempore S. Thelesphorus Papa Pontificatum administrabat. Mirum autem videtur, quod ad Episcopatum in tam matura ætate, hoc est annorum 95. assumptus fuerit; nihil tum mirandum, ferunt enim illum senem robustissimum fuisse, ac sub Antonino Pio vita defunctum.

DE S. HIPPOLYTO PRÆSBYTERO, ET SOCIIS Martyribus apud Abellinum.

HIppolytus, qui à nonnullis Hippolyster appellatur Præsbyter Abellini, qui ex Antiochia Diocletiano, & Maximiano Impp. venerāt, multos ad Christianam fidem prædicationibus, & miraculis conuertit: cæcos enim, & Dæmoniacos, aliosq; morbis oppressos liberauit. Cum autem multitudinem Gentilium, quæ ad Ioui sacrificandum conuenerat, vt potius Christum verum Deū omnium Creatorē, & Redemptorē colerent, persuaderet; ex ijs post longā cōcionem habitam, in qua cultus inanium Deorum confutatus fuerat, octo millia Christianā Religionē suscepere, templaq; Deorū, Dianæ præsertim, euertere. In quibus Firmius, Fortunatus, & Faustinus Senatores, qui antea infensiores Hippolyto fuerāt, ab eo edocti in cęterorū conuersionē adiumento fuerunt. Hippolytus Beneuentū profectus, ibi aliquā diù, vt fideles magis firmaret demoratur, Abel-

Octo millia circiter homines Christianam religionem Hippolyti prædicatione suscipiunt.

Abellinum reuersus Oratorium apud Iouis Capitulini Ædem, in qua Dæmon responsa dabat, construxit. Cum autem se Dæmon responsa dare ob Hippolytum negaret, Hippolytus à Pontificibus crudeliter cæditur. Ductusque in templum Iouis, vt sacra ei faceret abiecto Thurribulo, factaque oratione templum repentino fulgure percussum corruit. Quapropter vinctus Hippolytus, indomitisque Tauris per vrbem raptatus, tandem cum socijs Sabino, & Romulo capitis abscissione Martyrium compleuit. *Ex Antiquo Pergameno M.S. Corpus Atripalda apud Abellinum in marmoreo sepulchro conditum est. Ex quo Aqua infirmis valde salutarem per tres dies circa eius festum diem defluere ferunt.*

Hippolytus indomitis Tauris crudelissimè raptatur.

Aquam ęgris salubrem ex Hippolyti sepulchro per tres dies emanare dicitur.

ANNOTATIO.

Paulus Regius Episcopus Equen. prima parte de SS. Regni Neapol. S. Hippolyti, quem Hippolytinum vocat. Longa oratione passionem describit illumque an. sal. 306. die 1. Maij passum ait. Dauid autem Rhomæus in Catal. SS. eiusdem Regni ad v. y. Kalen. Martij. illius, & sociorum meminit. Forte hac die Inuentio, siue Translatio eorundem Atripaltæ celebratur.

Concordantur Paulus, Regius, ac Dauid Rhomæus.

DE S. SECVNDINO EPISCOPO, ET PATRONO Vrbis Troiæ in Apulia.

Secundinus Episcopus, cum Troiæ Vrbis in Apulia Ecana veteribus dicta mœnia, ædes, Ecclesiæque instaurarentur, & templum Sanctæ Crucis in Cœmeterio S. Marci Euangelistæ extrueretur inter fodiendum antiqua sepulchra repertus fuit cum huiusmodi Epithaphio in marmore, *HIC REQVIESCIT S. AC VEN. SECVNDINVS EPISCOPVS, QVO SS. FABRICAS RENOVAVIT, RAPTVS IN REQVIEM TERTIO IDVS FEBR.* Quare effossa terra Corpus inuentum est, quo Ciuitas Troiana, tanquam pretiosissimo thesauro exultans maximoperè lætabatur: Dum autem debitos illi persoluere honores satageret, Episcopus aduersatus Populumque arguens dementiæ seueris edictis, Secundino honorem prohibet habeti, qui statim laterũ dolore correptus, post multa medicamina frustra adhibita tandiù torquetur, quoad resipiscens, et errorẽque suum publicè fassus, veniam à S. Secundino precatus est. Quapropter Episcopo ipso hortante templum augustum Secundino, in quo sacræ ipsius reliquiæ, facto prius ad omnẽ ambiguitatem tollendam periculo iniecta ipsarũ in ignem particula, quæ absq; vlla læsione ab igne resilijt, honorificè recunditæ sunt, ædificatur, ad cuius tumulum miracula aliquot perpetrata sunt. In quibus illud narrant, quod Aquitanus quidam nobilis, qui Romam ad Apostolorum limina, deinde ad M. Garganum venerat, cum ex pestilentia insanabilem morbũ contraxisset, ita vt vsu membrorum destitutus, manibus, pedibusque adeò contractus erat, vt calcanei natibus hærerent, hic Troiam ad S. Secundini reliquias venerandas perductus, statim omnium membrorum sanitatem recuperauit. *Ex Guaiferio Monaco Cassanensi. Et Monumen. Ecclesiæ Troianæ.*

Episcopus Troiæ tãdiù laterum dolore afficitur, donec S. Secundino debitum honorẽ reddi permittit.

Reliquiæ S. Secundini igne probantur.

Nobilis quidam Vir Aquitanus insanabilis morbi sanitatẽ à S. Secundino recuperat.

ANNOTATIO.

Ex Historia prædicta Sanctum Secundinum Episcopum Troianum fuisse videtur, quo autem tempore ei Ecclesiæ præfuerit, nanquam sciri potest.

DE

DE S. RVFFINO EPISCOPO, ET MARTYRE.
Hac die in Ecclesia Pistoriensi celebrato.

RVffinus Marsorum Episcopus vnà cum Cæridio Præsbyt. eius filio Christi fidem Maximiano Imper. in ipsa Marsorum Ciuitate prędicans, Romæ apud Imperat. à Luciano quodam, qui ex Piceno Romam per Valeriam proficiscebatur, magnamque populi multitudinem, ad Christum Rufini Prædicatione conuersam viderat, accusatur. Quare Imperator Ascanium Corniculārium mittit, qui Rufinum, & Cæsidium compræhensos Romā perducat. Rufinus itaque vinctus Romam perductus carceri includitur. A quo post aliquot dies cum dimissus vnà cum Cæsidio, & alijs Christianis fuisset iterum ab Idolorum cultoribus captus varie cruciatus fuit, ac tandem vnà cum Silone, & Alexandro apud Reate capite truncatur. *Ex Monum. Ecclesiæ Marsiyanæ, & Pistoriensis. Quæ tamen mutila sunt.*

Magna populi multitudo Rufini prædicatione conuertitur.

ANNOTATIO.

ACta SS. Ruffini, & Cæsidij in officio eorundem anno 1552. impresso legimus, quæ multis scatent erroribus.
De eisdem in Martyrolog. Rom. ad diem 11. Augusti agitur.

Februarij die 12.
DE S. MODESTO DIACONO, ET MARTYRE
Beneuenti.

MOdestus Leuita in Sardinia honestis Parentibus ortus, ab ineunte ætate in liberalibus disciplinis instructus æquales ingenio longè superās, maximè verò morum, modestia excellens humilis, castus, patiens, pius & misericors fuit. Ad disciplinas pietatis studium, meditationem, orationes, diuinarumque literarum lectionem adiungebat. Peruulgata vitæ eius sanctitate multi ad illum confluere, ac primùm orbati luminibus, quibus ille visum restituit. Deinde claudi, surdi, muti, cum alijs ægrotis ad ipsum cateruatim deferuntur, voti compotes domum redeuntes. Dum mortuus ad eum deferretur, ipseque aufugeret, precibus insequentium victus, facta oratione, vitam illi impertrauit. Quatuor cæcis visum, duobus verò defunctis vitam restituisse traditur. Surdos autem, mutos, claudos, & dæmoniacos multò plures liberauit. Factus Diaconus in persecutione Diocletiani Imper. à persecutoribus fidei tentus, cum nec minis, nec blanditijs à fidei constantia deterreri potuisset, Deosq; Dæmones appellaret, post equulei cruciatus, in ignem intra ardentes thermas inijcitur, passus est 6. Non. Octobr. Dioclet. & Maxim. Imper. *Ex antiquis lectionibus Breuiarij Ecclesiæ Beneuentanæ.*

Illustria modesti ornamenta, ac virtutes.

Modestus egregijs præfulget miraculis.

ANNOTATIO.

HAc die S. Modesti inuentio, siue translatio recolitur, non Natalis, cum die 2. Octobr. qua martyrio coronatus, ille contingat.

DE

DE S. GAVDENTIO EPISC. VERONENSI.

Gaudentius præclaris animi bonis exornatus.

GAudentius Episcopus Veronæ mirabili floruit sanctitate, ac gregem sibi commissum doctrina, vitæq; immaculatę exemplo mirabiliter pauit: erat in dicendo efficax, ac sermones illius ingentem spirabant charitatis ardorem. magna item inerat ad persuadendum in publicis concionibus vis, quibus innumerabiles Christo animas lucratus est. Obijt autem diem suum Pridie Id. Febr. Cuius corpus in Basilica S. Stephani conditum fuit. *Ex libello de S. Ecclesia Veronensis ab Augustino Valerio eius Eccl. Episcopo, & Cardinali conscripto.*

ANNOTATIO.

ETsi tempus, quo S. Gaudentius Eccles. Veronens. præfuit ignoratur, septimo tamē loco post S. Probum Episcopum sedit, vti ex Catalogo Episcop. Veronensium apparet.

DE S. BENEDICTO EPISCOPO ALBINGAVNENSI.

Benedictus miraculis emicat.

BEnedictus in Liguria ex honesta Reuellorum familia natus apud Tabiam Oppidum ob eius vitæ probitatem, & singulares virtutes Episcopus Albingauni, (quæ Liguriæ littoralis est Ciuitas) creatur. Qui præter in officio Pastorali diligentiam, miraculis etiam claruit; ægris enim varijs morbis laborantibus sanitatem inter cætera impetrauit. Cum autem annos aliquot Ecclesiæ suæ laudabiliter, sanctæq; præfuisset, circa annum salutis 900. migrauit ab hoc sæculo. *Ex eius Epitaphio marmoreo, in quo tempus obitus, ac translationis illius, qua anno sal. 1409. facta est Nonis Decembris exprimitur.*

ANNOTATIO.

SVnt qui S. Benedictum, qui Albingauni colitur Episcopum Mediolanens. putent, sed eos decipi epitaphium supra memoratum, quod in Eccl. Albingaunēsi legitur, satis demonstrat. Deinde S. Benedictus Episcopus Mediolanens. die 11. Martij colitur, hic verò hac die, qua decessit, & quinta die Decembris, qua corpus illius transllatum fuit in ædem S. Mariæ de Fontibus eiusdem vrbis.

Epitaphium S. Benedicti Episcopi Albingaunen. etsi rude.

,, *MArmoris in tumulo requiescunt hic Benedicti*
,, *Ossa beati: cuius persoluit tempora carnis*
,, *Mors annis nonecentum, Vrbs hæc nostra beata.*
,, *Et merito; quoniam sibi pastor pontificalis*
,, *Electus fuit, ac ægris quascunque salutes*
,, *Concedebat enim munitus amore superno.*
,, *Inter mille annos quadringentos atque nouenos*
,, *Facta fuit translatio quinta luce Decembris*
,, *Corporis eius, qui nos protegat, atque gubernet.*

DE

DE S. CONSTANTIO CONFESSORE APVD BRIXIAM.

CONstantius Comes militiæ primùm operam dedit,cũ autem diuitijs afflueret,ac ea redẽptoris verba *Si uis perfectus esse vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus*, audiens perpenderet, tanquam sibi dicta fuissent, spiritualibus diuitijs animum cæpit intendere, atq; in loco, qui in Conchis dicitur à Brixiensi Ciuitate ad 10. millia passum apud Triumpilinos, (quæ valis est) distante Ecclesiam Dei Genitrici vnà cum Cœnobio Virginum in Monte ædificauit. In qua ædificatione illud memorabile contigit, quod dum Carpentarij ligna cæderent, & leuigarẽt, Columba minutissimas lignorum stellas rostro acceptas ijs locis,vbi futuræ Ecclesiæ iacienda erant fundamenta deponebat. Ecclesias præterea alias ad 24. varijs in locis exstruxit. Iis, alijsq; pijs operibus clarus tandem sancto fine quieuit. Cuius Corpus ibidem sepultum postea Brixiam translatum in Æde S. Catherinæ conditum est. *Ex Breuiario antiq. Humiliatorum, ac ex Monum. Eccl. Bxien.*

Constantius Cœnobium monialium Colũbę signo construit. Vigintiquatuor Ecclesias præterea varijs in locis ædificat.

ANNOTATIO.

LIcet ex dicto Breuiario, in quo vita S. Constantij paucis ennarratur, tempus, quo vixit, non appareat; Capreolus tamen in Annalibus Vrbis Brixien. illum circa an. sal. 1150. quo tempore S. Honorius Episcopus Ecclesiæ Brixien. præerat, vixisse scribit. Transl. cuius ab eod. Capreolo lib. 12. an. D. 1483. circiter facta est.

Februarij die 13.

DE SANCTO BENIGNO PRÆSBYTERO, & Martyre Tudertino.

BEnignus Tuderti natus à prima ętate in Christiana religione eruditus, ita in ea profecit, vt sacris ordinibus insigniri mereretur: ac tandẽ ad Sacerdotij dignitatem perueniret. Quo tempore Diocletianus, & Maximianus Imperatores in Christianos persecutionem commouerant. Cum autem Benignus diuinæ pietatis ardore incensus, nullo terrore perculsus, fidem verbo, & exemplo promulgare non desisteret, ab Idolorum Cultoribus captus, varijs afficitur supplicijs, ac demum munus Sacerdotale martyrij gloria cumulauit. Corpus eo loco sepultum est, in quo Basilica cum Sacrarum Mulierum Cœnobio eius nomini ædificata fuit, cuius vestigia ad hæc vsq; tẽpora Ecclesia ipsa solo æquata, cernuntur. Vnde celebri pompa ad Ecclesiam Monialiũ S. Benedicti translatum est. Contigit autem miraculum huiusmodi, quòd, cum monachus quidam Conuersus, vt vocant, Sacrum Benigni caput, quod in argentea theca inclusum asseruabatur, furaturus in Ecclesia se abdidisset, ac theca lapide confracta abstulisset, nunquam loco ęgredi potuit, circuiens enim nunquã Ecclesiæ ostium (diuina operante virtute) reperire potuit. Quare caput referre in eandẽ; thecam recludere coactus est. *Ex officijs Ecclesiæ Tudertinæ nuper approbatis.*

Benignus fidei Promulgator.

Conuersus furaturus caput S. Benigni ostium, vndè egredi posset, nunquam reperire potuit.

ANNOTATIO.

MOnasterium Monialium, in quo Corpus S. Benigni asseruatur, Militiarum appellatur.

DE

DE SS. MARTYRIBVS FVSCA VIRGINE, ET MAVRA Eius Nutrice Rauennæ.

Fusca cum Nutrice triduo fine cibo, & potu carceri includuntur.

Pater ipse Fuscam occidere parat. Fuscam Angelo sociatã milites reperiunt.

Maura Nutrix gladio transfigitur.

FVsca Virgo, Rauennæ Patre Idolorum Sacerdote nata: cum annum ætatis 15. ageret, desiderioq; Christianæ Religionis flagraret: re cũ Maura eius Nutrice communicata, illam ad eandem religionem amplexandam hortabatur; qua assentiente, vtraque ab Hermolao Præsbytero baptizatur. Quod cum Pater accepisset, & indignè ferret, filiam à proposito conatur auertere. Cũ autem verbis nihil proficeret, illam cum Nutrice triduo absque cibo, & potu carceri includit. Intromissis interim matronis, quæ eam à sententia remouerent, mortem sibi à Quintiano Præside, qui breui Rauennam venturus erat, afferẽdam nunciantes; Cum verò Fusca immobilis persisteret, Pater ei optionẽ dat, vel Dijs sacrificandi, vel antè aduentum Præsidis moriendi, eamq; Deos colere recusantem cum Pater interficere vellet, Mater, vt spatium aliquot dierum ad resipiscendum concederetur, intercessit. Interim Quintianus Rauennam aduẽtans, Fuscam, & alios Christianos sibi pręsentari iubet, quam ministri orantem, & Angelum iuxta illam stantem inuenere. interrogata igitur Fusca à Præside, constansque in Christi fide reperta, flagellis primum cæditur; Deindè cum in confessione fidei constantior uideretur, extra vrbem ducta, gladio circa latus transfigitur, Idibus Februarij. Quo mortis genere, & Maura, quæ corpus Virginis amplexata fuerat, coronata fuit. *Ex Monum. Eccl. Rauennatis.*

A N N O T A T I O.

PAssæ sunt in Persecutione Decij Imp. vt in Martyrol. Rom. legitur. Corpora à Nautis Christianis Tabratam vrbem Africæ delata condita sunt: donec ea cuirsa à Vitali Ciue Veneto Torcellum Naui imposita translata fuere.

DE SANCTO GREGORIO PAPA Huius nominis II.

Gregor. Mœnia Vrbis, ac multas sacras Aedes reficit. Bonifacius à Gregorio in Germaniam missus, ac deinde Maguntiæ Archiepiscop. in Frygia martyrio coronatur.

Leoni Isaurico Gregor. generosè opponitur, vt potè acerrimus Eccl. libert. defensor.

Non licere Imperatori quidquã de fide, aut Ecclesia statuere monet Gregorius.

GRegorius Romanus Marcelli filius, à Sergio Papa in clericorum numerũ adscriptus Bibliothecæ præficitur. Factus Diaconus Constantinopolim proficiscitur ob Ecclesiæ negotia, vbi maximè eius doctrina enituit, & eloquentia. Romam reuersus Constantino, qui decesserat, in Pontificatu subrogatus est. Statimque mœnia Vrbis refecit, & Sacras Ædes præsertim S. Petri, & S. Laurentij extra muros, quas etiam sacris vasis ex auro, & argento ornauit. Monasterium via Ostiensi apud Basilicam S. Pauli extruxit. Bonifacium Monachũ in Germaniam misit, cuius opera maxima Germaniæ pars ad Baptismum peruenit. Qui postea Maguntiæ Archiepiscopus fuit, martyrio in Frysia coronatus. Leoni III. Isaurico Imp. aduersus sacras imagines pugnanti generosè restitit, Quapropter molestias aliquot passus est: Sed Deo protegente, conspirationes in eum euanuere. Fuit etiam Ecclesiasticæ libertatis acerrimus defensor: Nam coacta Synodo, non esse Imperatoris de fide, deque Ecclesiæ legibus statuere, Imperatorem Epistola decretali ad eum missa, monuit. Ijs, alijsque rectè, & piè gestis sanctitateque clarus, cum an. 14. Ecclesiam Dei gubernasset, migrauit in Cœlum. *Ex Platina, & alijs vitæ Pontificum scriptoribus.*

AN-

ANNOTATIO.

Platina hic ab alijs dissentit: nam Gregorium ferè annos 17. præfuisse, dieq; 11. Februarij sepultum, quem alij annos 14. & menses aliquot Pontificatum tenuisse, ac Idibus Feb. hoc est die 13. obijsse, vt habent Martyrologia præcipuè Romanum. Apud Baron. in Annal. præfuit annos 16. mens. 8. dies 10. obijtque ann. Dom. 731. Leone Isaurico Imp.

Platinæ ab alijs dissensio

DE S. PETRO EPISCOPO VERCELLENSI.

PEtrus Episcopus Vercellens. huius nominis secūdus, Vercellis natus, & educatus, ad Episcopatum euectus ad omnem pietatis exercitationem se contulit. Peregrinatione Hierosolymitanâ suscepta, Babilonem Aegypti, quo tempore Christianorum copiæ à Soldano dissipatæ sunt, venit, & captus cū alijs multis in vincula coniectus, diù carcere maceratus est: Quoad Beati Bononij monachi, qui eò venerat, opera, vnà cum alijs Christianis è custodia liberatur. Inde naui cum Bononio versus Hierosolymam nauigat, vbi studio deuotionis deditus singula loca sancta inuisit. Postea Constantinopolim venit, vbi Bononius, Hierosolymam redeundi cupidus, eum reliquit. Tandem Vercellas ad Ecclesiam suam reuersus, Bononium Hierosolymis accersendum, ac inde in mortui Abbatis locum Monasterio Locediensi præficiendum curat; cum quo maximam temporis partem in sacris eloquijs consumebat. Demum Ecclesia Vercellensi piè, rectéque administrata, Idibus Feb. in cœlum euolauit. *Ex officijs Ecclesiæ Vercellensis, & vita Episcoporum scripta.*

Petrus Hierosolymas peregrinat*, ac Babilonē profectus in vincula conijcitur.

ANNOTATIO.

CArolus Sigon. lib. 2 de Episcopis Bonon. Bonifacium Marchionem M. Ferrati Cœnobium Locediense construxisse; eiq; Bononium monacum S. Stephani Bononiæ præfecisse scribit, cum tamen ex vita S. Petri Episcopi, Bononium haud primum Abbatem Locedien. fuisse appareat.

Caroli Sigonij assertio haud multū firma.

DE S. STEPHANO ABBATE REATINO.

STephanus Abbas apud Reate, vt S. Greg. Papa testatur, magna sanctitate emicuit; nihil in hoc mundo possidens, nihil requirens, solam Paupertatē diligens: in aduersis patientiam amplectens secularium conuentū fugiēs; orationi semper vacans. Is cum quadam die messem sua manu sectam ad arcā deduxisset, qua ipse cum discipulis nihil aliud habens, viueret, quidam peruersæ voluntatis vir, illam igne supposito incendit: Cum autem, qui hoc Stephano nuntiarat, diceret, *Va va Pater Stephane quid tibi contigit*, qui mente placida respondit, *Ve quid illi contigit, qui mihi hoc fecit*, magis illi qui peccatum commiserat, condolēs, quàm sibi, qui peccati alieni damna tolerabat. Cum dies mortis aduenisset, multi, vt tàm sanctæ animæ de seculo hoc recedenti animas suas cōmendarent, conuenerunt, quorum alij ingredientes Angelos videbant, sed aliquid dicere non poterant, tantusque, & qui Angelos viderant, & qui non viderant timor inuasit, vt nullus, egrediente Sancti Stephani anima, illic persistere potuerit, omnibus timore percussis, inde fugientibus; ex quo, quæ & quāta vis fuerit, quæ egredientem animam suscepit cuius egressum nemo mortalium ferre potuit, intelligitur. *Ex libro 4. dialog. capit. 19.*

Stephanus non suo, sed lædentis, dāno patienter condolet.

Stephano animā agenti, occurrentes Angeli omnes perterrefaciunt.

AN-

ANNOTATIO.

HIc S. Abbas longè ab alio Stephano Prasbytero, qui in eadem Valeria Prouincia sanctitate floruit, diuersus est: de quo idem S. Greg. lib. 3. dialog. c. 20. rem miram narrat, quòd, cum domum ex itinere rediisset, mancipioq; negligenter loquens, praecepisset d cens, veni diabole discalcia me, mox caligarum corrigia summa velocitate dissoluere se ceperunt, obediente diabolo; quod Prasbyter videns, vehementer expauit, dicens recede miser, non enim tibi, sed mancipio meo locutus sum, ad cuius vocem ille protinus recessit.

De alio S Stephano Abbate res mira narratur.

DE SS. HAYMONE, ET VEREMVNDO CONFESSORIBVS APVD MEDAM.

Haymo, & Veremundus fratres à duob. Apris inuaduntur.

HAymo, & Veremundus fratres, Turbigij in agro Mediolanēsi Comites ex nobili Coriorum familia: cum inter venandum à duobus Apris inuasi tuissent, nec aliud perfugium haberent, Lauros non longè à templo S. Victoris Mart. ascenderunt, sed Apris terram circumfodientibus, ex quo Lauros corruere necesse erat, à S. Martyre opem implorant Cœnobium ibi Virginum suo nomini construere pollicentes: Quo facto voto, statim Apri recessere. Illi verò tanti memores beneficij Monasterium Monialium S. Benedicti titulo S. Victoris Mart. ędificarunt, Sęculoq; vale dicto, ibi quotidie ieiunantes, ac ter in hebdomada panem tantumodo, & aqua recreati humi cubantes cilicio induti Deo inseruierunt, diuitijs suis partim pauperibus erogatis, partim ei Monast. attributis. Quam viuendi normam vsq; ad extremum vitæ seruauerunt. Cum autem migrassent è vita circa an. sal. 790. in eadem Ecclesia tumulati sunt, miraculis aliquot post mortem subsecutis. Nam inter alia Abbatissa à Medicis, de sperata salute, & alia Monialis ab Apoplepsia horum intercessione liberatæ sunt: cum mulier fœtum peperisset mortuum, & immaturum, horum Sanctorū Confessorum nomine inuocato reuixit infans, & baptizatus est. Veremundi ei nomine indito. *Ex officio illorum per Fratrem Modestum Comensem Inquisitorem edito an. sal. 1702.*

Abbatissa quædam, ac altera Monialis desperatā salutem corporis horum intercessione cōsequuntur. Fœtus æditus mortuus viuit.

ANNOTATIO.

IN officio memorato, quod penes Moniales S. Benedicti Meda Pagro Mediolanen. est, nonnulla parum verisimilia, quæ corrigi possent, continentur ibi, (quòd miror) nulla colendi illos licentia fit mentio.

Februarij die 14.

DE S. VALENTINO PRAESBYT. ET MART. ROMAE.

VAlentinus Præsbyter Romæ Claudio Imp. quòd Christianus esset, delatus, ab eoq; de religione interrogatus, se Deum, qui cœlum, & terram, cunctaq; fecit in essentia vnum, in personis verò trinū, non autem Iouē, aliosuè Deos, qui in impudicitijs vitam traduxerunt, colere respondit, & cur factus homo mortem sustinuisset, tanta dicendi vi explicauit, vt multis, cum Imperatore, aurem dictis eius præbentibus, Calphurnius Præfectus præsentes. Imperatorē quasi seductum, insimulans, admoneret, ne se ab immortalium Deorum cultu pro Crucifixo auerti sinerent; Qua voce Imperator commotus Valentini causam

ſam Calphurnio cognoſcendam commiſi. Qui ne animum Imperatoris offenderet, illam Aſterio Vicario remiſit. Valentinus itaq; domum Aſterij perductus filiæ illius cæcæ ſtatim, oratione facta, viſum reſtituit, ipſumq; Aſterium cum tota eius domo triduo fide inſtructum baptizauit. Quæ cum Claudius reſciuiſſet, Senatum veritus, ne in ſe, tamquam Chriſtianis fauentem, aliquid moliretur, miſit qui Aſterium, & alios Chriſtianos varijs pœnis affectos interficerent. Valentinum verò fuſtibus cæſum in Chriſtiana fide, & confeſſione capite plecterent. Quod 16. Kal. *Martij* circa an. ſal. 272. factum eſt. *Ex Beda, & paſſione à Surio tom. 1. ex M.S. antiq. relata.*

Valentinus viſum cæcæ reſtituit.

ANNOTATIO.

Vereor, ne hic error circa martyrij S. Valent. tempus interceſſerit: nam Claudius Imp. an. D. 271. Pridie nonas Feb. ex Cronologia Impp. apud Panuinium, & alios deceſſit, non ergò vt videtur die, & anno ſupra memoratis Claudius inter viuos erat. Idem apud Baron. in Annalib. qui an. D. 272. Aurelianum, non Claudium Imperio præfuiſſe ſcribit.

DE S. VALENTINO EPISCOPO, ET MARTYRE INTERAMNENSE.

Valentinus Interamnæ nobili genere ortus, cum adhuc Diaconus eſſet, vitæ ſanctitatæ, & doctrina cæteris Clericis præſtabat. Cum autem S. Felicianus Epiſcopus Fulginas Interamnam veniſſet, ab eo populo inſtantiſſime poſtulante, Interamnenſis Epiſcopus conſecratur: Quo in munere nihil antiquius habuit, quam vt religionem Chriſtianam propagaret. Duas inſtituit congregationes Clericorum vnam, alteram Virginum, in quarum numero Sancta Agapes fuit. Romam profectus Chæremonem Cratonis Rethoris filium toto corpore contractum, & caput intra genua tenentem mirabiliter oratione curauit, quo miraculo Cratonem poſt longam de fide Chriſtiana cum eo diſceptationem, cum tota familia, & alijs, in quibus Apollonius, Proculus, & Ephebus, Cratonis diſcipuli fuere, baptizauit. Cum autem magnus concurſus Gentilium fieret, qui ob miracula, & Prædicationem S. Valentini ad Chriſtum conuertebantur. Iis ad Senatum delatis, aduocatus Valentinus, ac de religione interrogatus cum Chriſtum Deum, & Dominum intrepidè confiteretur Placido Vrbis Præfecto traditur puniendus, qui S. Epiſcopum diutino carcere afflictum, multis deinde verberibus cædi iubet. Poſtremò Populi, benè erga Valentinum affecti, tumultum veritus, noctu illi caput amputari præcipit circa an. ſal. 273. Aureliano Imperatore. Cuius corpus à SS. Apollonio, Proculo, & Ephebo Interamnam relatum, in ſuburbano Prædio conditum fuit, ibiq; Eccleſia ſuo nomini ab eiſdem ædificata, quod in arca plumbea an. D. 1605. ab Epiſcopo Interamnenſi die 21. Iulij repertum fuit. *Ex Monum. Eccl. Interamnenſis. Vita prolixè ſcripta apud Bononium Mombrit. leg.*

Sancta Agapes.

Crato Romæ Rethor ob ſanitatem filio à Valentino impetratã cũ tota eius familia baptiſmũ ſuſcipit.

Valentinus torquetur.

ANNOTATIO.

Nonnulli acta alterius Valentini Epiſcopi Interamnenſis, qui floruit Iuſtino Imp. cum huius confundunt, ſicuti & Monumenta Eccleſiæ prædictæ M.S. nonnulla habent digna correctione; maximè verò in eo, quod Eccleſiam Romæ in via Flaminia S. Valentino extructam dicitur; id enim non de Valentino Epiſcopo Interamnenſi, ſed de Valentino Præsbytero Romano, & Mart. verum eſt.

Quædam in vita S. Valentini correctione digna.

DE SS. MARTYRIBVS VITALI FÆLICVLA, Et Zenone Romæ.

HOs Martyres Romæ pro Christo martyrio coronatos antiqua Martyrologia Bedæ, V suardi, & Adonis habet quos Martyrolog. Romanum cum alijs recentioribus sequitur: Sed quo tempore, & quo martyrij genere affecti fuerint, nullibi legitur.

ANNOTATIO.

PRæter supra memorata mem. etiam horum SS. Mart. Vuandelbertus his versibus.

„ *TVum decimo sestoq; die praeunte Kalendas*
„ *Martyr Vitalis nitet, & Felicula Virgo.*

DE SS. MARTYRIBVS MODESTINO EPISCOPO, FLORENTIO Præsb. & Flauiano Diacono apud Abellinum in Campania.

Modestinus mira efficit.

MOdestinus Episcopus, cum Diocletiano Imper. persecutio in Christianos apud Antiochiam vigeret in mõte annos 7. fugiens mansit plura ibi operatus mirabilia; donec diuino admonitu Anthiochiam descendit: multis in via possessis à Dæmone curatis, ad fidemq; Christi conuersis. Qua propter ad Imp. perductus, deq; Religione interrogatus se Christi seruum liberè professus est. Iussus autem Dijs sacrificare, se verò Deo, & Viuo, qui cuncta creauit, non lapidibus sacrificare respondit. Quo responso ira accensus Imperator Modestinũ in cœlum aspicientem, Christoq; gratias agentem plumbatis cædi iubet. Cũq; Diocletianus multa illi pollicitus, vt iuuentutis suæ consulens, Deos colere illum hortaretur, Modestinus subridens se non auro, non argento, nec alio præmio, neq; quouis supplicio à Christo separatum iri respondit. Qua de re magis iratus Imperator illum extendi, ac durissimè cædi imperat: cumq; nulla læsionis signa in eo viderentur, idq; Imper. maleficijs tribueret, Modestinus hæc Imp. non maleficia, sed beneficia sunt Christi. Tunc illum Tyrannus vngulis ferreis dilaniari, plumboq; pice, sulphure, resina, alijsq; rebus feruentibus perfundi iubet, ex quibus cum nihil læderetur, populusq; commotus, Deum Christianorũ verum conclamaret, ingens terremotus, tonitruis, fulguribusq; subsequentibus, fit, ita vt Imp. perterritus fugeret, Modestinumq; in carcerem ferreis vinculis cõstrictum recludi imperaret; vndè ab Angelo eductus vinculis omnibus resolutis in Italiam venit circa Campaniæ littora, vbi multos ægrotos curauit, & defunctum, qui ad sepulturã deferebatur vitæ restituit: multis eo miraculo ad Christum perductis: erant autem cum illo Florentinus, seu Florentius Præsbyter, & Flauianus Diaconus. His Maximiano Imp. delatis Modestinum cum socijs ad se adductum, vt Deos colerent, hortatur. Sed orante Modestino statua, quam adorare iubebatur, concidit, & ex ea egressus Draco, multis interfectis, metum omnibus afferebat. Quo ad Modestini præceptum disparente plurimi fidem suscepere, gladio mox iussu Imp. animaduersi. Tunc Imp. Modestinum tunica ærea candenti indui iubet, inquiens, nunc videbimus, an Deus tuus te eripere possit. Cum autem illa frigefacta statim nullam sensisset læsionem, in ollam oleo, pice, sulphure, plumboq; feruente immittitur, ac

Modestinus plumbatis cęditur.

Iterum dirissimè exagitatur.

Immanissimè cruciatus.

Modestinus ab Angelo vinculis extrahitur.

Aegrotos curat, defunctumq; ad vitam reddit.

Statua concidit, Dracoq; ex ea prosiliés multos necat.

Modestinus tunica ærea candenti induitur in ollamq; feruentem conijcitur.

cum

cum etiam illæsus exiſtet, cum ſocijs carceri denuo excruciandus includitur. Vnde ab Angello noctu educti apud Abellinum in locum, qui Prætorium dicebatur, veniunt, ibiq; non multo poſt 16. Kal. Mart. obdormierunt. Quorum corpora ab Epiſcopo Abellinenſi, Gulielmo II. regnante, Abellinum tranſlata ſunt, multis miraculis perpetratis. *Ex paſſione M.S. in multas lectiones digeſta, quæ in Eccleſia Abellinenſi ſeruatur.*

Modeſtinus cum ſocijs ab Angelo carceribus educuntur.

ANNOTATIO.

Historia hæc mihi maximè ſuſpecta eſt, quod eadem prorſus continet, quæ S. Eraſmi Epiſcopi, & Mart. apud Formias cõtinet, p̃ ater inuериſimilia, quibus expurganda eſſet. Nos plura propterea omiſimus.

Hiſtoria cenſenda ſuſpecta.

DE S. ELEVCADIO EPISCOPO RAVENNATE.

ELeucadius Græcus natione, in Philoſophia Platonica præſertim probe verſatus à S. Apollinari ad Chriſti fidẽ, quam antè acerimè oppugnarat, conuerſus eandem libris piè, ac doctè conſcriptis egregiè defendit, ſacriſq; initiatus, cum ex Philoſopho doctiſsimus in Chriſtiana religione euaſiſſet, poſt S. Aderitum, columba cælitus capiti illius aduolante, Epiſcopus Rauennatum ordinatur. Hic plures ex diuinis libris latinè, & Græcè interpretatus eſt. Multa ſcripſit in quibus de conceptu Chriſti ex Virgine de Morte eiuſdem, & alia, quæ temporum iniuria ad manus noſtras minimè peruenerunt. Summa pietate, paſtorale munus adminiſtrauit, virtutibuſq; omnibus vſq; adeò floruit vt in terris manens vitam cœleſtem imitaretur. Illum *S.* Petrus Damianus ſummis laudibus effert, qui & ſi martyr haud occubuit ob perſecutoris defectũ, martyrio tamen haud animus defuit. Migrauit autem è vita 16. Kal. Mart. an. Domini 115. apud Claſſem ſepultus, cuius corpus ab Aſtulpho Longobardorum Rege Ticinum tranſlatum, in Baſilica S. Michaelis honorificè conditum eſt. *Ex Eccl. Rauennat. Monum. ac ex hiſtoria Hier. Rubei lib. 1.*

Eleucadius ex oppugnatore propugnator fidei acerrimus euadit.

Archiepiſcopus Rauẽnas columbæ volatu creatur.

Compluriũ operum compilator extitit.

S Petrus Damianus Eleucadium commendat.

Eleucadius Martyrij flagrantiſsimus

ANNOTATIO.

Hic miror, in vita huius S. Epiſcopi Gentilitatem ſuo tempore extinctam ſcriptum eſſe, cum illa non modo ad Diocleт. & Max. Impp. tempora perdurarit plures enim ſub diuerſis Imperatoribus Rauennæ martyrio coronati ſunt extitere etiã Idolorum Sacerdotes vti SS Funa, & Maura acta teſtantur ſed, & ſub Chriſtianis Impp. non prorſus abolita fuerit. Fuit autem Eleocadius ſiue Eleucadius tertius Rauennatum Epiſcopus. Baron. in Annal. ad an. D. 75. Eleucadium Aderito ſucceſſiſſe circa id tempus ſcribere videtur: cum Epiſcopatum inierit circa an. D. 100. ex actis apud Hieron. Rub. & Cronol. Panuin.

DE S. ANTONINO ABBATE SVRENTINORVM PROTECTORE.

ANtonius Campaniæ in Picentinis ortus vitam Monaſticham in Monaſterio Caſſinenſi profeſsus eſt, ac ob eius præclaros mores, vitæq; probitatem Abbas creatur. Sed Eccleſia cum Cœnobio à Longobardis euerſa, Stabias venit, vbi aliquandiu cum Catello Epiſcopo (cum quo intimam familiaritatem contraxit) commoratus, poſtea ſolitudinis deſiderio captus, in montem inter Stabias, & Surentum receſſit, quo etiam Catellus cum Antoninum retra-

S. Michaelis Arcangeli apparitio.

here non potuisset, se contulit. Ibi Diuo Michaeli Arcangelo, qui vtrique in somnis apparuit, Ædiculam ad sacra facienda extruunt. Cum autem Stabientes Episcopum apud Pont. Rom. quod, Ecclesia relicta in montibus habitaret, accusassent Catellus Romam vinctus perductus, diù carceri mancipatur: Antonino ea re maximè afflicto, Deumq; assiduè, vt Catellus restitueretur, orante, qui etiam Bonifacio Papæ, cui Catellus Pontificatum pòst Sabinianum prædixerat, apparens per visum, vt Catellum virum innocentem, vti promiserat dimissum, restitueret, egit. Reuerso itaq; Catello, Antoninus paulo post à Surentinis summopere expetitus, Surẽtum veniens Abbas ibi Benedictinorum Monasterio præficitur, vbi D. Martino fanum extruxit, & Christi Domini Passionem proprijs manibus in marmore exculpsit. Cum autem sibi ex hac vita migrandum esse præsentiret, corpus suum, neq; in Vrbe, neq; extra illam sepeliri iussit. Defunctus itaq; 16. Kal. Mart. circa an. sal. 625. in ipso vrbis muro tumulatus fuit, innumerisq; miraculis effulsit, in quibus vnum ex tot narrare libet.

Fur surrepturus pretiosiora, Ecclesia exire nesciens in facinore depræhenditur.

Quidam cupiditate obcæcatus nocte templum D. Antonini effractis valuis ingressus, vt prætiosa quædam inde auferet: tota nocte pererrans nunquam locum, quà ingressus fuerat, valuit reperire. Maneq; a Sacerdotibus in facinore depræhensus illud palam confessus, veniam impetrauit. *Ex vita per Dauid Romanum Surentinum Præsbyterum prolixius scripta.*

ANNOTATIO.

Campania, cuius supra fit mentio, vrbs est Episcopali Sede decorata in Principatu citeriore, vt vocant, sita Ebolo op. præclaro vicina; Cuius Episcopus Compsani Archiepiscopi suffraganeus est.

Februarij die 15.

DE SS. FAVSTINO, ET IOVITA MARTYRIBVS BRIXIENSIBVS.

Faustinus, & Iouita exquisitissimis supplicijs torquentur.

Calocerus Minister conuertitur.

FAustinus, & Iouita Brixiani, quorum Prior Præsbyter, alter Diaconus erat; à S. Apollonio Episcopo ordinati, cum Brixiæ Christum Dominum Traiano Imperatore prædicarent comprehensi, cum Dijs sacra facere nollent, in equuleo suspensi cruciantur, ex quo solutis, ac nihil læsis Calocerus vnus ex Ministris conuersus est. Faustinus verò, & Iouita in Ergastulo conclusi à Christo Domino noctu visitantur, carcere nimia luce collustrato. Quod cum Custodes vidissent, & ipsi in fide à Faustino, & Iouita instructi, ad Christum conuertuntur, vnà cum aliquot militibus, qui omnes cum Calocero ab Apollonio baptizati, capite plexi sunt, excepto Calocero, qui vnà cum Faustino, & Iouita vinctus Mediolanum perducitur; vbi Dijs nolentes imolare in equuleo torti, lampadibus ardentibus ad eorum latera admotis, exuruntur, igne etiam copioso stupa, resina, & oleo adhibitis subiecto. Cũ autem, SS. orantibus, ignis statuas Deorũ incendisset, illi taurorũ ferocium caudis alligati vt rapiati discerperentur, in Syluas dimittuntur. Sed tauris effectis, vt agni, mansuetis, Sancti ab Angelis soluti cum tauris ad vrbem reuertuntur. Quæ cum magicis artibus tribuerentur Calocerus Antiocho præsidi puniendus traditur Faustinus verò, & Iouita in carcerem detrusi, Mediolani, vbi à Sancto Secundo Astensi visitantur, cui Faustinus Sacra Communione refecto Eucharistiæ partem

S. Secundus Astensis.

S. Martiano

S. Martiano Dertonensi Episcopo, qui in carcere detinebatur deferendam dedit. Nechiolano Romam, vbi ab Euaristo Papa in fide roborantur, & Neapolim, vbi exquisitis tormentis cruciati sunt, indeque demum initio Imperij Hadriani Brixiam reducti, in confessione fidei persistentes capite plectuntur 15. Kal. Martij. Quorum corpora à Christianis sepulta sunt. *Ex vita & passione eorundem a Sur. Tom. 1. relata, ac ex Pet. in Catalogo SS lib. 3. cap. 127.*

S. Martianus Dertonens. Episcopus.

ANNOTATIO.

Illud de Hadriano Imper. dubitationem habet. Nam ipsum Christianos minimè persecutum. Orosius lib. 7. cap. 27. & S. Aug. lib. 18. c. 52. de Ciuit. Dei scribunt. Quin potius ad Minutium Fundanum, Asiæ Proconf. scribens Hadrianus Christianos alicuius delicti delatos, nisi illud probetur, prohibet puniri, vt scribit Euseb. lib. 4. cap. 9. Hist. Eccles. Quod si Seuer. libr. 2. & alij Hadrianum Christianos persecutum scribunt, id ita accipiendum arbitror, illius Præsides, & Præfectos Traiani edicta non Hadriani, (á quo Tertullianus in Apologetico nullum in Christianos edictū emanasse scribit) secuti delatos, vel inquisitos puniisse Christianos, donec eos memorato rescripto ad Minutium compescuit. Forte itaque Faustinus & Iouita non præsente et iubente Hadriano, sed eius Præside martyrio coronati sunt. Et quoniam ex multorum mart. Actis Hadrianum illorum supplicijs præsentem fuisse & eos torqueri iussisse apparet. Ita controuersia hæc conciliari posse videtur, vt illum in primis Imperij sui annis Christianis infensum eos puniri iussisse; postea verò non solum non fuisse persecutum, sed persecutionem cohibuisse dicamus. Licet Præsides alicubi erga Christianos male affecti, eos sibi delatos punirent.

An Hadrian. Imper. Christianos sit persecutus.

DE S. CRATONE MARTYRE ROMAE.

CRaton philosophus, & rhetor Atheniensis Romæ Rhetoricam gloriosè docebat. Hic Chæremonem filium adeò contractum, & omniū membrorum vsu destitutum, vt ora genibus hærerent. Cùm autem S. Valentinum Episcopum multos diuinitus curasset, accepisset, accersitum orat, vt filio opem ferat, si posset, cum Valentinus filium eius curatum iri, si in Christum crederet; Quod cum annuisset, filius membrorum integritatem, sanitatemq; consequutus est. Quare Craton cum vxore, totaque familia à Sancto Valentino in fide Christi eruditus baptizatus est. Cùm verò hæc Senatui Romano innotuissent post Sancti Valentini necem, & Craton comprensus propter Christianæ fidei confessionem capite truncatus est 15. Kal. Martij. Cuius corpus in prædio suo à Chæremone filio conditum fuit; qui post Patris passionem, aliquandiù pijs operibus deditus vixit, & sancto fine quieuit. *Ex passione Sancti Valentini Episcopi Interamnensis. Ex Martyrolog. præsertim Vsuardi, & Adonis, nec non ex Petr. in Catal. SS. lib. 3. cap. 126.*

Craton Romæ Rhetoricam gloriosè docet.

Vt supra in die S. Valentini.

Chæremon sanctis operibus auctus in cælum aduolat.

ANNOTATIO.

CRatonem græcum natione, & Oratorem fuisse omnes, qui de eo agunt, asserunt; Sed quod Atheniensis esset Petr. in Catal. loco citato scribit, quod verò philosophus esset, ex Sancti Valentini Episcopi vita colligitur.

DE S. AGAPE VIRG. ET MART. INTERAMNEN.

Agapes S. Valentini discipula.

AGapes, Virgo nobilis Interamne nata sub S. Valentino Episcopo Interamn. floruit, vna ex numero earum, quæ ex eiusdem S. Valẽtini institutione in societate tamquam in Cœnobio, ac vti Moniales degebant. Cum autem Idolorum cultores in Christianos furerent. Interamnæq; eos maximè persequerentur: post magistri mortem, & ipsa Interamnæ compræhensa, cũ in Christi confessione immobilis persisteret, gladio animaduersa, virginitati martyrij palmã adiunxit 15. Kal. Martij. Cuius Corpus in eo loco, qui Interturres dicitur à Christianis conditum est: vbi templum eius nomini à S. Anastasio Episcopo Interamnen. erectum fuit. Caput huius Virginis Romæ in Basilica SS. Apostolorum asseruari dicitur. *Ex Monumentis Eccles. Interamnen.*

ANNOTATIO.

Agapes, haud Agapæ legi debet. Agape verò gemina.

A Nonnullis Agape hæc Virgo nominatur, vti apud Vsuardum: sed in Martyrologio Romano Agapes tertiæ inflexionis non primæ legitur: Agape verò primæ inflexionis, duplex Virgo reperitur, vna Thessalonicæ cum Chionia mart. altera S. Sophiæ filia Romæ cum Pisti, & Elpide sororibus coronata fuit, & Agapes Virgo Nicomedien. martyr cum Inde, altera martyr cum Donato, & Sabino martyribus.

DE S. DECOROSO EPISCOPO CAPVANO.

Decorosus Concilio Romano interest.

DEcorosus ciuis Capuanus Iustiniano Imp. vixit. Hic cum ob eius virtutes gratus omnibus esset, Episcopalem dignitatem adeptus est, Sergio Sum. Pont. & Grimoaldo Longobardorum Duce. Conc. Rom. sub Aghatone Papa interfuit. Fuit autem non tantum nomine: sed & re ipsa, ac sermone Decorosus. In operibus charitatis præcipuè versatus. Cum quadam die in cella solus oraret mulierem ante fores Ecclesiæ ob filium graui morbo laborantem, & agentem animam, plorantem audiuit, à qua de loco, vbi corpus S. Rufini Episcopi prædecessoris sui quiesceret interrogatus, illam ad Rufini Tumulum duxit, vbi puero deposito illa ad aram S. Stephani Prothomartyris vehementius plorans orauit, Decoroso interim eam foris expectante: Quæ mulier ad filium reuersa illum ambulantem inuenit, quem Ecclesiæ prout S. Decorosus monuerat, dedicandum educauit. S. Episcopus multis pijs perfunctus laboribus, dum Dominico die sermonem ad populum haberet, sincope correptus ac inter Clericorum brachia ad altare maius perductus his verbis *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, cuius magnitudinis non est finis*, pronunciatis animam Deo reddidit. *Ex Breuiario antiq. Ecclesiæ Capuanæ.*

Decorosus sermonem habens sincope corripitur, & animam Deo reddit.

ANNOTATIO.

Historia S. Decorosi mẽdosa.

HIstoria huius S. Episcopi corrigenda venit circa tempora: nam cum Agatho Papa Sergium præcesserit (quatuor .n. intercessere Pontifices inter Aghatonem, & Sergium, Leo scilicet secundus, Benedictus II. Ioãnes V. & Conon.) Decorosum sub Aghatone Episcopum creatum, sub Sergio verò vitæ terminum accepisse, seu paulo post obijsse dicendum est.

DE

DE S. SEVERO PRÆSBYT. APVD MARSOS.

SEuerus Præsb. ex Interocrina valle Prouinciæ Valeriæ, quæ nunc S.Seueri vallis nominatur ortũ habuit. Puer à Parentibus Magistro imbuendus litteris traditus humilitatẽ,& charitatẽ inter cęteras virtutes pręcipuè coluit. Factus Clericus ad Præsbyteratum peruenit. Solebat autem, post exercitia spitualia, ad vitandum otium in agrorum suorum cultura se exercere; pauperes, orphanos, viduas, aliosq; ægentes suis facultatibus & laboribus substentans. Tanta fuit sanctitate, vt qui ad eum infirmi accedere non possent, sanitatem tamen pane, cibovè alio ab eo benedicto gustato consequerentur. De illo illud mirabile prorsus, à S. Greg. Papa in Dialogis narratur: quòd cum in vinea laborans accersitus esset vt ad ægrotum moriturum veniret, atq; pro eo, quò peccata illi dimitterentur oraret, cum distulisset ire, ægrotusq; interim decessisset, quasi causa mortis eius extitisset, flere cæpit, caput tundere, seque reum mortis ægroti inclamans, super defuncti corpus extensus, & orans illum ad vitam reuocarit donec accepta, peractaq; pœnitentia rursus obdormiuit. Seuerus tandem senio confectus relictis aliquot sui instituti discipulis migrauit è vita. Cuius Corpus, orta inter Incolas vbi sepeliendum esset controuersia, plaustro duobus iuuencis indomitis iuncto impositum, pro vt quidam in somnis se admonitum fuisse affirmabat, ad Vrbem vetetem delatũ ibi honorificè conditum fuit. *Ex antiq. M.S. Eccl. Vrbeuetana. & lib. 1. Dial. S. Greg. Pap. cap. 12.*

S. Seuerus absentes quoq; rebus benedictis sanat.

Mortuum ad vitã reuocat.

ANNOTATIO.

MEminit S.Seueri Martyrol. Rom. hac die, & Kal. Octob. licet autem hac die in Prou. Valeria reponatur, Kal. vero Oct. Vrbeueteri. Idem tamen Seuerus est, vt in eius vita declaratur. Crediderim tamen hac die illius Natalem celebrari, Kal. autem Oct. Translationem; aliamvè illius festiuitatem recoli. Corpus Treuiris extare Tabula Treuiren. testantur, cum Vrbeuetere asseruari fama sit.

DE S. ANTHILIA VIRG. ET MART. APVD ARETIVM.

ANtilia Virgo ex genere Impp. egregia forma annum 10. ætatis agens; à Dæmone (quod matri grauidæ ab Eremita quodam prædictum fuerat) ita obsidetur, vt se ipsam dentibus dilaniaret, nec quisquam ad eam, quamuis cathenis ferreis constrictam, auderet accedere, donec S. Donato Episcopo Aretino accersito liberatur. Quæ S.Episcopum secuta, Aretij aliquandiù orationibus, vigilijs, & sacris concionibus intenta commorata est. Vbi à Præfecto, qui SS. Donatum Episcopum, & Hilarinum Monachum exagitarat, an sibi velit nubere tentatur. Cum autem Anthilia in castitatis, & fidei colendæ proposito constans permaneret, vinculis ferreis colligata cęditur, & carceri includitur, in quo noctu ab Angelo à plagis curata, & ad martyrium incensa postera die educitur, & coram Præfecto sistitur. Qui virginem frustra multis pollicitationibus adhibitis ad Idolorum culturam hortatus, laminas ferreas ignitas illius lateribus admoueri iubet: quod supplicium Anthilia ita pertulit, vt Tyrannum ad fidem prouocaret, illiusq; tormenta irrideret. Quamobrem ille in rabiem actus virginem decollari mandat. Cuius caput abscissum corpori sic aptatum ferunt, vt multa de fide, præsertim de Sanctissima Trinitate, præsentes affata fuerit. Corpus à Christianis apud Aretium conditum est, caput verò Romam delatum: quod in M.Politianum translatum miraculis clarescere traditur. *Ex Antiquo Pergameno M.S. Eccl. Aretina.*

Antilia Virgo obsessa.

S. Donatus Episc. Aretinus obsessam à Dæmone Anthiliam liberat.

Anthilia ab Angelo à plagis curatur.

Caput abscissum de Sanctissima Trinitate affatur.

ANNOTATIO.

Multa amputanda ex S. Anthiliæ vita.

Quadam omnino veritati dissona in huius Virginis historia tollenda, siue corrigenda sunt. Filia enim Theodosij Imp. & Galla Augusta asseritur, ac Arcadio Imp. eius fratre passa, qui multo post Iulianum Apostatam (sub quo S. Donatus Episcopus Martyrio Coronatus est) vixere. Neque filiam Imp. ac successoris in Imperio sororem ab eius Præfecto ita habitam, maximè, cum eo tempore Gentilium persecutio prorsus cessasset, verisimile est. De Anthilia hac die Vrbeueteri, Aretij verò die 24. Septemb. agitur: si tamen eadem sit, quæ Vrbeueteri, & quæ Aretij colitur. Mirum autem videtur, quòd cum Acta Virg. & Martyrem illam demonstrent, vtrobiq; tamen vt virgo tantùm celebretur.

Februarij die 16.

DE S. ONESIMO EPISCOPO EPHESINO, Et Martyre Romæ.

Onesimus ab Apostolo baptizatur.

ONesimus vnus ex Pauli Apostoli discipulis. Philemonis nobilis Colossensis, ad quem idem Apostolus scribit, seruus fuit. Hic cum à Domino fugiens Romam ad Apostolum iam carceri inclusum venisset, eiq; omni studio ministraret, ab eo ad Christum conuersus est, baptismoq; regeneratus, qui cum epistola ad Philemonē remissus, in qua Apostolus eū Philemoni cōmendat, ab eodem libertate donatus, Romam ad Apostolum rediit, qui illum Ephesi Episcopum ordinauit. Cum autem Ephesi prædicationis officio perfunctus fuisset, Romamq; post S. Apostoli passionem redijsset, ibi pro fide Christi lapidibus obrutus Martyr occubuit. Cuius Corpus Ephesum relatum fuit. *Ex Adone in Martyrologio, ac ex Vsuardo, qui multis de eo agunt hac die.*

ANNOTATIO.

Error Petri Gales. de S. Onesimo Puteolis coronato.

PEtr. Galesin. in suo Martyrolog. hac die S. Onesimum Apostoli Pauli quidem discipulum fuisse, sed Romæ iussu Tertulli Vrbis Præfecti comprehensum Puteolos perductum ibi grauissimè cæsum, demum contusis cruribus & brachys martyrium consumasse scribit. Qua in re apertissime hallucinatur; Qui enim Puteolis passus est non Apostoli Pauli discipulus, sed longè ab illo diuersus fuit: vt acta vtriusq; demonstrāt; De Onesimo Mart. apud Puteolos ad diem vltimum Iulij agemus. Tertullus autem, siue Tertyllus nō vrbis Romæ, sed Siciliæ Præses fuit, vti ex actis SS. Mart. colligitur.

DE SS. MARTYRIBVS PROCVLO EPHEBO, Et Apollonio apud Interamnam:

Proculus Ephebus, & Apollonius S. Cratonis Rhethoris auditores.

Viso miraculo conuertuntur.

Noctu ne populus cōmoueretur capite truncātur a Leonico cōsulari.

PRoculus Ephebus, & Apollonius adolescentes Athenis Romam venerant, vbi litteris sub Cratone Rhethore celebri (qui effectus Christianus pro Christo martyrio coronatus est) operam nauabant. Hi cum illud stupendum miraculum, quo Chæremon Cratonis filius toto corpore contractus integritati, & sanitati restitutus est vidissent, ad Christum conuersi S. Valentino Episcopo tanquam discipuli eius adhæserunt. Cum autem Valentinus martyrio affectus fuisset, Corpus illius Interamnam deportarunt, & apud vrbem condiderunt. Vbi vigilias agentes à Satellitibus compræhensi ad Leonicum consularem adducuntur, qui noctu, ne populus commoueretur, eos decollari præcepit,

præcepit,& ante solis exortum ex ea vrbe discessit. *Ex Monum. Eccl. Interamnen.ac ex Passione S. Valentini Episcopi.*

ANNOTATIO.

HAc die in quodam Martyrolog. M.S. Eccl. Interamnen. ad nos transmisso, sed in Martyrol. Rom. die 14. huius.

DE S. IVLIANA VIRG. ET MART. NICOMEDIENSI APVD CVMAS.

IVliana Virgo nobilis Nicomediæ nata, ac à teneris annis Christiana Religione inscio Patre imbuta, cum id ille, cui Africanus nomen erat, rescivisset, ab eo vt Christo renuncians Deos coleret primùm verbis monita, deinde verberibus affecta fuit. Sed cum nihil à Virgine obtineret Eluisio, siue Euilasio Præfecto, cui illa nubere recusarat, cruncianda traditur, à quo virgis cæsa carceri inclusa: in quo palàm cum Diabolo conflixit, capillis suspensa, plumbo liquefacto perfusa, in ollam feruentem immissa his alijsq; tormentis superatis, demùm securi percussa Diocl.& Maxim.Impp. illustre martyrium consummauit. Cuius corpus non multo post Cumas in Cāpaniam mirabiliter delatū est. *Ex Simeone Metafraste, qui multis huius Virg. agonem, vt apud Surium tom. 1. prosequitur.*

Iuliana cum Dæmone pugnat.

ANNOTATIO.

COmenses hac die Sanctam Iulianam colunt, ac se corpus illius habere putant, arbitrantes insuper illam Comi apud se, quod aliquando Cumas appellatum dicūt, passam fuisse, quemadmodum in eorum Breuiario legitur. Sed id Martyrol Rom. & antiquis, qui de S. Iuliana scribunt, Authoribus, Metafraste præsertim, aduersatur. Neq; Comum aliquandò Cuma nisi apud Imperitos appellatum fuit. Quod autem ad Corpus S. Iuliana attinet plures vrbes se illud habere gloriantur, ac primùm Neapolitani, qui illud Neapolim, Cumis euersis, transtulerunt. Bruxelenses etiam teste Molano, corpus hoc venerandum se habere credunt. In Hispania in Ora Asturum Litorea vrbs est de huius S. Virginis nomine dicta ob corpus eiusdem eò mirabiliter delatum, vti apud Antonium Beuterium in Cronicis Hispaniæ legitur. Vtcumq; sit, corpus in vno tantum loco sit, necesse est; partes fortasse, quæ nonnunquam figuratè pro toto sumuntur in memoratis, & alijs locis esse possunt.

Magna cùm de vrbe, vbi passa sit, tum orta Iuliana, viget controuersia.

DE SANCTO FAVSTINO EPISCOPO BRIXIENSI.

FAustinus Brixiæ,& familia SS. Martyrum Faustinæ,& Iouitæ natus: vir fuit singulari pietate præditus, qui ob eius præclaras virtutes Sancto Vrsicino Episcopo Brixiensi (qui sub Constantio Imper.& Iulio primo Pontif. Maxim. floruit) successit in Episcopatu. Ad Episcopalem itaque dignitatem assumptus assiduis concionibus reliquias Idolatriæ exterminare, ac fidem Catholicam tueri summoperè studuit. Qua in re non tā doctrina quam vitæ innocentissimæ exemplum in Brixiensium animis Christianarum virtutum ardentes amores excitauit. Cui maximo fuit Philastrius, qui ei successit,

prout

Philastrius adiutor S. Faustini, ac successor.

prout Faustinus diuinitus præuiderat, adnumero. Cum autem multis annis Ecclesiæ Brixiensi sanctè præfuisset 14. Kal. Martij obdormiuit in Domino. Cuius corpus in Ecclesia Sanctæ Afræ cōditum est. *Ex Helia Capreolo lib. 2. Annalium Vrbis Brixiensis, & Nazario libro 3. Extat vita huius S. Pontificis apud Ascanium Martinengum vulgari sermone conscripta.*

ANNOTATIO.

S. *Faustinus Vitam SS. Faustini, & Iouitæ, quorum fuit consanguineus, vt Helias Capreolus initio 3. lib. Annal. Brixien. scribit, scripsisse fertur, licet iniuria temporum non extet: apud quos etiam conditus fuit. Eius corpus in æde S. Afræ in eadem arca an. sal. 1223. ab Alberto, Episcopo Brixiens. & B. Gualla Episcopo Bergomati cum huiuscemodi inscriptione repertum est: HIC IACET CORPVS B. FAVSTINI CONFESSORIS, ET EPISC. BRIXIEN.*

Februarij die 17.

DE SS. FAVSTINO, ET ALIIS XLIV. Martyribus Romæ.

FAustinum martyrem Romæ pro Christo occubuisse, illumque alios 44. secutos eandem capitalem sententiam excepisse vetustissima M. S. quæ in Monasterio S. Cyriaci asseruantur, teste Baronio, docēt. Genus tamen mar tyrij, & tempus ignoratur. *Ex Martyrol. Rom. & al.*

ANNOTATIO.

H*Orum SS. mart. in Martyrol. Rom. ante eius correctionem nulla extabat memoria, sed ex vet. exempl. Monaster. S. Cyriaci, vt monet Baron. in suis notis, restituta est. Corpus S. Faustini in M. Phiscone.*

DE SS. MARTYRIBVS SATVRNINO, CASTVLO, MAGNO, ET LVCIO INTERAMNAE.

SAturninus, Castulus, Magnus, & Lucius Interamnæ Christianam Religionem sub S. Valentino Episcopo amplexati, cum in ea proficerent, post S. Episcopi martyrium, & ipsi in eadem persecutione Compræhensi, martyrio ob fidei Constantiam coronati sunt. *Ex Monum. Eccl. Interamnen.*

Dissidium de die SS. MM. Saturn. Castul. Mag. & Lucij, S. Agapes V. 15. die martyrū subijt.

ANNOTATIO.

H*Orum Vsuard. & Martyrol. Rom. die 15. huiusmentionem faciunt, qua die S. Agapes Virg. martyrium subijt. Sed Interamnæ hac die illorum memoria recolitur.*

Donatus, & Solonus fratres multis afficiuntur supplicijs.

DE SS. MARTYRIBVS DONATO, ET SOLONO Fratribus Vincentinis.

DOnatus, & Solonus fratres Vincentini in persecutione Dioclet. & Maximiani Imper. apud Euphemium Præfectum Aquileiæ Christianæ Religionis accen-

accusati, multis affecti sunt propter fidei Cõstantiam supplicijs. Nam in Equuleo diu torti lampadarum adustionem, oleique feruētis per fusionem passi sunt; ac demum cum stabiles in sententia permanerent, capitis abscissione illustre martyrium consumarunt an. sal. 298. Quorum corpora à Christianis Concordię (vbi ab alijs passi referuntur) condita sunt. *Ex Monum. Eccles. Vicentinæ in Antiquo Cod. Pergameno.*

ANNOTATIO.

SAncti Donati, Soloni, & soc. memoria Concordiæ, vbi passi sunt, recolitur. Vincentiæ verò, de SS. Donato, & Solono tantum agitur: quod ciues essent Vincentini: Agitur de Donato, & Soc. etiam Ciuitate Foroiulien. ad aliam tamen diem.

DE SS. MARTYRIBVS DONATO, SECVNDIANO, ROMVLO, Et alijs 86. Concordiæ.

DOnatus, Secundianus, Romulus cum alijs Octuaginta sex in immani Dioclèt. & Maximiani Imp. apud Concordiam (Ciuitatem inter Aquileiam, & Altinum (quæ vrbes ab Hunnis excisæ iacent) martyrium ob Christi D. fidem perpessi sunt, atque in ea vrbe, tanquam illius patroni summa celebritate coluntur cum Octaua. *Ex eiusd. Eccl. Tab. & Monum. Horum mem. Vsuard. & Martyrol. Rom.*

Aquileia, & Altinum vrbes ab Hũnis exciduntur.

ANNOTATIO.

AN Donatus, & Solonus, qui Vincentiæ coluntur, iidem cum ijs, qui Concordiæ maximam venerationem habent sint, nondum mihi cõpertum est, cum acta Martyrum Concordiensium videre hactenus non contigerit. Eosdem tamen puto, quantum ex SS. Donati, & Soloni historia colligitur: Cum alijs enim passi feruntur.

In dubiũ vertitur, an idem Donatus cũ Vicentino, & Solono sit is, qui Concordiæ colitur.

DE S. HABETDEVS EPISCOPO LVNENSI, Et martyre.

HAbetdeus Episcopus Lunens. Tempore Vuandalicæ persecutionis vixit, multaque ob fidei Catholicæ defensionem passus est, Nam cùm se Arianis opposuisset, in exilium pulsus est. Cum autem reuocatus ab exilio Catholicam fidem, vt ante tueri non desisteret, per vim ab Arianis captus, aqua ore sibi ne clamaret, obturato, rebaptizatur, & demùm, quòd fortiter illis resisteret, capite truncatur. *Ex offic. Eccl. Sarzanen. vbi vnica lect. prædicta narrantur à Petr. in Catal. lib. 11. cap. 59. accepta.*

Habetdeus Arianorum oppugnator.

ANNOTATIO.

IN Tab Eccles. Sarzanen. S. Habetdeus Episcopus Lunen. inscribitur. Quemadmodum & apud Petr. in Catal. loco memorato. Vereor tamen, ne, cum ea persecutio in Africa vigeret, Africanus Episcopus fuerit, vt nomen ipsum, quod alijs Africanis impositum legitur, indicare videtur: quod tamen haud affirmans dico.

Habetdeus, an Africanus extiterit dubitatur.

DE S. CHRYSANTIANO MARTYRE

Apud Aquileiam.

CHrysantianus martyr in Aquileien. Diœc. Colitur hac die, vti ex Tab. Eccles. Aquileiens. legitur. Vbi autem is passus sit, & sub quibus Imper. scire non potui. Illum tamen, vel Aquileiæ, vel in locis finitimis martyrium consummasse, coniectura est, quando nullibi huius martyris memoria reperitur: & fortè vnus ex illis est qui Concordiæ cum SS. Donato, Secūdiano, & Romulo passi sunt. Cuius Reliquiæ apud Aquileiam extant. *Ex Monum. Ecclesi. Aquileien.*

A N N O T A T I O.

HVius & Sociorum nullam apud Petrum Aequilinum, neque apud alios scriptores mentionem inueni: solum Breuiarium Aquileien. antiquum illorum meminit, vnà cum Tab. Eccles. Aquileiens. recentioribus.

Hic S. Hippolyti & soc. de quib. die 11. huius actum est passio referenda.

DE S. CONSTABILI ABBATE CAVENSI.

Insignis Constabilis humilitas, & post mortem multis miraculis sublimatur.

COnstabilis, siue Costabilis in Lucania natus, mortuis parentibus, à Propinquis B. Leoni Abbati Cauensi Oblatus, ita illius, & B. Petri vestigia secutus est, vt eis in administratione Cœnobij, qui succederet, dignus fuerit. Erat in eo præter cæteras eius virtutes, insignis humilitas. Modico tempore (nā vix annum in Regimine egit) Abbas præfuit. Quem defunctum omnes fleuere. Obijt autem circa an. sal. 1135. Claruitque miraculis: Quibusdam enim in mari periclitantibus inuocatus, apparens opem tulit: & multi ab immundis spiritibus obsessi, ac varijs morbis oppressi ad eius tumulū, delati curati sunt. *Ex Paulo Reg. lib. de SS. Regni Neapol. & ex Monum. M.S. memorati Monasterij.*

A N N O T A T I O.

EGet censura, & correctione vita huius Abb. vbi eum circa an. 1135. Henrico IV. Imper. Obijsse diem dicitur. Henricus enim Quartus multo ante hac tempora ex Cronolog. Imp. præcesserat.

DE S. SILVANO EPISCOPO CREMONENSI.

S. Syluinus in SS. relatus. Eius memoria die 17. Febr. celebrata.

SIluanus, seu Syluinus Cremonen. ciuis, circa ann. Domini 734. Ob eius eximias virtutes Episcopus suæ patriæ 27. post Zenonem creatur. Quo in munere multa sanctitatis signa demonstrauit, Præfuit Eccles. Cremonens. an. 39. eamque summa prudentia, ac Ecclesiastica disciplina gubernauit, ita vt cum diem obijsset inter SS. habitus fuerit. Cuius memoria 13 Kalend. Martij Cremonæ celebrari consueuerat. Qua die ann. sal. 773. ex hac vita migrasse creditur Hadriano Primo Summ. Pont. & Constantino Sexto Imp. *Ex Tab. Diptychis Eccles. Cremonen. & ex Annalib. eiusd. vrbis.*

A N N O T A T I O.

QVod ad tempus attinet, Hadriano Primo Pontif. Maxim. obijsse quidem videtur; Sed non Imper. Constantino Sexto, qui ex Cronolog. Imper. circa an. 780. Imperium inijt post Leonem Quartum. Quantum ad cultum huius Sancti Episcopi spe-

spectat, desiit Eccles. Cremonens. illum officio Ecclesiastico venerari. Causa mihi ignota. Si tamen illius aliquando, vt ferunt, natalem celebrauit.

Februarij die 18.

DE SS. MARTYRIBVS, MAXIMO, CLAVDIO, PRAEPEDIGNA, ALEXANDRO, ET CVTIA APVD OSTIAM.

Maximus, & Claudius fratres nobilissimi Diocletiani Imper. propinqui, & Caij Pontif. ac Gabini præsbyteri, martyrium ob eam causam subierũt, quòd cum Diocletianus, Maximino filio Susannam V. Gabini filiam in matrimonium dari vellet, Claudiumque ad rem hanc tractandam misisset, ille Susannæ verbis, & Caij Papę hortatione ad Christum conuersus vnà cum Præpedigna vxore, Alexandro, & Cutia filijs aqua salutari à Gabino præsbytero lustratur, & à Caio Pont. Chrismate confirmatur. Post quem Maximus frater à Dioclet. vt quid de coniugio Susannæ actum esset exploraret, missus (fama enim de Claudij ægritudine sparsa illum apud Imp. excusabat) Claudium cilicio indutum macie, & squallore confectum reperit, à quo cum rem omnem didicisse ad Susannam deinde ad Caium Pont. perductus, (cuius pedes adhuc gentiles, vt mos erat, & eo tempore exosculatus est) & ipse ad Christum conuertitur, ac omnia sua noctu pauperibus erogare cœpit. Quæ vbi Diocler. rescisset, Iulio cuidam mandat, vt omnes excepto Caio comprehenderet, ac Gabinum, & Susannam filiam quidem custodię traderet, alios verò in exilium deportatos puniret. Maximus itaque, Claudius, Præpedigna, Alexander, & Cutia apud Ostiã in exilium deportantur, ac paulò post incendio concremati in flumen proijciũtur: quorum Reliquiæ à Christianis collectæ apud mœnia Ostiæ Ciuitatis cõduntur. *Ex Gestis S. Susannæ Virg. quæ à Surio tom. 4. recitantur.*

Maximus, & Claudius Diocl. Imp. propinqui.

Incendij martyrio coronantur.

ANNOTATIO.

Petrus in Catal. lib. 3. cap. 34. rem paulo aliter narrat. Nam Maximum primum capite plexum, deinde Claudium cum vxore, & filijs deportatum, & combustum scribit. Sed Vsuard. & Ado, quos Martyrol. Rom. sequitur, Actaque à Surio relata sic vt supra descripsimus habent, omnes scilicet, in exilium deportatos, & Concrematos fuisse.

Modicum de horum SS. vita dissidium.

DE S. EPIMENEO PRAESBYTERO, ET MART. BRIXIENS.

Epimeneus præsbyter Brixianus, quo tempore martyrium passus sit nondũ legi. Colitur tamen Brixiæ, vti Tab. eiusd. ad vsum sacrum compositæ habent, ac eius mentio in Martyrolog. Eccles. Brixien. & in Martyrol. Pet. Galesi. fit. Eius corpus in æde S. Iuliæ Brixiæ conquiescit. *Ex Tab. Brixiens.*

ANNOTATIO.

Miratus sum nullam fieri huius S. M. mentionem ab Helia Capreol. in suis Annal. cum alios eius urbis SS. præterire non soleat.

Fe-

Februarij die 19.

DE SANCTO GABINO PRAESBYTERO, Et Martyre Romæ.

Gabinus ex nobili genere Diocl.

GAbinus præsbyter ex nob. genere Diocletiani Imper. ac S. Caij Papa frater. Cum Susanna eius filia Maximini filij Diocletiani Connubium respueret, ipse verò Claudium, cum eius familia, ac Maximū fratrē Claudij baptizasset, captus iussu Imper. diu in custodia vinculis colligatus maceratur. Cum autem filiam, quam in Christiana religione erudierat, ad Maximini nuptias quòd illa Christo castitatem vouisset, hortari nollet, ita in carcere eum non solum vinculis, sed & fame affligi iussit, vt post aliquot dies confectus ærūnis ad Dominum migrauerit, an. sal. 295. Cuius corpus à Caio Pontif. tumulatum fuit 11. Kal. Martij. *Ex passione S. Susanna Virg. & Martirologijs.*

Gabinus vinculis, & fame exagitatur.

ANNOTATIO.

Geminus Gabinus.

GAbinus, siue vt apud Sur. Gabinius hic longe, alius est ab eo Gabino, siue Galuno, qui in Sardinia apud Turritanam ciuitatem passus est: Ille enim miles erat, hic præsbyter. Maximinus, Diocl. filius cuius hic fit mentio, ab alijs Maximianus Galenus nominatur, qui Diocletiano in Imp. Orientis successit.

DE S. MANSVETO EPISCOPO MEDIOLAN.

MAnsuetus Romanus ex Sabella familia ad Episcopatum Mediolanens. post *S.* Ampelium Agathone Sum. Pont. ob eius summam eruditionē, & morum præstantiam euectus est: Præfuit autem Eccl. sibi commissæ ann. 9. summa cum laude, & eiusdem Eccles. vtilitate. Concilio Sexto Romano sub Agathone Oecunemico affuit. Ad Constantinopolitanum verò, quòd ei iam grauatus annis adesse non potuit, litteras dedit, habito *M*ediolani Prouincialium, & finitimorum Episcoporum (in quibus *S.* Damianus Episcopus Ticinensis fuit) concilio: Epistolamque Synodalem plenam doctrinæ, & pietatis contra Monothelitas ad Imper. Constantinopolit. scripsit. Quibus & alijs præclarè gestis ad præmium euolauit in Cœlum 11. Kal. *Martij*. Cuius corpus in Basilica *S.* Ambrosij conditum est. *Ex Tab. & Vit. Episc. Mediolanens.*

Mansuetus Oecumenico Concilio Romano sub Agat. adest. Contra Monothelitas scribit.

ANNOTATIO.

TAbula Episc. Mediolanen. circa S. Mansueti tempora à Cronologia Eccles. discrepant. Nam illa Episcopum creatum an. Domini 674. habent. Cum in Cronol. an. 678. positus sit anno ante Agathonis obitum. Continent alium errorem; nam illum Concil. Constantinopolitano affuisse habent, cum Rom. interfuerit an. Domini 680. vt apud Baron. in Annal. ad dictum an. legitur.

DE S. BARBATO EPISCOPO BENEVENTANO.

Longobardi Viperam colunt.

BArbatus Episcopus *B*eneuentanus, Grimoaldo Longobardorum Duce mira sanctitate effulsit, rebusque benè gestis conspicuus fuit. Nam Longobardos cum suo Duce adhuc Idolatriæ deditos ad Christum conuertit. Qui cū Viperam nihilominus adhuc colerent eique extra vrbis mœnia vota nuncupātes, Corium in arbore suspensum certatim in plures partes dissectum supersti-

tiosè

tiosè comederent, atriter à Barbato reprehensi, quòd non possent duobus Dominis seruire, ab ea superstitione remouentur. Factus Episcopus Beneuentanus eam Eccles. ann. 19. sanctissimè gubernauit, cui Ecclesiam *M.* Gargani, & Sipuntinam subiecit. S. Decorosi Episcopi Capuani Contemporaneus, & amicus fuit, cum quo Concilio Rom. sub Agathone Pontif. interfuit an. Dom. 680. Vrbem obsessam ab hostibus precibus suis liberauit. Tandem Senio confectus, cum an. ætatis 80. ageret. 11. Kalen. *Martij*, ex vita mortali euolauit in Cœlum. *Ex Monum. Eccles. Beneuent. ac ex Breu. Eccl. Capuana.*

Barbatus Vrbem ab hostibus obsessam suis precibus liberat.

ANNOTATIO.

Vixit circa an. Dom. 680. & multo ante, quo tempore Constans Imper. Hæreticus bellum Longobardis intulit. Beneuento frustra obsesso: Cum illud S. Barbati Episcopi tunc viuentis sub Romoaldo Principe Grimoaldi filio precibus defensum fuerit. Quod & Baron. in Annal. recolit.

DE SANCTO CONRHADO EREMITA
Apud Neetum in Sicilia.

Conrhadus Nobilis Placentinus, cum vepres in quibus feræ latitabāt, quò absque impedimento venationibus, quibus deditus erat, operam dare posset, incendi iussisset; Ignisque vento delatus proxima loca incendio consumpsisset captus est homo infimæ conditionis, quasi incendij prædicti ob vicinitatem reus, qui vi tormentorum crimen, quod non commiserat, confessus & damnatus cum ad supplicium duceretur, à Conrhado è carnificis, & satellitum manibus violenter ereptus, & liberatus est. Conrhadus itaque cum se reū incendij publicasset, venditis omnibus illata damna compensauit, vxorique et rebus humanis vale dicens (vxore tertium ordinem Franciscanorum ingressa) Romam sacra loca visitaturus proficiscitur. Indè in Siciliam ad Neetinam Ciuitatem peruenit, vbi in Xenodochio S. *Martini* aliquot dies commoratus in solitudinem vrbi propinquā se contulit. Vbi inedia, Vigilijs, & assiduis precibus, humi cubans, solo pane, & aliquando herbis tantum vitam ducens se per annos 40. afflixit. *Multas carnis*, & *Dæmonis* tentationes sustinuit, quas tamen abstinentia, & oratione superauit. Esculenta ab amicis missa non prius attingebat, quam vermibus scaterent, vt sensus ab ipsis refugeret. Carnis ardorem nudum se inter vepres volutans vsque ad effusionem sanguinis vincebat. Cū quālibet sexta feria Imaginem Crucifixi, quæ nunc apud Neetinos in maxima veneratione est, gerens vrbem ingrederetur, quidam viro Dei illudere volentes ad prandium inuitato nil aliud, quàm suillam carnem apponunt, quibus illum irridentibus, quod pro piscibus carnes comedisset ille spinas, & squāmas, amota mappa, qua tegebantur, se pisces, non carnes manducasse monstrauit. Cum Episcopus Syracusanus fama sanctitatis commotus ad eum visendum venisset, seque ad cœnandum secum inuitasset, Conrhadus è cella Placentas quatuor calidas recenter, ac diuinitus paratas protulit. Cum autem ipse Syracusanus Episcopum venisset, multis auiculis circumuolitantibus, sibiq; quodammodo gratulantibus mirabiliter exceptus est. Dono Prophetiæ non caruit. Cum demum debitum vniuersæ carnis absoluisset an. Domini 351. 11. Kal. *Mart.* corpus illius (quod nunc in Theca argentea apud Neetinos in Ecclesia S. Nicolai conditum miraculis fulget) finitimis populis confluentibus, sepulturæ traditū est.

Conrhadus damnatum quendā, pro se ad supplicium liberat, seseque mortedignū promulgat.

Vxori, ac seculo valedicit.

Mira Conrhadi abstinentia.

Carnis ardorem sāguinis effusione superabat.

Spinas, ac squammas piscium pro carnium ossibus ostēdit.

Aues circum uolitantes aduentu Conrhadi gratulantur.

Dono profetiæ emicuit.

Conrhadus miraculis lucet.

Leo

Leo Decimo Pont. *Max.* Neetinis primum, deinde Paulus III. toti diœcesi, vt Conrhadum officio Eccles. colerent concessit. *Ex eius vita apud Neetinos, & ex officijs Eccles. Placentina nuper Roma approbatis.*

ANNOTATIO.

Conrhadum alij ex Illustri Landorum familia, alij ex Confaloneria non obscura, item eiusd. vrbis familia, progenitum tradunt. Forte pater ex vna, & ex altera illi mater fuit.

Februarij die 20.

DE S. LEONE EPISCOPO CATANENSI.

Leo verè mirabilis.

Eliodorum Magum euicit.

Leo Rauénas aduersus hæreticos egregiè decertat.

LEo ob eius sanctitatem, & Doctrinam factus Episcopus Catanensis vitæ innocentia, religione, sacrarum litterarum scientia, rebusque præclarè, & mirabiliter gestis, maximè claruit; multa, & magna edidit miracula, ob quæ à Græcis Thaumaturgus, hoc est, mirabilium effector appellatus est. Inter ea illud narrant, quod Eliodorum magum, qui mirabilia facere videbatur, Christi fide munitus per ignem, qui ad preces Leonis *Magum* consumpsit cœlitus demissum populo spectante vicit, & perdidit. Patria illi fuit Rauenna nobilibus, & pijs parentibus orto, vbi cum sacram scripturam totam didicisset, ac mirabilia faceret Præsbyter ordinatus est Eccl. Rauennatis. Factus Episcopus Catanensis aduersus hæreticos egregiè decertauit. Quibus ad Imperatorem delatis, ab eo accersitus humaniter acceptus est: ab eoque honorificè demissus, & ad propriam Ecclesiam reuersus non multo post obdormiuit in Domino. *Ex Menologio Græco.*

ANNOTATIO.

QVo tempore vixerit hic Sanctissimus Episcopus haud docent Græci in Anthologio, sub Christianis tamen Imper. à quibus inuitatus, & honoratus est, floruisse, manifestum est.

DE SEPTVAGINTA NOVEM MARTYRIBVS In Sicilia.

HI Sancti Martyres in Persecutione Dioclet. in Sicilia multis supplicijs affecti, cum constantiores in confessione fidei semper apparerent, post grauissimos cruciatus tandem glorioso *Martyrio* coronati sunt. 9. Kal. *Martij. Ex D. Hieronymo, Vsuardo, Romano Martyrolog. & alijs.*

ANNOTATIO.

IN qua Vrbe Siciliæ ij Martyres passi fuerint, nec Martyrologia docent, neque eos alicubi in ea Insula coli accepi.

DE S. MAXIMIANO EPISC. RAVENNATE.

Maximianus Thesaurũ inuenit, Imperatoriq; defert, ac medio donatus Rauennã reuertitur.

MAximianus Polæ, quæ Istriæ Ciuitas est, natus; Clericus factus, paulo post Diaconus creatur; dùm autem terram in hortulo suo foderet, Thesaurũ inuenit, quem Constantinopolim ad Iustinianum Imper. attulit qui partem illi concessit: Ad Sacerdotium promotus, cum Victor Episcopus Rauennatũ extro-

tremum diem clausisset, ab Imp. Episcopus à Vigilio Papa, qui tunc apud Patras Achaiæ Theodoræ Augustæ iussu exulabat, postulatur. Creatus itaque Rauennæ Episcopus Pallio accepto eò proficiscitur. Rauuenatibus autem portas vrbis illi tanquam alienigenæ obserantibus, Maximianus nihil hac iniuria commotus extra Portam S. Victoris habitauit: & eos, qui hanc ciuium contumaciam significate volebant, ne id facerent, prohibuit. Qua propter Rauuennates patientiam, & virtutẽ S. Episcopi expendẽtes, illum libenter acceperunt. Initio Episcopatus adepti templum D. Vitali dicatum consecrauit vna cum eo, quod classe S. Apollinari extructum fuerat. Opes suas omnes Ecclesiæ Rauuennati donauit. templum S. Andreæ à S. Petro Chrysologo ædificatum columnis marmoreis exornauit. Tricolum absoluit. templumq; D. Stephano Protomartyri miro opere excitauit. Reliquij. Sanctorum, & vasis aureis ornatum. Sacra indumenta, & libros sanctos vna cum cruce aurea Ecclesiæ largitus est. Corpora SS. Episcoporum in Basilica S. Probi honorificẽtissima condidit. Demum cum etiam Polæ ædificandum curasset plenus dierum 9. Kal. Mart. obdormiuit in Christo, apud Aram S. Andreæ Apostoli tumulatus. *Ex Monum. Eccl. Rauenn. & Antiquis lectionibus ac ex Hieron. Rubeo in Hist. Rauenn. lib. 3.*

Rauennates portas Maximiano obstruunt.

Aedes adhæc vsq; tempora illustres construit.

ANNOTATIO.

Maximianus ann. 546. Episc. Rauennæ creatur, vixitque in Episcopatu an. 12. cum adhuc Vigilius Rom. Eccles. præesset. De cuius exilio apud Patras nihil in eius vita apud Plat. legitur, licet Constantinopolim perductus ibi verberibus male habitus, diu carcere pane & aqua sustentatus, maceratus tandem ad Pop. Roman. & Narsesis Exarchi preces dimissus fuerit.

DE S. PATERIO EPISCOPO BRIXIENSI.

PAterius Episcopus Ecclesiam Brixiensem inter S. Paulum eius nominis secundum, & Anastasium administrauit. Cuius acta & si, quòd monumenta temporum iniuria exciderint, ignorantur, ea tamen optimo Antistite digna fuisse oportet, cum is inter SS. habitus ab Eccl. Brixien celebretur. Eius corpus in Æde S. Euphemiæ asseruatur. *Ex tab Eccl. Brixien. & eiusd. vrbis Annal.*

ANNOTATIO.

SAncti Patherij meminere Rampertus Episc. Brixien. in Translat. S. Philastrij & Helias Capr. in Annal. Brixien. lib. 4. sub Martiano Imp. floruisse videtur apud Capreol. quo tempore, & M. Faustinus Poeta Brixien. floruit. Agit de eo & Arnoldus Belga lib. 2. ligni vit. cap. 38. vbi illum discipulum S. Greg. Pap. 1. fuisse, obijsseque an. D. 600. & opuscula quædam scripsisse testatur.

Februarij die 22.

DE SANCTA MARGARITA POENITENTE Apud Cortonam.

MArgarita Lauiani agri Perusini pago nata, carnis illecebris dedita, nobili cuidam illi seruiens adhæsit. Cũ is domo secedens Catellã secũ duxisset,

illa sola domum post aliquot dies rediens, ac gemens, *Margaritam* veste dentibus apprehensa extra domum pertrahere conabatur. Quæ admirans Catellam sequitur, donec ad quandam lignorum congeriem veniens Catella subsistit, ligna respiciens, & attingens, quasi Dominam, vt ea amoueret monens. Margarita itaq; cum aliquot ligna amouisset dominum suum mortuum, iamq; vermibus scatentem videt. Quo spectaculo adeò commota est, vt ante actæ vitæ pœnitens domum paternam repeterit. Sed à patre nouercæ persuasione domo eiecta ad orationem, qua se Deo commendabat, confugiens, interius, vt Cortonam ad Fratres Minores se conferat, admonetur. Eò profecta vitam aggreditur valde asperam, assiduis vigilijs, ieiunijs, orationibus, cilicio induta, humi cubans, & lacrymas sæpissimè profundens. Cum aliquandiu ita degens, veræ pœnitentiæ signa non dubia dedisset, à Fratribus Minoribus habitum, quem Tertianorum vocant, diu expetitum ann. sal. 1226. obtinuit: Cumq; in eorundem Ecclesia ante Crucifixi imaginem feruentius oraret, Dominum I. C. illam *Quid vis misera?* allocutum, eamq; *Nil aliud præter te Domine* respondisse ferunt. Solitudinis amans flere, orare, ieiunare, meditare, quæ ad corporalem consolationem facerent fugere, delicias suas esse putabat. Vt filium aleret, matronis famulari cogebatur, nec tamen aliquid de austeritate, Quadragesimam perpetuo colens, intermittebat. Cum ædiculam à nob. Muliere obtinuisset, eleemosynas sibi à diuersis condonatas pauperibus distribuebat. Sic à Colloquio, & consuetudine abhorrebat, vt neq; in alicuius faciem aciē intēdere auderet, adeò præteritam vitam erubescebat. A Dæmone plures illusiones, quibus à iungi Passionis D. N. meditatione impediretur, sustinuit: Sed ad crucifixi pedes confugiens illum se confortantem, & solantem meruit audire. Spiritu prophetico non caruit nam multis occulta peccata ab eis commissa detexit. Cum in M. Vrbi imminentem extructa ibi ædicula (vt aduenientium frequentiam deuitaret) se recepisset: velletq; de more post sacramentalem Confessionem sacra Communione refici, Sacerdos per errorem panem (hostiam vocant) haud consecratum pr o consecrato ei porrexit. quod sibi querenti, & ploranti, quòd internam, vt solebat post communionem, dulcedinem minimè sentiret, à Domino reuelatum fuit. Cum à Dæmone cenodoxiæ tentaretur, ipsa cellula sua egressa noctu magna voce Cortonenses, vt se famosam peccatricem lapidarent, & expellerent, quæ in iuuentute mala fecerat, narrans, precabatur. Paupertatem ità coluit, vt diceret, *Si D. meus I. C. aliquid ex hoc mundo, vt possiderem præciperet, ad Maiestatis suæ Thronum appellarem.* Vix à Confessore induci potuit, vt aliquando ob ægram valetudinem herbas modico olei condiret. Adeo humilis fuit, vt, cum suis præcibus obsessum à Dæmone liberasset, lachrymans diceret, se haud credere, id à se, quæ tot crimina commisisset, factum esse. Petierat à Domino, vt matris, dum Cruci adstaret, dolorum particeps fieret: Quæ ad Ecclesiam Minorum diuino admonitu veniens ad Horam Tertiam, adeò ex singulorum passionis Mysteriorum consideratione corde afflicta est, vt penè mortua putaretur, multis ad eam sustentandam accurrentibus mulieribus, vbi verò Hora Nona aduenisset, qua D. caput inclinans spiritum emiserat, & ipsa inclinato capite absque motu, & sensu vsque ad Vesperarū horā remansit. Cū terminus vitæ, qui ei à Xp̄o D. prænunciatus fuerat, instaret An. D. 1297. hoc est 20. ab eius conuersione 8. Kal. Mart. felicissimè ad quem dilexit, euolauit. Corpus eius in Eccl. Minorum integrum adhuc asseruatur. Multis autem post mortem miraculis claruit. Mortuos enim inter alia 10. ad vitam reuocasse, visum cæcis sex, loquelam 3. reddidisse, contractos

5. Dæ-

Catella Margaritam è domo extrahere conatur.

Margarita habitū Frācisci post diutinā vitæ austeritatē adepta.

Qua alloquitur crucifix.

Margaritæ de litiæ fletus, ieiunium.

Margarita ad confortantē Crucifixum confugit.

Dono prophetiæ decorata fuit.

Paupertatem vnicè diligit.

Margarita petit participē fieri dolorum B. V. quare hora tertia, & nona, vt mortua putatur.

Margarita in tet multa miracula 10. mortuos ad vitā reuocat: visum cæcis 6. loquelā 3. reddit præter contractos, ac energumenos curatos.

5 Dæmoniacos 4. curasse fertur. *Ex Cron. Minorum. Vita ab autore Florum SS. asseritur. In qua illam grandi statura, cum parua fuerit vt ipsi vidimus, fuisse scribit.*

ANNOTATIO.

Corpus adeò integrum conseruatum est adhuc vsq; tempora, vt & nasi extrema etiam retineat. Nondum in SS. mulieres relata est: Sed tamen præcipuam venerationem apud Cortonen. habet.

Februarij die 23.

DE S. PRIMIANO EPISCOPO, ET MARTYRE ANCONITANO.

PRimianus natione Græcus, Episcopus, & Martyr apud Anconitanos venerationem habet, & quamuis quo tempore Episcopatum administrauerit, martyrioque coronatus sit, ignoretur; quòd tamen Græcus fuerit, ipsius Sarcophagus ex marmore inscriptione demonstrat. Propriam habuit Ecclesiam in Vrbe Ancona; quæ nunc Sancti Francisci de Paula, ex quo à Religiosis eius ordinis possidetur, passim nominatur. *Ex Monumen. & Tab. Eccles. Ancomit.*

ANNOTATIO.

Eius Festiuitas 2. Dominica Quadrages. celebrari consueuerat. Nunc verò vt in Tab. Eccles. prædicta adnotatum est, hac die recolitur.

DE SANCTO GERARDO VENETO EPISCOPO CANADIEN. ET MARTYRE.

GERARDVS Venetijs ex nob. Sagreda familia natus primum Basilicæ Sancti Marci Canonicus fuit, & vt apud Sanctum Antonium de Padua in sermonibus legitur, primus Ordinis Seruorum Beatæ Mariæ Virginis Venetijs institutor: deinde factus Episcopus Canadiensis in Hungaria (est autem Canadium vrbs apud Transyluaniæ confinia ad Lippam amnem non longe apud Segedinum in Tibiscum influentem) Transdanubiana Apostolus fuit. Qui cum ad Sanctum Stephanum Regem visendum Albam Regalem pergeret, ab Idolatris in itinere inuasus pro Christi nomine mortem patienter sustinuit. Cuius Corpus Venetias Translatum Murani in Ecclesia B. Mariæ Virg. quæ modo Sancti Donati nominatur, conditum est. *Ex eius passione quæ apud Sur. tom. 5. legitur. Est autem dies hæc non Natalis (qui 8 Kal. Octob. colitur) sed Translationis.*

Gerardũ Venetum ex ordine Seruorum S. Antonius de Padua asserit.

Canadij vrbis Episcopus creatur.

Transdanubij Pannoniæ Apostolus fuit.

Pro Christi nomine martyrio coronatur.

ANNOTATIO.

QVod Sanctus Gerardus Ordin. Seruorum primus autor fuerit, non solum D. Antonius in Sermon. habet, sed & Francisc. Maurolyc. in suo Martyrolog. ad diem prædict. (tametsi ab aliquibus pro Seruorum, Carmelitarum positum sit in aliquibus codicib.) Qua in re non mediocriter addubitaui; quod S. Stephan. Rex multis annis Religionem Seruorum antecessisse videtur: nisi quis occurrens, dicat, apud Venetos hanc Religionem multo ante, quàm apud Florentinos à septem illis viris inchoatam fuisse.

DE SANCTO POLYCARPO

Præsbytero Rom.

Trãquillinus SS. Marci, & Marcelliani, Pater, à Podagra, & chyragra sanatur. Feliciſſimus, & Felix curantur. Chromatius baptizatur, & eius filius Tiburtius.

POlycarpus Præsbyter, quo tempore S. Sebastianus Martyr in Carcere Diocletiani Imperat. iussu detinebatur, multos ad Christum conuersos, instruebat, & baptizabat. Baptizauit autem LXIV. simul, ad feà Sancto Sebastiano destinatos: in quibus fuit Tranquillinus nob. Roman. SS. Marci, & Marcelliani pater, qui statim sacro lauacro regeneratus, à podagra, & chyragra, quibus affligebatur, curatus est; quemadmodum, & Feliciſſimus, ac Felix Claudij Commentariensis filij quorum alter hydropicus, alter vulneribus seu plagis plenus erat, per sacram lotionem sanati sunt. Chromatium quoque Præfectum & filium eius Tiburtium, Idolis, quæ in eius domo erant, confractis, baptizauit. In his, alijsque Christianæ Religionis operibus occupatus Polycarpus Domino prædicando, instruendo, & baptizando deseruiebat: ac demum sancto fine quieuit 7. Kal. Martij. *Ex Gestis S. Sebastiani Mart.*

ANNOTATIO.

AN Sanctus Polycarpus Romanus fuerit incertum est. Nomen ipsum illum ex Græcia, siue ex Asia à Polycarpo tamen Smyrnæ Episcopo diuersum indicat.

DE SANCTO FELICE EPISCOPO BRIXIENSI.

Felix Arianæ impietatis acerrimus demolitor. Italia terremotu concutitur. Felix eximia charitate flagrat.

FELIX Episcopus Eccles. Brixiensem post Sanctum Dominicum rexit, quo tempore Longobardi in Italia Imperabant Adoloaldo Rege, & Arioualdo successore, quem, vt Heraclio Imperatori aduersus Saracenos auxilia contractis copijs mitteret in Asiam, persuasit. Cum Rotarius post Arionaldum Arianorum, et fautor, Arianos Episcopos multis in locis ordinandos curasset, illis sese Felix opposuit, & coram, & scriptis, & fidem catholicam aduersus Arianam impietatem strenuè defendit, ac ciuitatem ab ea labe immunẽ seruauit, Regis minas, qui exiliũ Felici intentabat negligens. Eo tempore Italia omnis ferè maximo terremotu cõcussa, corruentibus ædificijs fœdata est; ac post fluminũ ex continuis pluuijs maximè auctorũ exũdationẽ, ingens pestilentia secuta est, quæ ita vrbẽ Brix. afflixit, vt in vijs & vicis vbiq; defunctorũ corpora iacerent. Quę Felix nõ modo sepeliebat, sed & moriẽtibus aderat, & infectis opẽ ferebat, donec assiduis ad Deũ precibus hãc sęuiſſimã plagã ab vrbe sua auertit.

Cum

Cùm annos 30. in summa temporum varietate, tantisque calamitatibus Ecclesiam Brixien sem piè, sanctèque gubernasset, senio, laboribusque confectus, cũ templa instaurasset ex hac vita migrauit circa an. sal. 656. Cuius corpus in basilica S. Afræ conditum est. *Ex Monum. Eccl. Brixiens. ac ex Capreolo lib. 4. Annalium.*

ANNOTATIO.

Ascanius Martinengus in vita S. Felicis sermone vernaculo conscripta illum ex Cronicis Brixiens. 27. Episcopum Brixiæ fuisse scribit: ac anno Domini 625. Episcopatum cepisse, obijsse verò circa annum 656. quo pacto non 40. annis, vt idem ait, sed 30. circiter præfuisset.

Ascanij Martinengi sententia.

DE SANCTO PETRO DAMIANO EPISCOPO, ET CARDINALI

Ostiensi.

Petrus Damianus infās adhuc persecutionē quidem pati cæpit.

PEtrus Damianus Rauennæ humili loco ortus, vel ab ipsis parentibus malè habitus est: nam illum mater infantem adhuc odio prosecuta dicitur: Defunctis parentibus peius à fratre, & vxore illius tractatur; ab eis enim adolescens non ad ludum literarium, sed ad sues pascēdas missus traditur. Sed Deus, cui præcipuè miserorum cura est, illius miseratus, alterum fratrem ad pietatem emolliit, qui, cura adolescentis suscepta, illum litteris, & disciplinis, (erat enim optimæ indolis) instruendum curauit: in quibus eos breui progressus fuit, vt Ecclesiam postea cum disciplina vitæ sanctimoniam coniungens maximè illustrarit, Is carnem suam cilicio, ieiunijs disciplinis, & vigilijs, præsidio orationis adhibito domabat, ità, vt si quando stimulis illius agitaretur, nocte intempesta è lectulo surgens sese in aquam immergeret, quoad algore membra rigerent. Cum autem maioris perfectionis desiderio teneretur, in eremum fontis Auellanæ ad Abbatem se contulit, à quo habitu Monastico indutus austeriorem vitam aggreditur, quam, cum in morbum incidisset, moderari coactus est. In diuinarum scripturarum lectione sic versatus erat, vt eximius declamator effectus, ab Abbate Pomposiano totius Eremi curæ præfectus fuerit. Multa ædificauit Monasteria Eremitica in agro videlicet Camerti, Perusino, Ariminensi, & Fauentino. Plura patrauit miracula. In Monaster. Accreti cum aquam ex vicino fonte sibi afferri iussisset, vinum factam gustando sensit. Quod ab alijs monachis, cum ex eodem fonte aquam hauriri iussisset, comprobatum est. Cum milites in cellariam ingressi amphoram perforassent vinum, quo plena erat, non exiuit, exiuit autem post eorum discessum pro pauperibus haustũ. Stephanus IX. Pont. Max. cognita viri doctrina, & sanctitate Romam accitum illum inuitum Cardinalem, & Episcopum Ostiensem creat. Suscepto munere ex obedientia pro Eccles. plurimùm, maximè verò in extinguenda Nicolaitarum hæresi, quæ Romam infecerat, laborauit. Mediolanum missus, eam Ecclesiam ad Roman. Pontific. obedientiam reduxit. Multa fecit, scripsit, & docuit. Senio confectus à Ponr. Rauennam, vt ciuitatē ab Episcopo suo seductam ad Eccles. Roman. gremium retraheret, destinatur. Quòd cum egregiè præstitisset, dum, completa legatione, Romam reuertitur, Fauentiæ in Monasterio Dei Genitricis extra muros in morbum incidit. Ex quo breui spiritum

Mira Petr. Dam. pœnitentia.

Petr. Damianus vitam nimis asperam moderatur.

Eximius declamator fuit.

Miracula patrat, vinũque ex aqua conuertit.

Cardinalis creatus Nicolaitas Hæreticos oppugnat.

Mediol. Eccles. Roman. Pont. subijcit

Deo reddidit an. sal. 1080. *Ex Monum. Ecclesia Fauentina, & Annalibus ordinis Camaldul.*

ANNOTATIO.

Fauentiæ Protector.

NOndum in Sanctorum numerum rellatus est. illum tamen Ciuitas Fauentina vti Protectorem summ hac die præcipuo honore veneratur.

DE SANCTA ROMANA VIRGINE TVDERTI.

ROmana virgo, nobilis, Calphurnij vrbis Romæ Præfecti filia à prima ætate Christianæ fidei præceptis instituta, virginitatem suam, accepta à Domino mirabili visione niueq; columbæ sic ipsam alloquenti *melior est via iustorum quàm Principum*, contra Patris, qui illam nobili, & diuiti Sponso in matrimonium locare decreuerat, voluntatem, dedicauit. Decimum itaq; annum agens paterna domo clam excedens, solitudinemque petens, in spelunca apud Tiberim in agro Tudertino ab vrbe Tudertina V. M. P. distante habitauit. Inde ad S. Siluestrum in M. Soracte latitantem venit, à quo sacro lauacro regenerata (& si enim in Christum dudum crediderat, nondum tamen baptizata erat) cum se illius, & sociorum precibus commendasset, accepta S. Pontificis benedictione, ad suam speluncam redijt martirij occasionem sibi dari exoptans. Cum autem sex menses in eo loco vitam mirabili abstinentia, in sanctis precibus egisset, virtutibus, & miraculis coruscans termino peregrinationis, & vitæ adueniente animam inter manus Sacerdotum, Deo reddidit 7. Kal. Martij. Cuius corpus ibidem à Sacerdotibus tumulatum fuit. Fama Sanctitatis eius cum ad aures parentum peruenisset, illi eò accurêtes, illam mortuam inuenere: ad quam leprosus, eo morbo multis annis laborans, iamq; animam agens perductus mirabiliter conualuit. Corpus Virginis inde anno sal. 1101. in vrbem translatum, in Ecclesia S. Fortunati cum aliorum SS. corporibus à Nicolao Episcopo conditū est. An. verò 1596. ab Angelo Episcopo loco decentiore eiusdē Ecclesiæ collocatum fuit. *Ex offic. Eccles. Tudertina nuper Roma approb.*

Columba alloquitur B. Romanam.

Romana Martirij cupida.

Leprosus sanatur.

ANNOTATIO.

DE Romana Virg. qua nomine, & patria fuit Romana Baron. pluribus in Annalib. Eccles. ad calcem an 335. agit. Illud autem mirum videtur, quod V. decennis non modò à paterna domo recesserit, sed vitam eam quoque instituerit, verum, si id ad diuinam gratiam, qua puellam, vt & de alijs legimus, excitabat, referamus haud mirum videbitur. De ipsa silicet, & Digna Virg. hoc distichon legitur.

Virgo decennis sanctā vitā instituit

„ *VOs quoq; virgineis Romana, & Digna choreis*
„ *Adscriptæ patrios hos conseruate penates.*

DE

Februarij die 24.

DE S. PRIMITIVA MART. ROMÆ.

PRimitiua Martyr Romæ in Rom. Martyrol. tantùm commemoratur. An ea nupta fuerit, vel virgo, & sub quo Imp. martyrium, sit perpessa, vbi corpus eius requiescat, prorsus ignoratur. Quod & de multis alijs, quorum sola extat memoria, contigit. *Ex Martyrol. Rom.*

ANNOTATIO.

S *Ancta huius martyris, vt plurimorum aliorum Mart. dumtaxat Rom. mem. vt Baron. in Annot. monet.*

Februarij die 25.

DE S. MATTHIA APOSTOLO.

MAtthias Bethleemites vnus ex 72. Christi discipulis post illius ascensum in Cœlum in locum Iudæ proditoris in Apostolatu suffectus est. Cum enim Apostoli conuenissent, Petrusq; numerum à Christo Domino institutum cum vnus, Iudas excidisset, implendum dixisset. Sortem super Matthiam, & Iosephum Iustum cognomine, Deum suppliciter orantes, vt quem ex duobus loco Iudæ elegisset signo aliquo demonstraret, dederunt, ceciditq; sors super Matthiã, quẽ XI. Apostolis connumerarunt. Cũ aũt post acceptũ Spiritum Sanctum sorte prouincias distribuissent, quibus singuli Apostoli Dei verbum, & fidem Christi disseminarent, Matthiæ Iudæa obtigit in qua Christum annuncians, plurimos ad illum conuertit, doctrina, vitæ integritate, & miraculis clarus. Qui accusatus Christianæ religionis, & ad Pontificem perductus, ab eoq; interrogatus an Crucifixi sectam teneret. Se Christianum esse libere professus est, id loco gloriæ maximæ, non dedecoris ducens. Cumq; pœna ei à Pontifice remitteretur, si Christianam fidem execraretur, spatiumq; ad resipiscendum concederetur. Respondit se spatio non indigere, sed semper eundem fore, idemq; sensurum. Quare dicta in eum sententia, vt mortem lapidibus oppeteret, à Iudæis lapidatus est. Et cum adhuc spiraret, oraretque, vt cum eisdem lapidibus, quibus percussus fuerat, sepeliretur, capite plexus est. Cuius corpus aliquando Romam delatum in Basilica S. Mariæ Maioris conditum est. *Ex Actibus Apostol. c. 1. & Doroth. in Sinops. Niceph. lib. 2. cap. 40.* Isid. cap. 81 de vit. & ob. SS. & alijs. Ex quibus alij illum in Æthiopia prædicasse affirmant.

S. Matthias in locũ Iudæ subrogatur. Illi Iudæa ad prædicandũ obrigit.

Accusatus apud Pont. se Christianum esse gloriat.

Respuit tẽpus ad deliberandum.

Lapidibus obruitur, & decollatur.

Corpus in Eccl. S. Mariæ Maioris.

ANNOTATIO.

SOrtem, quæ super Matthiam cecidit flammam ignis, seu splendorem è cœlo capiti illius insidentem fuisse tradunt, quæ de re Dion. Areopag. de Eccl. Hierarch. c. 5. Inter eius miracula narrant venenum aliquando sibi in potum traditum nihil obfuisse, Eumq; 250. cæcis visum restituisse, & carceri inclusum ac catenis vinctum à Christo Domino visitatum & eductum fuisse. Treuirenses se corpus illius eò ab Helena Constantini Matre delatum authore Io. Echio in eius vita habere gloriantur. Illud tamen certum caput eius in Basilica S. Mariæ Maioris monstrari.

Qualis fuerit sors S. Matthiæ.

Quæ miracula ediderit.

Corpus secũdũ alios Treueris esse caput Romæ.

DE SANCTO FELICE PAPA HVIVS NOMINIS IIII. ROMÆ.

FELIX IV. Sancti Gregorij Papæ atauus postremò Iustiniano Imperatore anno Theodorici Regis Gothorum post Ioannem I. Pontificatum inijt. Eius tempore Bellisarius, post Persas deuictos, etiam Vuandalos in Africa superatos extinxit. Felix ad Pontificatum assumptus, ad Ecclesiæ gubernationem totum se contulit. Patriarcham Constantinopolitanum, non rectè de fide sentientem, à Fidelium Communione semouit. basilicam Sanctis Martyribus Cosmæ, & Damiano apud Forum Rom. via Sacra, quæ adhuc visitur, ædificauit. Ædem Sancti Saturnini incendio labefactatam via Salaria restituit. Aliquot Ordinationibus habitis Præsbyteros LV. Diaconos IV. Episcopos per diuersa loca XXIX. creauit. Cumque Ecclesiæ annos IV. menses II. & dies XIII. laudabiliter præfuisset, obdormiscens in Domino S. fine quieuit. Ann. salut. 530. sanctæ Tharsillæ post mortem vt S. Gregor. in Dialog. scribit, apparuit per visum, illi descessum è vita annuncians. *Ex Plat. & alijs Vit. Pontif. scriptoribus.*

Felix Patriarcham Constantinop. à cōmunione arcet.

ANNOTATIO.

Patria Sancti Felicis, ex Platina Samus fuit. Ex Panuinio (quod verisimilius videtur) Beneuentum. Sed siue Samnus, siue Beneuentanus fuerit, qui S. Gregorij Papæ, qui Romanus fuit, atauus esse potuit? Dicerem Fœlicem Gregorij atauum non ex patre, sed ex matre fuisse.

Felicis de patria controuersia.

Dubitarè hic quoque aliquis posset, cur hac die memoria S. Felicis recolatur, cum ex eius vita, illum 4. Id. Octob. migrasse constet, ad Pontificatum verò 8. Kalend. August. prouectum esse legatur. Hoc forte dici posset in Martyrolog. Rom non Natalem obitum ve aut ordinationem, sed inuentionem translationem ve (quod aliquando in alijs SS. fieri solet) memorari. Quod Felix Episcopum Constantinopolit. à commun. Fidel. separarit, Autor est Plat. non Baron. in Annal.

Ambigitur cur hac die S. Felicis dies celebretur.

DE SANCTO GERLANDO EPISCOPO AGRIGENTINO.

GErlandus Vesuntione in Burgundia natus, in Calabriam Brutiorum veniens Mileti aliquandiu moratus Cantorum Primicerius creatur. Sed cum Clericorum mores deprauatos ferè non posset, rediijt in patriam. Cum autem Rogerius Comes Saracenos è Sicilia eiecisset (cui Gerlandi, doctrina, & vitæ probitas satis perspecta erat) illum in Siciliam accersit, Episcopumque Agrigenti nuper ex hostibus recepti circa ann. sal. 1085. ordinandum curat. Gerlandus & si inuitus ad hanc dignitatem assumptus est, diuinæ

tamen

tamen vocationi resistere noluit. Quare munus pastorale aggressus, præcipuam, pauperum, peregrinorum, viduarum, & orphanorum curam suscepit. Plurimos Iudæos, & Saracenos, qui in ea vrbe remanserant, tum publicis concionibus, tum priuatis colloquijs ad Christum conuertit. Tandem boni pastoris officio per functus in Cœlos 5. Kal. Martij ad præmium euolauit. *Ex lect. quæ in eius celebritate recitantur.*

Gerlandus inuitus Episcopus creatur.

ANNOTATIO.

MEmeminere Gerlandi Francisc. Maurol. & Pet. Gales. in suis Martyrolog. ac Ioseph. Bonfil. lib. 4. Histor. sicul. Corpus Sancti Gerlandi in Eccles. Cathedrali quæ ex eo nominatur, asseruatur, ac præcipuo honore colitur ab Agrigentinis.

DE SANCTO AVERTANO CONFESSORE ORD. CARMELITARVM LVCAE.

AVertanus Lemouicis in Aquitania natus, ac Ordinem Carmelitarum cooptatus multis sanctitatem suam miraculis declarauit. Qui cum in Italiam venisset, apud Lucam in Hetruria obitus sui diuinitus præscius, à portarum custodibus, quòd pestis in loca finitima grassaretur, in vrbem minime admissus fuit: quibus ille prædixit, fore, vt quando se vellent introducere, non possent. Is paulò post graui oppressus morbo animam Deo reddidit 5. Kal. Martij circa ann. salut. 1366. Cumque ex eius corpore ingens splendor, & fragrans odor egrederetur, ac diueris laborantes languoribus accedentes sanarentur, Lucenses illud in vrbem trahere conati, nunquam loco potuerunt dimouere, donec mutato consilio, & extructo ei templo, ponte super vrbis mœnia erecto sacrum illius corpus non per portas, à quibus viuum excluserant, introduxerunt, & sepulchro honorifico tumularunt: ad quod plura super infirmis subsecuta sunt miracula. *Ex Chron. dicti Ord. lib. 11. cap. 13.*

Obijt apud Lucam.

Splendor, & odor suauis ex eius corpore.

Nequit corpus eius moueri.

Apud eius sepulchrum beneficia ægris præstantur.

ANNOTATIO.

NVper Fratres dicti Ord. quos Discalceatos vocant à Paulo V. Pontif. Maxim. obtinuere, vt de eo officium Eccles. recitare possint, prout ante aliquot annos consueuerat.

Februarij die 26.

DE SANCTO ANDREA EPISCOPO FLORENTINO.

ANdreas Epus Florẽtinus, (quẽ nõnullo S. Zenobio in Epatu successisse tradũt, alij multo post Eccl. Florẽt. administrasse arbitrãtur) potius ex antiqua tradi-

traditione, quam ex vlla, quæ de eo extet, historia, inter SS. habetur, & colitur, cum non solum Acta, sed & tempus, quo vixit, & patria desiderentur. Sanctitas tamen illius in dubium reuocari non debet. Eum propter antiquas Eccles. Florentinæ Tab. tum ob Martyrolog. Rom. illum hac die commemorantis autoritatem. Tametsi prior sententia ex vita S. Zenobij Episcopi, per Io. Archipræsbyterum Aretinum scripta, & à Sur. Tom. III. relata firmari videtur. Ibi enim legitur S. Andræam Ciuem Florentinum S. Zenobio successisse, & V. Episcopatus anno, corpus Prædecessoris, quod in Ecclesia Ambrosiana miraculis fulgebat, Pontificum Prouincialium humeris impositum magna populi frequentia in maiorem Basilicam deportasse. In qua Translatione prodigium hoc contigisse ferunt, quod cum Episcopi sacrum corpus deferentes apud antiquam, & aridam vlmum ob nimium populorum concursum substitissent, illam ex sacræ Sarcinæ contactu protinus floruisse. *Ex vita S. Zenobij.*

Vlmus per vetusta floret

ANNOTATIO.

Ambigua ferè omnia de S. Andræa.

QVi Annales vrbis Florentinæ scripsere, rem hanc quasi incertam prætereunt; vti apud Borghinum antiquitatis alioqui studiosum, diligentemque indagatorem videre est. Alij S. Andræam eum, qui Ludouico Imp. circa an. Dom. 870. floruit, multaque Eccles. Florent. beneficia contulit, esse opinantur. Res prorsus ambigua, an qui S. habetur, & colitur, Andræas ille fuerit, qui S. Zenobio proximè successit, an qui sub Lud. Imp. circa tempus memoratum vixit. Ipsi Florentini viderint.

DE SANCTO FAVSTINIANO EPISCOPO Bononiensi II.

Cõstantinus Magnus Maxentium euicit.

FAustinianus Episcopus incertæ patriæ post S. Zamam I. Episcopum Bononiensem Eccles. administrauit circa ann. à Christo nato 312. Quo tempore Constantinus Magnus deuicto Maxentio pacem Ecclesiæ reddidit. Is Christianos, qui persecutioni supererant, in vnum collegit, ac Basilicam, quam morte præuentus perficere non potuit, ex Imp. Decreto ædificare cœpit. Suo tempore Synodus Romæ Iulio Primo Pont. Max. aduersus Arianos celebrata est: cui an interfuerit, incertum est. Cætera vnà cum patria, & tempore, quo in Episcopatu vixit S. Faustinianus, incomperta sunt. Cum ex hac vita decessisset, S. Zamæ prædecessori appositus est. *Ex Carolo Sigon. de b. I. de Episc. Bononiens.*

ANNOTATIO.

An. D. 337.

ETsi Faustinianum Zamæ successisse diximus, non tamen id statim post S. Zamæ decessum intelligendum est. Cum Zama Galieno Imper. Faustinianus Constantino Mag. vixerit. Quod autem Sigon. S. Faustinianum Conc. Rom. sub Iulio Primo Pont. celebrato interesse potuisse scribit, Cronologia Eccles. apud Panuin. illud Concil. ann. 342. habitum attestantem haud consonat. Sed Panuin. in errore versari ex Baron. in Annal. ad an. præd. 337. apparet.

DE S. SERVVLO EPISCOPO VERONENSI.

Seruulus verè seruus Dei extitit.

SEruulus Episcopus Veronæ 29. Ecclesiæ Veronens. post S. Lupum Cathedram ascendit Hic re, & nomine seruus Dei fuit planè bonus: Assiduè enim Deo, Ecclesiæque sibi commissæ fideliter inseruiuit. Omnem suam cogitationem,

tionem, omnia studia, actionesque omnes ad Veronensis populi salutem referebat, Humanas laudes omnino contemnens. Cum aliquot annos Ecclesiæ illi sanctè, laudabiliterque præfuisset, eximia sanctitate clarus 4. Kal. Martij obdormiuit in Domino, in Basilica S. Stephani conditus. *Ex libello de SS. Episc. Veronens. Augustini Valerij Episcopi, & Card.*

ANNOTATIO.

Ctaillius singularia, & pracipua, vt multorum ac ferè omnium Eccl. Veronens. Episc. desiderantur. Circa an. Dom. 500. vixisse putatur.

Februarij die 27.

DE SS. MARTYRIBVS, ALEXAODRO, ABVNDIO, Antigono, & Fortunato Romæ.

ALexander, Abundius, Antigonus, & Fortunatus, Diocletiano, & Maximiano Imper. Romæ coronati sunt: Commota enim persecutione, inter alios, qui Christianæ Religionis delati fuere, & si compræhensi, variéque torti sunt, post dimicationes, in quibus constantes in fide permansere, martyrium compleuerunt. *Ex Beda, & alijs Martyrolog. scriptoribus.*

ANNOTATIO.

Vetera M.S. quæ citantur à Baronio cum his Ianuarium habent.

Februarij die 28.

DE SS. MARTYRIBVS MACARIO, RVFINO, IVSTO, Et Theophilo Romæ.

HI in eadem Diocletiani Persecutione martyrium post multos agones, & varios cruciatus consumarunt Pridie Kalen. Martij. *Ex Beda, & aliorum Martyrologijs.*

ANNOTATIO.

Beda hos Alexandria passos refert: Quos tamen antiqua M.S. Roma coronatos habent. Ponuntur autem à Beda pro Rufino, & Theophilo, Celerius, Pupilus, Claudianus, & Nicephorus. Bedæ relatio.

DE S. VINDEMIALIS EPISC. VERONENS.

VIndemialis Episcopus Veronens. 30. S. Seruulo Episcopo successit. Hic in eam curam maximè visus est incumbere, vt, rebus humanis, curisque sæcularibus post habitis, Gregem sibi à Deo Concreditum Sanctæ vitæ exemplo, & doctrina pasceret. Vir erat mirifficus, Christianæque religionis amantissimus. Qui Episcopali munere summa cum laude, & Ecclesiæ Veronens. vtilitate, perfunctus, Prid. Kal. Martij obijt perenniter in cœlo victurus. Corpus in Basilica S. Stephani apud alios SS. Episc. conditum est. *Ex libr. Augustini, Valerij Episcopi, & Card. alias memorato.*

AN-

ANNOTATIO.

POst an. Dom. 500. vixisse creditur. Præcisum tamen tempus ignoratur; sicuti & aliorum ferè omnium Episc. Veronens.

DE TRANSLATIONE S. AVGVSTINI EPISCOPI, & Ecclesiæ Doct. Papiam.

Trasimund' Rex Arianus SS. Episcopos Africanos in Sardiniam relegat. Luithprand' Longobard Rex Corpus D. Aug. redimit.

CVm Sanctissimus Episcopus Hippone in Africa, vbi fuerat Episcopus, sub Vuandalis vrbe obsidentibus excessisset. ibi Rex Arianus SS. Africæ Episcopos in Sardiniam relegaret Symmacho Pontif. Max. in quibus S. Fulgentius Episcopus Ruspen. erat; qui corpus S. Augustini cum mitra, & baculo pastorali in Sardiniam secum adduxit. Cum autem Saraceni, Sardinia occupata, sacra loca fœdarent, Luithprandus Longobard. Rex pius, & Catholicus in Sardiniam misit, qui Corpus Augustini magno pretio redemptum Genuam aduehèrent. Quod vbi factum fuit, Rex ipse religiosissimus sacro corpori Genuam vsque obuiam venit. In qua Translatione mirum contigit. cum enim corpus efferri cœpisset, immobile substitit, donec Rex se ibi S. August. nomini faciam ædem ædificaturum (quod præstitit illico) voueret. Quod & in Derthonens. Diœcef. & alibi factum est. Aliquot igitur Ecclesijs in itinere extructis, Ticinum peruenitur: Vbi Sacratissimi Præsulis corpus in basilica, quæ S Petri in Cœlo aureo nominatur, honorificentissimè condi um est, (licet hac tempestare præcisus locus, vbi quiescit, ignoretur, nec disquirere liceat) *Ex Paul. Diac. lib. 6 cap 14. de Gest. Longobard. Mariano Scot. ad an. 734. Ex Beda, & qui circa ea tempora vixit, lib. de 6. ætate. & alijs. De ea plurib. Petr. in Catal. l. b. 3. capit. 161. & Off. prop. Fratrum Eremitarum.*

Miraculum in D. Augustini translatione patratur.

ANNOTATIO.

Gemina corporis S. Augustini translatio. Cæc' visum recipit.

PRior Translat. corporis S. Augustini circa ann. sal. 493. quo Trasimundus Rex Vuandalicus Gutramundo succedens 220. Episcopos Catholicos cum S. Fulgentio Episcopo Ruspen. Africa eiecit. Qui S. Episcopus corpus D. Aug. cum alijs SS. reliquijs in Sardiniam delatum Calari Sardis, vndique ad corpus tanti Episcopi, & Doctoris visendum confluentibus. (in quibus Cæcus sacrosanctum corpus exosculatus visum recepit) in Ecclesia suo nomini dicata collocatum est, (vt Franc. Fara libr. 1. de Reb. Sardois pluribus scribit. Quæ Translatio 5. Idus Octob à Fratribus Eremitanis, & Seruitis celebratur. Posterior cuius Martyrol. Roma. hac die meminit, eadem die ab Ecclesia Ticinens. & memoratis Religiosis officio dup. rit. recolitur.

S. Appianus Episc. ac SS. mem Robustianus, Cisellus, & Luxorius.

Cum D. August. Corpore corpus etiam S. Appiani Episcopi (qui Africanus Episcopus fuisse conijcitur) ac SS. martyrum Robustiani, Ciselli & Luxorij translata sunt; vt marmorea in prædicta S. Petri basilica inscriptiones, & monum. antiqua testantur.

Martij die 1.

DE SS. DVCENTVM ET SEXAGINTA MART. ROMAE.

HI Christianæ religionis Claudio Imper. II. accusati post S. Valentini Presbyteri passionem, à quo ad Christum fuerunt conuersi, Imperat. iussu ad arenam

arenam fodiendam damnantur; deinde ob fidei Constantiam extra vrbem via salaria deducuntur, ac demum in Amphitheatro sagittis militum confossi martyrium complent, & in ignem iniiciuntur. Quorũ corpora, seu reliquias S. *Ma*rius cum filijs Audifacæ, & Abacum, & Ioann. præsbyter in Cliuo Cucumeris non longè sepelierunt. *Ex Actis SS. Marij, Marthæ, Audifacis, & Abachum. De eis etiam Pet. in Catal. lib. 3. cap. 162. post Vsuard. & Adonem. & in Actis S. Valentini præsbyteri.*

Sagittis confodiuntur 260. MM.

ANNOTATIO.

Passi sunt Romæ hac die Leo, Donatus, Abundantius, & Nicephorus, cum alijs 9. Sed sub quo Imper. nescitur. Ex vet. Martyrol. S. Cyriaci.

DE S. HERCVLANO EPISCOPO PERVSINO II. Huius nominis, & martyre.

Herculanus vnus ex 300. qui Ioan. I. Pontif. Maxim. & Iustiniano Imper. circa annum sal. 534. Ex Cæsarea, & Laodicea Syriæ vrbibus Romam voti causa venere, ac Hetruriam, Vmbriam, Picenum, Sabinam, & Latiũ cœlesti doctrina, & sanctitate illustrarunt, fuit. Qui Perusiæ in Cœnobio vitam monasticam laudabilem ducens, eius vrbis Episcopus postea creatur. Cum autem Totilæ Gothorum Regis Dux Perusiam expugnasset, Herculanum iussu Regis capite truncat, cutemque à vertice ad Calcaneum instar Corrigiæ detrahit, & corpus S. Martyris extra muros vrbis, vbi nunc adhuc suo nomini dicata extat Ecclesia proijcit. Quod vna cum capite, iuxta paruulum infantem ibi mortuum repertum, ibidem conditum fuit. Post 40. diem Ciues Perusiam Totilæ concessu reuersi, corpus Sancti Episcopi perquirentes, illud iuxta Infantis prædicti corpus iam tabe corruptum, ita incorruptum, ac si recens conditum fuisset, & quod maiori fuit admirationi, caput busto sic copulatum, ac si minimè fuisset abscissum, nullo etiam incisionis factæ, quando cutis detracta est, apparente, inuenere. Quo ad Ecclesiam D. Petri ad M. Caluariæ delato, & condito, aliud prodigium subsecutum est. Nam cum corpus Infantis illius, iam vermibus consumptum, ad eandem Ecclesiam fuisset sepulturæ causa deportatum (mira res) puer quasi somno excitatus, reuixit. Cum S. Præsulis corpus diu ibi multis, varijsque miraculis fulgens iacuisset, tandem in Cathedralẽ Basilicam translatum est, summaque totius populi veneratione colitur. *Ex off. Eccl. Perusina nuper approb.*

Herculanus Episcopus Perusij.

Totila Herculanum capite truncari iubet.

Miracul. 1.

Caput S. Herc. abscissum diuinitùs busto copulatum reperitur.

Mirac. 2.

Corpus paruuli vermib⁹ scatens ad vitam reuocatur.

ANNOTATIO.

Ioannes Pont. qui Eccl. anno D. 534. regebat non primus eius nominis, qui iam Rauennæ martyr sub Theodorico obierat, sed II. qui iunior appellatur, vixitque tantùm 2. ann. & mens. 4 fuit.

Ioannes non 1. sed 2.

Quod S. Herculanus in Cœnobio Ordin. S. Benedicti vixerit Perusiæ, haud verisimile videri posset. Nam S. Benedictus eo tempore, multisque post annis vixit. Totilamque cum ei mortem post 10. annos prædixisset, mitiorem reddidit. Quod si viuens 12. monasteria ædificasse legitur, ea tamen in Sabinis Acquicolis, & Valeria finibus constructa fuisse videntur. Fuisse tamen Monachum ex S. Greg. Papa. lib. 3. c. 13. Dialog. apparet, vbi miracula circa S. Herculani corpus narrantur, nulla de infante suscitato facta mentione, sed Monachos in Italia fuisse ante S. Benedictum liquidò constat.

S. Herculanũ Monachum S. B. ne dicti extitisse non est verisimile.

DE

DE S. LEONE LVCA ABBATE. ET CONFESSORE Corilione in Sicilia.

LVcas, qui & Leo Lucas Corilione in Sicilia Christianis, & honestis parentibus, quo tempore Sicilia à Vuandalis vastari cœpit, nascitur. Adolescens patris armenta pascebat. Orbatus parentibus, diuino impulsu, relictis omnibus, ad Monasterium S. Philippi Agyrionis venit: vbi à quodam sene habitu monastico indutus, in Calabriam destinatur; Ibique in Monasterio M. Mulæ, cui Christophorus Abbas præerat, religiosam vitam duxit. Eò Abbate ex humanis sublato, à fratribus subrogatus, sic munus administrauit, vt breui numerum Monachorum vsque ad C. auxerit. Plurimis claruit miraculis, in ijs Paralyticum, qui venerat ex Saxonia, oleo in nomine D.N.I.C. vnctum, sanauit. Filium viri Saxonici à dæmone oppressum liberauit. Cassanensem quendam Monachi patrem à via aberrantem intra Montes, & Syluas, absens ad verũ iter reuocauit. Constantinus quidam Monasterio vicinus contendens S. viro alapã in faciem impegit: Qui mox à dæmone arreptus ad mortem torquebatur: nisi Lucas miseratus hominis, illum, præcibus Deo factis, à vexatione dæmonis liberasset. Ioannes Monachus Cellerarius elephantia percussus, ad S. Abbatis pedes prostratus, ab eoq; post orationem oleo lampadis vnctus sanatus est. Cum annum ætatis centesimum, Monachatum verò 80. ageret, mortis suæ diem Fratribus prædixit, ac Theodorum successorem declarauit. Die itaque migrationis adueniente, in Ecclesiam venit, & missarum solemnijs sacro viatico refectus interfuit. Reuersus in cellam, datoque omnibus pacis osculo, illis patris communis discessum flentibus, Kal. Martij expirauit, Cella statim miro, suauissimoque odore completa. *Ex lectionibus, quæ in eius officio græca lingua recitantur. Corpus Hipponij, seu Vibone, quæ C. nunc M. Leonis appellatur, hoc tempore requiescit.*

Mirac. 1. Paralyticum sanat. 2. Oppressum à Dæmone liberat. 3. Errantem ad verum iter reuocat. 4. Percussor à Dæmone torquetur. 5. Monachus elephantia percuss' oleo sanatur. Lucas centesimum annũ agens, sui obitus diem fratribus prædicit. 6. Cella suauissimo flagrat odore.

ANNOTATIO.

HVius S. Viri memoria non solum in vrbe M. Leonis, in Mileten. diœcesi, sed & Corilione maximè celebris est.

DE S. BERTRANDO CONFESSORE Apud Cittadellam.

BErtrandus, siue, vt alij scribunt, Beltramus natione Alemannus fuit. Qui in Italiam veniens, cum apud Ciuitellam, seu, vt vocãt, Cittadellam agri Patauini Oppidum in Pago Fontanicco Incolis dicto ad Medoacũ amnem ægrotasset, ac ex hac vita migrasset, ibidem conditus est, hacque die celebratur eius memoria. *Ex Monument. eiusdem Eccles. De eo Scardeon. lib. 2. Classe 6. de Vrbis Patau. antiq.*

ANNOTATIO.

EIus Acta desiderantur, & licet in propria Eccl. ac vbi corpus eius venerationem habeat, haud tamen in Ecclesia Patauina.

Mar-

Martij die 2.

DE SANCTIS MARTYRIBVS IOVINO, Et Basilio Romæ.

IOuinus, & Basilius, Valeriano, & Galieno Imper. ob Christianam religionẽ tenti, Romæ via latina in confessione fidei perseuerantes securi percussi martyrij palmam tulerunt 6. Non. *Martij* an. sal. 257. circiter. *Ex Vsuard. Bed. Adone, & alijs.*

ANNOTATIO.

COrpus S. Iouini in Basilica S. Laurentij in Damaso asseruatur, vt inscriptiones, & Tabella indicant.

DE PLVRIMIS SS. MARTYRIBVS ROMAE Sub Alex. coronatis.

PLurimi hac die Romæ Alexādro Imper. passi sunt: quorum numerus haud sciri potuit. Hi propter fidem Christi comprænhensi, ac diu, vt fidem abnegarent, cruciati: tandem capitalem sententiam exceperunt. *Ex antiquis Martyrol. Vsuard. Adonis, & aliorum.*

ANNOTATIO.

ET si Seuerus Alexander, tanquam Christiana matre natus Christianis potius fa ueret quàm aduersaretur, cum locum illis colendi Christum in vrbe, vt Lamprid. in vita illius testatur, concesserit. (Nam cum Christiani locum quendam publi. cum occupassent, quem Popinarij sibi deberi contendebant, consultus Alex. rescripsit, melius esse, vt quomodocunque illic Deus coleretur, quam Popinarijs dederetur) Præsides tamen Prouinciarum, vrbiumque Præfecti edicta Superiorum Imper. in Christianos exercebant: quod infensissimo animo Domitius Vlpius I.C. clarissimus, Romæ vbi Præfectus erat, innumeris propter Christum interfectis præstitit.

Seuerus Alexander Christianorũ fautor potius, quā aduersator.

Domitius Vlpius sæuissimus in Christianos Præfectus.

HAc item die Plurimi sub Longobardis passi referuntur (vt apud *M*olan. in Addit. ad Vsuard.) Cum enim Longobardi plurimos Christianos captiuos abducerent, atque caput Capræ de more suo Diabolo immolarent. Captiuos similiter immolare, seu submissis ceruicibus adorare cogebant: quorum maxima pars, cum nollet creaturæ ceruicem flectere, quam semper flexerant Creatori, gladio interfecti martyrij palmam adepti sunt. *Ex S. Greg. Papa lib. 3. Dialog cap. 28.* Hi tamen ijdem sunt. Cum illis 80. qui in *M*artyrolog. Rom. passi referuntur.

Longobardi caput Capræ immolabant.

DE SS. MARTYRIBVS PAVLO, HERACLIO, SECVNDILLA, Et Ianuaria in Port. Romano.

HOs Beda in suo *M*artyrol. passos commemorat. Sed quo Imperat. quouè mortis genere, neque Beda, neque *M*artyrol. Rom. quod à Beda accepit, (nisi Beda Heraclium omiserit) neque alij loquuntur.

DE

DE OCTOGINTA SS. MARTYRIBVS
In Campania.

Longobardorum superstitio, atque crudelitas.

CVm Longobardi alieni à Christiana religione Campaniam, & finitimas regiones occupassent, eos, qui Christum colebant, persequebantur, & occidebant. In ijs quadraginta rusticos captos carnes immolatas manducare compellebant: quod cum illi facere nollent, gladio sæuissimè cæsi sunt: Et alij quadraginta similiter captiui, quòd caput capræ (quod Diabolo Longobardi postquam adorassent, immolabant) constanter adorare renuissent, pariter ab illis interempti sunt. Quod circa an. sal. 579. (vt Baron. in suis ad Martyrolog. notis ait) contigit. *Ex S. Greg. Papa in Dialog. lib. 3. cap. 27. & 28.*

ANNOTATIO.

NEscio vnde Martyrol. Rom. hos in Campania passos acceperit, cum S. Gregor. loco citato nullam Campaniæ mentionem faciat, Sed & de numero quis dubitare posset; Nam S. Greg. cum cap. 27. 40. Rusticos à Longobardis interemptos, quia carnes immolatas comedere nollent, præmisisset. cap. sequenti ex alijs 40. captiuis maximam partem interfectam fuisse, quod caput capræ adorare contempsissent scribit. Ex quo liquet, non omnes 40. martyrio affectos fuisse. Non itaque octoginta fuisse videntur. Pet. in Catal. SS. lib. 3. cap. 167. pro 40. 400. scribit.

DE S. SIMPLICIO PAPA, ROMAE.

S. Simplicius Episcopum Alexandrinū hæreticum deponit.

SImplicius, patria Tudertinus Hilario successit in Pontif. Leone, & Zenone Imper. quo tempore Odoacer Italiæ Rex imperabat. Is reficiendis, & construendis sacris locis intentus, basilicam *S.* Stephani protomart. In M. Celio dedicauit, deinde *S.* Andreæ Apostoli apud *S.* M. Maioris, nunc iacentem. Alterum S. Stephano apud *S.* Laurentium, & aliam *S.* Bibianæ Virg. apud Palatium Licinij extruxit. Vrbem in quinque regiones, iuxta Basilicarum numerum hoc est S. Petri, S. Pauli, S. Laurentij, S. Ioannis Lateranens. & S. M. Maioris diuisit. Clericos beneficiorum possessionem à laicis vetuit recognoscere. Petrum Episcopum Alexandrinum Eutychianam hæresim tenentem deposuit. His, & alijs præclarè gestis, cum, ordinationibus habitis, præsbyteros 50. Diacones 11. Episcopos 86. creasset, annosque 15 menses 5. & dies 10. Ecclesiæ præfuisset, cessit è vita 6. Non. Martij. ann. sal. 483. *Ex Plat. & Baron. in Annal.*

ANNOTATIO.

HVius S. Pontificis Reliquiæ Tibure asseruari feruntur: Vbi etiam anniuersaria solemnitas ipsius celebratur.

DE S. IOANNE ABBATE, ET CONFESSORE
Apud Stylum.

IOannes Monachus S. Basilij, & postea Abbas apud Stylum Calabriæ op. (quod olim Consilinum dictum est.) Therestus cognomento, mira sanctitate eluxit. Is S. Nili Abbatis contemporaneus fuit Quem ille tanta in vene-

ratione

ratione habuit, vt terram, quam Ioannes pedibus calcabat, humiliter osculare-tur, & eum alterum Io. Baptistam appellaret. Eundem S. Bartholomæus S. Nili discipulus summo honore prosequebatur. Factus Abbas multos annos Monasterio præfuit, illudq; sanctissimè rexit, multis sui instituti relictis discipulis, ac miraculis clarus ibidem quieuit in pace. Corpus in magna apud Stylanos habetur veneratione. *Ex eius vita satis prolixa, in qua eius miracula pluribus enarrantur. De eo agit F. Hieron. Marafiota in Cron. Calabr. lib. 1.*

ANNOTATIO.

HAc die Styli coli traditur: Sed in Martyrolog. Rom. de illo 8 Kal. Iulij agitur. Appellatur autem Therestus quasi messor (causa in miraculis eius exponitur) Quamuis non Therestus at Theristes dici deberet. θεριστὴς enim a θερίζειν hoc est à metendo, messorem significat.

Ioannes appellatur Therestus quasi messor.

Martij die 3.

DE SANCTO TITIANO EPISCOPO BRIXIENSI.

TITIANVS Germanus natione, eloquentia, doctrina, sanctitateque conspicuus ex Diacono Episcopus Brixien. XV. Siricio Papa creatur, Sancto Vigilio subrogatus. humilitate, & charitate, ac pietate inter cœteras virtutes effulsit. Nam pauperibus, quorum XXIV. quotidie alebat, pedes abluere proprijs manibus haud dedignabatur. sacras ædes refecit, & muneribus exornauit. Miraculis viuens, & post mortem claruit. In quibus illud silendum non est, quòd Vrbis Brixiensis Præfectum hydropicum sanauit. Cum nobil. fœmina ad eius præces filium concepisset, & peperisset, isque, quòd illa haud votum persoluisset, defunctus esset, sancti Episcopi intercessione ad vitam reuocatus. Diem sui obitus multò ante prædixit. Cum autem è vita excessisset, cuidam Abbatissæ apparens, quo loco honestiore recondi vellet, exposuit. Cuius corpus in eccles. S. Cosmæ quiescit. *Ex Monumen. Eccles. Brixien. Ex Annalib. eiusd. Vrbis. Eius etiam Rambertus Episcopus in Transl. S. Philastrij meminit.*

Titianus precipuus Pauperum amator.

Mirac. 1. Præfectum hydropicum sanat.

2. Infans voto obtentus defunctus excitatur.

3. Prædicit diē sui obitus.

ANNOTATIO.

QVidam Sanctum Titianum, sub Sancto Philastrio Episcopo Brixien. vixisse, ab eoque Diaconum creatum asserunt; Sed, cum Titianus nonus à Philastrio Episcopus Brixien. ab omnibus censeatur, id minus verisimile videtur. Helias tamen Capreol. lib. 3. Annalib. vbi de Titiano plurib. agit, sub Philastrio illum educatum, & Diacon creatum tradit, cui Philastrius fertur dixisse: Fili vtinam talis tibi sim pater, qualem te mihi filium iam fore peropto. Quod autem tot inter Philastrium, & Titianum Episcopi intercesserint, nihil refert, inquit Capreol. quia non longo temporis spatio vixere.

DE S. ANSELMO ABBATE Nonantulano.

Anſelmus Regia ſtirpe oriundus, ac militari gloria præclarus.

ANſelmus, Foroiulienſis, Dux Aſtulphi Regis Longobardorũ propinquus, bello clarus, cum diù, & ſtrenuè pro Regno Longobardico laboraſſet, rerum humanarum pertæſus, ac Deo ſeruiendi cupidus Cœnobium præclarum Nonantulæ ab vrbe Mutinen. V. M. P. diſtans ædificauit, multis illi prædijs attributis. In quo habitu ſæculari depoſito, vitam Monaſticam ſic egit, & profeſſus eſt, vt Abbas eiuſdem, & plurimorum *Monachorum* pater creatus fuerit. Quo in regimine haud minorem laudem, quam cum Dux eſſet, conſecutus eſt. Erat in pauperes ſumma benignitate prǽditus: Xenodochium, in quo pauperes, & peregrini hoſpitio exciperentur factus Abbas conſtruxit. Cum multos annos Nonantulano Cœnobio Sanctè præfuiſſet, ægrotans, breui, cum Monachis benedixiſſet, inter illorũ manus, ac inter de rebus diuinis ad animæ ſalutem ſpectantibus loquendum expirauit circa ann. ſalut. 740. *Ex Monumen. & Cron. eiuſd. Monaſt.*

ANNOTATIO.

Diſſenſio inter ſcriptores Benedictinos.

MAxima circa tempus, quo Anſelmus Ab. vixit, & defunctus eſt, inter Benedictinos Scriptores eſt diſſenſio. Auctor enim ligni vitæ illum ann. Dom. 999. Monachum effectum, & ann. 1035. migraſſe ſcribit. Auctor verò Hiſtor. Monaſt. circa an. 740. quod, ſi Anſelmus Aſtulphi Regis Cognatus fuit probabilius eſt. Baron. in Annalib. ad an. D. 752. Anſelmũ Monaſt. præd. ædificaſſe, eique 200. Monachorum Priorem præfuiſſe ex Ricobaldo refert. Vixit itaq; circa hæc temp. Steph. III. Pap. & Conſtan. Copron. Imp. De eo plura apud Sigon. de Regno Italiæ.

DE SANCTA ARTHELLAE VIRGINE Beneuenti.

ARthellais Virgo nob. Conſtantinopolitana Lucio Conſule patre, & Antuſia matre nata, à Iuſtiniano Imp. ob egregiam formam contra Parentum, & ſuam ipſius Virg. (quæ Chriſto Virginitatem vouerat) voluntatem expetita, clàm cum aliquot Eunuchis in Italiam ad Narſetem Patricium, & Exarchum virginis patruum, qui tunc temporis Beneuenti agebat, mittitur. Sed in itinere in Latrones incidit: qui illam carceri incluſam ob eius pulchritudinem proſtituere decreuerant. niſi ad eius, & Eunuchorum preces quo è manibus illorum eriperetur, poſt elargitam pauperibus eleemoſynam Latrones à Dæmone arrepti perijſſent. Arthellais autem ab Angelo Carcere educta cum Eunuchis iter proſequitur, & Sipuntum appulit, vbi Templum D. Michaelis Archangeli deuotè inuiſit, & dona dedit. Interim Narſetes de Neptis aduentu, certior factus, Sipuntum venit, illamque multo cum comitatu Luceriam primùm (vbi mira aliquot Deus meritis huius Sanctæ Virginis operatus eſt) deinde Beneuentum, tota ciuitate occurrente, deduxit. Ad Eccleſiam Arthellais primùm pergens multas illi pecunias elargita eſt, ac poſt Sacræ Miſſæ myſteria Sancta Communione refecta in domum patrui diuertit.

Latrones Arthellam carceri includunt.

Mirac. Latrones à Dæmone arrepti pereũt.

uertit. Vixit autem Beneuenti aliquot annos multis virtutibus coruscans, & miraculis, orationibus assiduè, & quotidianis ieiunijs intenta. Demum breui febre correpta, ad cœlestem sponsum, omnibus eius mortem lugentibus, euolauit 5. Non. *M*artij in æde S. Lucæ sepulta. *Ex quodam vet. M.S. Beneuento ad Iul. Ant. Card. S. Seuerina qui de SS. Regni Neapolit. scribere cœperat transmisso.*

ANNOTATIO.

Causa, vt Arthellais in Italiam veniret, minus probabilis videtur. Nam cum Narsetes venit in Italiam Iustinianus multos agebat ætatis annos; siquidem senex post Narsetis discessum anno 10 decessit. Fortè ea probabilior, & honestior causa fuit, quod Iustinianus illam alicui in matrimonio collocare voluit: quare ne cogeretur, aufugit.

Martij die 4.

DE SANCTO LVCIO PAPA, ET MARTYRE.

LVCIVS Romanus, primus huius nominis Pontificatum post *S*anctum Cornelium, Gallo, & Volusiano Imperat. tenuit vsque ad Valerianum, & Galienum, ac principio in Exilio relegatus, postea diuino nutu ad regimen redijt. Statuit vt Episcopum Præsbyteri duo, Diaconi tres quocunque comitarentur propter testimonium Ecclesiasticum. Duas siue, vt alij scribunt tres Ordinationes habuit mense Decembri; quibus Præsbyteros IV. Diaconos IV. & Episcopos VII. per loca diuersa creauit. Cum autem Valerianus persecutionem in Christianos commouisset, Sanctum Pontificem compræhensum capite truncari iussit. Cum verò *S*anctus Lucius ad mortem duceretur, Ecclesiam Stephano Diacono suo commisit, Clericos vt illum post se eligerent hortatus. Corpus illius via Appia in Cœmiterio Calisti sepultum est 4. Non. Martij. Cum annos 3. menses 3. & dies 3. sedisset. *Ex Pontif. S. Damasi, & Plat. in vit. Pontif.*

ANNOTATIO.

Vsebius lib. 7. cap. 3. Histor. Ecclesiast. Sanctum Lucium octo tantum menses præfuisse scribit. Marianus Scot. verò menses tantum quinque. Quare inte Sancto Damaso Papa magis credendum censeo: vti eorum temporum vicinori, & qui res gestas Pontif. magis norit. Cardin. Baron. in Annotat. in Martyrolog. hac die Lucium sub Gallo, & Volusiano, cum ab Exilio reuersus esset martyrio Coronatum asserit: quod Cronologia Ecclesi. repugnat. Nam Gallus, & Volusianus anno ante Sancti Lucij Pontificat. Imperium, quòd neque biennio integro tenuere, adepti sunt; Lucius verò in Pontificatu triennium, & tres menses egit. Sed idem Baron. in Annal. Lucium ann. 2. Pontificat. Martyrio affectum sub memoratis Impp. scribit.

Error Baron.

DE NONGENTIS SS. MARTYRIBVS ROMAE.

HI Romæ vno die pro fide Christi occisi sunt, magno fidei, & Christianæ constantiæ exemplo. Quorum corpora à Christianis religiosè in Cœmeterio Callisti apud S. Cæciliam condita sunt 4. Non. Martij, eosq; fideles digna deuotione venerati fuerunt. *Ex Adone, & Pet. in Catal. lib. 3. cap. 175. De quib. etiam Beda, & Vsuard.*

ANNOTATIO.

PEt. Gales. illos anno D. 260. In Valeriani, & Galieni Consul. passos putat, quo tempore, & Sanctus Cyprianus Episcopus Carthaginen. coronatus est, sed hoc ex coniectura dici videtur.

DE S. CAIO PALATINO MARTYRE Romano, & Soc.

CAius miles, Palatinus (erant autem milites Palatini, qui Impp. ministerijs deputabantur) in persecutione Valeriani Imper. Maximo, & Glabrione Coss. vnà cum alijs 27. tentus, ac grauiter excruciatus, tandem ob fidei Christianæ confessionem in mare proiectus martyrium consummauit. *Ex Adone, & alijs.*

ANNOTATIO.

ET si non habent Beda, Vsuard. & Ado, quo Imper. Sanctus Caius cum Socijs coronatus sit; habetur tamen hoc apud Annal. Eccl. scriptores, vt Gales. adnotauit.

DE SANCTO PAVLINO EPISCOPO BRIXIENSI.

PAulinus Episcopus Brixien. XVII. Sancto Titiano vita functo subrogatur. Qui, Ecclesia Brixiana aliquot annos piè Sanctèque administrata, Cypriano successori sede relicta, ad cœlestem patriam multis cumulatus meritis 4. Nonas Martij euolauit. Corpus in æde Sancti Petri in Oliueto conditum ad hæc vsque tempora asseruatur. *Ex Tabul. & Monumen. Eccles. Brixien. Eius meminere Rampertus Episcopus in Translation: Sancti Philastrij, & Caprel. in Annal. lib. 3.*

ANNOTATIO.

IN Martyrol. Rom. huius S. Episcopi Natalis 3. Kal. Maij recolitur: at in tab. Eccles. Brixien. hac die eius memoria celebratur.

DE S. APPIANO EPISCOPO.

SANCTI APPIANI Episcopi ac die depositio Papiæ in basilica S. Petri in Cœlo Aureo dicta (in qua corpus illius asseruatur) colitur. Cuius vrbis Episcopus fuerit, haud sciri potuit. Africanum fuisse, coniectura est non leuis, quòd eius corpus ex Sardinia vnà cum corpore S. Augustini Episcopi,

Episcopi,& Eccl. Doctoris Ticinum translatum est, vti antiqua præd. basilicæ Monum. & marmoreæ inscriptiones testantur. Cum autem S. Fulgentius Episcopus Ruspen. vnà cum plurimis Africanis Episcopis à Vuandalis eiectus ex Africa corpus S. Doctoris vnà cum aliorum SS. Reliquijs in Sardiniam detulerit, fieri potuit, vt inter alia SS. corpora, corpus etiam S. Appiani deferret. Cuius etiam festiuitas in eadem Ecclesia 3. Kal. Nouemb. celebratur. *Ex Monum. Eccles. S. Petri in Cœlo Aureo Papiæ.*

ANNOTATIO.

Cum duplicem habeat Festiuitatem in memor. basilica, vna natalis esse videtur, altera translationis.

DE S. PETRO EPISCOPO POLICASTRENSI, Et Abbate Cauensi.

Petrus Salerni natus vitam Monachi in Monasterio Cauensi sub B. Leone Abbate professus, à quo in Burgundiam ductus, ibi in Monasterio Cluniacensi, sub S. Vgonis Abb. disciplina ann. 7. commoratus est. Reuersus Salernum ob sanctimoniam vitæ, Episcopus Policastrensis eligitur. Quod munus in vitus Gisulphi Principis Salernitani suasu suscepit. Verum paulo post desiderio contemplationis, & obseruantię regularis stimulatus, Episcopatui cedens ad Cœnobiũ Cauense redijt: in quo à Leone successor designatus fuerat. Cum autem Monachi Cauenses disciplinam regularem Cluniacensem, quam Petrus seruabat, detrectarent, ad S. Archangeli Cœnobium apud Cilentum transijt. Vnde paulo post à Cauensibus expetitus, rursus Monasterij gubernacula recepit, multis ad eum ex sæculo in dies confluentibus, ita vt supra 3. M. Monachorum pater extiterit. Sanctitatem illius multis miraculis in liberandis præsertim energumenis Deus comprobauit. Cum nauigium, quo ferebatur, submersum fuisset, ipse supra mare pedibus vsq; ad litus incedisse fertur. Concilio Aruernen. sub Vrbano II. Pont. Max. interfuit, & ab eo Pontifice: quo cum in Monasterio Cluniacen. aliquandiù vixerat, multa suæ Congregationi impetrauit priuilegia. Migrauit hæc vita 4 Non. Martij an. sal. 1134 Henrico 4. Imp. *Ex Paulo Regio lib. de SS. Regni Neapolit.*

Petrus III. M. Monachorum Pater. Mirac. 1. Energumenos liberat. 2. Supra mare mirabiliter incedit.

ANNOTATIO.

Vel obijt Petrus multò ante an. 1134. vel non Imp. Henrico IV. Is enim ex Cremon. Impp. ann. 1125. decessit, Lothario Iuniore illi subrogato: qui ann. 1134. Romæ ab Innoc. II. Pont. Max. coronatus fuit.

Martij die 5.

DE S. EVSEBIO ABBATE CREMONÆ.

Eusebius ciuis Cremonensis, à teneris pietatem colens, relictis parentibus, opibus, & patria in Palæstinam profectus est. Vbi factus Monachus sub Sancto Hieronymo eos breui tanto doctore fecit progressus, vt ab eo Cœnobio

Beherlemico Abbas præficeretur. Quo in munere præclarè, sanctèq; ita se gessit, vt mortuo magistro, tres defunctos cilició S. Hieronymi illis admoto reuocarit ad vitã: Quo miraculo Hæresim eo tempore circa animæ statum post mortem excitatam, multis Episcopis, & Abbatibus conuocatis mirabiliter extinxit. Post magistri excessum biennio vixit, cum vitæ terminus adesset, febri correptus, factum viaticum sumpsit, saccoq; S. Hieronymi indutus in terra fratres ad patientiam, & obseruantiam hortatus triduo iacuit, loquela deinde, & visu destitutus, palàm cum humani generis hoste conflixit: contra quem hæc verba proferre, ab astantibus audiebatur, *Non faciam*; *Mentiris*. Demum cum S. Hieronymus aduersus Dæmonum aggressiones ei adfuisset, obdormiuit in Domino. Corpus ad præceptoris sui corpus appositum est. Ad cuius contactum Monachus cæcus antequam humaretur, visum recepit, & Dæmoniacus liberatus est. *Ex Pet. in Catalog. SS. lib. 7. cap. 64. Agit, & Baron. de S. Eusebio tom. 5. Annal. Eccl. ad an. D. 398. quo Eusebius vnà cum Pauliniano S. Hieronymi fratre, ad vrbem Sericio Pap. venit.*

Mirac. 1. Extinguitur de animę statu post mortem hæresis miraculo Eusebij.
Eusebij cum Dæmone pugna.
Cæcus illuminatur.
Energumenus liberatur.

ANNOTATIO.

HAc die S. Eusebius Abb. ab Ecclesia Cremonen. colitur: cum tamen de eo Petr. in Catal. loco citato ad diem 14. Aug. agat. Petrum diem obitus ignorasse puto, egisse autem de eo, qua die de alio Eusebio agitur.

DE S. ROGERIO CONFESS. ORD. MINORE TVDERTI.

Angelus Cæsius Episcopus Tudertinus.

ROgerius, siue Rugerius ordinem Minorum, S. Francisco adhuc viuente, ingressus, sic post Magistri vestigia incessit, ac sanctimonia effulsit, vt Gregorius IX Pont. Max. cum S. Franciscum in SS. retulisset, Rugerium quoque vti Sanctum ab Eccl. Tudertina, vbi decessit, coli concederet (licet id sub Angelo Cæsio Episcopo Tudertino his prope temporibus fieri tantùm cœptũ sit) Miraculis aliquot claruit post mortem. Nam mulierem ab incurabili morbo, & ab insania liberauit. Cuidam albugine oculis obducta nihil videnti, & adolescenti altero oculo orbato lumen restituit. Mulierem alteram ab incunabulis claudam, oraq; contorta gerentem integrè sanam efficit. *Ex offic. Eccl. Tudert.*

Mirac. 1. Mulierem ab incurabili morbo, & ab insania Rogerius liberat.
2. Lumẽ oculorum visu laborãtibus restituitur.
3. Clauda, oreq; contorta sanatur.

ANNOTATIO.

DE Gregorij noni concessione, vt B. Rugerius off. ecclesiastico coli posset. Tussignanus Franciscanus auctor testatur. Diploma tamen concessionis (forte iniuria temporum, vt multa alia) ferunt non extare.

Martij die 6.

DE S. BASILIO EPISCOPO BONONIENSI.

BASILIVS III. Bononiensis Episcopus à Sancto Iulio Papa I. ordinatus ann. salut. 350. circiter Ecclesiæ Bononien. præfuit: ac Concilio Ariminensi cũ alijs 400. Episcopis Ecclesiæ Occidentalis interfuisse uidetur. Is Basilicam SS. Apostolis Petro, & Paulo eo loco; qui nunc S. Stephani platea nominatur,

na'ur, extruendam, vel à S. Faustiniano Prædecessore inchoatam absoluendam curauit: in qua, & conditus putatur. Vixit in Episcopatu ad 20. annos cætera nesciuntur. *Ex Carol. Sigon. lib. 1. de Epp. Bononien.*

ANNOTATIO.

ET si Sigonium secuti S. Basilium Episcopum Bononiens. creatum ann. D. 350. id tamen valde Temporum calculo repugnat. Nam eo an. non Syluester, à quo ex Martyrolog. Roman. Basilius Ordinatus est. Sed Iulius Pontif. Ecclesiæ præerat: Siluester autem ann. 335. obijt ex Plat. Panuin. & alijs. Errat præterea Sigon. circa diem obitus Basilij scribit enim eum 8. Id. Martij cum ex Martyrolog. Roman. & Tab. Eccl. Bononien. Prid. Non. Martij, qua die eius natalis celebratur, obierit.

Geminus Sigonij error.

DE SANCTO CLAVDIANO CONFESSORE TRIDENTINO.

CLaudianus Romanus Sancti Vigilij Episcopi Tridentini frater, ac Sanctæ *Maxentiæ* filius in Christiana Religione, & bonis litteris educatus, Tridentum vnà cum matre, & fratribus venit. Vbi vnà cum Magoriano fratre Sancto Vigilio ad Episcopatum assumpto in Ecclesiæ administratione haud mediocri fuit adiumento, maximè in Gentilium conuersione. Is Sanctum Episcopum ad Randenam vallem secutus, martyrio eius affuit, quo, post Idolum Saturni deiectum à Barbaris lapidibus obrutus, affectus est. & corpus illius vnà cum fratre *Magoriano* sepeliendum Tridenti curauit. Cum autem post Sancti Vigilij necem aliquandiù Tridenti in pietatis operibus occupatus vixisset, deniq; ex hac vita mortali ad cœlestem euocatus prid. Nonas *Martij* obdormiuit in Domino, *Ex vita S. Vigilij, & S. Maxentiæ.*

S. Claudianus cũ S. Vigilio Tridentum venit.

Martyrio S. Vigilij præsens fuit.

Post S. Vigilij necem obdormiit.

ANNOTATIO.

GEsta ipsius à nobis postulata haud haberi potuerunt; quòd vti accepimus, minimè extent. Cum iniuria temporum, & bellorum perturbationibus exciderint. Cuius dies festus agitur Tridenti die præscripta.

Acta S. Claudiani nõ extant.

DE SANCTO VICTORE CONFESSORE PLACENTINO.

VICTOR Honestis, Parentibus Placentiæ natus ab ineunte ætate pietatem coluit, ac factus Clericus ob eius probatissimos mores à Sancto Mauro Episcopo Placentino, Diaconus ordinatur. Quo in munere tanto fidei zelo incensus erat, tantoque se studio exercebat, vt omnibus admirandus omnium in se oculos conuerteret. Quoniam autem vitam innocentissimam ducebat, propterea illum Dominus è medio iniquitatum properauit educere. Cum itaq; vita hac excessisset, corpus in Moxijs extra vrbem condigno honore sepultum est: quod Euerardus Episcopus Placentiæ vnà cum aliorum SS. Corporibus in Basilicam Sancti Sauini transtulit, & Fabritius eiusd. vrbis Episcopus ann. salut. 1481. loco eiusdem basilicæ dignore reposuit. *Ex off. Eccles. Sancti Sauini.*

ANNOTATIO.

Natalis S. Victoris iam dudum in Eccl. S. Sauini celebrari consueuerat: nunc autem ex nouis off. Eccl. Placentina Roma approb. per totam diœc. licet absque lect. propr. Colitur hac die.

DE BEATO SOLLICITO CONFESS.
Ordin. Cruciferorum.

APud Matelicam, quod Piceni oppidum est in Vmbriæ confinio inter Fabrianum, & Camentes non obscurum B. Sollicitus, qui apud Cruciferos vitæ sanctitate floruit, venerationem habet. Cuius nomine sacra ædes apud Matelicates extructa est: cuiusque hac die Franciscus Maurolycus in suo Martyrol. meminit. *Ex Tab. Fratrum Cruciferorum.*

ANNOTATIO.

QVo tempore vixerit, qua illi patria fuerit, & quæ egerit, licet à prædictis Religiosis non semel perquisierim, nil aliud tamen, nisi quòd Matelicæ, & in suis Cœnobijs colitur, referre potui.

Martij die 7.

DE S. THOMA AQVINATE CONF. ET ECCL. DOCT.
Ord. Prædicatorum.

THomas Landulpho Comite Aquinate, & Theodora Neapolitana natus quintum annum agens Monachis M. Casini custodiendus traditur; postea Neapolim studiorum causa missus adolescens Fratrum Prædicatorũ ordinem ingreditur. Id matre, & fratribus indignè ferentibus, Lutetiam Parisiorum mittitur, Qui in itinere à fratribus per vim raptus, & in arcem Castri S. Ioannis perductus variè, vt propositum mutaret exagitatus est, & mulierem ad eius constantiam labefactandam introductam titione fugauit: vbi flexis genibus ante crucem orans, & somno correptus sentire visus est, sibi lumbos ab Angelo constringi, atque ex eo tempore omni libidinis sensu semper caruit. Sororibus, quæ in Castrum ad eum à pio consilio remouendum venerant, vt contemptis curis secularibus, se ad cœlestis vitæ exercitationem conferrent, persuasit. Emissus è Castro per fenestram Neapolim reducitur, inde Romam, postea Lutetiam à Fratre Ioan. Theutonico Ordin. Generali Magistro ductus, Philosophiæ, & Theologiæ Alberto Magno doctore operam dedit. 25. annos natus sacræ Theologiæ creatus Philosophos, & Theologos, publicè summa cum laude interpretatus est. Nunquam se dabat lectioni, aut scriptioni, nisi post orationem. Fratri Reginaldo Sodali suo dicere solebat, se quicquid sciret, non tam studio acquisiuisse, quàm diuinitus traditum accepisse. Neapoli cum ad Imaginem Crucifixi vehementiùs oraret, vocem hanc audiuit. *Bene scripsisti de me Thoma, quam ergo mercedem accipies?* Cui ille. *Non aliam Domine nisi te ipsum.* In omni scriptorum genere diligentissime versatus collationes Patrum assiduè volutabat, nec tamen à prædicatione verbi desistebat: Quod cum per octauam Paschæ in Basilica Sãcti Petri faceret, mulierem, quæ vestis eius fimbriam

Thomas lumbos sibi ab Angelo constringi sensit.

Plura oratione, quàm studio ediscit.

Crucifixus Thomam alloquitur.

Mulier à fluxu sanguinis liberatur.

briam tetigerat, à fluxu sanguinis liberauit. Scripta illius & multitudine, & varietate, & in rebus difficilibus facilitate adeò excellunt, vt nomen Doctoris Angelici meritò sit adeptus. Ab Vrbano Quarto Pontif. Romam vocatus adduci non potuit, vt honores acciperet. Archiepiscopatum Neapolitanum à Clemente quarto oblatum recusauit. A Gregorio decimo missus ad Concilium Lugdunens. in Monasterio Fossæ nouæ in morbum incidit, vbi ægrotus cantica canticorũ explanauit, & quinquagenarius an. sal. 1274. Nonis Martij obijt. miraculis clarus viuus, & mortuus à Ioanne Pontif. 22. in SS. relatus est. ann. 1323. Cuius corpus Tholosam Vrbano Quinto Sum. Pontif. Translatum est. *Ex Breu. Rom.*

Doctoris Angelici nomẽ adeptus.
Honores Ecclesiasticos recusat.

ANNOTATIO.

Pius Quintus Pontif. Maxim. & Ord. Præd. ad Pontif. assumptus decreuit, vt vbique in Ecclesia S. Thomas vti Doctor Ecclesiæ coleretur. Quod ex diplom. 3. Id. April. an. Dom. 1567. apparet. Præcipuè autem S. Thomas Neapoli, quæ illum sibi v[illegible] bis protectorem asciuit, hac die, & 19. Ian. colitur.

Carmen Hieronymi Vidæ Episcopi Alben. in laudem D. Thomæ.

,, *Ille Deo ante diem plenus puerilibus annis*
,, *Mortales contempsit opes, contempsit honores*
,, *Quicquid opis potuit miseris partitus egenis*
,, *Nobilium longè fugit tecta ampla parentum*
,, *Fortunamque domus, inopem traducere vitam*
,, *Maluit, atque humiles cœtu cum paupere sedes*
,, *Aute tulit habitare, rudi malè tectus amictu.*
,, *Fortunate puer, non hæc sine numine venis*
,, *Mens tibi, sed teneris iam tum Deus adfuit annis.*
,, *Fortunate animi, egregias diuinitus artes*
,, *Hic haurisque, colisque: tibi se recta loquendi*
,, *Ostendit ratio in dubijs verè omnibus index,*
,, *Insuper & cœli numeros, mensusque, viasque*
,, *Et superos aperis motus, ratione, nec vlla est*
,, *Ars vsquam, Docto quam non vulgaueris ore*
,, *Te quoque fama refert, prece dum vim tendis olympo.*
,, *Funere iam elatos reuocasse ad munera vitæ,*
,, *Ara vetus stabat, stabat venerabile saxum.*
,, *Supra aram nostræ seruans simulachra salutis*
,, *Pendentem Cœli ferali è stipite Regem.*
,, *Hic tibi, consuleres tacitus dum lumen amicum,*
,, *Multa super Christi latitantis corpore in almis*
,, *Frugibus arcana vi, quas libamus ad aras;*
,, *Reddita vox Cœlo, templumque audita per omne est,*
,, *Macte animo insigni, mortali corpore Thoma*
,, *Septus adhuc habili hausisti mysteria mente:*

,, *Quæ*

,, *Quæ vix Cœlestes animi cœlestibus oris*
,, *Securi norunt, sed quæ satis ampla tuarum*
,, *Præmia erunt laudum? quæ merces grata laborum?*
,, *Tu mihi solus, ais, magna, atque vberrima merces*
,, *Tu mihi solus eris: nihil ò nihil apprecor vltrà.*
,, *Hac vice sermonum oblitum mortalia cuncta*
,, *Te perhibent, Cœlique oculis adiisse profunda:*
,, *Namque ab humo te sublatum (mirabile visu)*
,, *Cernebant, ea dum fierent, pendere per auras*
,, *Libratumque solo nihil iam debere relicto.*

DE S. GAVDIOSO EPISC. BRIXIENSI.

S.Gaudiosus Episcopus Brixiensis Cathedram Episcopalem inter *S. Siluinũ*, & Optatianum sextus à S. Philastrio ab Anathalone verò I. Episcopo Brixiens. 13. laudabiliter, tenuit. Cuius gesta: & si propter crebras vrbis vastationes non extant, fama tamen sanctitatis perdurauit. Corpus eius in Basilica *S.* Alexandri martyris, quam Fratres Seruitæ tenent, in marmoreo Sarcophago, vt inscriptio ipsa indicat, conditum est. *Ex Tab. Eccl. Brixien. & Catal. Episc. eiusd. vrbis.*

ANNOTATIO.

Rampertus Episc. Brixiens. in Sermon. de S. Philastrij Translat. in quo omnium ante se Episc. Brixiens. mentionem facit, alterius Gaudiosi post S. Deus dedit meminit. Gaudiosum etiam Siluini successorem memorat Capreol. lib. 3. Annal.

DE S. EQVITIO ABBATE AQVILÆ.

Sensus libidinis Equitio ab Angelo aufertur. Basilium Magum in habitu Monastico, Diabolũ esse dicit, ac Monasterio expellit. Basilius Romæ comburitur. Demoné monialé vexâté præcipiendo eijcit. Equitius iussu Dei prædicabat, nec ẽt si vellet, tacere poterat.

EQuitius in Valeria Prouincia (in qua Amiternũ apud Aquilam ciuitas erat) multorum cœnobiorum pater, & miraculorum patrator fuit, vt *S. Gregor.* Papa scribit. Is iuuenis carnis stimulis exagitatus, remediũ à Deo assiduis precibus poscens, quadam nocte ab Angelo castrari visus est caruitque ex eo tempore omni libidinis sensu; cœpitque etiam virginibus monialibus præesse. Cũ Basilius quidam magus, Roma fugiens, habitu monastico indutus Castorium Episcopum Amiterninum, vt se Equitio Abb. commendaret, rogasset, idq; Episcopus fecisset, Equitius illum non monachum, sed Diabolum esse respondit. Illum tamen Episcopo instante recepit. Sed cũ non multo post, absente Equitio, monialis aliarũ speciosissima febribus correpta se morituram clamaret, nisi ad se Basilius monachus veniret, re ad Equitium perlata, Basilium iussit expelli, inquiens, nonne dixi, illum non monachum: sed diabolum esse? ac monialem nec febribus vexandam de cætero, nec Basilium quæsiturã dixit. Quod ita cõpertum fuit. Basilius autem pulsus cum Equitij cellam in aere magia suspendisset, nec quicquam lædere potuisset, Romæ postea igne crematus est. Cum monialis alia hortum ingressa lactucam absque benedictione momordisset, protinusque à Diabolo arrepta concidisset, id Equitius cum accepisset, accurrens, dæmonem ab ea præcipiendo eiecit. Cum Fœlix Abbas Equitium familiariter, quòd absque sacro ordine, & absque Summi Pontif. licentia prædicaret, argueret, se illam à iuuene specioso, qui quadam nocte ferreo instrumento in os eius im-

immisso, & vt ex diuino iussu prædicaret, mandauerat, habuisse respondit, nec se ex illa die etiam si vellet, tacere posse. Vilis autem, & despectus valde vestibus incedebat, viliori iumento, cum longius abiret, insidens, capistro pro fræno, & Veruecina pelle pro sella vsus, codices in sacculo pelliceo vtrinq; pendēte deferens. Cum autem Clerici illum quod vir rusticus existens absq; licentia prædicare præsumeret, apud Pont. accusassent, is Iulianum quendam defensorem, qui Equitium Romam ad se adduceret, misit. Profectus Iulianus festinè ad Monasterium, cum Equitium, qui in valle sub Cœnobio fœnum, secabat, non inuenisset, puerum suum valde superbum, & iniurium, qui illum statim ad se pertraheret, destinat. Puer vbi, quis esset Equitius, quęsiuisset, ad eū accedens, tanto timore correptus est, vt vix progredi posset, & contra morem suum ad Viri Dei genua procidens, Humiliter aduentum Domini sui Iuliani eum præstolantis exponit: Cui Equitius, vt fœnum iumentis, quibus Roma venerant, deferret, iussit, se opere completo subsecuturum. Cum Iulianus famulum fœno onustum conspexisset, iratus non, vt fœnum ait, sed hominem illū duceres, misi. Cum autem Equitium vidisset vili habitu indutum, eum despiciens, iniuriosis verbis excipere cogitabat. Sed & ipse, vt puer, statim pauore correptus ad pedes Equitij prostratus, Pontificis mandatum ei humiliter exposuit. Cum itaque Equitius subito iumenta pararet, Iulianus autē se fessū non posse ea die discedere respondisset, Equitius, si ea die nō irent, crastina nō ituros dixit; quod ita contigit. Nam manè quidā à Pont. equo citato cursu, qui Iuliano, ne virum Dei à suo Monasterio abduceret, nunciaretur, missus venit, quòd Pontifex nocturna visione, quasi virum Dei iniuria afficeret, perterritus fuerat. Cum S. Abbas ex hac vita migrasset, Rusticus quidam arcam frumento plenam super tumulo locauit: quæ arca cum grano turbine subito exorto nulla alia re turbata longe inde proiecta est. Cum Longobardi Valeriam ingressi, Monachos, qui in Oratorium S. Equitij confugerant, vi extrahere conarentur, à Dæmone arrepti ita vexati sunt, vt sacra loca deinceps temerare nō auderent. *Ex S. Greg. Pap. lib. 1. Dialog. c. 4.*

Mittitur qui Equitium sine licentiam prædicantem ad Sum. Pōt. duceret.

Equitius Pontif. sententiam mutatu rum præno scit.

Prodigiū ad sepulchrum S. Equitij.

Longobardi dum Monachos ex Oratorio S. Equitij vbi confugerant extrahere conantur à Dæmone vexātur.

ANNOTATIO.

Corpus S. Equitij Abb. in vrbe Aquilana, in qua tanquam vnus ex vrbis protectoribus colitur, conditum requiescit. Puto die hac Translationem eius recoli. Nam Natalis in Martyrol. Rom. ad diem 11. Augusti adnotatur.

DE B. HIERONYMO ÆMILIANO Somaschensium Institutore.

Hieronymus Aemilianus patricius Venetus, varijs pro Rep. Veneta muneribus egregiè perfunctus bello ex Cameracensi fœdere aduersus Venetos æstuante ad fines ipsorū tutandos destinatur. Qui ab exercitu Maximiliani Cæsaris Castri noui obsessus, captus, & vinculis constrictus ope Sanctissimæ Virgin. Deiparæ eripitur, ac per medios hostes deductus Taruisium incolumis peruenit. Tanti autem haud immemor beneficij, Patrimonio pauperibus distributo, vale dicens sæculo in pietatis officijs cœpit exerceri, non modò Venetijs; Sed & in alijs Italiæ vrbibus pueros parentibus destitutos in vnum collectos in extructis eis ædibus alendos curauit: Quod & circa puellas præstitit. Multis autem peragratis vrbibus Somaschæ Castro (quod inter

Ber-

Bergomum, & Larium lacum occurrit) demùm substitit: ibiq; multis ad eum confluentibus alumnis Congregationis Somaschensis fundamenta iecit, multis fulgẽs miraculis. Nã cũ fame multi in proximis regionibus ob victus inopiã cõficerẽtur, ipse, pane in gremio suo diuinitus aucto, nõ solùm suos, sed etiam exteros quosq; aduenientes pauit. Ita verò Dæmonibus erat formidolosus, vt eos à multis obsessorum ad eum catervatim aduenientium corporibus, eijceret. Spiritu quoq; prophetico afflatus multa, quæ ita euenire prædixit. Deniq; obitus sui præscius, annum 56. agens ætatis 9. Martij cessit è vita, anno reparat. nostræ 1537. *Ex vita per Andream Stellam eiusdem Congregationis Præpositum Generalem scripta.*

ANNOTATIO.

Officio nondum colitur Eccles. & licet nulla hactenus Sed. Apost. concess. eum vti beatum venerari datum sit: multo tamen eius sepulchrum ob patrata miracula habetur in honore.

Martij die 8.

DE S. LITHIFREDO EPISCOPO PAPIENSI.

Lithifredus indimittẽdis iniurijs prõptissimus.

Lithifredus Episcopus Papien. ignotæ patriæ inter cæteras eius virtutes patientia maximè enituit. Qui & si illatas iniurias absq; charitatis detrimento vlcisci potuisset: nollebat tamen illud Apostoli vsurpans *Patientia vobis necessaria est, vt reportetis promissiones.* Quin etiam contumelias à vilibus personis æquo animo tolerabat, & familiari suo verba indigna à quodam in eum prolata indignè ferenti, &, vt iniuria pro officij sui dignitate vindicaret, suadenti, quòd boni malis iusta animaduersione correptis quietiores degunt S. Episcopus respondit, præstare, vt boni à malis exerceantur: nec malorum mortem à bonis optandam esse. Vt enim aurum igne probatur, sic boni ex malorum persecutione perfectiores euadunt. Hic S. Episcopus cum corpus S. Honoratæ virginis ex Monasterio S. Vincentij in Monasterium vetus, quod Historiarum dicebatur, transferre tentasset, nec potuisset, paulò post in somnis admonitus, cum triduò ieiunasset, & orasset, illud solemni pompa transtulit. In qua translatione inter alia miracula hoc memorandum contigisse ferunt, quod corpus virginis, cum ad ædem S. Nicolai ventum fuisset, adeò graue effectum est, vt, qui portabant, illud deponere cogerentur. Cum autem S. Episcopus pallium suum illi superposuisset, facilè ad Monasterium memoratum delatum est. Cum S. Lithifredus Ecclesiæ Ticinensi 10. annos pie præfuisset, obdormiuit in Christo, corpusq; in basilica maiore conditum est. *Ex Gualla in Sanctuar. Breuent. in Hist. Papien. & alijs.*

Mirac. Pergraue virg. corpus Lithifredi pallio fit leue.

ANNOTATIO.

Antonius M. Spelta in vit. Episc. Papiensium S. Lithifredum Episc. Ticinensem 34. Benedicto III. & Nicolao I. Summis Pontif. ac Ludouico II. Imp vixisse scribit: quem Imp. Papiæ Concilium Prouinciale an. D. 855. mense Februario Benedicti III. Pont. celebrasse ait cum mense Febr. Benedictus Pontificatum (quem mense Iulio eiusdem anni iniit) nondum adeptus esset ex Plat. Panuin. & alijs. Baronio præsertim in Annal. ad 855. vbi Concil. Ticini habitũ scribit Leone IV. Pont. Max. adhuc viuente, non Lud. II. sed Lothario Imp.

Antonij M. Speltæ dictũ non verisimile.

DE

DE S. CATALDO EPISCOPO, ET PATRONO TARENTINO.

CAtaldus in Hibernia honestis parentibus natus, adolescens in liberalibus disciplinis eruditus ad eam doctrinæ excellentiam peruenit, vt Lesmoriã ad eum audiendum non solum ex Anglia,& Scotia,sed & ex Gallia,& Germania,alijsque regionibus confluerent. Nec modò doctrina, sed etiam pietate excellens miraculis coruscare cœpit. Nam cum sacram ædem in Deiparæ Virginis extrueret, puerum,qui in ædificio confractus expirauerat, patri rediuiuũ restituit,& militis filium,apud fundamenti fossam ab eo depositum,dum S. terram in eam fossam proijceret,puluere conspersum ad vitam reuocauit. Quod Rex magicis artibus tribuens Sanctum vinctum in carcerem trudi iubet. At Angeli duo noctu Regi minaciter apparent, veniamque pollicentur. Si Cataldo dimisso,Ducatum Meltridis defuncti donaret. Quod visum dum mane Reginæ Rex narrat,nuncius mortis Meltridis Ducis aduenit. Quare Rex mox Cataldum solui imperat,eique, venia postulata,Episcopatum Rachauensem cum Meltridis Ducatu offert; quem ille in 12.Episcopatus distribuit Rachauensi in Metropolim erecto. Quibus ita constitutis Hierosolymam proficiscitur,indeq; sacris locis summa deuotione perlustratis,à S. Petro Apost. in somnis admonitus,vt se Tarentum,vbi S.Marcus fidem primùm prædicaret, reciperet,naui cõscensa discessit,nauta defuncto vitæ restituto,tempestateque ante præuisa, suis orationibus sedata. Naui egressus apud Tarentũ mutæ puellæ loquelam, auditumque restituit,cęcoque in vrbis ingressu lumen reddidit eo in fide tunc instructo,baptizatoque. Quo miraculo peruulgato Cataldus Tarentum ingressus Christi Domini fidem prædicare cœpit,multis etiã ex finitimis vrbibus doctrina,& miraculis eius ad Christum conuersis. Breui itaque vrbe Tarentina Christiana effecta,in ea clerum instituit,Præsbyteris, Diaconis, alijsque clericis per oppida,& pagos ordinatis. In oratione,& prædicatione verbi assiduus, viduis, pupillis,oppressis,& miseris ope,consilioque nusquàm deerat. Denique,vbi diu Ecclesiæ Tarentinæ præfuisset,morbo correptus,morteque pręuisa, Clerum,& populum aduocatum,vt in accepta religione,& cœlestium mandatorum obseruantia permaneret, pluribus hortatur. 8. Idus Martij animam Deo reddidit. Sepultus est in templo maiori,quo loco ipse mandauerat, in marmoreo Sarcophago, sanguidis ex omni genere curatis. Cuius corpus Drogono Archiepiscopo eam basilicam instaurante ab opifice fundamenta fodiente detectum est, mira ex eo odoris fragrantia emanante,atq; in ara maiore eiusdem basilicæ solemni pompa,paralyticis, mutisque diuinitus curatis. Rursus anno Hum.sal. 1150. Eugenio III. Pont.Max. Rogerioque Siciliæ Rege Geraldus Archiepiscopus sacras Cataldi reliquias præsentibus corporis in theca argentea non sine Psalmodia,& Hymnodia populique magno concursu collocauit: in qua etiã Translatione 6. Id. Maij celebrata cæci,leprosi, alijsque morbis oppressi sanati sunt. *Ex off. Eccles. Tarentinæ Roma approb.*

Doctrina excellit. Duos pueros def. excitat. Carceri includ. Liberatur & fit Episc. Hierosolymam profi[illegible]scitur. Admonitu S. Petri Tarẽtum venit. Eam vrbem miraculis cõuertit. Obijt, & languidos ad sepulturam curat. Inuẽtio corporis illius non sine miraculis. Transl. corporis miraculis celebrata.

ANNOTATIO.

MIrum, nullam Temporis, quo S. hic Episcopus in lucem prodijt, quoue Tarentum applicuit, aut carnis sarcinam deposuit, mentionem fieri. Sed neque Petr. in Cat. lib. 4. c. 143. Neque Baron. in Annot. in Martyrol. Roma. (in quo dies Translationis, non Natalis adnotatus est) huiusce rei meminere.

DE

DE S. PROVINO EPISCOPO COMENSI.

PRouinus, natione Gallus, Mediolanum ad S. Ambrosium fama sanctitatis eius commotus veniens, ab eo benignè excipitur, & sacris initiatus Comū ad S. Felicem Episcopum mittitur: vt illi adiumento esset. Qui viri probitate perspecta illum sibi successorem designat. Defuncto itaque Felice Prouinus ordinatus Episcopus Comensium, officium pastorale prudenter aggreditur, ac ea, quæ verbis populum docebat, miraculis comprobabat. Cum autem Hæresis Ariana multas Italiæ vrbes peruagaret, Prouinus S. Ambrosium secutus inuictus in Catholicæ fidei defensione persistens ciuitatem suam illæsam ab ea peste seruauit. Tandem senio, & pijs laboribus confectus, Amanrio successore delecto, ex hac mortali vita decessit 8. Id. Martij. Sepultusque est in basilicâ SS. Geruasij, & Protasij. *Ex Breuiario Comen.*

Prouinus vrbem suam à peste illæsam seruat.

ANNOTATIO.

QVod Episcopi successores elegisse dicuntur, id sanè accipiendum est, eligebant enim, seu designabant, quatenus eos proponebant ijs, ad quos spectabat electio, et Sum. Pont. confirmatione supposita.

Ex Hymno Antiquo in festo Sancti Abundij.

POtitus in primordio
Est felix Pontificio,
Post quem secundis actibus
Sanctus Prouinus claruit.

Martij die 9.

DE S. CATHARINA VIRG. BONONIENSI.

CAtharina Virg. Bononiæ honestis orta parentibus, ann. ætatis 11. agens, Cœnobium monialium S. Claræ ingreditur. Ferrariæ monasterium egregium corporis Christi eiusdem ordinis extruendum curauit. Fuit autem singulari humilitate prędita, vili semper amictu induta, ac præcipuam infirmantium curam agebat. Erat in oratione frequens: cui S. Thomas Episcopus Cantuariensis apparuisse, orandique modum eam docuisse fertur. Oranti vehementius in nocte Natiuitatis Domini B. V. M. apparens multa reuelauit arcana. Vidit præterea per somnium S. Franciscum, & B. Ioannem Tussignanum. Multis à Dæmone insidijs expetita, omnes eas tentationes oratione superauit. Vix adduci potuit, vt Abbatissa fieret. Multa spiritu prophetico prædixit, & plura spiritu plena scripsit. Cum an. 50. ageret, assiduis ieiunijs, & vigilijs confecta in morbum incidit, ex quo breui diem suum 7. Id. Martij obijt an. sal. 1463. Cuius corpus post 19. dies incorruptum, suauemq; odorem mittens repertū fuit. Eius sanctitas multis miraculis, multis ægrotis, & morbis insanabilibus laborantibus ad eius tumulum curatis declarata est; vt illam Clemens VIII. Sum. Pont. in Martyrologio reponendam præceperit. *Ex eius vita Bononiæ an. Dom. 1595. edita.*

Apparitiones Sanctorū S. Catharinæ factæ.

Catharina prophetię spiritu insignis. Miracula.

AN-

ANNOTATIO.

Carolus Sigon. lib. 4. de Episc. Bononienſ. Catharinam 8. Id. Martij (puto errore typographi pro 7. 8. irrepſiſſe) Terra demandatam, poſt 19. dies effoſſam integram, minimoque fœtentem repertam fuiſſe, ac virtutibus aliquot editis, ſupra terram Epiſcopo comprobante (qui Philippus Sergianenſ. erat) aſſeruatam ad an. prædictum ſcribit.

Antiphona B. Catharinæ.

O Virgo prudentiſſima, dum euolaſti ad ſydera, reliquiſti Bononiæ lampadem balſamiticam ægris dantem remedia. O Catharina Franciſci noua plantula, ora Deum, cui es iuncta, vt æternam poſſideamus vitam.

℣. *Ora pro nobis B. Catharina &c.*

DE S. FRANCISCA ROMANA.

FRanciſca Romana honeſtis, & copioſis nata parentibus. Ex Buxorum familia à teneris vitam in orationibus, & pijs operibus ſolitariam duxit. Laurentio Pontiano nob. Romano matrimonio contra voluntatem copulata, nunquam in publicũ, niſi ad Eccleſiã prodire viſa eſt; ſemper enim in Cella, poſt neceſſaria domus negotia, orando, legendo, & meditando morabatur. In ea quaſi gemmæ emicabant Humilitas, Obedientia, Patientia, Conſtantia, Abſtinentia, Pietas, & Charitas. Sacramenta ſæpiſſimè repetebat, officium B. M. V. nunquam intermiſſum deuotiſſimè recitabat. Societatem puellarum ſub regula Ordinis M. Oliuetani inſtituit: quibus cum poſt viri exceſſum, vitã ſanctiſſimam duxit, miraculis fulgens; in quibus panem aliquando in Monaſterio deficientem mirabiliter auxit. In vinea cum imber improuiſus deſcenderet, illam tamen ſub dio officium B. M. recitantem non attigit. Puerũ diutino morbo comitiali laborantem ſanauit. Mulierem, quæ fluxum ſanguinis patiebatur curauit. Et alteram apoplexia correptam priſtinæ reſtituit ſanitati. Demum annos 56. nata 7. Id. Martij ann. ſal. 1440. migrauit in cœlum. Multis poſt mortem miraculis claruit. Nam quidam inter fabricandum in prædicto puellarum monaſterio, cum ab ingenti ligno è ſublimi delapſo oppreſſus fuiſſet, B. Franciſcæ commendatus illicò côualuit. Alius in capite læthaliter vulneratus, eiuſdem interceſſione ſubito ſanatus fuit. Multos etiam ab Epidimiæ morbo liberauit. Ob quæ & alia Paulus V. Pont. Max. 4. Kal. Iunij an. ſal. 1608. ſolemni ritu illam SS. numero adſcripſit. *Ex vita eiuſd. Romæ impreſſa.*

Mirac. 1. Panẽ auget.
2. Imber Franciſcam ſub dio orantem non attingit.
3. Puerum comitiali morbo laborantẽ ſanat.
4. Mulierem à fluxum ſanguinis curat.
5.
6.
7.
8.

ANNOTATIO.

INter plurima, quæ ſanctitatem B. Franciſcæ declarant, 13. miracula in eius vita, leguntur: quæ probata fuere, & diligenter examinata.

Martij die 10.

DE S. ATTALA ABBATE BOBIENSI.

ATtalas, ſiue Attala in Burgundia claro genere natus, liberalibuſque diſciplinis excultus primùm ad Lerinenſe Monaſterium, inde Luxouium ſe contulit, vbi ſub S. Columbani diſciplina monaſticam vitam profeſſus, illum

Bobium

Bobium comitatus est,sicque in vitæ sanctitate, & regulari disciplina profecit, vt magistro defuncto,illi in regimine suffectus fuerit. Cum autem quidā monachi instinctu Dæmonis eius disciplinam detrectarent,nec eos ad sanitatē potuisset reducere,eos abire permisit. Quorū vnus Roccolenus nomine,qui alijs abeundi, sanctoque viro detrahendi author fuerat, statim magna febre correptus paulo post moritur. Ex quo alij terrefacti ad S. Abbatem reuersi veniam, quam obtinuere,deprecātur. Qui verò in pertinacia perstitere: vnusqui Theodemundus dicebatur,securi percussus miserè interijt; alius in patrij fluuij traiectu præfocatur; Tertius, cui Theodarius nomen erat, in mari demersus est. Attalæ sanctitas maximis signis declarata est.Cum enim Bobius fluuius monasterij molendinum suffoderet,illudque breue visurum esset, molitori id nuncianti S.Abbas dixit, *Voca Sinoaldum Diaconum: tu verò vade,& dormi.* Diacono autem iam præsenti ait, *Sumpto baculo quo sustentor, vade ad Bobium fl. & facto crucis signo dicito illi,vt has desinat ripas perfodere,alia petens loca.* Quod cum fecisset,mox (mirabile dictu) fluuius præcepto obediens molendinum deserēs ad alteram se contulit ripam. Fraimerius monachus frumentum saturus, terrā vomere excolebat,cum autem stiuam fugisset, eamque reficere conaretur,ferro incautius sibi pollicem abscidit; eoque sepulto, præ dolore, Cœnobium repetijt. Cui S.Abbas,pollicem afferre iussit. (Licet locus milliario distaret) ac illū loco suo admotum crucis signo consolidauit. Denique vir S. cum ei Dominus apparens dies 50. ad migrandum præfixisset paratus adueniente tempore feliciter migrauit 6.Idus Martij. Bobij sepultus. *Ex vita personam Ab. & disc.scripta à Sur.Tom.2.rel.*

ANNOTATIO.

IN *Martyrol.Rom.Monasterio Luxouien.tribuitur: Cum tamen ex eius vita, Ab. Bobien. non Luxouien.fuerit: Bobijque vbi corpus asseruatur, obierit; non Luxouij.*

Martij die 11.

DE S. BENEDICTO EPISC. MEDIOLANENSI.

BEnedictus Mediolanensis, ex Crisporum familia progenitus,doctrina maximè excelluit. Cum autem humanis, & diuinis litteris instructus, ac omnibus virtutibus excultus esset, Ecclesiæ Mediolanen. à Ioanne sexto Pontif. Maxim.Sancto Mansueto subrogatur. Is sactam ædem S. Benedicto extruxit: Ecclesiæ suæ iura strenuè defendit;causam contra Episcopum Papiensem Romæ constanter egit. Cum Ecclesiam suam an.47. piè, ac summam cum laude administrasset.Clarus miraculis,& virtutibus,quibus toti illuxit Italiæ ad æternam vitam 5.Id.Martij circa an.sal.735. translatus est.Corpus in basilica Sancti Ambrosij conditum fuit. *Ex vit. Episc. Mediolanen. per Franc. Besut.scriptis, & Tab.Episc.in Actis Eccl. Mediolanen.*

ANNOTATIO.

S. *Benedicti meminit Paulus Diac.lib.6.de Gest.Longob. vixit autem Heraclio, et Iustiniano Imper. Quod autem in eius vita ad Episcopatum à Ioann. VI. legitur promotum fuisse, correctione eget: Si enim 47. ann.vixit in Episcopatu, obijtque ann.Dom.735.quis non videat illum Episcopatum cœpisse ann. Dom. 688. Quo tempore*

pore non Io.6. (qui Pont.an.701.factus est) Sed Sergius 1. Ecclesiæ præerat. Et si in huius S. Episcopi memoria in Martyrol. Rom. hac die recolitur, in Tab. tamen Eccl. Mediolanen.qua illum off. Eccles.non celebrat, haud reperitur.

DE S. PETRO CONFESSORE BABVCI.

PEtrus natione Hispanus, & nobilis, primùm militiæ operam dedit. Verùm ad meliorem frugem conuersus, vitam militarẽ,& sæcularem deseruit, aliã militiam experiturus. Suscepta itaque peregrinatione, in qua varia loca deuotionis inuisit, in Latium venit,& in Hernicis apud Babucum demoratus in montẽ vicinum conscendit. Vbi lorica super nuda carne indutus, & nunquam pœnitentiæ causa ea exutus asperam in specu quodam vitam duxit, donec vniuersæ carnis debitum persoluens ibi sepultus est. Cuius reliquiæ in Ecclesia ibi suo nomini extructa asseruantur,& piè coluntur. *Ex vita illius M.S. à Babucen. Eccles. accepta.*

Aspera S. Petri pœnitentia.

ANNOTATIO.

EXtant res gesta, & miracula S.Petri, quæ in Eccl. Aquinate habentur: Sed quo tempore in humanis fuerit, nondum didici. Eius mem. Martyrol. Rom. gloria miraculorum insignem appellans.

DE S. FIRMANO CONFESSORE IN PICENO.

FIrmanus Firmij in Piceno natus, admirabili floruit sanctitate; qui inter sanctos confessores non solemni ritu, sed sola altaris, sacellivè erectione relatus est. Eius meminit S.Petrus Damianus; ante cuius tempora vixit. *Ex D.Petro Damiano.*

ANNOTATIO.

GEsta illius nondum legimus. De eo tamen Baron. in Annal. Ecclesiast. ad ann. 993. quæ supra retulimus, habet.

Martij die 12.

DE S. GREG. PAPA, ET ECCLESIÆ DOCTORE.

GRegorius magnus, Rom. Gordiani Senatoris filius, adolescens Philosophiæ operam dedit, & Prætorio officio functus post mortem patris sex monasteria ædificauit in Sicilia, & septimum Romæ in suis ædibus nomine S. Andreæ ad cliuum Scauri: in quo Hilarione,& Maximiano magistris monachi vitã professus est, ac postea Abbas factus, mox Diaconus Cardinalis creatus, Constantinopolim ad Tiberium Constantinum Imp. à Pelagio Papa legatus mittitur. Vbi inter alia illud memorabile effecit, quod Eutychium Patriarcham, qui contra Resurrectionem corporum scripserat, ita conuicit, vt Imp. librum eius in ignem mijceret, & Eutychius paulò post morborũ correptus, & morte instante multis præsentibus diceret, Confiteor quòd omnes in hac carne (pellem manus suæ tenens) resurgemus. Romam reuersus, Pelagio pestilentia sublato, Pontifex summo omnium consensu eligitur. Qui cũ alieno vestitu, ne Pontifex fieret, in spelunca delitesceret, igneæ colũnæ indicio deprehensus ad S. Petrũ cõsecratur. In Põtificatu multa successoribus doctrinę,& sanctitatis exẽpla reliquit. Peregrinos quotidie ad mẽsã adhibebat, in quibus Angelũ,& Ange-

Eutychius cogitur fateri carnis resurrectionem

Gregorius Hæreticorũ, ac hæresum multarũ acerrimus expugnator.

Britanniæ Apostolus dicitur.

lorum Dominum peregrini specie accepit. Pauperes tam externos, quam vrbanos, quorũ numerum apud se habebat, benignè sustentabat. Catholicam fidem multis locis labefactatam restituit. Nam Donatistas in Africa, Arianos in Hispania repressit: Agnoitas Alexandria eiecit, pallium Syagrio Episcopo Augustodunensi, nisi Neophytos Hæreticos Gallia expelleret, dare noluit. Gothos Arianã hæresim relinquere coegit. Britanniam insulam, cuius teste Beda Apostolus extitit, missis eò Augustino, alijsque SS. & doctis viris ad fidem conuertit, Ioannis Patriarchæ Constantinopolitani, qui sibi primatum Ecclesiæ arrogabat, audaciam fregit. Mauritium Imp. milites monachos fieri prohibentem à sentẽtia deterruit. Ecclesiam sanctissimis legibus ornauit. Nam coacta Synodo apud S. Petrum inter alia constituit, vt in missa Kyrie eleyson nouies repeteretur: vt diceretur Alleluia, præterquam inter Septuagesimam, & Pascha: vt in Canone adderetur, diesq; nostros in tua pace disponas. Litanias, stationes, & officiũ ecclesiasticum auxit. Quatuor Concilijs, Nicæno, Constantinopolitano, Ephesino, & Chalcedonensi tanquam quatuor Euangelijs honorem haberi voluit, Episcopis Siciliæ, qui Romam 3. quoque anno veniebant, vt singulo 5. venirent indulsit. Multos libros confecit, quos cum dictaret, Spiritum sanctum colũbæ specie super caput eius sæpe se vidisse Petrus Diaconus testatur. Admirabilia sunt, quæ dixit, fecit, scripsit, & decreuit infirma, & ægra semper valedine, vt meritò Magni cognomen adeptus sit, & S. Ildefonsus Episcopus Toletanus libro de viris illustribus capite 1 r. scripserit, nihil ei simile antiquitatem demonstrasse. Nã sanctitate inquit, vicit Antonium, eloquentia Cyprianum, Augustinum sapientia, & alijs virtutibus excelluit, & Synodus Tolerana 8. capite 11. eum cunctis Ecclesiæ Doctoribus præferendum censet. Is deniq; multis editis miraculis anno Pontificatus 13. mense 6. die 10. 4. Idus Martij, qui dies à Græcis etiam celebratur, obdormiuit. Corpus in basilica S. Petri propè secretarium sepultũ est. *Ex Breu. Rom. excepto, quod ex S. Ildefonso, & Synodo Toletana additum est.*

Quatuor cõcilia confirmat.

Spiritum sanctum columbæ super caput Gregorij.

Greg. magni cognomen sibi comparat.

Elogium Ildefonsi Episcopi de Sancto Gregorio

ANNOTATIO.

An D Gregorius monachus S. Benedicti extiterit

AN S. Greg. Papa monachus S. Bened. fuerit (quod enim fuerit monachus ex eius vita apertissimè liquet) controuertitur apud Baron. in Annal. Eccl. Ad an. 581. Illud indubitatum, ante S. Benedictum monachos in Occid. fuisse, imò verò cum S. Bened. viueret, aliqui monachi, qui non erant ex eius instituto, se illi instituendos tradidere. Illud etiam verum, monachos omnes post S. Benedictum, ab eo pendere, & iccirco S. Gregorium sub S. Bened. regula monasticam vitam professum fuisse, valde probabile videtur. Etsi enim habitum monasticũ à Valẽtino Ab (qui S. Equitio. S. Benedicti, contemporaneo, licet non immediate successit) accepit, in Prou. Valeria, in qua idem Equitius non Bened monasteria extruxit, nihil tamen prohibet etiam monachos Valeria Regulam S. Bened. post S. Equitium amplexatos, Benedictinos etiam appellatos fuisse.

Corpus huius Santissimi Pont. à Greg. IV. Translatum, ac sub ara S. Andreæ Apostoli conditum fuisse traditur. Nunc quoque ferunt illud in basilica S. Petri asseruari.

Encomium S. Gregorij auctore Bapt. Mantuano.

,, *CVrrite pastores ouium, quæ pascua tondent,*
,, *Cælica, quæ Christi fontes, & flumina potant.*
,, *Currite Gregorius Romanæ maximus vrbis*
,, *Pastor adit superos, totus lætatur olympus.*

Insi-

„ *Insignis pietate pater, fugitiua relinquens*
„ *Gaudia, & ad Cœlum nisu conuersus anhello*
„ *Vela dedit, nostroque ratem de littore soluit.*
„ *Ore manu facundus erat: monumenta supersunt*
„ *Plurima, fatur adhuc, nec fare desinet umquam.*
„ *Hic docuit cantare choros, melicisque animauit*
„ *Verba notis, sacrisque dedit formamque, modumque*
„ *Composuit mores hominum: sua sæcula fecit*
„ *Sancta: Sacerdoti decus vsque in sidera misit.*

DE S. MAMILIANO MARTYRE ROMAE.

MAmilianus, qui Maximilianus apud Bedam, & Vsuard. nominatur, sub Seuero Alex. Imp. quo tempore (quantum ad persecutionem attinet) *S.* Cæcilia virgo vnà cum Valeriano, & Tiburtio passa est, martyrio coronatus fuit. *Ex Gestis S. Vrbani Papæ, & ex passione S. Cæciliæ Virg.*

ANNOTATIO.

C*itantur à Baronio in notis ad Martyrol. hac die Acta S. Vrbani Papæ, & S. Cæciliæ Virg. apud Sur. tom. 6.*

DE S. BERNARDO EPISCOPO CALENENSI
In Campania.

BErnardus ex Capellano Principis Capuani, qui Campaniæ dominabatur, Episcopus Caleni ob singulares eius virtutes factus, non sine ipsius Principis lætitia consecratur. Qui principiò æde Episcopali extructa, sedem, quæ extra vrbem antea fuerat, in vrbem transtulit. Quod Principi, & ciuibus per iucũdum fuit. Clerum deindè reformauit, ac populum optimè instituit. Corpus S. *Martini* Abbatis ex Massico monte proximo in basilicam Cathedralem transduxit, & honorificè condidit. Asperam vitam egit. Cum autem plures annos Ecclesiæ suæ sanctè præfuisset, multis decoratus meritis 4. Id. Martij ad cęleste præmium euolauit. Corpus in marmoreo sarcophago tumulatum in sacello maioris ecclesiæ nomini suo dicato quiescit, Ad quòd in dies obsessi à Dæmone liberantur. *Ex Monum. Eccles. Calenen.*

Mirac.

ANNOTATIO.

C*Alenũ, (quod nunc Carinula vocatur) inter Suessam, & Sinuessam ad M. Massici radices situm est, hoc tempore fere ad solitudinem, quòd, vt ferunt, à quodam suo Episcopo, cuius seruum ciues in carcerem coniecerant, maledictionem acceperit. Quam vrbem Episcopus Clem. VIII. Sum. Pont. mandato an. 1594. Apostolica benedictione expiauit.*

Calenum ob maledictionem Episcopi inhabitabile redactũ.

Martyrol. Rom. meminit hac die S. Bernardi Episcopi, non Caleni, sed Capuæ; de quo tamen Capuæ nulla extat memoria.

DE S. PETRO DAMIANO APVD SALVTIOLAM.

PEtrus Romanus, Diaconus, ac *S.* Gregorij Papæ, (cui valde familiaris fuit, vt libri Dialogorum testantur) discipulus, cum *S.* Gregorius illi mortem præ-

dixiſſet,ſi quod ſuper eum ſcribentem,aut dictantem columbam vidiſſet,reuelare auſus fuiſſet,à reuelatione ob magiſtri morẽ cõ inerinõ potuit. Cũ enim mortuo Gregorio Sabinianus ſucceſſor eius libros cõcremari vellet,Petrus corã Pont.& populo obtinuit ne S. Gregorij libri igni traderentur, ſi qd Gregorius prædixerat, verum euadere cernerent; ſin minus, ipſe cũ libris combureretur. Ad condictã itaq; diem Petrus indutus Diaconi veſtibus,librumq; Euangeliorum manibus tenens,ſe ſpiritũ S. columbæ ſpecie ſuper Gregorij ſcribentis,dictantis,& prædicantis caput vidiſſe ſæpius ſibique mortem à Gregorio,ſi id reuelaſſet,prænunciatam,iureiurando affirmans teſtatus eſt,tactis Euãgelijs:Quo dicto ſtatim populo Rom. ſpectante expirauit. Cuius corpus cũ apud magiſtri tumulum conditum fuiſſet,poſtea Cæſarianum oppidum Vercellenſis diœceſis delatum,diu latuit,ac demum repertũ an.ſal.1480. Saluiiolam pagum eiuſdem diœceſis in eccleſiã eius nomini dicatã,ac multis redditibus ꝓ alẽdis Canonicis præditã trãſlatum fuit;Ibiq; miraculis fulget. Nã & caſtrũ & templum ab igne ab hoſtibus accẽſo colũbis tribus circũuolitantibus viſis immunia ſeruata ſunt. Filius dominorũ Salutiolæ mutus à natiuitate ad S. Petri tumulũ delatus fandi obtinuit facultatẽ,quidã factus amens ad eiuſdẽ ſepulchrũ deductus mẽtis cõpos euaſit. *Ex Petr.in Catal.SS.lib.11.cap.193.& ex lib. de SS.Vercellenſ.Eccleſ.*

Petrus Diaconus colũbam D. Gregorio adſtitiſſe latet. Mirac. Stupẽdum.

Mirac. 1. 2. 3.

ANNOTATIO.

Salutiolæ dies Feſtus S.Petri Prid. Kal. Maij maximè ſolẽnis eſt. Qua die nõ Natalis,qui hodie à Pet.loco citato adnotatur,ſed Tranſlatio celebratur.

Quod Sabinianus S.Greg. libros cõburere vellet,quòd Eccleſiæ ærariũ,vt dicebat, in erogandis eleemoſynis,vt popularum auram aucuparetur,exhauſiſſet.uel per calũniam,quod ſtatuas ad vrbis ornamentũ abſtuliſſet,in ſimulatus eſſet,tradit Plat.in Sabiniani vita,nullam S.Petri Diaconi factam mentionem. Apud Baron.tamen in Annalib. nihil de Sabiniano,quod libros S.Greg.comburere voluerit,legimus.

DE S. FINA VIRGINE IN HETRVRIA.

Fina in oppido S. Geminiani in Hetruria nata,in domo paterna,quaſi in monaſterio degens,carnẽ ſuã crebris ieiunijs,vigilijs,& cilicio domabat,nunquam domo niſi ad miſſam egrediens, ac in operibus manuũ iugiter occupata.Quæ cũ eſſet forma elegãti prædita,ne quo ſæculari affectu deprauaretur, adeò graui morbo percuſſa eſt,vt vix in lectulo volutari poſſet. In tabula aũt lignea cum accubaret,illa ex carnis tabe computreſcebat,ac in illius carne,quã & mures rodebant,à vermibus conſumpta lata foramina conſpiciebantur.Nec tamen in tãtæ ægritudinis doloribus longũ ducens martyriũ illa cõqueri,aut animũ deſpondere viſa eſt; ſed mirã patientiã,tranquillamq; mentẽ,& hilarẽ vultum oĩbus aduentantibus oſtentabat. Ad tantã calamitatem ſumma paupertas accedebat.Ante octo dies quàm obiret, S.Gregorius Papa, quem illa præcipuè colebat,apparens de morte,quę inſtaret,illam admonuit.Quare octauo die hoc eſt 4. Idus Martij an.ſal.1253. ſacris munita migrauit è vita.Cuius corpus ſic tabulæ ligneæ hærebat,vt vix ſeparari poſſet; odoremque,cum antea graue olerct,mittebat ſuauiſſimum. Campanas ſponte ſonaſſe ferunt, & quod etiam mirandum eſt,cum ſepulturæ tradenda eſſet,manum attollere viſam,nutricemque ſuam tactu ab inſanabili morbo curaſſe. Ad eius tumulum nõ modo dæmoniaci,& ægroti ſanati ſunt; Sed & puer defunctus ad vitam reuocatus traditur. *Ex eius vita Florentiæ an.Domini 1598. edita.*

Grauiſſima Finæ infirmitas, nec minor ipſius tolerantia.

Mirac. 1. Campanę ex ſe ſonant. 2. 3. 4. 5.

AN-

ANNOTATIO.

HAnc Virginem Geminianenses vti Martyrem ob grauissimam, & diutinam infirmitatem colunt: multaq; prater dicta eius miracula enarrant.

Martij die 13.

DE S. ANSOVINO EPISCOPO CAMERINENSI.

ANsouinus patria Camers, ab ineunte Ecclesiæ addictus, in sacris litteris eruditus, sacris ordinibus initiatur, crescentibusq; cum ætate virtutibus, ad Sacerdotium peruenit, quod insigni modestia, & mansuetudine, continentia, abstinentiaq; singulari decorabat, ita, vt non apud suos tantùm, sed & apud exteros, maximè verò apud Ludouicum Augustum fama sanctitatis peruagaret. Qua propter Episcopo Camerinensi defuncto, cum multi præsulatum ambirent Ansouinus Episcopus à Camertibus vnanimi consensu deligitur. Quē honorem diù recusauit, nec prius accipere voluit, quàm ab Imp. consuetudo proficiscendi ad bellum militibus, non Episcopis congruens tolleretur. Abrogata itaque ea consuetudine, electioni consensit. Cum autem Romam consecrandus contenderet, Narniæ vinum purum à caupone cum calice postulauit, qui vinum purum afferens, sine calice attulit. Quod cum iubente Ansouino in sinum suæ vestis sub sannans infudisset, vinum quasi solida res in veste Ansouini ab aqua separatum (erat enim dilutum) omnibus videntibus, qui aderant, & mirantibus, substitit. Reuersus Camerinum, dici non potest, quàm mitis, & hilaris animo, quàm sobrius, & castus, quàm vigilans, & in orationibus assiduus fuerit. Cum verò Ecclesiam suam aliquot annos rectè, pieq; administrasset, vitam hanc caducam cum sepiterna 3. Id. Martij commutauit. *Ex Monumen. Eccles. Camerinen.*

Mirac.

ANNOTATIO.

QVantum in Episcopatu vixerit Ansouinus, historia ipsius haud docet. Docet autem illum multis post mortem miraculis coruscasse.

DE S. ALDRADO ABBATE NOVALICIÆ.

ALdradus Abbas Ordinis S.Benedicti Noualiciæ Op. Alpino in regione Pedemontana apud Segusium, colitur: eius corpus in sacra æde eiusdem Oppidi, vbi cœnobium eiusdem Ordinis est, quiescit, ac venerationem habet die supra memorata. *Ex Tab. & off. proprio eiusdem Eccl.*

ANNOTATIO.

ACta nondum accepimus. Intelleximus tamen vitam in proprio illius officio contineri.

DE B. HENRICO DANIÆ REGIS FILIO
Perusiæ condito.

HErricus Daniæ Regis filius à pueto diuino seruitio mancipatus, paupertatēq; cōplexus ac tertiū, vt vocāt, Minorū Ord. post patris decessū nūquā à matre, Regniq; Proceribus, vt vxorē ad suscitādā prolē duceret, adduci potuit.

Tertium Minorum Ordinem complectitur.

Regno egressus in solitudinem asperã pœnit. agit. Inuentus reducitur in Regnum. Iussu matris in ignẽ iniici tur à quo illęsus euadit. longam suscipit peregrinationem. Perusiæ moritur Ecclesię cãpanis sponte sonãtibus.

Sed clam Regno egressus in solitudinem asperam, & pauperem aliquot annos vitam degit, donecà suis diù conquisitus, & tãdem inuentus in Regnum non sine singulari omnium gratulatione reducitur. Sed mater, quæ Regnum administrabat, siue quòd nollet ea administratione priuari, siue quòd filium suũ eum non crederet (adeò aspectum illius aspera pœnitentia immutauerat) eum captum in ignem maximè accensum iussit iniici: in quo diu moratus spectante, & mirante populo nullam prorsus sensit læsionem. Regno itaque denuo egressus, austeritatemque vitæ prosecutus longam peregrinationem suscepit, ac in Italiam veniens, apud Perusiam febri correptus breui, vbi, quis esset, manifestasset, animam Deo reddit. Ann. sal. nostræ 1415. Campanis Ecclesiæ vicinæ sponte sonantibus. Cuius corpus Perusiæ conditum, & miraculis coruscans à Sigismundo Imp. Romam proficiscente visitatum fuit. *Ex Chron. Ord. Min. parte 3. lib. 1. cap. 31.*

A N N O T A T I O.

ET si is sanctus in Chron. præd. nominatur, inter Beatos tamen illum reponimus, quod nondum in Martyrol. sit adnotatus, neque officio aliquo Eccles. de Apost. Sedis concessione colatur.

Martij die 14.

DE SS. QVADRAGINTA, ET SEPTEM Martyribus Romæ.

Mirac.

QVadraginta, & septem milites vnà cũ Processo, & Martiniano custodibus à S. Petro Apostolo cum Romæ in custodia apud Tarpeium Montem (in qua cum S. Paulo 9. menses fuit) ad Christum conuersi sunt, cum res per eos gestas admirandas vidissent. Cum autem aqua ad baptizandum, & ad bibendum deesset, Petrus signo crucis in saxo eius montis effecto, statim ex eo fons aquæ, qui vsque adhæc tempora perseuerat, prosilijt. Baptizati itaque Quadraginta, & Septem milites cum custodibus, re ad Neronem delata, eius iussu comprehensi, & exquisitissimis affecti supplicijs, tandẽ fortes in fidei confessione, præcisis ceruicibus, ad martirij palmam Prid. Id. Martij peruenere, custodũ pœna dilata. *Ex Passione SS. Processi, & Martiniani.*

A N N O T A T I O.

PEt. in Catal. SS lib. 3. cap. 199. vbi de his SS. Martyribus agit, & Maurol. in suo Martyrol. Quadraginta, & nouem eos faciunt. Sed in actis predictis, apud Vsuard. & Martyrol. Rom. cui standum est. Quadraginta, & septem sunt.

DE S. DIACONO MARSICANO, ET MARTYRE, Et duobus Monachis in Valeria.

Duos monachos de arbore suspensos psallere scribit.

CVm Longobardi à Christiana religione adhuc alieni Valeriam Prouinciã, & Marsos depopularentur, inter multos ab eis propter Christum occisos, duo monachi fuere, qui in Valeria in arbore suspensi, licet defuncti essent, ab hostibus tamen, vt S. Gregorius Papa scribit, auditi sunt, psallere. Et Diaconus Ecclesiæ Marsicanæ, qui in eosdem Longobardos incidens ab vno eorum gladio extracto capite troncatus est. Sed vt idem Gregorius scribit, vix corpus

Martyris

Martytis in terram decidit,cum occisor à dæmone arreptus ad pedes S.Diaconi corruit. *Ex Martyrol.Rom.quod à S.Greg.in Dial.lib.4.c.21.& 23 accepit.*

ANNOTATIO.

HOrum SS. Martyrum nomina latent, nec,vbi illi duo monachi in Valeria venerationem habeant, scitur.

DE S. LAZARO EPISCOPO MEDIOLANENSI.

De quo Pet. Gales. hac die. vide die 11. Februarij.

DE SANCTO INNOCENTIO EPISCOPO VERONENSI.

INnocentius Episcopus Veronæ XIII.inter S.Ioannem,qui eum antecessit,& S.Saturninum successorem Ecclesiam Veronensem summa rexit prudentia. Erat enim non tam nomine, quam re ipsa ob maximam vitæ sanctimoniã Innocens,ijs virtutibus,quæ in vero,& perfecto pastore requiruntur,apprimè ornatus: multarum rerum scientia nemini eorum,qui eum præcesserunt, inferior. Vbi S. Episcopus multos pro Ecclesia sua labores sustinuisset,ad præmiũ Prid. Idus Martij euolauit in Cœlum. Corpus in æde S. Stephani, vbi adhuc asseruari tabella marmorea indicat,conditũ est. *Ex lib.de SS.Episc. Veronensibus Aug. Valerij Episcopi,& Card. Veronen.*

ANNOTATIO.

TEmpus,& Acta huius S.Episcopi,vt plerorumque Episc.eiusd.Vrbis ignorantur.

Martij die 15.

DE S. ZACHARIA PAPA.

ZAcharias Siberenæ in Magna Græcia natus,doctrina, & vitæ splendore sic excelluit,vt post Gregorium III. Pontificatum an.sal.741. obtinuerit inter optimos Pontifices censendus. Is enim Italiam bellis intestinis ardentem pacauit. Cum enim Puithprandus Longobardorum Rex inclytus aduersus Trasimundum Ducem Spoletanum belligeraret, Vmbriaq; occupata Sabinorum fines inuaderet, Zacharias ad illum Natniam Profectus,ita Regem ad pacem incendit,vt rebus ad mentem Pontificis compositis,domũ ille cum exercitu rediret. Quod eum quoque cũ Rachisio Rege successore Perusiam oppugnante fecisse ferunt,ita vt Rex ille bello,& Regno depositis, vitam deinceps monasticam ageret. Germaniã magna ex parte S.Bonifacio Archiep.Moguntiæ dato conuertit,nouisq; Episcopatibus ornauit,& auxit. Sacras ædes plures instaurauit,& nouas extruxit,exornauit,eisq; necessaria prouidit. Bibliothecã Vaticanam confecit,& codicibus compleuit. Ipse quatuor Dialogorum libros S. Gregorij Papæ in Græcum conuertit. Adeò mitis fuit,vt quos inimicos, & æmulos ante Pontificatum habebat, eos post Pontificatum liberaliter tractarit, & beneficijs affecerit. Cum Ecclesiam annos 10. menses 3. dies 10.summa cũ laude gubernasset, Idib. Martij an.D.752. Migrauit ad Christum. Corpus in basilica S. Petri conditum est. *Ex Plat.& alijs vit.Pontif.scriptoribus.*

Zacharias in componẽdis controuersijs clarissimus enituit.

Bibliothecã Vaticanam construit Zacharias.

ANNOTATIO.

BAron. in Annalib. ad an. Dom. 752. Zachariam Episc. nominationem, postulationemve pro sedibus in Regno vacantibus Pipino Regi concessisse scribit. Quod a posterioribus Pontificibus alijs Regibus confirmatum fuit.

DE S. MAGORIANO CONFESS. TRIDENTINO.

S. Magorianus vna cum fratribus & matre Tridentum venit.
S. Vigilium contra Idolatras sequitur.
Illum sepeliendum curat.
Acta illius desiderantur.
Colitur Tridenti.

MAgorianus Romæ natus S. Maxentiæ filius, ac SS. Vigilij, & Claudiani frater in Christiana pietate enutritus S. Vigilium vnà cũ matre, & Claudiano fratre secutus & ipse Tridenti subsedit. Vbi in orationibus, vigilijs, & alijs pijs operibus Domino seruiens S. Vigilium in pastorali cura adiuuit. Quem ad nephandum inanium Deorum cultum euertendum associatus, cùm ab infidelibus lapidibus interfectus fuisset, Tridentum deferendum, & sepeliẽdum Claudiano fratre adiuuante curauit. Ipse autem multis cumulatus meritis tandem in Cœlos euolauit Idibus Martij. Ex vita S. Vigilij, & S. Maxentiæ.

ANNOTATIO.

ACta S. Magoriani præcipua desiderantur; quemadmodum & S. Claudiani eius fratris. Nam in vrbis Tridentinæ vastationibus, quas sæpius passa est, dispersisse feruntur. Hac tamen die Natalis ipsius celebratur.

DE S. PROBO EPISCOPO REATINO.

SS. Iuuenalis, & Eleutherius candidis stolis amicti.

PRobus Reatinæ Ecclesiæ venerabilis Episcopus sanctitate præfulsit, vt exitus demonstrauit. Nam, vt S. Gregorius in Dialogis refert, cum vitæ terminus iam adesset, maxima occupatus est ægritudine, ex qua decessurum medici, quos Maximus pater Episcopi ex vicinis locis aduocauerat, post pulsus contactum prænunciarunt. Desperata itaque salute, S. Episcopus de aliena magis, quã de sua vita sollicitus, medicos cum patre ad domus superiora conscendere, cibumque capere (erat enim hora tardior) ac puerulum sibi tantùm assistere iussit. Qui duos viros candidis stolis amictos, vultumque fulgentes, introeuntes vidẽs exterritus clamare cœpit. Quos cum & Probus vidisset, puerum solabatur, eos SS. Iuuenalem, & Eleutherium martyres esse, ne timeret. Sed puer illorũ aspectum non ferens, currens rem patri, medicis, & alijs nunciauit. Qui accurrentes S. Probum iam defunctum inuenere. Cuius animam memoratos martyres in Cœlum comitatos fuisse dubitari non potest. Ex libr. 4. Dial. c. 12.

ANNOTATIO.

ETsi tempus quo S. Probus Reatinam rexit Ecclesiam, siletur; ex verbis tamen S. Gregorij loco citato colligitur. Scribit enim hæc se à Probo monacho, cuius S. Probus Episcopus patrinus erat, accepisse. Quare S. Probus paulò ante S. Gregorium præcessit.

DE S. SPECIOSO MONACHO ROMANO.

SPeciosus nob. Romanus vnà cum Gregorio fratre in sæcularibus litteris eruditus, facultatibus, quæ illis copiosæ fuerant, in pauperes erogatis, vitã monasticam sub S. Benedicto Abbate professus, vterque in monasterio apud

Tar-

Tarracinam duxit. Cum autem Speciosus pro monasterij negotio Capuam missus fuisset, apud eam ciuitatem migrauit in Cœlum. Quod Gregorius eius germanus ad mensam sedens & conuescens in spiritu videns fratribus cum narrasset, eò profectus, Speciosum ea die, & hora, qua viderat, & monachis edixerat, decessisse iamque sepultum inuenit. *Ex lib. 4. Dialog. S. Greg. Papæ. c. 8.*

ANNOTATIO.

Speciosus non Romæ in monasterio vixit, aut obijt, vt in Rom. Martyrol. habetur, sed apud Tarracinam vitam egisse, et apud Capuam mortem obijsse apud S. Greg. loco memor. legitur. Romæ tamen tribuitur, vel quia Romanus esset, vel quia Romam corpus relatum fuerit.

DE S. MATRONA VIRGINE APVD CAPVAM.

Matrona virgo Lusitani Regis filia, vt aiunt, annos ætatis 12. agens, sanguinis fluxu laborans, virginitatem, si ab ea infirmitate conualesceret, Deo vouit. Quare ab Angelo in somnis admonita in Italiam veniens, apud Capuam veterem corpus S. Prisci martyris duarum iuuencarum indicio, (quæ ex armento ad locum, in quo iacebat prout in somnis viderat, accesserunt) reperit, templumque in eius honorem excitauit (cum prius ex tactu sacri corporis sanata esset) ac in cœnobio ibidē à se extructo de Gelasij Sum. Pont. licentia (qui Ecclesiæ prædictæ, quæ adhuc conspicitur, Indulgentias concessit) cum 12. Virginibus, quas secum adduxerat, vitam religiosam ducens sancto fine quieuit. Extat eius sepulchrum ex pretioso marmore, ad quod miracula aliquot patrata feruntur. *Ex Epitaphio apud Capuam veterem, & ex antiqua traditione.*

ANNOTATIO.

Etsi puellam duodennem, quæ dicta sunt, egisse, parum verisimile videtur, nec de hac matrona apud Lusitanos scriptores vlla (quod sciam) extat memoria: antiquitati tamen deferendum videtur, & licet illud Epitaphium in quo B. Matronam B. Prisci ecclesiam ædificasse legitur, errorem circa tempus contineat, (Nam an. 506. Zenone Imp. & Gelasio Pontif. Matronam eccl. ante dictam construxisse habet, cum Zeno ante Gelasium anno circiter vno obierit, & neuter annum memoratum attigerit) Commentitium tamen esse non putamus.

Martij die 16.

DE SS. MARTYRIBVS, HILARIO EPISCOPO, ET TATIANO Diacono, Felice, Largo, & Dionysio Aquileiæ.

Hilarius, siue Hellatus Aquileiensis à puero in Christiana religione educatus, ac in sacris litteris, eruditus Diaconus creatur, deinde factus Episcopus Aquileiensis populum Christi Domini fidem docebat. Quo tempore commota à Numeriano Imp. in Christianos persecutione Hilarius à Monophanto Idolorum Sacerdote apud Baronium Præsidem accusatus cum ad Deorū templa, vt illis immolaret, ductus thura, ponere noluisset, nudatus virgis dirissimè cæditur, & in equuleo suspensus, vngulis dilaniatur, depositusque carbonibus circa dorsum aduritur, plagis aceto, sale & cilicio perfricatis. Quibus æquo animo toleratis, cum facta oratione in Idola sufflasset, illa protinus corruere: ipseque Idolatris in eum personantibus in carcerem detruditur.

Hilarius dirissimè cæditur.

Tatianus quoque flagellatur.

Interim

Interim Tatianus quoque Diaconus, qui populum ab inanium Deorum cultu ad Christum auertere conabatur,& ipse comprehensus, cum nollet Deos colere, virgis cæsus in eandem custodiam traditur. Sequenti nocte SS. martyribus orantibus,tonitruum adeo magnum factum est, vt vrbis fundamenta commouerentur,Herculisque fanum funditus euerteretur, & ex paganis multi interijssent. Quapropter Præses iratus spiculatores misit, qui sanctorum gladio pectora transfigerent. Cum quibus etiam Felix, Largus, & Dionysius,qui in eadem custodia detinebantur, propter fidem Christi martyrio coronati sunt. Corpora à Christianis noctu rapta apud mœnia ciuitatis condita sunt. 17. Kalen. Aprilis. *Ex Hist. Aquileiens. lib. 2. & Pet. in Catal. lib. 3. cap. 203.*

Ingens terræmotus.

ANNOTATIO.

IN Tab. Eccles. Aquileiens. de Hilario Episcopo, & Tatiano Diacono tantum agitur fortè, quòd, aliorum corpora vbi quiescant, ignoratur.

DE S. AGAPITO EPISC. RAVENNATE IX.

AGapitus natione Græcus,& S. Apollinaris discipulus,nonus Episcopus ab eo post S.Liberium, signo columbæ cœlitus missæ, creatur. Cuius tantus fuit ardor charitatis,vt in ea temporum turbulentia populum sibi creditum aut destituerit,aut violari permiserit. Mira fuit in eo simplicitas,& pietas,sub eo S. M.V. templum,ædificatum est, & alterum S.Theodoro martyri,quod nunc spiritus sancti appellant. Cum Ecclesiæ aliquot annos sanctè præfuisset, Vrbano Primo Pont. & Alex. Seuero Imper. 17. Kal. Aprilis migrauit è vita;ac in ecclesia S.Probi extra classem iuxta mare ab vrbe 3. milliario conditus est. *Ex antiquis Eccl. Rauennatis lect. & Hieron. Rubei Hist. Rauenn. lib. 1.*

ANNOTATIO.

AGapitus, qui & Agabitus annos 26. Eccles. Rauenn. rexisse in Croncl. Eccl. à Pauinino correcta traditur: annoque Domini 232. decessisse: Quo tempore Imperante adhuc Alex. Vrbanus an. superiore martyrio affectus fuerat.

DE BEATO TORRELLO EREMITA Vallis vmbrosæ Pupij.

TOrrellus Pupij Castro Hetruriæ natus,adolescens patre orbatus,lasciuam vitam duxit. Qui quadam die,cum gallus ex fenestra in humeros eius aduolans ter cantasset, ea re commotus ad bonam frugem conuersus est. Quare Abbatem S.Fidelis adiens habitum eremiticum cum impetrasset,in solitudinem milliario à Pupio distantem,in locum,qui Auellanetum ob Auellanarũ copiam dicitur,secessit,ibique cellula cũ oratorio extructa annos 60. continuos pœnitentiam egit,pelle agresti,& aspera indutus, pane, & aqua refectus,humi cubans, seque ferrea catena diuerberans, licet ob ægritudinem post annos 30. herbis vti vinoque modico coactus fuerit. Miraculis enituit. nam & lupus puerum (quem deuorandum dentibus ferebat) ad Torrelli præceptum dimisit, & puer à morsibus liber matri restitutus est. Ex quo tẽpore lupos ea loca infestasse auditum non est. Cum ann. ætatis 80. ageret, ab Angelo de morte admonitus. Lætus sacrosanctis mysterijs perceptis 17. Kal. Apr. an. sal. 1282. migrauit ad Dominum

Mirac. 1.

2.

minum campanis ſponte Pupij ſonantibus. Cuius corpus, cum de eius ſepultura contenderetur, ferunt à nemine, niſi ab Abbate prædicto dimoueri potuit. *Ex Cron. Vall. Vmbr. & vita S. Io. Gualberti Ab.*

3.
4.

ANNOTATIO.

Etſi Torrellus in Diuos relatus non eſt, neque illum Religio Vallis vmbroſianæ officio Eccleſiaſtico veneratur; Pupij tamen dies feſtus illius ſolemniter celebratur.

Martij die 17.

DE SS. MARTYRIBVS ALEXANDRO, ET THEODORO ROM.

ALexander, ſiue, vt alij codices habent, Nicãder, & Theodorus Romæ martyrij palmam promeruere (licet ſub quibus Imperatoribus ignoretur.) Quorum corpora vnà cum alijs à Sergio II. Pont. circa an. ſal. 846. in titulũ Equitij tranſlata quieſcunt, vt marmorea inſcriptio monet. *Ex Martyrol. & vita memorati Pont.*

ANNOTATIO.

Titulus Equitij, idem eſt quod Eccleſia S. Equitij. Hinc proceſſit, vt Eccleſiæ inſigniores, quibus Cardinales præficiuntur, tituli appellentur.

DE S. PATRICIO EPISCOPO NOLANO.

PAtricius Nolanus Epiſcopus, quo tempore floruerit, quidque ſingulariter geſſerit, vt *S*anctus haberetur. & coleretur haud potui cognoſcere. Tametſi iterùm, atque iterùm ab Epiſcopo Nolano perquirendum curaui. De eo in lib. Synodalium Conſtitutionum eiuſdem vrbis, in quibus poſt S. Paulinum collocatur, ac in libro *SS.* Regni Neapolitani à Paulo Regio Epiſc. Equen. conſcripto, nec non in Catal. SS. apud Dauid Rhomæum fit mentio. *Ex Tab. Eccl. Nolana.*

ANNOTATIO.

Hic diuerſus eſt à Patricio Epiſcopo Hiberniæ: qui multis in locis hac die veneratur hunc enim Eccl. Nola ſuum Epiſcopum agnoſcit.

DE S. VRIO MONACHO PATAVII.

VRius monachus ex oriente profectus Patauium venit. *S*ecum SS. Innocentium reliquias deferens; quas in cœnobio S. Iuſtinæ repoſuit. Ipſe verò in eo monaſterio aliquandiù demoratus, vitam aſperam duxit, in ieiunijs, vigilijs, & orationibus. Multis autem pro religione perfunctus laboribus, clarusque miraculis obdormiuit in Domino 17. Kal. Aprilis. Cuius corpus in baſilica S. Iuſtinæ conditum fuit. Quem Leo IX. Pont. cum Patauio pertranſiret vnà cum alijs, quorum corpora in eadem Eccleſia quieſcunt, in SS. numerũ retulit 4. Non. Auguſti. *Ex Tab. illius Cœnobij, & Bernardino Scardeon. libr. 2. claſſe 6. de antiquit. vrbis Patauinæ.*

ANNOTATIO.

Qua fuerit Vrio patria, & quo is tẽpore vixerit, obieritue, haud scribit Scandeon: neque in Monum. S. Iustina habetur.

Martij die 18.

DE S. ANSELMO EPISCOPO LVCENSI.

Anselmus aduersus Henricum IIII. Imp. & Gilbertum Pseudopapã strenuè decertat.

ANselmus Mathildis Comitissæ, (quæ partem Hetruriæ, Patrimonium Sancti Petri dictum Ecclesiæ donauit) à confessionibus, cum aduersus Henricum IV. Imp. schismaticum, & Gilbertum Pseudopapam strenuè decertasset, ob eius eximiam doctrinam, & sanctimoniam vitæ à Gregorio VII. Pont. *Max.* Lucensis Episcopus creatur. Quod munus aliquandiu sanctè & maxima cum sibi commissi gregis vtilitate administrauit. Verùm, cum vitæ contemplatiuæ desiderio teneretur, Episcopatui cedẽs, in præclaro S. Benedicti cœnobio apud Mantuam monachus fit. Tametsi paulo post ab eodem Pont. officium Episcopale repetere cogitur. Multis autem laboribus perfunctus, cùm plura piè doctèq; scripsisset, clarus non tàm doctrina quàm vitæ sanctitate, & miraculis an. sal. 1080 migrauit ex hac vita. Corpus primùm in ecclesia S. Benedicti sepultũ fuit, postea Mãtuam translatum in Maiore ecclesia conditum. *Ex vita M.S. à quodam eius familiari.*

ANNOTATIO.

Ab autore Hist. Monast. Error de Henrico IV. pro III.

PRo Henr. Imp. III. IV. erroneè nominatus est ab autore vitæ S. Anselmi, & Henricus enim, qui Greg. VII. Papã persecutus est, III. fuit, non IV. qui non nisi post mortem Gregorij imperauit, vt in Cronolog. Eccles. apud Panuin. & Plat. in vit. eiusd. Greg. legitur.

Martij die 19.

DE SS. MARTYRIBVS QVINCTO, QVINCTILLA, Quartilla, & Marco cum alijs nouem Surrenti.

HOs Màrtyres Surrenti in Picentibus (quos nunc Principatum citeriorem, cuius caput Salernum est, vocant) simul coronatos Vsuardus, Ado, & post eos Martyrologium Roman. memorant. Eorum Dauid Rhomæus Presbyter Surrentinus in Catal. SS. Regni Neapolit. meminit; at de eorum certamine ne verbum quidem.

ANNOTATIO.

VSuard. pro Quinctilla, habet Quinctilli qua de re deficientibus gestis, nihil dici potest: nisi quod Dauid Rhoma. Quinctillam legit non Quinctillum.

DE S. IOANNE ABBATE APVD SPOLETIVM.

IOannes cognomento Paranensis ex illis 300. patribus, qui Iustiniano Imper. & Theodorico Gothorum Rege cum Ariana hæresis vigeret, ex Syria in Italiam venere, vnus fuit. Hic in abditissimum locum ab vrbe Spoletina 3. M.P.

M.P. distantem, cui Parana nomen erat, nunc verò vicus Perchij nominatur, se recepit. Vbi erecto tugnriolo ad pyri radicem (vnde & Pyrensis dictus est) abstinentijs, vigilijs, disciplinis, alisque macerationibus deditus, ad eam famam sanctitatis peruenit, vt non modo incolas finitimos, sed & Ioannem Episcopum Spoletinum ad se visendum traheret. Quo præsente Episcopo pyrus ingens memorata folia, & flores illicò mense Ianuario mirabiliter edidit. Eo miraculo permotus Episcopus monasterium ibidem extruxit. Cui Ioannes Abbas, & pater multorum monachorum Episcopo flagitante, annos 44. sanctissimè præfuit, in ieiunijs, orationibus, meditationibus, carniscastigationibus, & rerum diuinarum contemplationibus se, & suos discipulos exercens. Tandem ætate confecta cum plures instituti sui discipulos reliquisset, ann. salut. 550. 14. Kal. Aprilis animam Deo reddidit. Ex cuius corpore (tota ciuitate eò confluente) suauissimus efflabatur odor. Illud in arca marmorea in ecclesia suo nomini in vico Paranensi dicata asseruatur. Pyrus autem illa ad nostra etiam tempora extabat, extaretque nisi à rustico quodam fuisset excisa. *Ex Monum. Eccles. Spoletina.*

Mirac.

ANNOTATIO.

Mirari hic non satis possum, quod plerique hunc Sanctum virum Pinnensi C. (quæ in vestinis est in Aprutio) ad scribunt, cum ex ipsius vita apertissime illum non apud Pinnam, sed in Paranensi vico apud Spoletium constitisse, ibique ei ab Episcopo Spoletino monasterium extructum fuisse (nequeenim verisimile est, Episcopum Spoletinum Pinnam longissimè distantem, profectum ibi monasterium ædificasse) appareat. Vsuard. pro Paranen. vico, habet apud Pennaren. vrbem. Martyrolog. Rom. verò habet, apud Pennensem ciuitatem.

Quorundam Episcopo refutatur.

Huius Natal. in Eccl. Spoletina 13. Kal. Aprilis non 14. vt in Martyrolog. Rom. celebratur.

Martij die 20.

DE SS. CONFESSORIBVS GRATO DIACONO, ET Marcello Subdiacono Foroliuiensibus.

GRatus, & Marcellus Foroliuij nati, ille Diaconus iste Subdiaconus S. Mercurialis eiusdem vrbis Episcopi, sanctitate cum suo Episcopo floruerunt. De quibus illud Foroliuienses miraculum narrant quod cùm B. Mercurialis ad interficiendum draconem (de quo in vita sua agitur) pergeret, cæcus quidam in via B. Marcello oblatus fuit, quem ille illuminandum ad B. Gratum destinauit: à quo is lumen recepit. Horum corpora in basilica Cathedrali condita sunt, vti vetus M. S. ab XII. Episcopis subscriptum, & sigillis obsignatum, quando illa vnà cum corpore S. Valeriani martyris, in arca marmorea ann. sal. 1266. recondita fuere, declarat. Agitur autem illorum dies festus per totam Diœcesim 13. Kal. Aprilis. *Ex Tab. Eccl. Liuien. & M.S. memor.*

Mirac. cæci.

ANNOTATIO.

HAc die Horum SS. Translationem recoli, non Natalem, qui simul cum eorum gestis ignoratur, ab Eccles. Liuien. putamus, alioquin illos eadem die decessisse opporteret.

DE

Martij die 20.

DE SANCTO AMBROSIO SENENSI ORD. PRÆDICAT.

Nascitur turpis.

Ambrosius Senis ex Sansedonia familia natus, adeò turpis, & absq; omni membrorum proportione fuit, vt illo parentes contra consuetudinem carere cuperent. Infans à nutrice ad aram in ecclesia Præd. in qua SS. Reliquiæ asseruabantur delatus summa quiete fruebatur; quoties verò inde amouerétur ingentem ędebat ploratum: donec quadam die multis præsentibus ad illud idē altare, ita illi facies immutata est, membraq; informia (hærebant enim) distincta, vt factus repentè pulcherrimus omnes in admirationem, & sui amorem traheret.

Euadit diuinitus pulcherrimus.

Nouennis ieiunare frequenter, sacraq; frequentans officia pietatis exercere cœpit: cum à patre impetrasset, vt Sabbato peregrinos quinq; alere posset: quibus etiam pedes abluebat, & vestes instaurabat: in quibus quinq; Angelos excipere meruit. Ægrotos in Xenodochijs visebat, ijsq, suis manibus ministrabat.

Dæmonem fugat.

Dæmonem specie pauperis se ad mulieris libidinem instigantem Crucis signo fugauit: diuinaq; visione roboratus Prædicatorum institutum suscepit anno ætatis 17. ac Lutetiam Parisiorum missus, ibi Sacræ Theologiæ Alberto *Magno* Doctore operam dedit, reiecto Dæmone, qui ægrotanti in itinere reuersionem in Italiam, sanitatem pollicitus suadebat.

Theologiæ operam dat sub Alb. Mag.

Qui breui ad eam doctrinæ excellentiam peruenit, vt ibi primùm, deinde Coloniæ Theologiam sit interpretatus. In Italiam à Pont. Maxim. vocatus, mox in Germaniam redijt, & Principes ad bellum Hungaricum aduersus Turcas hortatus, multos ab hæresi, qui interprædicandum Columbam capiti eius insidentem viderunt, retraxit.

Columba capiti insidet inter prædicandum.

Oblatum à Pont. Episcopatum recusauit, vt Principes cum exercitu in Pannoniam euntes comitaretur. Romam veniens à Clem. IV. Pont. *Max*im. veniam, absolutionemque Corradino Principi, qui terras Ecclesiæ inuaserat, impetrauit. Idem Senensibus præstitit Ghibellinas partes secutis.

Episcopatū recusat.

Vita fuit admirabili. Carne semper abstinuit, assiduè ieiunans feria 6. pane, & aqua contentus, virginitatem perpetuo coluit. Principibus prædicando formidolosus erat, maximè verò peccatoribus. Plures etiam ad Sæcularis vitæ detestationem adduxit.

B. Frāc. Ord. Seru ob prædicat. S. Ambrosij intrat.

In quibus B. Franciscus *S*enensis fuit: qui cum semel Ambrosium de contemptu mundi prædicantem audisset, statim Seruorum Ord. ingressus eximia claruit sanctitate. Viuens miraculis fulsit. Nam puerum in cuna, dum mater eius prædicationi interesset, suffocatum ad vitam reuocauit.

Puerū suffocatum suscitat.

Mulierem brachij vsu destitutam, sue prædicationi præsentem, opemq; illius secreto implorantem sanitati restituit.

Mulieris brachium sanat.

Ad extremum vir. S. pijs laboribus confectus anno salut. 1285. ætatis verò 65. 14. Kal. Aprilis Senis vbi prædicabat, euolauit in Cœlum in æde Frat. Præd. Sepultus multis post mortem miraculis clarus. *Ex Hist. Dominicana lib. 3. parte 1.*

ANNOTATIO.

Nondum in SS. relatus est. Ob sanctitatem tamen miraculis comprobatam Clementis VIII. Pont. Max. iussu in Martyrol. Rom. descriptus est.

Sub huius Sancti imaginem hi versus descripti leguntur.

„ *Diuus Ambrosius Sansedonius hic est:*
„ *Huius iam patriæ qui fuit vna salus.*

„ *Cre-*

„ *Gregorium siquidem Papam dicauit, amicum,*
„ *Eloquio Senæ fecit & ipse suo.*

Martij die 21.

DE S. BENEDICTO ABBATE.

Benedictus, Nursiæ in Vmbria nobili genere natus, Romæ verò liberalibus disciplinis eruditus, vt se totum Deo dicaret, apud Sublacum in altissimá speluncam penetrauit, in qua triennio delituit, Romano monacho necessaria vitæ illi ministrante. Vbi dum ardentes ad libidinem faces quadam die à Diabolo subijcerentur, se in vepribus tandiu volutauit, donec lacerato corpore voluptatis sensus dolore opprimeretur. Erumpente ex illis latebris fama eius sanctitatis, quidam monachi se illi instituendos tradiderunt. Qui ob viuendi licentiam cum Benedicti obiurgationes ferre non possent, venenum ei dare in potione constituunt. Verùm ille vas ab eis porrectum Crucis signo cõfregit, monasterioq; relicto, in solitudinem se recepit. Cum multi verò quotidie ad eum Discipuli confluerent, 12. monasteria ædificauit, quę sanctissimis legibus communiuit. Posthæc Casinum veniens simulachrum Apollinis, qui ibi adhuc colebatur, cum ara euertit, & lucis succensis sacellum *S. Martini*, & ædiculam S. Ioannis extruxit: oppidanosq; & incolas Christianis præceptis imbuit. Auctus in dies magis diuina gratia Benedictus, etiam spiritu prophetico ventura prædicebat. Quod vbi Totila Gothorum Rex accepisset, probaturus an ita esset, Spatharium Regio ornatu, & comitatu Regem se simulantem præmisit. Cui ille, depone fili, quod geris: nam tuum non est. Totilæ autem aduentum eius in vrbem, maris transmissionem, & post 9. annos mortem prædixit. Aliquot menses antequam migraret, discipulos, qua die moriturus esset, præmonuit; & sepulchrum, in quo condiuellet, sex diebus antequam eò inferretur aperiri iussit: sexto autem die in ecclesiam deferri voluit, vbi sumpta Eucharistia, sublatis in Cœlum oculis, animam inter discipulorum manus efflauit: quam duo monachi euntē in Cœlum pallio pretiosissimo ornatam, circum eam fulgentibus lampadibus viderũt, & clarissima, grauissimaq; specie, virum super caput ipsius dicentem audierunt: Hæc est via, qua dilectus D. Benedictus in Cœlum ascendit, obijt autem 12. Kal. Aprilis an. sal. 542. *Ex Breu. Rom.*

Benedictus signo Crucis vas veneno refertum confringit.

Spiritus Prophetiæ Benedicti.

ANNOTATIO.

Author Historiæ Monasticæ S. Benedictum relicto sæculo solitudinem ann. 492. Io. I. Pont. & Iustiniano 1. Imp. petijsse scribit, quod temporum supputationi repugnat: Siquidem Io. 1 an. 522 Pontificatum iniit, Iustinianus verò 1 Imperium an. 527. Deinde cum ex Thritemio S. Benedictus ann. 542. mortem obierit. anno æt. 62. (licet Marianus Scot. illum annorum 90. decessisse scribat) anno ætatis 12. se in solitudinem recepisset, quod absurdum est dicere: Si enim Romano suo monacho ministro vtebatur, adulta esset ætate, necesse est.

Baronius in Annal. ad an. D. 581. nititur probare S. Gregorium Pap. haud Benedictinum monachum fuisse, de qua re sup. in S. Gregorio.

Ex Hymno S. Bened. in eius off.

Ille florentes peragebat annos,
Cum puer dulces patriæ penates

Liquit,

Liquit, & solus latuit silenti
Conditus antro.
Inter vrticas, rigidosque sentes
Vicit altricem scelerum iuuentam:
Inde conscripsit documenta vitæ
Pulchra beatæ.
Æream turpis Clarij figuram,
Et nemus strauit Veneri dicatum,
Atque Baptistæ posuit sacrato
Monte sacellum
Imbuit posthinc homines beatus
Regulis artis animos retundi,
Et iugo semper Domini Polorum
Subdere colla.
Equibus Maurus sedulus minister
Gurgitis ductum Placidum profundo
Obsequens patri latice leuatum
Æquore traxit.
Rusticum solo Benedicte nutu
Solueras vinclo miserum tenaci
Solue nunc sacris precibus maligno
Corda reatu.
Hauseras saxo laticem rigenti
At modo nostri lapidem rescinde,
Pectoris fletu queat vt salubri
Tergere sordes.
Conteris signo cyathum potenti,
Nec tibi virus nocuit paratum
Sic nos semper tueare fœdo
Criminis haustu.

DE S. BIRILLO EPISCOPO CATANENSI.

Birillus Antiochenus S. Petri Apostoli discipullus, cum eo in Siciliam veniens, Catanæ I. Episcopus ab eodem ordinatur. Qui verbo, & exemplo populum sibi commissum erudiens plurimos ex Gentilitate ad Christum conuertit, prædicationem miraculis comprobans. Cum autem ad summam senectutem peruenisset Ecclesia Catanensium optimè constituta, tandem ad cœleste præmium euolauit. 12. Kal. Aprilis. *Ex Menolog. Græcorum.*

ANNOTATIO.

Græci Birillum, seu Berillum non modo Episcopum, sed & Martyrem faciunt: licet genus martyrij minimè narrent.

DE

Martij die 22.

DE S. EPAPHRODITO I. EPISCOPO TARRACINENSI.

EPaphroditus ex LXXII. discipulis vnus, seu potius Apostolorum discipulus, cuius S. Paulus in Epistola ad Philippenses meminit dicens: *Repletus sum acceptis ab Epaphrodito, quæ misistis in odorem suauitatis, hostiam acceptam, placentem Deo.* Hunc S. Petrus Apostolus primum Tarracinæ Episcopum ordinauit, vbi, & colitur. Is in pace quieuisse traditur 11. Kal. Martij. *Ex Martyrolog. Rom. & alijs præsertim ex Metaphr. in vita Princ. Apostol. Meminit illius, & Baron. in Annal. ad an. D. 46.*

ANNOTATIO.

DIssident Metaphr. & Dorotheus de Epaphroditi Episcopatu. Hic enim Hadriæ Episcopũ fuisse ait in Synopsi: Ille (quem Martyrol. Rom. sequitur) Tarracinæ.

DE S. BENVENVTO EPISCOPO AVXIMANO.

BEnuenutus patria Anconitanus circa an. sal. 1261. claruit. Is cum Ecclesiæ Anconitanæ Archidiaconus esset, Vrbano IV. Pont. Max. ob eius singulares virtutes, charus, & familiaris fuit. A quo primùm Ecclesiæ Auximanæ administrator factus, postea in Episcopum eidem Ecclesiæ datus fuit, cum ea ciuitas, quòd aduersus Apostolicam Sedem rebellasset, diù sine Episcopo fuisset. Fuit, & totius Marchiæ Anconitanæ sub eodem Pont. Rector. Quibus in muneribus non mediocrem laudem consecutus est. Ea verò sanctitate vixit, vt viuus, & defunctus multis miraculis, quæ in eius vita prolixè leguntur, effulserit, ob eaque in SS. numerum sit relatus. Eius corpus in Ecclesia Auximana in arca marmorea, quam quatuor columnæ marmoreæ suffulciunt conditum maximam habet apud Auximates venerationem. Cuius Epitaphium in marmore incisum huiuscemodi legitur. *S. Benuenutus de Scotiuolis Anconitanus Episcopus Auximanus.* Obijt autem 11. Kal. Aprilis. *Ex Monum. eiusdem Eccl.*

Benuenutus totius Marchiæ Anconitanæ Rector.

ANNOTATIO.

SAnctus Benuenutus S. Thomæ Aquinatis Syncronus fuit, ad Episcopatũ ab Vrbano circa tempus in eius vita memoratum euectus.

DE S. LEA VIDVA ROMANA, ET ABBATISSA.

LEa nobilis Romana viro etiam Romano nobili nupsit, à prima ætate pietatis operibus dedita. Post viri obitum monasterium ingreditur, ac post vestium mollitiem, quibus viuente viro vtebatur, facco membra regens in somnis sæpe in oratione ducebat noctes, comites suas magis exemplo quàm verbis docens. Sic autem humilis erat, vt quondam multarum ancillarum domina, fieret omnium monialium ancilla. Vestis erat inculta, vilis cibus, & parcus, caput neglectum: & cum omnia faceret, vt monasterij primaria, & mater virginũ, ostentationem tamen euitabat, ne reciperet in præsenti sæculo mercedẽ. A quo mercedem in altero receptura 11. Kal. Aprilis excessit viuis ann. salut. 397. *Ex Epistola S. Hieron. 24. ad Marcellam.*

ANNOTATIO.

MEminit eiusdem Idem Hieron. in Epist. 15. ad Marcellam, vbi illam viduam appellat. Vixit autem S. Lea Honorio, & Arcadio Impp.

Martij die 23.

DE S. PROCVLO EPISCOPO VERONENSI IV.

PRoculus quartus Veronæ Episcopus, quo tempore Maximianus Mediolani agebat, ac Anolinus Præfectus SS. Rusticum, & Firmum Imp. iussu in custodia Veronæ detinebat, Ecclesiam Veronensem administrabat, qui martyrium affectans, vt cum SS. martyribus prædictis in viucula conijceretur, libera, & clara voce se Christianum publicabat. Sed cum delirare ob senium putaretur, vinculis solutus, iussu Præfecti colaphis, & fustibus cęsus vrbe eijcitur, & apud suos extra mœnia ciuitatis non sine maximo mœrore, quod ei martyrij occasio sublata esset habitauit. Remissa persecutione, cum Ecclesiæ curā Præsbyteris commendasset, cum paucis iter Hierosolymam versus arripuit. Sed captus in itinere, & verberibus affectus venditus. Quibus calamitatibus minimè fractus, comites ad eas perferendas hortabatur. Cum autem libertatē assecutus in patriam rediens, in Pannoniam diuertisset, ex quodam loco arido fontem oratione sua diuinitus elicuit, quo sibi barbam nimis prolixa, & corona capitis abraderetur, cultro hebeti pro nouacula adhibito, quo tamen leniter comites illi capillos abraserunt. Eo miraculo accolas ad Christum conuersos in eodem fonte baptizauit. Veronam tandem reuersus, cum martyr, vt optabat, decedere non potuisset, abstinentia, assiduis precibus, & vigilijs confectus obdormiuit in Domino 10. Kal. Aprilis. Eius corpus in æde sibi dicata sepultum iacet. *Ex lib. de SS. Epp. Veronensib. Augustini Valerij Episcopi, & Card.*

Mirac. Fons ex arido loco erūpit.

ANNOTATIO.

NOn leuis hic occurrit dubitatio de Imp. sub quo S. Proculus Episc. vexatus est. an Maximianus Herculeus Diocletiani collega, vt habet Martyroleg. Rom. V. Id. Dec. an Maximinus, qui Alex. Seuero successit, vt Monumen Eccl. Veronen. habent. Qua in re Ecclesia Veronen. assentiendum puto eo argumento adductus, quod S. Zeno VIII. Episcopus sub Galieno qui aliquot annis Diocl. & Maximianum præcessit, passus est. Non ergo Proculus, qui IV. Episcopus censetur, sub Maximiano esse potuit; sed sub Maximino, qui ante Galienum Imperium tenuit, sub quo Anolinus præfecturam administrauit. Quod si etiam sub Diocl. Maximiano Anolinus Christianos persecutus legitur, is non Præfectus, sed Proconsul: non in Italia, sed in Africa fuit. Alterum inter Eccl. Veronen. & Martyrol. Rom. dissidium est, quòd illa Natalem S. Proculi hac die celebrat, hoc verò die 9. Decemb. sed fortè tollitur quòd Martyrol. aliquando non Natalem, sed ordinationem, aliamuè festiuitatē memorare consueuit.

Dubitatur sub quo Imper. vexatus fuerit S. Proculus.

DE S. BENEDICTO MONACHO IN CAMPANIA.

BEnedictus, monachus Casinensis iuuenis quidem ætate, vitæ autem regularis obseruantissimus, vt S. Gregorius Papa scribit, in Campania loco ab vrbe ad 40. M. P. distante à Totilæ militibus deprehensus incendio traditus est. Sed igne ab illis circum cellam Benedicti accenso, cum omnia per circuitum arsissent, cella tamen permansit illæsa. Qua de re Gothi indegnati, illū in ardentem clibanum immissum concludunt. Verùm is altera die ita illæsus exiuit, vt ne in vestibus quidem signum exustionis appareret. *Ex lib. 3. Dialog. cap. 18.*

Mirac. 1. Cella in medio ignis permanet illæsa.

Benedictus ex Clibano intactus exit.

AN-

ANNOTATIO.

Locus vbi S. monachus cum à Gothis in Clibanum ardentem missus est, habitabat non exprimitur a S. Gregorio; in Latio tamen fuisse (cuius magna pars olim Campania dicebatur) fuisse oportet. Sed nec hodie vbi corpus illius, conditum sit, & colatur, sciri potuit.

DE S. ODONE SOLITARIO APVD ARIANVM.

ODo, siue Otho Romæ ex nobili familia Fregipana natus, à teneris vnguiculis in humanis literis eruditus adolescens annum ętatis agens 18. à Lothario Imp. qui Romam Innocentio II. Pont. aduersus Antipapam opem ferens aduenerat, eques creatur. Cum autem postea aduersus Fridericum Imper. Alexandrum III. Pontif. diuexantem apud Alexandriam Statiellensium militaret, captusque diuturno carcere affligeretur, à S. Bernardo, cui ille se cōmendarat qui quoque sibi dormienti apparuerat, mirabiliter vinculis solutus, & eductus, veste vili induius, multis locis peragratis, & à nemine ob maciem ex carcere diuturno tabemq; contractum agnitus, tandem Arianum inter Beneuentũ, & Asculum in Hirpinorum, & Apulorum finibus venit, ibiq; extra vrbem apud D. Petri sacellum cellula de Arianensis Episcopi licentia exstructa, victam asperam duxit. Is cum Arianenses antiquissima inscriptione Iani (à quo nomen est vrbi) inuenta superstitiose nimis exultarent, atq; Iani Bifrontis caput vbiq; tam in priuatis, quam in publicis ædificijs collocarent à Iordane Comite, & populo congregatis, vt vrbis necessitatibus consulerent, fandi licentia impetrata, eos maximè obiurgatos, quòd magis Idola vana, quam I.C. qui nos creauit, & redemit, curarent, vt Iani sculpturas demolirentur, adduxit. Quibus etiam fore, vt non modo ab Agarenis, sed & à Christianis Principibus Deo ob eorum peccata permittente incursiones, & vastationes paterentur prædixit. Cum itaq; S. vir in ea solitudine aliquot annos vixisset, Demum ad præmium percipiendum 10. Kal. Aprilis in Cœlum euolauit. Corpus ibidem sepultum, cum Agareni vrbes finitimas deuastarent, delatum Beneuentum, ibi vsq; ad ann. salut. 1452. fuit. Quo tempore Alphonsij Aragonij Regis vtriusque Siciliæ decreto Arianum elatum est. *Ex Monumen. Eccles. Arianen. ipsius S. Odonis persona prolixè admodum scriptis.*

Odo aduersus Fridericũ Imp. militabat.

Iani Bifrontis caput.

ANNOTATIO.

Thodus per errorem S. Odo a Paulo Regio Episcopo Equen. & à Dauid Rhomao Presbytero Surrentino in lib. de SS. Regni Neapolit. nominatur adscribiturque à Rhomao diei præcedenti.

Martij die 24.

DE SS. MARTYRIBVS MARCO, ET TIMOTHEO ROMÆ.

MArcus, & Timotheus Romæ sub Antonino Imp. martyrij coronam adepti sunt propter Christum. Cæterùm genus martyrij, vnà cum eorum gestis ignoratur. *Ex Martyrol. Rom.*

ANNOTATIO.

Neq; vlla horum SS. Mart. extaret in Rom. Martyrol. memoria, nisi Card. Baronij viri diligentissimi optimeq; de Eccl. meriti, opera ex vet. M.S. Sancti Cyriaci restituti fuissent.

DE SANCTO EPIGMENIO PRESBYTERO, Et Martyre Romæ.

EPigmenius Presbyter Romæ Diocletiano, & Maximiano Impp. cum iam excitata in Christianos persecutione, baptizare eos, qui se ad Christum conuertebant, non desisteret, ac inter alios Crescentium puerũ S. Eutymij filiũ iussu Diocletiani ob fidem Christi Perusiæ comprehensum, & Romam perductum baptizasset, magisq; in Christiana religione confirmasset, & ipse comprehensus sub Turpio Iudice capitalem sententiã accepit, gladioq; percussus martyrium consumauit 9. Kal. Aprilis. *Ex Actis S. Crescentij Mart. quæ in Ecclesia Perusina, & Senensi M.S. seruantur.*

ANNOTATIO.

VBi Epigmenij corpus conditum fuerit, neque vbi hoc tempore quiescat, sciri potuit.

DE S. PIGMENIO PRESB. ET MART. ROMAE.

Pigmenius Iuliani Apostatæ magister.

PIgmenius Presbyter Romæ Iulianum Apostatam, cum adhuc puer esset, educauit, & in sacris litteris erudiuit. Qui factus Imp. & à Christiana fide recedens, magistrum suum quòd martyrum, quos ille propter Christum iubebat occidi, corpora sepeliret, pro gratia misit in exilium. Cum autem Romam rediisset, ac munus sacerdotale liberè exerceret, tentus, & variè excruciatus, demum proiectus in Tyberim martyrij palmam obtinuit 9. Kal. Aprilis. Corpus à Christianis inuentum in cœmeterio Pontiani conditum est. *Ex Beda, Vsuar. Adone, & Pet. in Catal. SS. lib. 3. cap. 223.*

ANNOTATIO.

QVod in S. Pigmenij vita legitur, illum à Iuliano Imp. in Persidem relegatum ibiq; qui triennio in exilio detentum cæcum effectum fuisse: reuersum autem Romã iussu Iuliani, quod illi ei obuiam facto, & dicenti Gratias ago Dijs quòd te video, *(quasi cæcitatem exprobans)* & ego gratias ago Deo meo, quòd te non video *illicò respondisset, in Tyberim præcipitatum: haud historicæ veritati consonum videtur. Nam Iulianus nec biennio integro Imperauit: neq; ex quo in Imperio successit vnquam Romam vidit, ex Marcellino Ammiano, & Cronol. Impp. Quod igitur à Iuliano factum refertur, ad illius ministros referendum est.*

DE S. SIMONE INNOCENTE, ET MART. TRIDENT.

A Iudæis puer 29. mensium reperitur. In Synagoga noctu dilaniatur.

SImon Tridenti pijs ortus parentibus 29. ætatis suæ mensibus nondum expletis à Tobia quodam Hebræo ad scelus ab alijs pecunia inducto clam in foribus paternis rapitur, ac in domum Samuelis Archisynagogi abducitur: quò Iudæi vt azima Christiani pueri sãguine in ipsorũ Paschate prout decreuerãt, miscerẽt, quasi rẽ gratã Deo facturi cõuenerant. Nocte itaq; profunda in Synagogã ducitur, ac exutus vestibus, & vitta linea faucibus, ne eiulãtis vox audiretur, obstructis, brachijsq; in morem cruci affixi distractis, impia vulnera, & mortem lentam excepit Nam cultro primùm (qui ad hunc vsque diem cruentatus ostenditur) summum virgæ pueriliis abscinditur, ab alio forcipe è maxilla

è maxilla fructum carnis abstrahitur, & ab alio pulpæ tantundem decerpitur. Sanguine è vulneribus stillante pelui excepto, vittæ nodo aliquando, ne suffocatus citò interiret, laxato, aliquando verò, ne vox altius erumperet, restricto. Quibus non exaturati certatim pueri seminecis membra acubus omnes vndique perfodiunt; Se id Iesu, quem Christiani Deum colunt, contumeliam facere asserentes, & quasi illum in puero hoc rursus morte afficientes, donec illæ per horam excruciatus inter impios, & cruentos carnifices animam Deo reddidit, 10. Kal. Aprilis anno sal. hum. 1475. Cuius corpus scelesti cum iam necis infantis apud populum suspecti essent, suis inuolutum vestibus in subterfluentem riuũ proijciunt, & aliunde euectum apud se obiectu cratis hæsisse fingentes euulgãt. Quos Prætor corpore inspecto, integroque post triduum reperto, omnes in vincula coniectos, crimenque fassos meritis affecit pœnis, & publico edicto vrbẽ, & agrum ei genti interdixit. Sanctum porrò puerum miraculis clarum non modò Tridentini, sed etiam exteri venerari cœperunt. *Ex eius officio, qui ab Ecclesia Tridentina recitatur ex Sixti V. Pont. Max. concess.*

Acubus pungitur, & in odium Christi interficitur.

Corpus à Iudæis in viuũ proiectum detegitur.

Iudæi puniũtur.

S. Puer miraculis claret.

ANNOTATIO.

N*Ordouici in Anglia die 11. Martij S. Gulielmus puer, & martyr à Iudæis simili modo in crucem actus, & peremptus ann. Domin. 1235. colitur: de quo Virg. Polydor. in Hist. Angl & Vinc. in Spec.*

S. Gulielmus puer à Iudæis in Anglia occisus.

Hymnus S. Simonis.

Scelestus haurit sanguinem
Iudæus integerrimum;
Nec guttur obstructum potest
Lenire luctus questibus.
Sed hostis immanissimus
Tibi nequiuit tàm pio
Prodesse corde, quàm fera
Crudelitate profuit.
Tu nempe mundi lacrymis
Præreptus emisti bona
Immensa paruo impendio,
O nosque Simon adiuua.

DE S. LATINO EPISCOPO BRIXIENSI IV.

LAtinus, ex familia Latina, Flauius proprio nomine, vt antiqua eius habet inscriptio dictus Viatori, cuius discipulus fuit, in Episcopatu successit, Domitiano Imp. Latinus difficillimis temporibus ob immanẽ Domitiani persecutionem regens Ecclesiam, omnem ferè ciuitatem (quod ob breue spatiũ, quo præfuerunt Ecclesiæ Brixianæ, prædecessores præstare nequiuerant) ad Christum conuertit. Erat enim in prædicatione fidei assiduus, doctrinam, quæ vitæ integerrimæ exemplo, & miris actionibus confirmans. Erat suauissimis moribus, & eloquio præditus, præcipuam pauperum curam gerens, vt non modo Fidelibus, sed & Infidelibus non mediocri esset admirationi. Cum verò persecutionis tempestas percrebuisset, etsi martyrij cupidissimus erat,

 diuino

diuino tamen admonitu in vicinos montes se recipiens, ibi Deo cum Clericis orationibus, vigilijs, ieiunijs, sacrisque mysterijs deseruiens ministrabat, donec de sua morte, quæ instabat, diuinitus certior factus, die 18. mensis Martij ægrotans, ac astantes ad mala propter Christum perferenda fortiter hortatus sexto die animam reddidit creatori, loco noua luce illustrato, & corpore odoris suauitate fragranti. Cuius corpus à S. Apollonio discipulo, & successore in episcopio clam sepultum est. Nunc in æde S. Afræ quiescit. *Ex Monum. Eccl. Brixien. ac ex vita ab Ascanio Martinengo vernaculo sermone conscripta.*

ANNOTATIO

FErunt Latinum in Episcopatu (quem iniit, vt scribunt an. sal. 88.) ad 31. ann. vixisse: Sed si inscriptio, quam Baron. in Annotat. ad Martyrol. Rom. hac die adfert, ad S. Latinum spectat, annos tres dumtaxat & menses 7. in Episcopatu. In Presbyteratu vero 15. In Exorcistatu 12. vixisse apparet. Illa enim sic habet. FL. LATINO EPISCOPO AN. III. M. VII. PRESBYT. ANN. XV. EXORC. AN. XII. ET LATINILLAE, ET FL. MACRINO LECTORI. FL. PAVLINA NEPTIS B. M. P.

DE S. SEVERO EPISCOPO CATANENSI.

SEuerus ob eius singulares virtutes ad Ecclesiam Catanensem regendã euocatus, ita munus Episcopale gessit, vt viuens summam laudem consecutus sit, & migrans è vita inter SS. habitus fuerit. Migrauit autem ad Dominum 9. Kal. Aprilis apud Græcos celebratus. *Ex Menol. Græc.*

ANNOTATIO.

ACta ipsius nondum vidimus, nec, si Catanæ extent adhuc, intelleximus.

Martij die 25.

DE S. QVIRINO MARTYRE ROMAE.

QVirinus Romanus Claudio Imp. propter Christianam fidem comprehensus, bonis publicatis, multaq; verbera, vt propositum mutaret, perpessus, in custodia trans Tyberim diu detentus est. Cum autem Marius Persa cum vxore, & filijs Romam venisset, vt martyrum sepulchra venerarentur. Quirinum visitantes suis facultatibus alebant, orantes, vt pro ipsis apud Deum intercederet. Qui paulopost Imp. iussu noctu gladio cæsus, in Tyberim proijcitur. Cuius corpus, (cum Marius, & filij ad carcerem reuersi, illum interfectum, & in flumẽ proiectum accepissent) à prædictis, & à Pastore Presbytero in Insula Lycaonia inuentum in crypta cœmeterij Pontiani 8. Kal. Aprilis conditum fuit. *Ex Gestis S. Valentini presbyteri apud Sur. tom. 1. & SS. Marij, Martha, Audifacis, & Abachum.*

ANNOTATIO.

DIuersus est à Quirino Tribuno, qui Traiano Imp. via Appia 3. Kal. Apr. coronatus est. Ab Vsuardo Cyrinus appellatur. Corpus in Eccles. S. Mariæ in campo Martio quiescere fertur.

DE SS. MARTYRIBVS 262. ROMAE.

HI omnes Romæ eadem die ob fidei confessionem consumati in Martyrologio Rom. referuntur. De quibus Vincent. in Spec. lib. 10. cap. 98.

Martij

Martij die 26.

DE S. CASTVLO MARTYRE ROMAE.

CAstulus Zetarius, qui zetis in Palatio Diocletiani Imp. præerat, Christianã fidem clam colens, sanctos sine suspitione hospitio accipiens, fouebat, in quibus Caium Papam, Tranquillinum Presbyterum, Marcum, & Marcellianũ Diaconos, Tranquillini filios, ac alios à Caio ordinatos. Hi omnes apud Castulum virum Christianæ religionis amantissimum orationibus, ieiunijs, & rerum cœlestium contemplationibus ad martyrij palmam aspirantes vacabant. Verum deprehensus, quòd Christianus esset, & Christianos fouens, hospitio acciperet, comprehenditur, terque appensus, & tortus, terque auditus, cum in fidei confessione constans, & fortis permaneret, in foueam altam demissus, massaque arenaria obrutus via Lauicana, martyrij palmam obtinuit. 7. Kal. Aprilis. *Ex Gestis S. Sebastiani mart. apud Sur. tom. 1. Et ex Martyrol. Vsuardi.*

ANNOTATIO.

PLures huius nominis martyres in Roma. Martyrol. leguntur cum alijs coronati. Fuit enim Castulus mart. in Africa cum Zotico die 12. Ian. Castulus martyr. Interamnæ cum Saturnino, & alijs die 15. Febr. & Castulus mart. Romæ cum Euprepite die 30. Nouemb.

Huius corpus in æde S. Felicis Papiæ asseruari traditur.

DE SS. MARTYRIBVS PETRO, MARCIANO, IOVINO, Tecla, Cassiano, & alijs Romæ.

PEtrus, Marcianus, Iouinus, Tecla, & Cassianus cum alijs Romæ propter Christum tenti, direque excruciati, admirabili patientia necem pro Christo tolerauere. Cassiani corpus Nouellariam hac tempestate delatum, ibi honorificè conditum est, ac ipse factus eius oppidi protector, præcipuam habet venerationem, in totaque Regiensi Diœcesi illius Natalis celebratur. *Ex Tab. eiusd. Eccles. Regien.*

ANNOTATIO.

COrpus S. Cassiani Roma Nouellariam Op. Regien. Diœces. paucis ab hinc annis Clem. VIII. Pont. Max. delatum est. Quem Nouellarienses sibi tutelarem delegerunt.

DE S. FELICITATE VIRGINE PATAVII.

FElicitas, Virgo Patauina vitam in collibus Euganeis loco à Patauio VIII. M.P. distante solitariam duxit, vbi adhuc oratorium ipsius nomen retinens monstr[illegible] in monasterio SS. Cosmæ & Damiani in campo Mar- [illegible] Postea vero in [illegible] tio reliquum vitæ confecisse, atque 7. Kal. Aprilis migrauit ad sponsum. Cuius corpus cum diu fuisset ignotum tempore Leonis IX. Papæ, qui illam in SS. numerum vnà cum alijs ad Bernardi Patauini Episcopi preces retulit, repertum est in templo S. Iustinæ: in quo etiamnum asseruatur. *Ex monum. cœnobij eiusd. S. Iustinæ, & Bernard. Scardeon lib. 2. class. 6. de Antiq. Vrbis Patauinæ.*

ANNOTATIO.

T*Empus præcisum, quo S. Virgo in humanis fuit, nullibi habetur, neque ipsa in Tab. Eccl. Patauina adnotatur.*

Martij die 27.

DE S. MARCIANO EPISCOPO DERTHONENSI, Et Martyre, ac eiusdem Vrbis Patrono.

MArcianus Episcopus I. Derthonæ Hadriano Imp. apud Sapritium Præsidem ab Idolorum Sacerdotibus, quod populum à cultu Deorū auerteret, accusatus, compræhenditur, ac primū blanditijs, & promissis tentatur, vt Christo renuncians Deos coleret, quod cum facere recusaret, primùm in custodia, & vinculis vbi, à S. Secundo Hastensi bis visitatus est, diù tentus maceratur, postea eductus cum Deos, quibus sacra facere iubebatur, homines fuisse scelestissimos diceret, alligatus laminis candentibus aduritur, à quibus cū nihil læsus videretur, sed fortior in confessione fidei appareret, fessis iam tortoribus, iudexq; neq; minis, neq; pollicitationibus quicquam proficeret, ductus extra vrbem capite plecti iubetur 6. Kal. Aprilis. Cuius corpus à S. Secūdo sepultum, cum diù latuisset, à S. Innocentio Episcodo Derthonensi integrum, recentiq; sanguine conspersum cum ampulla vitrea, & spongia eiusdem sanguine plena repertum honorificè conditum fuit in sacra æde ibi eius nomini exædificata. *Ex Gestis S. Secundi Martyris, & Vrbis Derthonen. Annalib.*

ANNOTATIO.

N*Atalis S. Marciani hac die ab Eccl. Derthonen. celebratur; licet Martyrolog. Roman. Prid. Non. Martij memoriam illius recolat. Mol. item in Addit. ad Vsuard. de illo hac ipsa die agit.*

DE S. AVGVSTA VIRGINE, ET MARTYRE Seraualli apud Cenetam.

AVgusta Virgo, Matrucci Forouiliensis regionis Præfecti, seu Tyranni filia (quo tempore Imperium Rom. declinabat) in Christiana religione instructa inscio patre baptizata Christianorum templa frequentabat. Quod vbi pater resciuisset, illam carceri includit, & vt deos colat, hortatur. At illa neque minis neq; blanditijs à proposito colendæ Christianę fidei deduci potuit. Quare iratus pater eam duobus arboris ramis alligatam in altum tolli, ignemq; ingentem subijci iubet, à quo tamen nihil læsa fuit. Tum rotam acutis gladijs prætextam, qua corpus Virginis dilaceraretur, expediri mandat, sed ea ab Angelo contrita. Tyrannus furore percitus caput filiæ amputari præcepit. Corpus à Christianis sepultum post aliquot annos in monte apud Serauallum vbi ei templum excitatum fuit, inuentum est die 22. Aug. *Ex Surd. Tom. 7.*

Impietas, ac crudelitas Patris. Augustæ rota dilacerandæ paratur, sed ab Angelo cōteritur.

ANNOTATIO.

I*N huius virg. passione annus à Natiu. D. 1?0. adnotatur, sed eo tempore nondum Imp. Rom. declinauerat, neq; per Italiam Tyranni dominabantur.*

DE

DE SS. BARONTIO ABBATE, ET DESIDERIO Eius Discipulo, apud Pistorium.

BArontius, seu Barontus, in Gallia nobili genere ortus Theoderico, & Theodeberio Regibus, cum Agoaldo filio egit primùm eremiticam, deinde factus monachus in monasterio S. Petri, cui Longoretum nomen est, non multo post diuinitus admonitus impetrata ab Abbate licentia, vt vitam Anachoreticã duceret, relicta Gallia, Romam venit, inde locis sanctis inuisis in Hetturiam in solitudinem, quam apud Pistorium inter duos montes inuenit, se contulit: ibiq; extructa celluia, cum aqua deesset, facta oratione fontem venæ indeficientis excitauit. Fama sanctitatis peruulgata, Desiderius vir planè probus se illi cũ quatuor alijs instituendum tradidit. Barontius autem virtutibus, miraculisq; corruscans senio confectus, cum 8 Kal. Aprilis obdormisset, in sacello ibi à se constructo à discipulis sepultus est: quem Desiderius, & ipse diutina corporis maceratione consumptus paulo post secutus ibidem tumulatus fuit. Cum autem corpus S. Barontij in monasterium suo nomini extructum translatum fuisset, B. Desiderius per visum nocturnum monachos monuit, ne se à magistro suo separatum dimitterent. Quare Abbas cum monachis ad locum in visu ostensum pergens factis Deo precibus, & terra effossa, lapidem marmoreum cum huiusmodi inscriptione inuenit, hic requiescunt corpora SS. Barontij, & Desiderij, ac sociorum; ac S. Desiderij corpus, & aliorum in eandem ecclesiam, in qua S. Barontij translatum fuerat, transtulit 6. Kal. Aprilis ann. salut. 1018. *Ex cod. Eccles. Pistorien. M.S.*

Mirac. Fons indeficientis venæ excitatur.

ANNOTATIO.

LIcet Natalis SS. Barontij, & Desiderij in Martyrol. Roman. 8. Kal. Aprilis descriptus sit, in eccl. tamen Pistorien. Festiuitas hac die, qua potius Translationis, quam Natalis esse videtur, ex antiqua consuetudine celebratur. Nisi in hanc diem horum festum, ob festum Annunciationis, & festum S. Iacobi Apostoli, quod agitur die 26. Martij, translatum dicamus.

Martij die 28.

DE S. XYSTO PAPA III. HVIVS NOMINIS.

XYstus III. huius nominis Romanus Theodosio, & Valentiniano Impp. quo tempore Gensericus, Vuandalorum Rex Catholicos in Africa, (quam ab Imp. habitandam acceperat) bonorum expoliationibus, exilijs, cruciatibus, ac mortibus summopere vexabat, Pontificatum post S. Cœlestinum I. gessit. Hic initio Pontificatus à Basso per calumniam apud Imper. & populum Rom. accusatus suam egregio innocentiam defendit. Actore iussu Imp. in exilium acto, prius in Concilio 77. Episcoporum damnato, ac à sacra communione, quæ illi in extremo vitæ duntaxat concederetur, semoto. Xystus autẽ diuino cultui intentus, totũ se ad sacras ædes instaurandas, extruendas, & exornandas contulit. Basilicam *S.* Mariæ ad *Præsepe* ædificauit, quam amplissimis muneribus exornauit, villa Scauri apud Caietam ad Clericorum victum attributa. Eius hortatu Valentinianus Imp. basilicas aliquot Romę, in ijs, *S.* Petri confessionẽ magnificentissimè Imaginẽ Saluatoris ex auro inter alia ornamenta largitus refecit. Cũ itaque

itaque S. Pontifex facultates omnes in Sacris ædificijs, ac in pauperum necessitatibus subleuandis insumpsisset, sanctéq; Ecclesiæ annos 8. præfuisset, creatis Presbyteris 28. Diaconis 12. Episcopis 52. 5. Kal. Martij obdormiuit in Domino an. sal. apud 440. Leone I. succedente apud S. Laurentium via Tiburtina sepultus. *Ex Plat. de vit. Pontif. & Annal. Eccles.*

ANNOTATIO.

De ædificatione S. Mariæ ad Præsepe meritò ambigitur.

QVòd Xystum basilicam S. M. ad Præsepe, quæ postea Liberij & S. Mariæ Maioris dicta est, ædificasse dicitur, dubitatione non caret. Nam ex Breu. Rom. in dedicatione S. M. ad Niues illam sub Liberio non instauratam, sed à fundamentis extructam fuisse apparet; Nisi fortè dicamus fuisse quidem eam à Xysto primum ædificatam, sed iniuria temporum prorsus collapsam, rursus sub Liberio à fundamentis excitatam.

DE S. SPE ABBATE APVD NVRSIAM.

Miracul. Spes 40. annos cęcus diuinitus illuminatur.

SPes Abbas venerabilis monasterio à se, in loco qui campIe dicebatur, à Nursina vrbe 6. M. P. distante extructo, præfuit. Hunc Deus 40. annorum spatio plaga cæcitatis afflixit: quam tamen animo æquissimo tolerauit. Cùm iam 40. ann. effluxissent, & lumen oculorum sibi diuinitus restitutum fuit, & vitæ terminus denunciatus, ac fratribus in cœnobijs per circuitum commorantibus prædicare iubetur, vt quemadmodum ipse corporalem visum receperat, sic illi ad eius prædicationem interius illuminarentur. Qui cum diuinis iussis obtemperasset, post 15. diem ad suum monasterium reuersus, conuocatis fratribus in medio illorum stans sacraméta Dominici corporis, & sanguinis sumpsit, & cum psalmos cum eis canere cœpisset, illis psallentibus, orans animam Deo reddidit. Ex cuius ore columba exire, & ex oratorio aperto tecto in sublime euolare à fratribus visa est. *Ex S. Greg. Pap. lib. 4. Dialog. cap. 8.*

ANNOTATIO.

Geminus Spes.

DE S. Spe agit Pet. in Catal. lib. 11. c. 107. inter SS. quorum dies natalitius suo tempore ignorabatur, sed eadem prorsus habet, quæ S. Greg. loco citato. Fuit alter Spes Episcopus Spoletinus de quo die 24. Non. agetur.

DE S. CONONE MONACHO CONFESSORE APVD NAXVM.

Mirac. 1. Puella obsessa liberatur. 2. Aegroti signo crucis sanantur.

COnon, qui & Conus, monachus S. Basilij, Naxi, seu Nasi in Sicilia honestis parentibus ortus, à puero religionis cupidus, habitum monasticum sub S. Basilij instituto induit, ac factus Sacerdos, in Palestinam loca Sancta visitaturus proficiscitur, vbi quosdam à simulata ad veram religionem conuertit. Reuersus in patriam, mortuis parentibus patrimonium pauperibus distribuit. Accusatus, quod puellam violasset, statim innocentia eius patefacta dimittitur, puella verò, quæ S. virum calumniata fuerat, à Dæmone arrepta, vexatur, donec ad S. Conum perducta, petita humiliter venia, ab eo oratione curata est. Quare multi in dies ægroti ad eum deferebantur: quos ille oratione, & signo Crucis diuinitus sanabat. Senio confectus Deum suppliciter orabat, vt se ex carnis huius ergastulo quam primum educeret. Cui oranti, & in extasim rapto Angelus

gelus propinquam mortem denunciat. Lætus eo nuncio, manusque in cœlū tendens, vix ea verba *In manus tuas Domine commendo spiritum meum* protulit, cum illum Deo reddidit. Sonantibus autem sponte castri campanis, ciues rei nouitate permoti, ad cellam B. Coni accurrunt causam miraculi huius ab eo sciscitauri, ac illum defunctum genuflexum, quasi orantem, & suauissimum ex se odorem mittentem reperientes honorificè sepeliunt, multis infirmis in eius funere mirabiliter sanatis. Ann. salut. 1236. Rogerio II. regnante. *Ex Maurol. in suo Martyrol. ac ex M.S. Eccles. Nasiensis.*

Campanè vltrò personant.

3. Cononem quasi orantē inueniunt.

4. Suauissimus odor emittitur.

5. Infirmi in eius funere sanantur.

ANNOTATIO.

Colitur, & Conus Ab. Panormi in Sic. tertio Non. Iunij: qui propterea ab hoc Cono diuersus esse videtur.

Martij die 29.

DE S. SECVNDO MARTYRE BRIXIENSI.

Brixiæ in basilica S. Afræ corpus S. Secundi martyris, cuius hac die Ecclesia Brixiensis tanquam sui ciuis, & martyris commemorationem facit. Hic ob Christi fidē eodem tempore, quo SS. Faustinus, & Iouita, ac SS. Calocerus Albingaum, Marcianus Derthonæ, & Secundus Astæ passi sunt, hoc est sub eadem persecutione coronatus esse videtur, actaque illius, cum actis S. Secundi Astensis cōfundi videntur. *Ex Tab. Eccl. Brix. in quibus ille Brix. mart. nominatur. Quare vel illam decepi, vel duos huius nominis martyres circa idem tempus, hoc est Brixiensem, & Asten. diuersos prorsus fuisse necesse est. Nec dici potest, eundem Secundum Astæ & Brixiæ coli, cum vtraque. C. corpus sui mart. habeat, nam Tab. Eccl. Brixien. corpus S. Secundi in Basilica S. Afræ asseruari indicant.*

ANNOTATIO.

IN Martyrolog. Roman. hac die S. Secundus mart. Asten. non Brixien. memoratur. Tametsi alia die Asten. Ecclesia illius Natalem colere consueuit.

Martij die 30.

DE SANCTO QVIRINO TRIBVNO, ET MARTYRE ROM.

Quirinus, Tribunus cum S. Hermetem vrbis Præfectum in custodia detineret ac S. Alexandrum Papam in alio carcere detentum diuinitus vinculis solutum in eundem Hermetis carcerem ingressum, cum eo loquentem, (licet omnem adhibuisset diligentiam circa fores, & vincula, quæ triplecauerat) vidisset eo miraculo, quòd tamen principio magiæ tribuebat, & sequenti, quòd Balbina eius filia à S. Alexandro à struma circa collum oborta vinculorum ipsius Pont. tactu liberata fuisset, commotus, ad Christum conuersus est, & omnes quos in vinculis habebat Christianos effectos liberos dimisit. Quod vbi Aurelianus Comes resciuisset, Quirinum ad se accitum grauiter obiurgat, qui se Christianum libera voce professus ait, *Si vis occidere, si fustibus cadere, si ignibus concremare, fac quod libet omnes enim ad mortem pro Christo subeundam non secus, ac famelici ad escam parati sumus.* Quibus verbis Aurelianus incensus in equuleo suspensum Quirinum torqueri iubet, linguamq; præcidi, & cū ille nec his tormentis

Inclita Quirini verba.

mentis cederet, manibus, pedibusque amputatis, capite, iubente Iudice, plectitur, & corpus canibus, proijcitur: quod Christiani raptum via Appia in cœmeterio Prætextati condidere 3. Kal. Aprilis. *Ex Gestis S. Alexandri Papæ apud Sur. tom. 3.*

ANNOTATIO.

VSuardus S. Quirinum Tribunum sub Aureliano Imp. passum perperam scribit: Nam paulò ante S. Alex. Papa coronatus est, Alex. autem Papa, non sub Aureliano Imp. sed Comite, à Traiano Imp. siue, vt alijs libet ab Hadriano Romam missomartyrio affectus est. Corpus S. Quirini Nuesium apud Coloniam Agrippinam translatum, ibi summa celebritate Prid Kal. Maij. teste Io Molano colitur.

DE S. ZOSIMO EPISCOPO SYRACVSANO.

ZOsimus, Syracusis nobilibus, ac locupletibus natus parentibus, septennis in cœnobio S. Luciæ fit monachus, à S. Fausto Abbate, in cuius locum postea successit, receptus. Illi custodi loculi S. Luciæ constituto, cum aliquando recessisset, illa in somnis minabunda & flagellans apparuit. Cum autem Patricia mulier, vt B. Helias Episcopus refert, ad Zosimum accedens indigna passione æstuans in languorem incidisset, audita est Santa martyr clamans. Tollite hinc hanc fœtidam Dominam vestram & accurrentes famuli eam mortuam extulere. Cum Zosimus 30. annos in monasterio egisset, Faustoque Abbati successisset, Theodoro Sum. Pontif Episcopus inuitus creatur. In officio Episcopali vitam monasticam minimè deseruit, abstinentiam enim, humilitatem. paupertatem, continentiam, mansuetudinem, & cæteras monasticas virtutes prosequebatur: In pauperes maximè pius erat. Petenti eleemosynam cum duo numismata dari iussisset, Diaconusque negaret se habere, quod daret, S. Episcopus pennulam publicè exutus vendi, & eleemosynam dari præcepit: Cui paulo post iuuenis (qui Angelus fuisse videtur) massam auri detulit. Erat eloquens. & grauis, omnibusque vitæ, disciplinæq; præcepta dabat. Anno ætatis 82. Episcopatus verò 5. templum Saluatori excitauit augustum. Principem Syracusanum Synogogam Hebræis ædificare volentem à sententia ita remouit, vt ex amico hostis illis fieret. Adeò austeritatis, & paupertatis fuit amans, vt vel ægrotans Psiatho pro grabato vteretur, scissurisque vestimentorum operiretur. Cum verò Imperatoris cubicularius, eum visitans, molle stratum, & vestimenta quædam noua accipere coegisset, S. Episcopus post illius discessum ea vendi, prætiumq; pauperibus errogari iussit. Demum 13. Episcopatum anno febri correptus cum Heliam Archidiaconum successorem designasset, 3 Kalen. Aprilis migrauit è vita. Multis etiam post mortem miraculis emicans. Nam pannus lineus, quo corpus eius extersum fuerat, mulierem diu fluxu sanguinis laborantem liberauit ei admotus. Naucleri cuiusdam filius, claudus à natiuitate ad S. Episcopi tumulum delatus integritatem membrorum obtinuit. Mulier quædã Alexandrina Theodora nomine oculorum salute desperata, oleo lampadis ante Zosimi sepulchrũ lucentis vncta visum recepit. *Ex Cod. Eccl. Beneuent. M.S. in quo fusissimè eius vita recensetur.*

Mirac post mortem.
1. Muliere sanguinis fluxu liberatur.
2. Claudus à natiuitate erigitur.
3. Fœmina oculorum salute desperata visum recipit.

ANNOTATIO.

VIta S. Zosimi à B. Helia Episcopo Syracusano eius successore scripta est. Floruit autem circa an. Dom. 642. Thedoro t. Pont. & Constante II. Imp.

DE

DE S. CLINIO CONFESSORE APVD AQVINVM.

CLinius, siue Clinus natione Græcus, factus monachus Casinensis vitæ sanctitate, & miraculis resplenduit. Is ecclesiæ Forestanæ, cui titulus est S. Petri inter Pontem Curuum, & Arcem Gulielminam (vulgus locum S. Pietro della Foresta nominat) præpositus, cum ibi aliquot annos Deo inseruisset; tandem cumulatus meritis obdormiuit in Christo. Eius corpus in memorata ecclesia in marmoreo sarcophago conditum piè asseruatur, & colitur. Est enim eius loci patronus. *Ex monum. Eccles. Aquin.*

ANNOTATIO.

ACta ab Episcopo Aquinate dudum flagitata nondum habere potuimus.

DE S. MAXENTIA VIDVA TRIDENTINA.

MAxentia, S. Vigilij Episcopi Tridentini & martyris mater, viduilem vitã post mortẽ viri in omni sanctitate duxit, ea in finibus Tridentinorum singulari religione, & pietate ita eluxit, vt eius sanctitatem multis miraculis Deus testatam esse voluerit. Vitam illius Altmanus Episcopus Tridentinus scripsisse fertur, in qua eius gesta præclara continentur.

ANNOTATIO.

HAc die à Molan Addit. ad Vsuard. Natalis illius adnotatur; Sed apud Petr. Gales. Prid. Kal. Maij. de ea agitur.

DE B. MORICO ORD. CRVCIFERORVM, ET MINORVM.

MOricus, qui & Mauritius primùm Deo in ordine Cruciferorum ministrauit. Qui apud Assisium grauiter ægrotans, desperata à medicis salute, S. Franciscum, vt sibi opẽ ferret, suppliciter orauit: à quo malagma ex oleo lampadis ante Sanctissimæ Dei genitricis imaginem ardentis confectum accepit, eoque vnctus illicò sanus effectus est. Inde ordinem ingressus Minorum, vitam austerissimam duxit, amictu abiectissimo exterius, ac interula ex ferreis ansulis contexta interius indutus. Qui pane, vino, coctisque cibis omnibus abstinens, solisq; herbis, leguminibus, & fructibus vsus, vitam tamen in multos annos robustus produxit. Ad extremum ex caduca ad immortalem vitam translatus, multis miraculis emicuit. *Ex Chron. Ord. Min. par. 1. lib. 1. cap. 16.*

A S. Francisco oleo lampadis sanatur

Relig. Minorum ingred.

Vitam austerissimã agit.

Claret mirac. post mortem.

ANNOTATIO.

EIus mem. Maurolyc. in suo Martyrol. eumque fratres Cruciferos officio Ecclesiastico die suprascripta celebrare accepimus, nescio an de Sed. Apost. concess.

Martij die 31.

DE S. BALBINA VIRGINE ROMANA.

BAlbina, virgo, S. Quirini Tribuni, & martyris filia, egregia forma, quõ têm pore S. Alexander Papa, & S. Hermes Præfectus in carceribus apud patrẽ detine-

detinebantur, struma illi circa collum oborta fœdabatur, quam cum pater vehementer amaret, eamque iam nubilem in matrimonium collocare cogitaret, se in Christum crediturum S. Alexandro, si filiam ab eo vitio liberasset, pollicetur. Alexander autem filiam, catena, qua vinctus erat, collo virginis admota, illicò sanat, non sine patris lætitia, & stupore. Qui vnà cum filia in fide Christiana instructus, facto lauacro regeneratur. Balbina itaque, cum paulo post puer elegantissimo aspectu facem ardentem manu gestans illi adparens dixisset I.C. Balbina te sanam fecit, & te in sponsam suam accipit, & his dictis disparuisset. Virginitatem Domino vouit. Cùm autem catenas & vincula S. Alexandri Papæ frequenter oscularetur, isque vt S. Petri Apostoli vincula non sua oscularetur, dixisset, diu illa conquisita, tandem inuenta exosculari, & venerari non cessabat: ac post patris necem, & S. Pontificis passionem, in pijs operibus vitam ducens immaculatam Prid. Kal. Aprilis an. sal. 132. Hadriano Imper. migrauit ad sponsum. *Ex Gestis S. Alex. Pap. & ex lib. Virg. Rom.*

S. Alex. Papæ mirac.

Puer elegantissimo aspectu Balbinã alloquitur.

A N N O T A T I O.

Corpus S. Balbinæ apud patrem via Appia conditum fuit ex Martyrol. Num vero in Ecclesia sibi dicata in vrbe vnà cum patris corpore quiescere fertur. Flos SS. in vita S. Hermetis Balbinam in via obijsse, cum demergenda in mari cum alijs duceretur, habet; Quod si ita esset, in numero martyrum reponi deberet.

Balbina martyr foret.

DE S. MAVRICILIO EPISCOPO MEDIOLANENSI.

Mauricilius, multis virtutibus illustris, post S. Antoninum summo totius Cleri consensu Episcopus Mediolanensis eligitur. Qui à Deodato Sum. Pont. an. sal. 671. circiter confirmatus, consecratus est. Cum autem munus Episcopale aggressus, summam Episcopatus rectè administrandi spem omnibus præberet, signaque iam sanctitatis non obscura dedisset, quarto mense magno sui desiderio relicto, prid. Kal. Aprilis migrauit è vita. *Ex Tab. Episc. Mediolanens. Corpus in æde S. Satyri conditum asseruatur.*

A N N O T A T I O.

Besutius in vit. & Tab. Episc. Mediolanens. Mauricilium an. Dom. 667. ad Episcopatum promotum ait; quod ab Eccles. Cronol. dissidet; Nam Deodatus, siue Adeodatus Papa, qui illum confirmasse dicitur, an. 670. seu 669. Pontif. administrare cœpit. vt in Annal. apud Baron.

Et si hic inter SS. Episc. censetur, vti in Act. Eccl. Mediolanens. habetur, in Tab. tamen Ecclesiast. ad vsum sacrum quotannis confectis, haud descriptus legitur.

Aprilis die 1.

DE S. PRVDENTIO EPISC. ET MARTYRE ATINATE.

Prudentius post S. Carum ecclesiam Atinatem, annos supra 25. Caio Pont. à quo ordinatus est, sanctissimè administrauit. Cum verò zelo eum perurgente statuam Iunonis in templo apud Thermas Antonianas collocatam demoliri vellet, ab Idolorum cultoribus immaniter interficitur. Eius corpus cum triduò ante prædicti templi fores inhumatum iacuisset, à Christianis ereptum in ecclesia S. Petri conditum fuit. Passus ex Kal. Aprilis. *Ex vit. & pass. SS. Atinæ Protectorum à Petro Paulo Florio Vrbinate edit.*

Prudentius immaniter interficitur.

AN-

ANNOTATIO.

EGet vita prædicta & monumenta Atinatis Eccles. à quibus desumpta est, correctione, in eo quod S. Prudentium sub Probo Imp passum dicunt. Si enim à S. Caio Episcopo ordinatus Ecclesiam tot annos administrauit. quis non videat tunc temporis non Probum, sed Diocl. Imperio præfuisse, siue proximè sequentes Imper.

DE S. THESIDIO MARTYRE TVSCANÆ.

VBi & quo tempore hic S. martyr coronatus fuerit, quæq; illi fuerit patria; haud hactenus sciri potuit. Is Tuscanæ, vbi corpus illius religiosè asseruatur, vt ex marmorea patet inscriptione, colitur. *Ex Tab. dicta Eccl.*

DE S. THEODORA MARTYRE ROMANA.

THeodora, nobilissima Romana, S. Hermetis Præfecti vrbis, & martyris soror, vnà cum fratre & tota familia in Christum credens, ac in fide erudita à B. Alexandro Papa baptizata est. Cum autem S. Hermetem martyrio affectum sepelisset, & ipsa iussu Aureliani Iudicis comprehensa in carcerem, & vincula conijcitur: ac post initum certamen, cum in fide constans reperiretur, gladio animaduersa capitis obtruncatione martyrium compleuit Kal. Aprilis. *Ex Pass. S. Hermetis, & Gest. S. Alex. Papa.*

ANNOTATIO.

AN virgo fuerit Theodora, vel matrona incertum est: licet Petr. in Catal. lib. 4. cap. 20. ipsam virginem faciat. Si V. fuit, mirum est, quod in lib. de Virgin. Rom. prætermissa fuerit.

Hic etiam error eiusd. Petr. Equilini, & Petr. Gales. ac Mombrit. tollendus, qui Hermetem, Theodoram & alios sub Aureliano Imp. passos esse scribunt, cum is Aurelianus non Imp. sed iudex fuerit.

An Theodora virgo extiterit. Quorundam error.

Aprilis die 2.

DE SANCTO FRANCISCO DE PAVLA Minimorum autore.

FRanciscus Paulæ Calabriæ oppido humili loco, ex voto parentum, qui diu prole caruerant natus, sicque nominatus, quod S. Francisci precibus conceptus esset, adhuc puer diuino ardore succensus in eremo annos 6. vitã asperam, sed cœlestibus meditationibus suauem duxit. Cùm verò, fama virtutum eius peruagante, multi ad eum studio pietatis concurrerent, vt multis prodesset, ecclesiam propè Paulam prima ordinis sui fundamenta iaciens ædificauit. Mira inter loquendum gratia præditus erat. Perpetuò virginitatem. Humilitatem autem sic adamauit, vt se minimum omnium diceret ac suos minimos appellari voluerit. Rudi vestitu, & nudis pedibus incedens, humi cubabat. Cibum semel in die duntaxat, & post solis occasum pane & aqua, quibus aliquando aliquid ex ijs, quibus in Quadragesima vesci licet, adiungebat, contentus capiebat. Fratresque, vt non nisi quadragesimalibus escis, quouis tempore vterentur quarto voto obstrinxit. Multis miraculis claruit. Quorum in primis illud

Franciscus de Paula Virgo. Quartum votum.

illud celebre fuit, quod Siciliæ fretum, à nautis reiectus, pallio super fluctibus strato, cum socio transmisit. Memorandum id quoque, cum ardentes carbones nudis manibus acceptos aliquot præsentibus sine læsione aliquandiu teneret. Spiritu etiam prophetico multa futura prædixit. In ijs Turcarum in Salentinos aduentum, Hydrunti expugnationem, & liberationem. A Ludouico XI. Gallorum Rege accitus, in Galliam profectus, magno in honore habitus est. Vbi Turonis 91. annum agens an. sal. 1700. migrauit ad Dominum. Corpus per dies 11. insepultum manens, & incorruptum, suauem efflauit odorem. Illum Leo X. Pontif. Maxim. ad Regis Galliæ, & aliorum preces in sanctorum numero Kal. Maij an. Dom. 1519. adscripsit. *Ex Breu. Rom. & eius vita, quam Paul. Reg. lib. de SS. Regni Neapolit. adfert.*

ANNOTATIO.

Innumera propè sunt, quæ S. Franciscus edidit miracula; ex quibus, vt propositam sequeremur breuitatem, pauca recensuimus lectorem ad eius vitam fusius scriptā remittentes.

Hymnus S. Francisci ex eius off.

Brutio natus pater hic beatus:
Paula quem mundo peperit ruente
Quemque miraclis retinet coruscum
Gallica tellus.

Maluit terris humilis videri
Rebus in cunctis, minimusque dici,
Celsus vt tandem superùm cateruis
Esset Olympi.

Hinc suos omnes minimos vocari
Censuit fratres humiles, vt essent,
Ac Beatorum valeant & ipsi
Cœtibus addi.

Hic pius, iustus, fuit, & pudicus,
Abstinens, prudens, humilis, benignus,
Regis æterni teneris ab annis
Iussa sequendo.

Vita iam cuius celebris per orbem
Extitit signis redimita miris,
Quandiu sacros vegetauit eius
Spiritus artus.

Ad suum demum tumulum frequenter
Languidis cunctis tribuit medelam,
Sæpe confert, & miseris rogatus
Dona salutis

Hinc vident cæci, graditurque rectè
Claudus, auditum capit atque surdus:
Mortui surgunt; recipitque mutus
Organa vocis.

DE

DE S. ABVNDIO EPISCOPO COMENSI.

Abundius, qui & Abundantius, patria Thessalonicensis, Comum veniens cum sanctitatis, & doctrinæ laude præstaret S. Amantio in Episcopatu successit: quo tempore Eutyches, & Nestorius hæretici peruersis opinionibus Ecclesiam diuexabant. A Leone I. Summo Pont.cum alijs Constantinopolim ad Theodosium Imp. pro rebus Ecclesiæ cõstituendis missus, in ea re summam laudem consecutus est, vt Theodoretus Episcopus Cyrrhensis, qui Chalcedonensi interfuit concilio, in epistola testatur. Reuersus in Occidentem, ad Eusebium Episcopum Mediolanensem cum mandatis Apostolicis dirigitur, & coacto multorum Episcoporum concilio Hæreses in epistola Synodica ad Flauianum Episcopum Constantinopolitanum scripta, & ab alijs Episcopis subscripta, damnauit. Comum rediens, reliquos, qui adhuc pristina superstitione tenebantur in ea vrbe ad Christum conuertit eo maximè miraculo, quòd filium viri præpotentis vnicum defunctum sua oratione ad vitam reuocasset. Quo miraculo Baptismum suscipientes, templa Deorum, quæ restabant, demoliti sunt. Tandem S. Episcopus multis pro Ecclesia perfunctus laboribus, in die Paschatis post sacra peracta, astanti populo propinquam mortem suam denunciat, & illum ad susceptam fidem retinẽdum hortatus, paulò post animam Deo reddidit, in æde SS. Apostolorum; quæ hodie S. Abundij nominatur, humatus. Illum Comenses, vti præcipuum patronum, summa celebritate venerantur. *Ex Breu. Eccles. Comen.*

Eutyches, & Nestorius Hæretici.

Abundius à Leone I. ad Imp. mittitur.

Flauianus Episcopus Constantinopol. damnatur.

Mirae Filius parentum vnicus excitatur.

ANNOTATIO.

EX Tabella Epp. Comens. qui in episcopio in pariete depicti sunt, S. Abundius IV. Episcopus fuit. Cuius corpus, vrbe ciuili bello fœdata, circa ann. Dom. 1400. *in maiorem eccles. translatum fertur.*

Hymnus S. Abundij ex vet. Breu. Comen.

PRæsens exultet concio
Abundij Sacro die,
Gregem qui suum trucibus
Luporum vellit faucibus.
Doctrinam Christi prædicans,
Potentiamq; eius referans
Ad lucem Regis mortuum
Resuscitauit filium.
His ita curis deditus
Spiritu sapit exitum,
Cœli sumpturus gloriam,
Suis parat concordiam.
In Paschæ quippe gaudijs
Ciues conuiuas habuit:
Quibus refectis epulis
Gestatur hinc ab Angelis.
Nobis tu pater filijs
Plenis succurre criminum
Aggredientum tumulum
Culparum dele cumulum.
Te gubernante valeat
Ista Comensis patria
Quæ Christum noscit Dominum
Per tuum patrocinium. Amen.

DE S. GVIDONE ABBATE POMPOSIANO.

GVido honestis parentibus Rauennæ natus, & piè educatus, adolescens Romã ꝓficiscitur, ibiq; factus clericus, dũ Hierosolymitanã peregrinationẽ

Martinus Eremita continentissimus. Albertus Pater, & Gerardus frater. Mirac. 1. de vita. Operarius ex alto cadēs illęsus surgit. 2. Monachus Guidonis precibus ex mortuo resurgit. 3. Episcopus odio exardescens, amore in Guidoné flagrat. 4. Aqua in optimum vinum cōuersa. Miracul. in morte. 1. Campanæ spontè sonāt. 2. Cæcus lumé occulorū recuperat. 3. Infirmi diuinitus sanantur.

suscipere cogitat, vt Rauennam sub Martini Eremitæ viri continentissimi in Insula apud Pomposiam habitantis disciplina mansuetus reuertatur, in somnis admonetur. Cœlestibus itaq; moniris obtemperans, sub Martino tres annos commoratus Pomposiam venit, inde ad monasterium S. Seueri ab vrbe Rauenna 3. M.P. distans. Fama autem probitatis, & virtutis sparsa, Abbate Pomposiæ defuncto subrogatur, quo tempore Albertus pater, & Gerardus frater sæculo relicto Christi seruitio se se dedunt. Guido factus Abbas monasterium summa prudentia administrans, multis miraculis sanctitatem suam declarauit, in quibus hæc referre sufficiat. Quidam ex operarijs monasterij ex alto cadens S. Abbatis merito illæsus surrexit. Martinus monachus in cellula à monasterio 3. milliarijs dissita defunctus ad S. Guidonis preces reuixit, ac locis tormentorū fratribus enarratis, triduo post percepta Abbatis benedictione, quieuit in pace. Cum Heribertus Episcopus Rauennatum monasterium Pomposianum, secum ductis armatis viris, odio in virum Dei stimulatus, demoliri vellet. S. Guido cum monachis ad orationis præsidium confugit. Adueniens itaq; Episcopus, & ecclesiam ingressus ira mutatus est, vt Abbatem humanissimè affatus cum eo deinceps amicitiam coluerit. Cū Gobehardus Heriberti successor Pōposiæ cibum in refectorio cum monachis caperet, ex aqua ante Abbatem posita sibi afferri iussit, quæ, stupente Episcopo in vinum optimum conuersa est. Tanta erat Guidonis Abbatis sanctitas, vt infirmi certatim aquam, qua ille manus abluisset, arriperent, quod ea abluti sanabantur à morbo. Ab Henrico II. Imp. in Italiā veniente inuitatus, inuitus iter arripuit, quòd, vt monachis prædixerat, non amplius eum visuri essent. Cum Parmam itaq; & Iuliam (quam Burgum S. Domnini nunc dicunt) vt occurreret Imperatori venisset, ira ægrotauit, vt 3. Non. Aprilis an. sal. 1046. vita excederet, campanis nullo pulsante sonantibus, & cæco ad sacri corporis contactum lumen oculorum recipiente. Corpus ab Imp. Veronam, vbi aliquot infirmi diuinitus sanati sunt, primum delatum deinde Spiram in Germaniam, vbi augusto ei templo excitato præcipuo honore colitur, translatum est. *Ex Cron. monast.* Pomposiani, Hieronym. Rub. lib. 5. Hist. Rauenn. Carol. Sigon. lib. 8. de Regno Ital. & alijs.

ANNOTATIO.

Hac die Natalis S. Guidonis Rauennæ & Pomposiæ celebratur: Spiræ verò prid. Kal. April. vbi translatio non Natalis ea die recoli videtur.

DE S. MVSA VIRGINE ROMANA.

Gemina B. M. Deigenitricis apparitio.

Mvsa puella, & Virgo Romana, quæ S. Gregorij Papæ tēpore vixit, adhuc paruula mirabili B. M. Deigenitricis multis virginibus comitatæ visione huiuscemodi dignata est. Nocte quadā, dum Musa placidè dormiret illi B. Deipara cum virginibus candida veste indutis apparens sic eam affata dicitur, vt si se illis virginibus adiungi vellet, nihil leue, nihil puerile ageret, seque à risu, & iocis contineret: sic enim fore, vt post trigesimum diem voti sui compos fieret. Puella itaq; posthæc in alteram mutata, omnem leuitatem puerilem in admirandam grauitatem conuertit. Quam mutationem parentes mirati, ac causam percunctantes, ab ea quid sibi à Deigenitrici præceptum fuerat, quodque post 30. dies ad illius obsequiū, transferenda foret, intelligunt. Vigesimo quinto itaq; die febre corripitur: trigesimo autem die cum rursus genitrix Dei cum eisdem virginibus adparens eam vocaret, illa *Ecce Domina venio, Ecce Domina venio* respondens de corpore exiuit. *Ex lib. 4. Dialog. S. Greg. Pap. cap. 17.*

AN-

ANNOTATIO.

ANton. Gallonius in lib. v. reg. Rom. scribit S. Musam, cum sibi B.V.M. apparuit, quinquennem fuisse. Quod vnde acceperit, nescio D. Gregorius enim loco citato paruulam quidem nominat; sed non quinquennem.

Aprilis die 3.

DE S. PANCRATIO EPISCOPO TAVROMITANO, ET MARTYRE.

PAncratius Antiochenus S. Petri Apostoli discipulus, cum eo in Italiam veniens, seu ab eo Antiochiæ adhuc existente Episcopus ordinatus, Taurominiumq; in Siciliam primus eius vrbis Episcopus destinatur. Is cum in Rhomillam, & Lacaonidem piratas nauigans incidisset, illos fide eis prædicata, ad Christum conuertit. In Insulam ingressus, Falconis, & Lissonis, aliorumq; Dæmonum euertit simulachra, ac Taurominij Præfectum Bonifacium nomine prædicatione, & miraculis ad Christi Domini fidem perduxit. Templumq; illi ædificare persuasit. Multos ex Gentilibus in dies, cum ægrotos eum sanare aliaq; signa edere cernerent, D.N. per sacrum lauacrum conciliabat: Sed eum absente Bonifacio viris agrestibus, & montanis prædicaret, ab illis interfectus martyrio coronatur. *Ex Menolog. Græcorum.*

ANNOTATIO.

VErisimile est S. Pancratium à S. Petro, dum Antiochia Romam tenderet, ac in Siciliam diuertisset, Episcopum Tauromitanum ordinatum fuisse: Nam eo tempore S. Marcianus Episcopus Syracusanus, & S. Apollinaris Rauennæ ordinati sunt, constat autem Apollinarem cum Petro Antiochiam Romam venisse.

Aprilis die 4.

DE S. AMBROSIO EPISCOPO MEDIOLANENSI, Et Eccles. Doctore, vide die 7. Decemb.

DE S. GVLIELMO EREMITA APVD SECVLVM IN SICILIA.

GVlielmus Eremita, apud Seculum oppidum Syciliæ Syracusanæ Diœcesis v tam solitariam in cellula, quæ vix hominem caperet, inclusus duxit, assiduis vigilijs, orationibus, ieiunijsq; Deo deseruiens, & corpus suum verberibus affligens. Cuius sanctitas miraculis declarata est. Inuitato eo ab amico ad comedendum cum vinum deesset, vxor amici vas vacuum Gulielmi iussu repetens, illud vino plenum diuinitus inuenit. Cum mortem suam eidem amico prædixisset, & calceos suos ad domum illius detulisset, sequenti nocte Prid. Non. Aprilis an. sal. 1404. ex hac vita migrauit, campanis nullo pulsante sonantibus. Populus Seculensis hac nouitate cōmotus ad cellulam B. viri pergens, illius cadauer genuflexum, manusq; adhuc in cœlum tendens, & locum cœlesti quodam splendore illustratum inuenit. Cum autem is esset, in qua ecclesia sepeliri deberet. Corpus plaustro impositum à iunctis bobus ad ecclesiam S. Mathæi, quæ maior est, delatum, ibi in arca marmorea cōditum est. Ad cuius tumulum plura super ægrotis morbis insanabilibus oppressis miracula sunt patrata. Cum autem pestis vicinas vrbes & oppida grassaretur, seculum S. Gulielmi capite in publica supplicatione delato ab ea illæsum seruatum est. *Ex vita eiusd. M.S. ex op. Seculen. habita.*

Mirac. 1. Vas vacuum vino diuinitus repletur.
2. Campanæ vltrò personant.
3. Corpus S. Gulielmi genuflexū, manusq; in cœlum tendens reperitur.
4. Ægroti morbis insanabilibus sanant.
5.
6. Seculum S. Gulielmi à peste liberatur.

ANNOTATIO.

PAulus III. Pont. Max. vita S.Gulielmi examinata, vt illius Natalis hac die Seculi celebretur, concessit. Ex diplomate an. 1537. die 26. Febr.

Alter Gulielmus in Sicilia sanctitate clarus fuit: de quo die 16. huius agetur.

Aprilis die 5.

DE SS. VIRGINIBVS, ET MARTYRIBVS AGAPE, Chionia, & Irene apud Aquileiam.

AGape, Irene, & Chionia virgines, & sorores, Christianæ apud stagnũ non longè ab eo loco, in quo S.Chrysogonus securi percussus fuerat apud Aquileiam, morabantur. Cum autem S. Chrysogonus in somnis Zoilo Presbytero apparens dixisset, fore vt S. Anastasia tribus sororibus socia in agone martyrium cum illis consumaret, illa vbi id à Zoilo accepisset, ad sanctas virgines salutandas venit, & illis ministrauit. Quod cum Diocletianus didicisset, virgines comprehendi, & *Præfecto* regionis excruciandas præsentari iubet. Quod cum factum fuisset, illæq; in fidei confessione constantes permanerent, Sisinnio Præfecto traduntur: qui Agapen. & Chioniam in ignem misit, in quo intactæ animas Deo reddiderunt. Irenen verò vnus militum sagitta transfixit. Cum prius carcerem, quòd sacros codices contra Imp. edictum occultasset passa esset. Quarum corpora S. Anastasia collecta honorificè condidit apud Aquileiam. *Ex Menol.Græc. Martyrol.Vsuard. (licet eas Thessalonicæ passas velit) ex Pass.S.Anastasiæ. Ex Pet.in Catal.lib.4.cap.27. Qui tamen quædam inuerissimilia miscet.*

ANNOTATIO.

MArtyrol.Rom.Vsuard.& Ad. secutum virgines has Thessalonicæ passas refert: sed ex earum actis à Metaphr.& Græcis in Anthol. relatis, ex actis S. Anastasiæ mart. ex S. Anton.in Hist.p.1.tit.8. c.1. Bonino Mombrit.tom.1.& Tab.Eccl. Aquileien. quæ illas hac die celebrat, apud Aquileiam passas apparet. Fortè aliæ virg. huius nom. vt fieri potuit Thessalonicæ passæ sunt. Rursus circa diem discrimen est. Nam Martyrol.Roman.cum Vsuard.& Ad. de eis die 3. April.agit. Græci die 16. eiusd.Tab.Eccl.Aquileien.hac die. Cum itaq; illæ Thessalonicæ passæ sint sub Maxim. Galerio, ex Metaph. hæ verò Aquileiæ sub Decio. ex Act.S. Anast. diuersas esse oportet.

Aprilis die 6.

DE S. XYSTO PAPA, ET MART. HVIVS NOM. I.

XYstus Romanus ex regione viæ Latæ post S. Alexãdrum Hadriano Imper. Pontificatum tenuit. Is multa constituit: in ijs, ne vasa, pallæ & aliæ sacræ res, ab alijs, quàm ab Ecclesiæ ministris tangerẽtur. Ne Episcopi Romam vocati, à suis absq; Sedis Apostolicæ litteris reciperentur, vt in *Missa* Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabbaoth cum ijs, quæ sequuntur, diceretur. Cum Galliæ Christiani, qui eos in fide cõfirmaret, postulassent, Peregrinum ciuem Rom. qui martyrio coronatus est, ad eos misit. Præfuit Ecclesiæ annos 10. menses 3. dies 21. & ter mense Decembri habita ordinationem Presbyteros 11. totidem Diaconos, Episcopos 4. creauit. Ipseq; martyrio affectus in Vaticano apud S.Petrum sepultus est. *Ex Damaso, & Plat.*

Xystus quædam salutaria decernit.

AN-

ANNOTATIO.

Licet Xystus Pontificatum Hadriano Imp. gessisse referatur: viuente tamen adhuc Traiano an sal. 117. die 29. Maij. Ex Cronol. Panuin. ac ex Plat. creatus est. Est tamen circa tempus, quo vixit, inter scriptores dissidium: nam Euseb. lib. 4. cap. 5. Hist. Eccles. annos 12. præfuisse ait. Marianus Scot. annos ferè 11. tribuit. Onoph. Panuin. ann. 9. menses 10. & aliquot dies. Qua in re Damaso, Plat. & Baronio in Annal. Eccles. standum est.

Inter scriptores de tempore quo vixit Xystus, dissidium.

DE S. SECVNDO MART. ET PATRONO ASTENSI.

Secundus nobil. Astensis, adolescens à Christiana religione alienus, cum S. Callocerum ob Christianam fidem in carcere detentum Hadriano Imper. visitasset, & sæpius de eadem fide disserentem audisset, ad Christum conuersus opportunitatem, quærebat, qua Christo, suscepto Baptismate, se daret. Contigit autem, vt Sapritius Liguriæ Præfectus, cui Secundus ob generis nobilitatem familiaris, & charus erat, Derthonam ad S. Marcianum Episcopum in vinculis detentum puniendum se reciperet, quem Secundus vt S. Episcopum visitaret, & alloqueretur, libenter comitatus est. Derthonam autem, postquam Marcianum visitasset, & ad perseuerandum in suscepta fide incensus fuisset, Mediolanum vt SS. Faustinum, & Iouitam ibi in carceribus, vinctos inuiseret, ab eisq; salutari lauacro recrearetur, contendit. Vbi à SS. martyribus in fide plenius eruditus Baptismum percepit, sacra etiam cõmunione refectus, quam & ad S. Marcianum deferendam accepit. Dum verò Derthonam regreditur, cum nauem, qua Padum flumen traijceret, haud inuenisset, ferunt illum cum equo ductore Angelo fluuium, quasi terram solidam pedibus calcando, superasse. Vbi Derthonam venisset, Sapritius Marcianum extra vrbem ductum decollari iussit, quem cum Secundus noctu sepelisset, idque rescisset Præfectus, ab eo grauiter obiurgatur. Cum autem Secundus se Christianum esse liberè confessus fuisset, Sapritius illum de hac mente promissis, & minis deducere conatur, sed frustra. Quare illum primùm denudari iubet: deinde in equuleo suspensum torqueri; tum depositum fustibus grauissimè cædi. Quos cruciatus Secundus fortiter perferens in obscurissimum carcerem truditur: quo ab Angelo ereptus, Astis ad Calocerum adhuc in custodia tentum venit. Sapritius postero die Secundo minimè inuento, Astas Calocerum puniturus reuertitur, & ibi Secundo cum Calocero in eodem carcere reperto, vtrumq; resina picéq; feruenti, quòd Deos colere constanter respuerent, perfundi iubet, ac Calocero Albingaunum nouis supplicijs afficiendum misso, Secundum capite plecti imperat. Cuius corpus à Christianis conditum, postea templo sibi augusto in medio vrbis extructo collocatum fuit. Cuius translatio ann. Dom. 1957. Kal. Iunij celebrata est. *Ex eius vita M. S. postea sermone vernaculo edita. Quæ tamen censura aliqua indigere videtur cum nonnulla minus verisimilia contineat.*

Secũdus fluuium Padum quasi terram solidam equitans calcando traijcit.

ANNOTATIO.

Hac die natalis S. Secundi ab Eccles. Asten. maxima celebritate colitur: licet Martyrol. Rom. illam 4 Kal. April. recolat. Qua die Brixia suum Secundum commemorat. Quapropter cum duos Secundos martyres habeamus (vt interim alios huius nomin. martyres taceam) vnum Astensem, alterum Brixianum crediderim illum Secundum, qui Mediolanum ad SS. Faustinum, & Iouitam venisse legitur, nõ Asten. sed Brixianum fuisse, id enim, cum essent eiusdem patriæ, verisimilius videtur.

Binos Secundos habet hæc dies Astensem, & Brixianum.

DE S. COELESTINO PAPA HVIVS NOMINIS PRIMO.

COelestinus Romanus ann. sal. 423. S. Bonifacio subrogatus Pontificatum Theodosio Iuniore, & Valentiniano Imperat. summa cum laude gessit. Nam inter alia eius præclara gesta basilicam Iulij dedicauit, eamque amplissimis, & pretiosis muneribus exornauit. Decreuit vt in Principio Missæ Psalmus *Iudica me Deus, & discerne causam meam de gente nō sanctâ ab homine iniquo, & doloso erue me* diceretur, & inter Epistolam, & Euangelium Graduale caneretur. Hiberniam misso S. Germano Episcopo Antisiodorensi, & Scotiam, misso Palladio viris doctrina, & sanctitate conspicuis ad fidem Christi perduxit. Nestorium Episcopum Constantinopolitanum B. Vriginem Mariam non esse Dei matrem appellandam asserentem coacta Ephesi 200. Episcoporum Synodo damnatum deposuit. His, & alijs benegestis ann. Pontificatus 8. mensе 10 ac 17. dies cùm mense Decembri ter habitis Ordinationibus Presbyteros 32. Diaconos 12. Episcopos 42. creasset, 8. Id. April. cessit è vita in cœmeterio Priscillæ via Salaria sepultus. *Ex Pontif. & Plat.*

Cœlestini decreta.

Cœlestinus Nestorium Maternitatē B. V. negantē deponit.

ANNOTATIO.

COrpus Sancti Cœlestini Papæ Mantuæ his temporibus est, ibique magnam habet venerationem.

DE S. PHILARÆTO MONACHO TAVRIANENSI.

PHilaretus siculus patria Panormitanus monachus S. Basilij, S. Heliæ Abbatis discipulus, apud Taurianum in Calabria monasticam vitam duxit: quo tempore SS. Fantinus, Nilus, & Bartholomæus sanctitate florebant. Is multa post se sanctitatis argumenta reliquit, & in eodem cœnobio apud Taurianum decessit. Cuius brachium adhuc in ecclesia suo nomini dicata vnà cum S. Heliæ Abbatis corpore religiosè asseruatur, & colitur. *Ex Cron. Calab.*

ANNOTATIO.

MEm. S. Philarati Paulus Reg. & Dauid Rhomæus in Catal. SS. Regni Neapol.

DE S. AMANDO COMITE GISALBÆ.

AMandus Gisalbæ (quod castrum agri Bergomen inter Bergomum, & Brixiam situm est, à Bergomo 8. M. P. plus minus distans) Comes pijs operibus addictus acceptabilemq; Deo vitam agens, templum S. Laurentio martyri ædificauit, illudq; amplis redditibus multis ei prædijs attributis dotauit: quod postea in Abbatiam erectum fuit: deq; S. Amandi nomine appellatum: cum verò aliquot annos ibi tanquam in cœnobio vitam religiosam duxisset, ann. salut. 515. 8. Id. Aprilis ex hac mortali vita decessit, in æde S. Mariæ eiusd. pagi, vt epitaphium suum declarat conditus. *Ex lib. qui Vinea Bergomen. inscribitur.*

ANNOTATIO.

VErum ne error circa tempus intercesserit: quæ in re propria illius acta, si extant, consulenda sunt.

DE

DE SANCTA GALLA VIDVA ROMANA.

GAlla nobilissima Symmachi viri Consularis filia, viro cui nupserat, post annum orbata, adduci non potuit, vt alteri nuberet; licet, iuuenis, formosa, & locuples esset, illam quæ medici, vt alicui viro copularetur, ne ob caliditatem barbam emitteret, vt homines, suaderent: sed se se in monasterio apud S. Petrum recipiens, cum monialibus vitam egit. Ea cum cancro in mammillis exorto torqueretur, quadam nocte S. Petrus Apostolus apparens, illam, quod breui ad sponsum migratura esset, solabatur. Cui illa, se Benedictam monialem, quam valde amabat, comitem cupere cum dixisset, respondit Apostolus se comitatam discessuram, Benedictam verò postea, & ipsam in cœlum euolaturam. Quæ cum Galla Præpositæ narrasset, sacris munita mysterijs post tres dies cum vna ex monialibus obdormiuit. an. sal. circiter 542. *Ex lib. 4. Dialog. S. Gregor. Pap. cap. 15. Ex lib. Virgg. Rom. in Benedicta V.*

S. Petri Apparitio.

A N N O T A T I O.

HAc die nonnulli in eius vita migrasse illam tradunt: Martyrol. tamen Roman. Natalẽ illius 3. Non. Oct. memorat. Sed illud fortè quisquã mirabitur, cur cũ ex S. Greg. loco memorato inter obitum S. Galla, & S. Benedicta V. 30. dies tantum interfluxerint. Martyrol. nihilominus Rom. S. Galla transitum d e 5. Oct. Benedicta verò die 6. Maij referat: cũ tamen S. Galla moriendo Benedict. 30. diebus præcesserit.

Aprilis die 7.

DE S. HEGESIPPO CONFESS. ROMAE.

HEgesippus ex Iudęo ad Christum conuersus doctrina, & vitæ sanctimonia Hadriano, & Antonino Impp. floruit, vicinusque Apostolorum temporibus, Actuum Ecclesiasticorum à Passione Domini ad suam vsque ætatem Historiam simplici stylo contexuit, vt quorum vitam moresque sectabatur, dicendi quoque exprimeret characterem; multaque ad credentium vtilitatem hinc inde congregans in quinque libros digessit. Historiam quoque Iudaicam à Mathathia Machabæorum patre ad belli Iudaici sub Vespasiano & Tito finem eleganti Sermone composuit. Scripsit & aduersus Idola. Romam venit Aniceto Pontif. Maxim. à quo factus Diaconus vsque ad Eleutherij tempora perseuerauit. Qui tandem de Christiana religione benemeritus 7. Idus Aprilis sancto fine quieuit. *Ex D. Hieron. lib. de Script. Ecclesiast. & de vir. Illust. ac ex Euseb. lib 4. cap. 21. & alijs locis Hist. Eccles.*

Hegesippus scriptor egregius.

A N N O T A T I O.

SVnt, qui lib. quinque de excidio vrbis Hierosolymæ non huius Hegesippi esse existiment: sed vel alterius, Hegesippi, vel alicuius, qui libro suo autoritatem ex tanti viri nomine comparare voluerit. Quod satis probabile inde apparet. quòd Constantinopolis mentionem faciens eam vrbem Romanæ dignitate parem effectam tradit, quod sanè Gratiano, & Theodosio Imperat. factum in Concil. Constantinopolitan. legitur.

adiutorem Episcopalis officij adhibuit. Inter quos maxima intercessit familiaritas. Cum autẽ Amantius vitæ finem sibi adesse præsentiret, Abundium à se delectum successorem adhuc viuens ordinauit, moxq; in morbum incidens, breui ex hac in alterã vitam digressus est 6. Idus Aprilis ann. salut. 460. circiter. *Ex Breu. Comen. & alijs eiusd. Eccles. monum.*

ANNOTATIO.

SAnctus Amantius Leone I. Pontif. Episcopus creatus est, SS. Anatolij Episcopi Constantinopolit. Eusebij Episcopi Medíolanen. (cuius erat suffrag. licet postea Episcopus Comen. Patriarchæ Aquileien. suffraganeus effectus fuerit) & Nicetæ Aquileien. contemporaneus fuit.

Hymnus S. Amantij ex Breu. vet. Comen.

MAgna quidem tunc gratia
Comensem intrat patriam:
Cum Beatus Amantius
Hanc regebat Ecclesiam.
Hic nam succedens tertius
Præsul almus Amantius,
Beneuolus, vt decuit,
Pastoris sedem tenuit.

Viuendi qui iam terminum
Ingrediens Abundio
Gregis committit regimen,
Hostis ne oues perderet
Sit laus Patri pro munere
De tanto Sancto Præsule,
Proliq; cum Paraclito
Vni, trinoq; Imperio. Amen.

Aprilis die 9.

DE SS. MARTYRIBVS, DEMETRIO, CONCESSO, Hilario, & Soc. Romæ.

HOrum Martyrum nulla extat Historia, sola viget *in Martyrol. Rom. memoria, ex antiquo Martyrol. monasterij S. Cyriaci. Ex quo in Martyrologium Rom. transcripti sunt. Ex Annotat. Baron.*

Aprilis die 10.

DE PLVRIMIS SS. MARTYRIBVS ROMÆ.

CVm S. Alexander Papa in custodia apud Quirinum Tribunum detentus, Balbinam ipsius Quirini filiam à strumæ morbo liberasset, plurimi ex ijs, qui in carceribus erant, eo miraculo commoti, & prædicatione S. Alexandri ad Christum conuersi, ab Euentioq; Presbytero baptizati, & si abire poterant, potestate sibi à Tribuno facta, martirij tamẽ cupidi, palmam illius expectantes in vinculis remanere maluerũt. Qua propter eos Aurelianus iudex vbi Christianos esse comperit, naui impositos saxis illorum collis alligatis in altum mare demergi iubet 4 Idus Aprilis. *Ex actis S. Alex. Pap.*

ANNOTATIO.

NOmina horum martyrum prorsus ignorantur: nec vbi eorum reliquiæ asseruntur, sciri contigit.

DE

DE S. BEDA CONFESSORE APVD GENVAM.

Beda monachus cum vitæ probitate, & doctrina admirabili præstaret, apud Karolum Magnum, cui charissimus fuit, aliquandiu commoratus, solitudinis desiderio captus, quo Regi Regum à turbarum frequentia, & sæculi tumultibus semotus vacare posset, ab Imp. cui id molestissimum fuit, recessit, & ad Gulielmum Abbatem monasterij ad Gauellum fluuium haud procul ab Hadria virum sanctissimum contendit. Sub cuius disciplina vnà cum Venerio Comite, & socio vitam diu duxit monasticam in assiduis vigilijs, meditationibus, & sacris lectionibus. Quam vsque ad quinquennium post Karoli Magni obitum produxit. Quo tempore, vitæ termino appropinquante, sacramentis munitus inter Abbatis, & Venerij, manus expirauit 4 Idus Aprilis an. sal. 820. Ad cuius tumulum mirabilia Deus operatus est. Cum autem, crescentibus aquis, ea loca raros haberent habitatores, & S. viri sepulchrum frequentari, colique desisset. Quidam monachus Genuensis eo veniens anno Domini 1225. Clam corpus illiud naui impositum in monasterium S. Benigni apud Genuam deduxit, & honorificè condidit, signis ad tumulum subsecutis præsertim super energumenis. *Ex Monum. Eccles. & Cœnobij prad. S. Benigni.*

ANNOTATIO.

SI vera sunt, quæ de S. Beda narrantur; illud à magno illo, & venerabili Beda Anglico doctissimo diuersum esse oportet; ille enim ante Karolum Mag. obijt circa an. sal. 766. Ex Baron. in Annalib. deinde vel nunquam fuit in Italia, vel certè in ea non diu moratus est, obijtque in Anglia in suo monast. vbi corpus eius requiescit. Vita tamen huius, quæ apud monachos S. Benigni est, cum vita S. Bedæ Anglici in multis confunditur.

Aprilis die 11.

DE S. LEONE MAGNO PAPA I. HVIVS NOMINIS.

Leo Hetruscus eo tempore rexit Ecclesiam, quo Attila Hunnorũ Rex Aquileiam triennio obsessam cępit, & diruit. Cui copias traijcere paranti; vbi Mincius in Padum influit, & Romam, vt illam diriperet, contendenti occurrit Leo malorum impendentium miseratione commotus, ac barbaro, vt regrederetur, diuina eloquentia persuasit. Qui à suis interrogatus cur præter consuetudinem Pontificis imperata tam humiliter faceret, se loquente Pont. astantem, sibique gladio stricto mortem minitantem, nisi Leoni obtemperaret, veritũ fuisse respondit. Leo Romam reuersus, singularique omnium lætitia exceptus, paulopost Geinserico Vuandalorum Regi vrbem inuadenti, vt ab incendijs, ignominijs, & cædibus abstineret, eadẽ vi eloquẽtiæ & sanctitatis opinione persuasit. Cum autem Ecclesiam à Nestorianis, & Eutychianis opgugnati videret, totum se ad eam purgandam contulit. Quare Chalcedone coacto 630. Episcoporum concilio, Nestorius, Eutyches, & Dioscorus hæretici condemnati sunt; ipseque decreta eius concilij sua auctoritate confirmauit. Posthæc ad sacras ædes reficiendas, ædificandasque se conuertit. Demetria pia fœmina eius suasu basilicam S. Stephani via Latina in suo fundo 3. ab vrbe milliario construxit: ipse verò alteram S. Cornelio via Appia cõdidit, multasq; alias refecit, & sacra vasa re-

Attila Hunnorum Rex.

Geinsericus Vuandalorũ Rex.

Concilium Chalced. 630 Episcoporũ.

restituit. In tribus basilicis Petri, & Pauli, ac Constantiniana cameras extruxit. Monasterium apud S. Petrum ædificauit. Sepulchro Apostolorum custodes adhibuit, quos cubicularios appellauit. In actione mysterij ea verba adiecit, *Sanctum sacrificium, immaculatam hostiam.* Sanciuit, ne monacha benedictum capitis velamen reciperet, nisi 40. annorum virginitatem probasset. His alijsq; præclarè gestis, cum multa sanctè, luculenterq́, scripsisset, ac Ecclesiæ annos 21. menses 10. dies 28. præfuisset, creatis Presbyteris 81. Diaconis 31. Episcopis 81. 3. Idus Aprilis obdormiuit in Domino. *Ex Breu. Rom. Plat. & Pontif.*

ANNOTATIO.

QVæ S. Leoni patria fuerit, nemo, qui vit. Pontif. scripserit, exponit, memini tamen apud quendam legisse illum Blera (quod op. Sutrio prox. olim. C. E. fuit) natum esse. Sed Blerani nullum huius rei monumentum apud se extare aiunt.

Circa tempus, quo post S. Xystum III. ad Pont. electus est an. sal. 440. die 12. Maij, ac quo vixit in Pont. annos scilicet 21. conueniunt, non circa menses, & dies. Marianus Scot. illi annos 21. tantum tribuit Plat. in eius vita supra ann. 21. dies 43. Panuin. menses 2. dies 2. adiunget. Qua de re Baron. in Annal. Eccles. ad ann. præd. qui Breu. Rom. sequitur, consule.

DE S. ISACCIO ABBATE APVD SPOLETIVM.

ISacius monachus ex Syria in Italiam veniens, cum Spoletium diuertisset, in templum ingressus, in eo triduo integro non sine omnium admiratione orauit. Cum autem vnus ex ecclesiæ custodibus illum verberibus, & iniurijs templo eiecisset, à dæmone statim arreptus clamabat, *Isacius me torquet, qui me solus potest expellere.* Isacius misericordia commotus eum orans à dæmone liberauit. Quare omnes ciues ad eum certarim accurrere, domum suam inuitando, & opē pro construendo monasterio offerrēdo. Sed ille vrbe egressus haud procul ab ea, cellulam extruxit. Cum verò iam multi ad eum discipuli conuenissent, suadarentque, vt oblatam pecuniam, & prædia in monasterij constructionem acciperet, omnia reiecit; quasi monachis nihil possidere liceret, oratorio duntaxat, & cellulis ædificatis. Dicebat enim Monachus, qui possessiones quærit, monachus non est. Multis miraculis enituit. Lingones, & alia instrumenta in hortum deferri iusserat, ac sequenti die latrones, qui furari venerant, mutata intentione hortum colere inuenti sunt. Quidam peregrini suas vestes abscōderant, vt alias ab Isacio reciperent; sed missus vnus ex monachis ad eum locum proprias ipsorum peregrinorum vestes retulit; quas Isacius illis cum rubore abeuntibus do nauit. Cum quidam S. Abbati duas sportulas cibis plenas per puerum mitteret, isque vnam in via sibi abscondēs seruasset. S. vir (qui furtum diuinitus nouerat) puero abeunti ait; *Vade, nam in altera sportula, quā abscondisti, serpentem inuenies.* Qui verecundatus abiens ita inuenit. His, & alijs S. Abbas miraculis, & operibus clarus 3. Idus Aprilis circa an. sal. 540. animam Deo reddidit. *Ex lib. 43. Dialog. S. Gregor. Papa. cap. 14.*

Mirac. Demoniacus ab Isacio torqueri quæritur.

Mirac. 1.

2.

3.

ANNOTATIO.

SAnctus Isacius (siue Isaac, vt sanctus Gregorius scribit) vnus ex 300. viris, qui Iust. Imp. ex Syria in Italiam venere, fuisse videtur. Vixit tempore Sancti Gregorij Papa, qui loco citato se hac ab Eleutherio Sancti Isacij familiari accepisse scribit.

DE

DE S. BARSONVPHRIO CONFESSORE VRIAE.

BArsonuphrius, qui & Barsanus, ex Palæstina in fines Salentinorum cũ SS. Cataldo Episcopo Tarentino, & Leucio Episcopo Brundisino Aniceto Sum.Pont.venisse fertur: ac Vriæ primùm Christi Domini fidem disseminasse, eiusque vrbis primum Episcopum à S.Cataldo ex Principis Apostolorum præcepto ordinatum fuisse, vnà cum Leucio primo Brundisinorum Episcopo. Idq; ex antiquissima Ecclesiæ Vrien. traditione. Illud certum S. Barsonuphrium ab Vriensibus, vti eorum præcipuum patronum, post SS.Chrysanthum, & Dariam (qui ob eorum reliquias ibidem reconditas maximam habent venerationem) hac die,& 3.Kal.Sept.celebrari. *Ex vita M.S.S.Cataldi.*

A N N O T A T I O.

PAulus Regius libr. de SS. Regni Neapolit. p. 1. & David Rhomeus in Catal. SS. eiusd. Reg. S. Barsonuphrij meminere Eremitam Aegyptium illum appellantes.

Aprilis die 12.

DE S. ZENONE EPISC. VERON. ET MARTYRE.

Mirac. 1. Dæmoniacũ aquis penè suffocatum diuinitus sanat Zeno.

ZEno VIII. Veronæ Episcopus, adhuc iuuenis, in secretiore vrbis parte conuersioni infidelium intentus morabatur, orationibus, & ieiunijs vacans, donec prædicandi sibi à Domino daretur occasio. Vir erat ingenio præstãs, acri iudicio, & rebus gerendis prudens, eloquentia verò ita excellens, vt plurimos pareret Iesu Christo fideles, & ad eum amandum inflammaret. Erat enim mitis valde, & eloquio adeò suauis, vt homines diuinum quiddam in illo suspicerent. Plura edidit miracula in quibus illud memorandum, quòd ab oratorio egressus ad piscandum hominem, qui se dæmonis impulsu vnà cum plaustro cui insidebat, & bobus in Athesim flumen præcipitauerat, signo crucis fugato dæmone iã penè suffocatum extraxit, & vitæ restituit. Romam à Galieno Imp. accersitus illius filiam à dæmone dirè vexatam liberauit, cumq; Imp. coronam aureã, quã in capite gestabat, illi dono dedisset, illam Zeno illico cõminutam pauperibus distribuit. De quo, & illud mirum narratur, quòd cum aduenientibus Galieni satellitibus S.Episcopus tres electissimos pisces, dum piscaretur, donasset, illiq; quartum surripuissent, quartus non modò coqui non potuit; sed per ebulliẽtẽ aquam natare videbatur. Veronam reuersus Deorum simulachra facultate sibi ab Imp. concessa, confregit: quod cùm plurimi indignè ferrent, stupendo miraculo concitatum furorem illorum sedauit, nam cadauer hominis secundo fluminis cursu delatum ad se vocando traxit, ac, quod non minori fuit admirationi, ad vitam reuocauit. Quo gemino miraculo vniuersa penè ciuitas, abiecto Deorum cultu, Christo nomen dedit. Multa scripsit eleganter in nonum, & vetus testamentum. Tandem Ecclesia Veronensi optimè constituta Prid. Idus Aprilis martyrio coronatus abijt in Cœlum. Corpus in oratorio ad Athesis ripam, vbi viuens morari consueuerat, conditum, Pipino Rege in basilicam suo nomini dicatam translatum est. De quo S.Greg.Pap. prodigium hoc valde memorandum refert, quòd cum Athesis vrbem inundans vsque ad superiores Ecclesiæ S. Zenonis fenestras excreuisset, haud illas tamen, neque ianuam est ingressus. At qui in ecclesia consistentes, aquam ad ianuam ecclesiæ accedentes hauriebant, & bibe-

2. Galieni Imper. filia à Dæmone oppressa liberatur.

3. Piscis super ebullientem aquam extat

4. Cadauer secundo fluminis cursu delatum ad vitam excitat.

5. Athesis ad superiores vsq; fenestras S. Zenonis excrescens ianuam non ingreditur.

bibebant, licet uti solidum elementum in ecclesiam S. martyris non diffluerer. *Ex lib. Aug. Valerij Ep. & Card. de SS. Epp. Veronens.*

ANNOTATIO.

ETsi, quo genere martyrij S. Zeno occubuerit, ignoratur; Illum tamen martyrem esse dubitari non debet, Cum eum S. Greg. Papa. lib 3. c. 19 Dialog. martyrem vocet, & Eccles. Veronens. Illum semper, uti martyrem coluerit. Accedit (quod maius est) auctoritas Martyrol. Rom. ut plures scriptores omittamus de S. Zenone mart. verba facientes, in quibus Paul. Diac. lib. 18. de Gest. Rom. in Mauritio.

Hymnus S. Zenonis ex eius off. ant.

Præsulis sancti redeunt colenda
Festa Zenonis Dominum sequentis,
Qui diem nobis celebrem sacrauit
Fine beato.

Martyr Excelsi fuit, & Sacerdos,
Gentes effrenas penetrans marinas,
Inde Veronam Deus hunc ad vrbem
Mittere curat

Qua Deo multum populum lucratus
Instruit verbis, solidauit actis,
Pro Deo tandem patiendo mortem
Viuit in æuum.

Nunc in æternum meritis coruscat
Clarus, & mũdo manifestus omni,
Qui Deo soli studuit placere
Corpore viuens.

DE S. LAZARO DIACONO, ET MART. TERGESTINO.

LAzarus Diaconus Tergesti Antonini Imp. temporibus deseruiens Domino, ac in domo sua fideles excipiens, illos fouebat, & sustentabat. Accusatus apud Pompeium Præsidem, quod Christianus esset, & Christianos domi suæ exciperet, comprehenditur, & cum Christi Domini fidem coram Præside constanter prædicaret, eius iussu ore contunditur, deinde virgis cæditur: postremò in confessione fidei perseuerans, capite truncatur. Corpus à Christianis tumulatum, postea vnà cum alijs corporibus SS. Veronam 11. Kal. Iunij an. sal. 755. translatum, ac in æde maiore S. Firmi conditum est. *Ex Monum. Eccl. Veronen.*

ANNOTATIO.

HVius S. Diaconi corpus vnà cum corpore S. Apollinaris Subdiaconi Tergestini, & mart. à S. Annone Episcopo Veronens. tempore supra memorato translatum fuit, vt lapideæ inscriptiones habent dicta eccles.

DE S. VISSIA VIRGINE, ET MARTYRE FIRMANA.

VIssia virgo in persecutione pro fidei Christianæ confessione Firmi vrbe Piceni præclara passa est. Cuius sacræ reliquiæ ibidem in ecclesia maiori celebratur asseruari feruntur. Eius dies festus in ea ecclesia Prid. Id. Aprilis. *Ex Tab. & monum. Eccl. Firmana.*

ANNOTATIO.

ACta ipsius vnà cum actis aliorum SS. ciuitatis Firmanæ ob bella, vt ferunt, perierunt.

DE

DE S. IVLIO PAPA I. HVIVS NOMINIS.

IVlius Romanus post S. Marcum Constantio Imp. Pontifex creatus est, quo tempore Catholica ecclesia ab Arianis Imperatore fretis maximè agitabatur. Is decem mensium exilium ob Catholicam fidem passus, Constantino iuniore defuncto Romam redijt, maximéq; pro tuenda Orthodoxa fide, & S. Athanasio Episcopo Alexandrino restituendo, atque ab aduersariorum calumnijs defendendo laborauit. Multa sub eo habita sunt concilia. Romanum 116. Episcoporum; in quo cum suis Episcopis interfuere Archiepiscopi, Aquileien. Mediolanens. Rauennas, & Carthaginens. Agrippinense, in quo Episcopi Galliarum aduersus Euphratam Episcopum Agrippinen. hæreticum conuenere. Antiochenum aduersus S. Athanasium absque Rom. Pont. auctoritate. Et Sardicense aduersus Episcopos Arianos, qui Catholicorum eruditionem pertimescentes adesse noluerunt. Habita sunt etiam Concilia, Hierosolymitanum pro Athanasio, & Sirmiense pro fide: Posthæc Iulius se ad sacras ædes, & mores corrigendos conuertit. Vnam basilicam ad Forum Rom. alteram trans Tyberim ædificauit. Tria etiam construxit cœmeteria, vnum via Flaminia, alterum via Aurelia, tertium via Portuensi. Statuit ne Presbyteri in alio, quam Ecclesiastico foro conuenirentur. Vt Ecclesiasticæ actiones à Notarijs, siue eorum Primicerio adnotarentur. Demum cum Ecclesiam annos 15. menses 2. dies 6. sanctè administrasset, creassetque Presbyteros 18. Diaconos 3. Episcopos 9. Pridie Idus Aprilis an. sal. 352. migrauit è vita: in cœmeterio Callepodij via Aurelia 3. ab vrbe milliario sepultus. *Ex Damaso, & Plat.*

Multa sub Iulio habita concilia.

Decreta Iulij.

ANNOTATIO.

NOn modò circa tempus, quo Iulius Eccles. præfuit: sed & circa obitum illius dissident. Nam conuenientes circa initium Pontificatus, (quod ann. 336. die 28. Nouemb. fuit) Alij illum supra annos 15. menses 2. dies 6. seu 26. vt Damas. & Plat. vixisse volunt: Alij annos 16. menses 5. dies 16. vt Onoph. Panuin. qui etiam illum die 12. Aug. obijsse scribit: quod & Platina affirmat.

Baronius Iulium exilium passum fuisse negat, ad auctoritatem verò Damasi Papa in Pontif. negat illum lib. esse Damasi.

DE S. DAMIANO EPISCOPO PAPIENSI.

DAmianus patria Ticinensis ex Biscossa, vt ferunt familia post Magnum Episcopus Papiensis factus est ob doctrinam, & sanctitatem Partarito Longobardorum Rege. Fidem Catholicam aduersus Monothelitas in Christo Domino vnam tantummodo voluntatem, & operationem asserentes defendit. Nā Epistolam Synodalem S. Mansueti Episcopi Mediolanens. cui familiaris erat, nomine scripsit; quæ in Synodo 6. generali Constantinopoli sub Agathone Papa aduersus Gregorium Patriarcham Cōstantinopolitanum celebrata lecta est, & commendata. Cuius epistolæ sunt verba. *Recta & vera fides est, vt sicut in D. N. I. C. duæ sunt naturæ, hoc est Dei, & hominis, sic & duæ credantur esse voluntates & operationes.* Vt autem doctrina, sic & vitæ puritate claruit: quam Deus miraculis declarauit. Nam leprosum solo osculo sanauit, & vrbem ad solitudinem pestilentia redactam, natis iam per eam virgultis, vt in saltibus, indictis triduanis ieiunio, & supplicatione ab ea contagione liberauit. Cum non parua inter Imp.

Damianus aduersus Monothelitas, & Gregor. Patriar. Constātinopolitanū scripsit.

1. Leprosum osculo sanat.

2. Vrbem à contagione liberat.

Imp. & Longobardorum Regem orta fuisset contentio, Damianus eloquentia, & opinione sanctitatis illos conciliauit. Demum multis pro Ecclesia laboribus perfunctus, cum Ticinensem Ecclesiam annos 30. administrasset. Prid. Idus Aprilis, cessit è vita hac mortali, in ecclesia, quam ipse S. Damiano martyri dedicarat, sepultus. *Ex Anton. M. Spelta, post Guallam & Breuent. in Miorum SS. Epp. Papiens. vit. citatis.* Qui & hoc miraculum attexunt, quòd quidam Gallus Presbyter sacras S. Episcopi reliquias ex eius sepulchro auferre ausus fuisset, campanis vltrò sonantibus deprehensus est.

3. Campanæ vltrò personāt.

ANNOTATIO.

DE S. Damiano Paulus Diac. lib. 6 de Gest. Longob. agit, vbi pestem illam sæuissimam describit, & lib. 18. de Gest. Rom. in Constantino eiusd. meminit.

Hic error Gualla insignis in suo Sanct. vitandus; Scribit enim S. Damianum ann. Dom. 454 Episcopum creatum esse; Cronologiæ Eccles. prorsus ignarus.

Gualla error

Circa tempus huius S. Episcopi grauis dubitatio occurrit. Nam si epistolam illam Mansueti nomine ad concilium Constantinopolit. 6. sub Agathone scripsit, vt Paulus Diac. lib. 18. in Constantino testatur, non videtur an. 690. sub Sergio Papa, Episcopus creatus; sed sub Agathone an. 679. vt Baron. in Annal. annotat. circiter, seu paulo ante sub Domno (cum Synodus Constantinopolit. 6. ad quam Damianus epistolam scripsit an. 680. celebrata sit.) Quare si in Episcopatu ann. 30. vixit, obierit ann. circiter 709. Constantino Papa necesse est. Quòd verò eum die 23. Apr. obijsse scribunt, eaque die natalem eius celebrari, error ex typographo processisse videtur.

DE S. ALFERIO I. ABBATE CAVENSI.

ALferius Salerni natus iuris prudentia, & moribus excultus Principi Salernitano charus fuit: à quo in Germaniam ad Imp. missus, in itinere in morbum incidit: ex quo si conualesceret, se soli Deo inseruiturum vouit. Sanitate itaque recuperata statim ad monasterium Cluniacense se cōtulit; vbi sub S. Odilonis Abbatis disciplina tantùm breui profecit, vt quemadmodum Luna inter stellas, sic ipse inter monachos sanctitate præluceret. Reuersus in patriam, Cauæ (quæ ante Fenestra dicebatur) solitariam vitam degens, breui insigne cœnobium sub Sanctissimæ Trinitatis inuocatione construxit, cui primus Abbas multis in dies ad eum discipulis confluentibus præfuit. In quibus Leo Lucens. qui sibi successit, & Desiderius, qui Abbas Casinens. factus, postea Victor III. Papa fuit. Miraculis claruit. Nam cadens ex altissima rupe nihil sensit læsionis, & defunctum sua oratione rediuiuum fecit. Obitū suum sex dies ante monachis prædixit; quibus post celebrationem lauit pedes. Ipse verò sexta die in specu mortuus genuflexus quasi orans inuentus est. ann. sal. 1098. Henrico tertio Imper. In cuius funere dæmoniacus liberatus legitur. *Ex lib. SS. Regni Neapolit.*

Miraculis, & spiritu præpclarus.

ANNOTATIO.

APud Paulum Regium libr. de SS. Regni Neapolit. in vita B. Alferij, pro Victore III. Papa, Victor II. & pro Henrico III. Imp. Henricus II. scriptus est.

Aprilis die 13.

DE S. IVSTINO PHILOSOPHO, ET MART. ROMÆ.

IVstinus philosophus, Neapoli in Palæstina natus, philosophiæ addictus, in Stoica, Pythagorica, Platonica, & Peripatetica apprimè versatus fuit. Cum autem

autem cuiusdam pij viri suasu Christianæ fidei libros legisset, eius desiderio incensus, & ad Christum conuersus ex eo maximè, quod Christianos ad mortem impauidos, & ad omne supplicium pro Christo perferendum paratos viderat, acerrimus defensor illius effectus est, ita vt Antoninus Pius eius orationibus delinitus epistolam Christianis fauorabilem ad Asianos scripserit. In qua illud præcipuè Christianos haud ob id, quòd Christiani sint, puniendos esse continetur. Multa scripsit, in quibus Apologias pro Christianis ad Antoninũ Pium, & ad eius successorem: ac pro Christiana religione ad Senatum Rom. orationẽ paræneticam ad Gentes: Expositionem fidei: de recta confessione: sanctissima eiusdem essentiæ Trinitate: & alia, vt apud Hieron. de script. Ecclesiasticis, Eusebium Cæsarien. & Suidam legitur. Cum autem aduersus Crescentem Philosophum Cynicum disputasset, eiusq. conuicti mores nepharios publicè arguisset, is odio intestino exagitatus, cum aliter vlcisci non posset, Iustinum Christianæ religionis apud M. Antoninum Verum, & Lucium Aurelium Commodum Imperatores (qui quartam in Christianos persecutionem excitarant) accusauit: Quorum iussu post oblatum secundum pro Christianæ fidei defensione librum capitalem sententiam, quam ante præuiderat, excepit. *Ex Metaphr. apud Sur. tom. 2. Menol. Græc. & Euseb. lib. 4. cap. 17. & 18.*

Antoninus Pius Iustini suasu epistolam fauorabilem Christianis ad Asianos scribit.

ANNOTATIO.

G*Ræci Iustini agonem in 3. Id. Iunij referunt: cum quo Caritonem, Caritinam, Euelpistum, Hieracem, Peonem, & Valerianum passos scribunt.*

Sunt qui Iustinum Pergami in Asia coronatum velint vnà cum Carpo Episcopo, Papylo Diacono, & Agathonica fœmina, vt apud Vsuard & Adonem: quos Petr. in Catal. lib. 4. cap. 49. & 50. sequitur. Verùm Martyrol. Rom. Metaphr. & Græci loco citato, & in Anthologio Romæ eum passum habent.

DE S. VRSO EPISCOPO RAVENNATE XVIII.

VRsus Episcopus Rauennatum post Liberium creatus est. Cuius religio, & ardens studium circa Ecclesiam maximè enituit. Templi maioris enim ædificationem à fundamentis cœpit: cui Ἀναστάσεως nomen inditum est, quòd eius dedicatio Idibus Aprilis an. sal. 383. (qua die Resurrectio Dominica contigit) celebrata est. Tametsi postea de conditoris nomine appellatum fuit. Vrbem sacris ædificijs, alijs exornauit, S. Bassianum (qui postea Laudensis Episcopus fuit) patris adhuc Gentilis persecutionem declinãtem benignè excepit. Temploq; D. Apollinaris apud Classem præfecit: Quem postea S. Exuperantius Episcopum Laudensem consecrauit. Vrsus vbi annos 20. Ecclesiam Rauennatem piè, prudenterq; administrasset, tandem an. sal. 398. obdormiuit, ac in eodẽ templo sepultus est. *Ex Monum. Eccles. Rauenn. & Hieron. Rub. in Hist. Rauenn. & Hieron. Rub. in Hist. Rauenn.*

ANNOTATIO.

S*Anctus Vrsus Siculus, genere nobilissimus, S. Bassiani propinquus fuisse fertur. Qui Episcopatum Rauennatem adeptus post Liberium* III. *huius nominis S. Damaso Pont. Maxim. Gratiano, & Valentiniano* Imper. *ann. Dom. 378. Ex amplissimo patrimonio, quod illi erat in Sicilia, in Ecclesiasticis ædificijs, ac eleemosynis multũ expendit.*

Aprilis

Aprilis die 14.

DE SS. MARTYRIBVS TIBVRTIO, VALERIANO, ET MAXIMO ROMAE.

VAlerianus nobilis Romanus, Alexandro Seuero Imp à S. Cæcilia virgine (quæ sibi desponsata fuerat) prima nuptiarum nocte monitus, se in Angeli tutela esse, nequid in se committeret, quò ira Dei in illum concitaretur, his verbis pertertitus, ac Angeli videndi cupiditate ductus, se in Christũ crediturum pollicetur, si Angelum videret. Cui illa cum id sine Baptismo fieri non posse dixisset, hortatu virginis ad S. Vrbanum Papam pergens ab eo baptizatur, atque ad Cæciliam rediens illam cum Angelo orantem inuenit. Et vt Tiburtius frater eiusdem Angeli visione dignaretur, illum ab Vrbano Papa baptizandum curat. Cum autem vterq; patrimonio pauperibus distributo in Christianorum corporibus sepeliendis, & alijs pijs operibus occuparentur, Almachius vrbis Præfectus re cognita, eos accersitos grauiter reprehendit, ac Christũ Deũ verum, Deos verò inania simulachra prædicantes primũ virgis cædi iubet vbi verò illos ad Iouis statuam colendam verberibus cogi nõ posse videt; extra vrbem ductos ad 4. ab ea lapidem securi pecuti mandat. Quorum constantiam *Maximus* Præfecti cubicularius admiratus (eos enim ad supplicium perduxerat) & ipse vnà cum alijs ministris pluribus eiusdem Præfecti se Christianum professus est: Quare omnes plumbatis contusi, ex Diaboli ministris Chisti martyres effecti sunt 18. Kal. Maij. *Ex Breu. Rom. & Gestis B. Cæcilia Virg. & Mart.*

Valerianus S. Cecilię spõsus. Angeli videndi cupiditate flagrat.

ANNOTATIO:

SVnt, qui hos martyres vnà cum Cæcilia sub Marco Aurelio Antonino Imp. passos putent, quòd sub eo S. Vrbanus Pontificatum gesserit; cum Vrbanũ post huius Imp. cedẽ aliquot annos sub Seuero Alex. (qui ẽt Aurelius Antoninus dictus est) vixisse animaduertere deberent. Horum corpora Lucæ in eccl. SS. Donati, & Paulini asseruari tab. eccl. Lucen. testantur: quæ tamen Romæ in Ecclef. S. Cæcilia quiescere feruntur vti tab. & inscript. eiusd. eccl. habent.

DE S. PROCVLO EPISC. INTERAMNATE, ET MART.

PRoculus Interamnensis, nobilitate, & sanctitate clarus, sub S. Valentino Episcopo II. huius nominis, à quo Presbyter ordinatus est, floruit. Cui defuncto in Episcopatu successir ann. sal. circiter 530. à Ioanne Papa II. eius nominis Iustiniano Imp. consecratus, quo tempore Ariani Hæretici Italiam Gothis fauentibus vexabant. Proculus itaq; officio pastorali suscepto se se Arianis opponens illorum furorem in se concitauit. Quare comptehensus, iussu Gothorum Regis 18. Kal. *Maij* ann. sal. 539. cum annos 6. *Ecclesiæ* suæ præfuisser, capite troncatus est. Cuius corpus luce de cœlo consperfum Catholici apud ciuitatis mœnia, vbi postea templum eius nomini excitatum est, sepeliunt. *Ex Monumen. Eccles. Interamn.*

Proculus Arianis infensus.

ANNOTATIO.

FVit alter Proculus ante hunc Episcopus Interamnen. & martyr sub Maximiano Imp de quo Interamna Kal. Iunij agitur. Is, idem cum Proculo apud Bononiam martyrio coronato videtur. Ex Monum. eiusd. eccl. Quod, & Baron. in Annot. in Martyrolog. hac die animaduertit, duos inquiens fuisse Proculos, & duos Valentinos Epp. Interamnen.

N D.E

DE S. MAXIMO MART. MEDIOLANI.

MAximus miles legionis Thebeæ, vnus ex socijs S. Alexandri, qui Bergomi martyrij certamen consummauit, Mediolani (vt est coniectura) comprehensus, post vincula, & carceres, cum alijs ob confessionem fidei sub Maximiano Imp. martyrio coronatus est. Cuius corpus, cum diu loco obscuro iacuisset, à B. Carolo Borrhomæo Episcopo *Mediolanensi* in ecclesiam maiorem translatum honestiore loco conditum fuit. *Ex Hist. Martyrum Thebæorum Augustæ Taurinorum nuper edita.*

S. Carolus Borrhomę.

ANNOTATIO.

AN Mediolani Maximus passus sit, non ita certum est: creditur tamen ex eo, quòd corpus illius Mediolani cum inscriptione repertum fuit: licet illud aliunde eò deferri potuerit.

DE S. ABVNDIO MANSIONARIO ECCLESIÆ S. PETRI ROMAE.

ABundius Ecclesiæ S. Petri Mansionarius vir fuit, vt S. Gregorius scribit, magnæ humilitatis, & grauitatis Deo fideliter seruiens; cuius sanctitas miraculo declarata est. Nam cum puella ad eò paralytica, vt manibus reperet, & corpus per terram ex rhenum dissolutione traheret, atq; à B. Petro Apostolo liberationem postularet, ab eo Abundium adire rogateq;, vt sibi sanitatem restitueret, iubetur. Quæ cum quis esset Abundius ignoraret, & quæreret, illum sibi obuium factum orat, vt Abundium custodem sibi indicaret. Cum autem is se Abundium esse dixisset, illa, quæ sibi Apostolus præceperat, dixit. Cui ille, si ab ipso missa es, surge, atq; pristinæ sanitati ita restituta est, vt solutionis signa nulla post hæc remanserint. Is vbi aliquandiu Deo in ea ecclesia ministrasset, 18. Kal. Maij obdormiuit. *Ex lib. 3. Dialog. cap. 25.*

Abundius inclyto miraculo insignis.

ANNOTATIO.

DE S. Abundio nullus, quod sciam, præter S. Greg. Pap. agit. Neque vbi corpus illius asseruetur, sciri potuit.

Aprilis die 15.

DE SS. BASILISSA, ET ANASTASIA MART. ROMAE.

BAsilissa, & Anastasia Matronæ Romanæ, illustri genere natæ, Apostolorum discipulæ, ad illorum in vrbem aduentum ad Christum conuersæ: cum in fide suscepta perseuerarent, ac ipsorum Apostolorum Petri, & Pauli corpora sepelienda curassent, delatæ apud Neronem Imp. eius iussu comprehenduntur, carceriq; inclusæ dirè excruciantur: cum verò in confessione fidei constantiores euaderent, ac Christi laudes prædicare non desisterent, primùm lingua, manus, & pedes illis præciduntur; deinde abscisso capite martyrij palmam adeptæ sunt 17. Kal. Maij. *Ex Martyrol. Rom. & Menol. Græc.*

ANNOTATIO.

ALiæ huius nominis mulieres martyres in Martyrol. Rom. alijs diebus memorantur. Nam die 22. Martij Basilissa cum Callinica passa refertur, & 25. Decemb. Anastasia Rom. matrona.

DE

DE SS. MARONE EVTYCHETE, ET VICTORINO MART.

CVm Aurelianus Consularis, SS. Nereo, & Achilleo de medio sublatis, maiorem Flauiæ Domitillæ virgini, quam vxorem tantopere affectabat, cũ Marone Eutychete, & Victorino amitiam intercedere accepisset, illos sibi donari, si sacrificare nollent, à Nerua Imp. postulauit. Quos nec sacrificare, nec Domitillam ad nuptias hortari volentes ab insula Pontia (in qua cum Domitilla & alijs exulabant) amoros ad prædia sua excolenda, tanquam seruos destinauit, Eutychen quidem 16. ab vrbe milliario via Nomentana, Victorinum verò via Salaria milliario 60. & Maronem eadem via milliario 130. vbi terram foderent cantabrum (quod erat vile admodum Rusticorum cibus) edentes. Cum autem illi miraculis clarescerent (nam Eutyches conductotis filiam à Dæmone liberauit, Victorinus loci Vicedominum triennio paralysi decumbentem sanauit, Maro hydropicum curauit) ac multos ad Christianam religionem attraherent, illamq; Presbyterio ornati augerent in dies Aurelianus eos, missis satellitibus, multiplici pœnarum genere afflixit, ac Eutychen media via tandiu cædi iussit, donec exhalaret spiritum (cuius corpus à Christianis ibidem sepultum est, facta æde super sepulchro exædificata) Victorinum in aquas Cutilias sulphureas, & putentes capite deorsum verso trium horarum spatio demergi: quod cùm triduo factum fuisset vir S. migrauit ad Christum corpore ab Amiternensibus sepulturæ mandato: Maronem à Turgio amico saxo ingente, quod homines 70. trochlea vix trahere poterant, opprimi. Quod tamen S. Maro veluti paleam ad duo M.P. absque læsione portauit, eoque loco, vbi orare solitus erat, reposuit: quo prodigio populus ad Christus conuersus, & Baptismo expiatus S. martyrem Aureliani iussu interfectum exciso in eadem petra sepulchro sepeliere, & ecclesiam eius nomini condidere: in qua vsq; in præsentem diem beneficia populis à Deo præstantur. *Ex pass. SS. Nerei, & Achillei, apud Sur. tom. 2.*

Mirac. Puella à Dæmone liberatur. Hydropicus curatur.

Mirac. Maro saxum ingens veluti paleã ad duo M. P. transfert.

ANNOTATIO.

PAssi sunt in persecutione Traiani, licet sub Domitiano in insula Pontia exulauerint. An autem Victorinus hic sit idem cum eo: de quo Non. Septemb. in Rom. Martyrol. agitur licet ex ipso Martyrol. & Baron. in Annotat. eundem esse pateat, nonnihil tamen dubitatis habet, ex eo quòd Victorinus Episcopus Amiterninus fuit. Cuius rei hic nulla sit mentio. Sed de re hac suo loco.

DE S. EVTYCHIO MART. APVD FERENTINVM.

SAnctus Eutychius martyr apud Ferentinates, qui illi ecclesiam ædificarunt, venerationem habet licet vbi, & quando martyrium subierit ignoretur.

Cum S. Redemptus Episcopus Ferentini, vt S. Gregorius Papa scribit, ad huius S. martyris templum visitandum venisset, ac stratum suum iuxta martyris sepulchrum parari iussisset, noctu illi S. Eutychius apparens Longobardorũ aduentum in ea loca vastitatem adferentium illis verbis ter prolatis *Finis venit vniuersæ carnis* prædixit. Quod non multo post opere completum est. *Ex S. Greg. Pap. lib. 3. Dialog. cap. 38.*

ANNOTATIO.

FVit, & Eutychius mart. Romæ: de quo Martyrol. Rom. die 4. Februarij, & alij plures huius nom. martyres.

DE S. DOMNINA VIRGINE, ET MARTYRE, Et Sociabus Interamnæ.

DOmnina virgo nobilis Interamnẽsis eadem tempestate vixit, qua S. Proculus Episcopus: sub cuius disciplina cum alijs virginibus, quasi monasticã vitam degit. Cum autem Proculus à Gothis pro fide Catholica martyriũ passus fuisset, & ipsa cum sociabus propter eandem fidem tenta ad virginitatem martyrij palmam adiunxit, 17. Kal. Maij. *Ex Monumentis Eccl. Interamnen. ac ex Gest. S. Proculi Episcopi Interamnæ 2. huius nominis.*

ANNOTATIO.

DE Domnina, & sociabus Martyrol. Rom. die præced. at Tab. Ecclef. Interamn. nisi in illis sit error, hac die.

Aprilis die 16.

DE S. GVLIELMO MONACHO CONFESSORE A pud Castrum Bonum in Sicilia.

GVlielmus Siculus monachus in cœnobio S. Mariæ de Partu apud Castrum Bonum Cephalodiensis diœcesis ad M. Maronis radices situm vitã asperam, & immaculatam duxit. Eo authore illud cœnobium, quòd in Abbatiam versum est fundatum fuit, ac tandem miraculis, & virtutibus clarus in eodem, monasterio obdormiuit in Domino ann. sal. 1217. 16. Kal. Maij in eodem monasterio sepultus: ad cuius tumulum miracula subsecuta feruntur. *Ex Martyrolog. monast. & Maurolog.*

ANNOTATIO.

ACta S. Gulielmi nondum vidimus; idcirco eius tantum mentionem fecimus. Nonnulla de eo apud Iosephum Bonfilium Equitem Hierosolymit. in sua Hist. Sicil. lib. 1. legimus.

DE S. IOACHIM SENENSI CONFESS. ORD. SERVORVM.

Eximia Ioachim charitas. Insignia. Mirac. 1.

IOachim Senensi inuitis parentibus an. 13. natus Ord. Seruorũ ingressus, eximia vitæ sanctitate floruit. Mira fuit in eo humilitas, obedientia insignis, & assidua laborũ perpessio: vilissima nãq; munia quæq; in monasterio obibat, afflictis, & infirmis quibus libenter inseruiebat, maximè cõpatiens. Ardẽtissima quoq; præditus erat charitate; cuius rei non mediocre illud fuit argumentũ, cũ Aretium ex obedientia proficiscens in itinere apud quendam, qui morbo epileptico affligebatur, diuersatus, illum ad patientiam frustra hortatus, Deum precatus est, vt morbum illum in se transferret: Quare vix completa oratione illicò ægrotus ille sanatus est, ipse verò eo morbo, vsq; ad mortem laborauit.

2. Cereus in aere mirabiliter suspensus manet.

Aretij autem in Festo Assumptionis Beat. Mariæ Virg. ministrans celebranti morbo comitiali correptus corruit, cereus tamen, quem ille ad eleuationem Sanctissimæ Eucharistiæ manu tenebat, stupentibus, qui aderant, in aere suspensus diuinitus mansit.

3. Mensa corruente nihil prorsus aut cõfringitur, aut deturpatur.

Reuersus Senas cum ex eodem morbo cadens mensam cibis instructam secum traxisset; nihil tamen in ea aut confractum, aut loco deturbatum est.

Monasterij porta vltrò reseratur.

Cum in eadem vrbe ex ægroti visitatione noctu domum rediret, nec ianitorem excitare potuisset statim, vt orare cœpit, portã monasterij vltrò apertam vidit. Frequẽs erat in choro, in quo caput eius aliquando à Fra-

à Fratribus splendore quodam coruscare visum est. Adeo patiendi cupidus erat, vt Deum oraret, quo sibi alij cruciatus adderentur. Quapropter nouum genus morbi immissum fuit: quo caro illius ab exortis vermibus absumebatur: nec tamen à medicis curari, aut Deum, quem pro alijs infirmis orabat, rogare voluit, *illud Apostoli vsurpans cum infirmor, tunc potens sum.* Cum qua die Christus pro mundi salute cruci affixus est, mori à Deo postulasset, in die Cœnæ Domini sacra refectus communione, Fratres orare cœpit, vt pro se preces ad Deum funderent, quò securior sequenti die migraret. Itaq; dum illi in die Parasceues Dominicam passionem cantantes ea verba pronunciant *Et inclinato capite tradidit spiritum*, & ipse annos natus 47. an. sal. 1305. suum Deo reddidit spiritum. Ad cuius tumulum plura miracula patrata sunt. Ex quibus hæc tantum referre libet. Puer sexennis in lacuna suffocatus, dum mater illum B. Ioachim commendat, reuixit. Quidam Massanus iam morti adiudicatus cum opem ab eodē implorasset, carcere & vinculis reseratis diuinitus mortē euasit. Multa præterea in dies super comitiali morbo laborantibus signa fiunt. Quamobrem Senenses publico ciuitatis decreto ad Beati tumulum quouis anno veniunt, & dona ferunt. Paulus vero V. Pont. Maxim. cognita viri sanctitate, vt in toto Ord. Seruorum hac die officium de eo vnius Confessoris non Pont. recitetur, Apostolicis litteris concessit. *Ex eius officio Romæ approbato.*

4 Caput Ioachini irradiare videtur.

Mirac. post mort. 1. Puer suffocatus ad vitam reuocatur.

2. Damnatus mortem euadit.

3.

ANNOTATIO.

Vitam B. Ioachim Nicolaus Burghesius patritius, Senen. ante multos annos, cum Pandulfus Tyrannus Senis dominaretur, eleganter scripsit: sed fusius F. Archang. Ianius Theologus Florentinus Ord. Seruorum in vita S. Philippi Generalis eiusdem Ord. illam refert. Nos illam, quam cum vita B. Peregrini Foroliuien. à S. Rituum congreg. & à Paulo V. Pont. Max. approbandam curauimus, vt in eorundem officio edito continetur, conscripsimus.

Nicolaus Burghesius. Pandulphus Senarum Tyrannus. Paulus V. vitam, ac sanctitatem Beati Ioachim approbat.

DE S. CONTARDO CONFESS. APVD BRONAM.

Contardus ex antiqua, & illustrissima Arestinorum, seu Estensium Principū familia natus, humana contemnens, & cœlestia affectans, pietatem colere cœpit, & vitæ austeritatem ac paupertatem amplexus, ex voto peregrinationem Compostellanam cum duobus socijs suscepit: verum in itinere apud Bronam pagum (qui Blandinona veteribus dictus est) Placentinę Diœcesis morbo oppressus, consistere coactus est. Vbi in vicinum collem, qui adhuc S. Contardi nominatur, valetudinis recuperandæ gratia cōscendit, à Deo petens, vt si in peregrinatione mori contigeret, ibi moreretur. Ingrauescente morbo, ac socijs iter eo hortante prosequentibus, multis ex febre doloribus, quos tamen patientissimè tolerabat, afflictus est. Cui malum aliud accessit, quòd ab hospite, cui erat ignotus, domo eiectus, in vili tuguriolo ex palea composito cubare vix obtinuit. Vbi quot incommoda omni ope hominum destitutus pertulerit, dici non potest. Sed cum doloribus, & cruciatibus corporis crescebat etiam animi fortitudo, & patientia, cum acerbissimam Saluatoris passionem mente frequenter reuolueret. Demùm morbo diutino confectus, ac, quasi aurum in fornace, probatus 16. Kal. Maij an. post Christum natum 1249. diem obijt. Corpus in æde S. Petri tumulatum, cum miraculis coruscaret, post aliquot annos in honestiorem eiusdem ecclesiæ locum translatum est. Cuius festiuitas postremo mensis Augusti Sabbato solet maiore hominum ob nundinas concursu celebrari. *Ex vita ipsius M. S. & off. Eccl. Placentinæ nuper approbatis.*

Contardus ex prosapia Estensi.

ANNOTATIO.

Natalis B. Contardi Bronæ ante id temporis coli; licet absque vlla Apost. Sedis licentia consueuerat: Nunc de Pauli V. Pontif. Maxim. Concessu in tota placent. Diœc. celebratur. Bronis in limine parochialis Eccl. sic de S. Contardo, & de S. Parmerio Episcopo legitur.

VIATOR SISTE GRADVM, RECONDITVMQVE IN ARCA D. CONTARDI ESTENSIS CORPVS GLORIOSVM VENERARE: QVOD DEXTRVM HVIVS TEMPLI CORNV AVREIS ORNAMENTIS ILLVSTRAT, QVODQVE IN MARMOREA PIXIDE RECONDITVM LAEVAM TEMPLI HVIVS PARTEM ORNAT, AD PEDES BEATISSIMI PARMERII CORPVS PRECES HIC EFFVNDAS, VT ITER SIT FAVSTVM, ET FOELIX SEMPER. Vbi S. Parmerius habitu Pontificali indutus conspicitur, licet cuius fuerit urbis Episcopus, ignoretur.

Ibidem S. Honoratæ inscriptio reperitur HIC REQVIESCIT CORPVS S. HONORATAE. quod tamen Papiæ, vt suo loco dictum est reperitur.

Aprilis die 17.

DE S. ANICETO PAPA, ET MARTYRE.

Clerici comā nutrire non debent.

ANicetus Syrus Marco Aurelio Antonino Imp. (qui commodum filiū collegum fecit in Imperio) post Pium præfuit Ecclesiæ. Is decreuit, ne clerici comam nutrirent, scripsit epistolam ad Galliæ Episcopos: in qua dudum ab Anacleto Papa decreta renouat, vt Episcopus nonnisi à tribus Episcopis, Archiepiscopus verò, seu primus ab omnibus Episcopis prouinciæ ordinaretur. Ne Archiepiscopus causas, nisi suæ Parochiæ tractaret. Quinquies habitis mense Decembri ordinationibus, creauit Presbyteros 17. Diaconos. 4. Episcopos per diuersa loca 9. Vixit in Pontificatu annos 8. menses 8. dies 24. ac propter Christum martyrio coronatus sepultus est via Appia in cœmeterio, quod postea Callisti nominatum est. 15. Kal. Maij. *Ex Breu. Roman. Damaso in Pontif. & Plat. in eius vita.*

ANNOTATIO.

VAlde inter se scriptores de Aniceti tempore, quo præfuit, dissident. Damasus enim illum annos 11. menses 4. & dies tres in Pontificatu vixisse ait. Euseb. lib. 4. cap. 19. anno vndecimo obijsse. Marianus Scot. pariter an. 11. Platina Damasum sequitur, Onophr. Panu. in Cronol. ait an. 9. mens. 8. & dies 24. tribuit. Scribit autem illum die 25. Iul. Pont. creatum an. 153.

DE SS. NEOPHYTA, ISIDORA, ET BENEDICTA
Martyribus Leontinis.

NEophyta matrona Lontina, S. Neophyti Episcopi eiusdem vrbis mater, & Isidora eius soror, sanctæ Teclæ Virginis mater in sæuissima Armati Principis, seu Præfecti Leōtinorum ante Tertullum persecutione apud illum, quòd Christianæ essent, accusatæ, nunquam aut minis, aut promissionibus à fidei confessione abduci potuerunt. Cùm autem se libenter pro Christo mortem subituras dicerent, per varia tormenta illustre martyrium consumarunt 15. Kal. Maij.

Quarum

Quarum corpora in suburbio proprio à Christianis condita sunt, eisque postea templum insigne dedicatum est.

Benedicta verò honesto loco nata, ac in Christiana religione erudita, vitali viro illustri matrimonio iuncta ex eo SS. tres fratres Alphium Philadelphiũ, & Cyrinum suscepit: quos non modò in Christi fide educauit; Sed & ad pro illo sanguinem fundendum hortabatur, cumque martyrij desiderio arderet, virum sæpè rogabat, vt sese hostiam Deo offerre pateretur. Tandem cum tantã Christianorum stragem fieri cerneret, sponte adijt Tyrannum: eiusque impietatem publicè accusans à suis satellitibus comprehenditur, ac constans in fide gladio cæsa, post filios, palmam martyrij reportauit eadem die, licet, non eodem anno. *Ex off. Eccles. Leontina.*

ANNOTATIO.

CVm Alexander, qui postea factus Christianus, Neophytus appellatus est, Tertulli Præfecti consiliarius fuerit, ad Christum in SS. trium fratrum passione cõuersus, non video, quomodo Neophyta illius mater sub Armato potius, quam sub Tertullo passa sit: nisi quis dicat, illam, & non filium sub Armato Christi fidem coluisse.

DE S. INNOCENTIO EPISC. ET PATRONO DERTHONÆ.

INnocentius Derthonæ Quinctio Patre Rom. & Innocentia matre Lucensi, Christianis nobilibus, ac copiosis parentibus, qui Roma Derthonam Valeriano & Galieno Imper. venerunt natus, post illorum excessum, annorum 22. iussu Leonis Præsidis ob fidem Christi comprehensus cum Dijs sacrificare nollet, carceri inclusus diu inedia maceratur, ac uirgis cæditur, bonis eius publicatis, & martyrum scripturis combustis. Eductus, cum nec Deos coleret, nec patris thesauros patefaceret, rursus flagellatur, & in carcerem reducitur. Quem pater per somnum solatus hortatur, vt Romam cõtendat. Fore enim, vt breui pax Ecclesiæ redderetur. Quo tẽpore Maliodorus Diaconus, qui diu in domo Quinctiani latuerat, Mediolanum profectus Derthonensis Episcopus à S. Materno Episcopo creatur: Ecclesiamque Derthonensem vsque ad Constantini Magni tempora sanctè gubernauit. Innocentius itaque carcere diuinitùs ereptus Romam Melchiade Sum. Pont. veniens, dinq; moratus, à S. Syluestro Papa Diaconus ordinatur, ac post Constantinum Imp. baptizatum Episcopus Derthonensis creatus in patriam redijt, summa totius populi gratulatione, exceptus. Aggressus munus episcopale, sacras ædes dissipatas refecit, cultum Ecclesiasticum restituit, bona Ecclesiæ recuperauit, Gentilibus, & Hebræis, qui baptizari renuerat, vrbe eiectis. Templum S. Stephano Protomartyri dedicauit; Synagogam Hebræorum in ecclesiam conuertit. Is Angelis ecclesiam extruxit; cœnobium virginum, in quo Innocentia eius soror vixit, ædificauit. Plurimos ad fidem prædicatione, & miraculis, cum cæcos, mutos, surdos, claudos, aliosq; ægrotos mirabiliter sanasset, pertraxit. Ecclesia ritè Derthonæ constituta, Romã patrimoniũ, quod habebat in Hetruria, Sicilia, & alijs in locis recuperaturus, rursus venit. In reditu Romaniani viri nobilissimi vxorem, quæ se illi proficiscenti commendarat, Deumque, vt Innocentium redeuntem videret, præcata fuerat, defunctã ad vitam reuocauit. Cum ex familiaritate piæ viduæ Clerus, & populus accipetet, Innocentius in magna populi frequentia ei videre præcepit, vt prunas, quibus calefieret, sibi in ecclesiam afferret: quas illa spectãte populo sinu vestis suę sine vllã prorsus læsione detulit. Quo miraculo, & suspicio omnis profligata est, & timor nõ mediocris omnes accepit. Denique Ecclesia diu sanctissimè ad-

Gesta Innocentij in munere Episcopali.

Mirac. 1. Defunctam ad vitam reuocatur.

2. Prunas vestibus fine læsione defert.

ministrata, totaq; ciuitate ad Christum conuersa, clarus miraculis & meritis migrauit ad Dom. 15. Kal. *Maij*. *Ex Annal. vrbis Derthona, ac ex Momb. tom. 2.*

ANNOTATIO.

HAec S. Innoc. historia censura eget, in eo quòd Maliodorum Episcopum à S. Materno consecratum Eccles. Derthonen. vsq; ad Constantini tempora rexisse legitur. Nam S. Maternus Mediolanens. Episcopus sub Melchiade ann. Dom. 311. circiter creatus est: cũ iam Constantinus an. 306. Imp. adeptus fuisset, ex Cronol. Eccl.

Aprilis die 18.

DE S. APOLLONIO SENATORE, ET MART. ROM.

APollonius Senator Rom. nobilissimus, Philosophiæ studio clarus, ac Christianæ religionis cultor, commodo Imp. (sub quo pax ecclesiæ per omnes terras propagata erat, & ex omni hominum genere ad agnitionem summi, & veri Dei multitudo congregata, Romæ præsertim, vbi ex illustrioribus cum vxoribus, filijs, & vniuersa familia Christo liberè nomina dabant) à seruo impunissimo accusatus, quòd Christianus esset. Qui cum se Christianum apud Perennium vrbis Præfectum non negasset, primùm Iudex in seruum delatorē animaduertit, crurifragio illum puniens (quòd lex, quæ delatos Christianos punire iubebat, prius delatores puniendos præciperet) ac Apolloniũ (in quem ob generis, & ordinis dignitatem animaduertere nolebat) vt rationem suę fidei in Senatu redderet, hortatur. Sed cùm volumen insigne scriptũ pro Christianæ pietatis defensione in Senatu legisset, Decreto nihilominus ipsius Senatus capite plexus est 14. Kal. Maij. *Ex Martyrol. & Euseb. lib. 5. c. 21. Hist. Eccles.*

Apollonius insigne scriptũ pro Christianæ fidei defensione in Senatu legit.

ANNOTATIO.

MIrum est, quòd sub Imp. impurissimo qui Nerone, & Domitiano crudelior fuisse perhibetur pax esset Christianis: sed, quòd Christianos in pace agere permitteret, dua afferuntur, rationes vna, quòd Christiani tributi pensione vexationem redimerent, ex Tertulliano, & Lampridiò, altera quòd Martia à commodo pracateris mulieribus adamata, Christianorum rebus maximè faueret.

Commodus Imper. Nerone, ac Domitiano crudelior.

DE SS. ELEVTHERIO EPISCOPO, ANTHIA MATRE; Corebo Præfecto, & Fœlice martyribus Messanæ in Sicilia.

ELeutherius Romæ ex patre Senatore, & Anthia matre Christiana genitus, Episcopo (mortuo patre) erudiendus traditur, in quo cum ætatæ religio, & gratia diuina crescebant. Anno ætatis 16. factus Diaconus, paulò post Presbyter ordinatur, ac cum multa per eum signa maximè in expellendis dæmonibus fierent, ad preces multorum Episcopus annorum adhuc 20. Illyrici consecratur. Is primùm Ecas in Apuliam, deinde *Messanam*, postremò in Illyricum venit; vbi cum munus Episcopale exerceret, multosq; ad Christum prædicatione, & virtutibus conuerteret, re ad Hadrianum Imp. delata, Felix comes missus est, qui S. Episcopum cum Anthia matre Romam perduceret. Vbi multa grauissimaq; supplicia ob fidei constantiam pertulit: Nam, vt leuiora omittamus, in lecto ferreo incenso, deinde in craticula etiam ferrea oleo perfusa supposito igne extensus est; tum in sartaginem cera pice, & resina feruentem, ac in clibanum veneum ignitum immissus est: demum feris obiectus, ex omnibus diuinitus

Grauissima S. Eleutherij supplicia.

nitus

nitus ereptus est nulla prorsus apparente læsione. Quare Imp. in furorem actus, quòd vinceretur, illum cum matre præcepit iugulari 14. Kal. Maij. Passi sunt cum eo Felix comes in via à S. Episcopo in fide eruditus, & Corebus Præfectus ad Christum, dũ S. Eleutherius tam dirè absq; læsione torqueretur, conuersus. *Ex Martyrol. Vsuard. & alior. ac ex Metaph. à Surd. tom. 2. relat. ac ex Pet. lib. 4. cap. 61. qui alia supplicia, & miracula narrat.*

ANNOTATIO.

VArie S. Eleutherij historia narratur, nec planè vbi passus fuerit constat. Graci illum à S. Aniceto Pap. educatum in litteris, & Episcopum Illyrici ordinatum, ac à duobus militibus Ducis iussu post varios cruciatus interemptum, vnà cum matre, qua sacrum cadauer amplexata fuerat in Antologio die 15. Dec. referunt, nulla facta loci, & Imp. mentione. Canusij S. Liberalis Episc. & mart. qui Græcè Eleutherius nominatur, colitur die 30. Dec. cui nonnulla, ex actis S. Eleutherij Episcopi Illyrici confusis, conuenire animaduertimus. Egent itaq; emendatione acta huius Eleutherij in multis. Miror autem hic Baron. in Annot. affirmare nullam extare memoriam huius S. Eleutherij Messana in Sicilia cum ibi pracipuè cum Anthia matre colatur, vt Tab. Eccles. Messanen. testantur. Petrus in Catal. lib. 2. cap. 20. tandem Histor. de S. Liberali Episc. Canen. quam de S. Eleutherio Episc. Illyrici lib. 4. c. 61. adfert.

DE S. CALOCERO MART. ALBINGAVM.

CAlocerus ciuis Brixiensis, ac palatio Imp. Præfectus, cum SS. Faustinum, & Iouitam in equuleo tortos, ab igne, & plumbo liquefacto nil læsos vidisset, & constantiam illorum admiraretur ad Christi fidem vnà cum suis, & alijs plurimis conuertitur. Quod Hadrianus Aug. indignissimè ferens, omnibus alijs capite plexis, Calocerum cum Faustino, & Iouita Mediolanum amandat vinctum. Vbi SS. martyres exquisitissima tormenta experti fortes in confessione Christi perstitere. Quibus Tyrannus non contentus, Calocerum Sapritio Liguriæ Præfecto rursus excruciandum tradit. Qui illum Astæ diu carceri tenebricoso inclusum macerauit, vbi à S. Secundo, qui paulò post martyrium subijt, non semel inuisitur. Deniq; illum ferreis vinculis constrictum Albingaunum mittit, si forte loci commutatione propositum mutaret: sed Calocerus inuictus cum nulla ratione, vt dijs sacrificaret, adigi posset, post longũ martyrium, illud capitis abscissione compleuit. Corpus à Christianis conditum est, vbi postea ecclesia in illius honorem, quam moniales tenent, extructa est. Illum verò Albingaunenses præcipua veneratione colunt. *Ex Gest. SS. Faustini, & Iouita ac S. Secundi, à Sur. tom. 1. relatis. De eod. Pet. in Catal. lib. 3. c. 208. licet sub Alex. Imp. passum per errorem scribat.*

ANNOTATIO.

IN Martyrol. Rom. Brixia hic S. martyr tribuitur, non, quia Brixia martyr occubuerit, cum eum Albingauni coronatum satis constet; sed quia Brixien. erat, ibidem ad fidem conuersus, & ob illam tortus. Gales. in suo Martyrol. de Calocero Brixia agi 15. Kal. April. asserit: cum tamen in tab. Eccles. Brixien. hac die, non illa adnotatus legatur.

DE S. VENVSTIANO MART. TVDERTI.

VEnustianus ex patre Tudertino Hetruriæ Præfecto, matre verò Romana natus, patre defuncto, à Diocletiano, & Maximiano Imper. subrogatur. Qui

Qui Principum edicta in Christianos seuerius exequens, Cassianum Episcopum Tudertinum germanumque suum, vt à fide Christi deficeret, frustra aggressus, post dira tormenta capitali sententia punijt: ac Spoletij S. Sabinum Episcopum Assisinatem, excruciatum, nouis afficiendum supplicijs carceci inclusit: Verum cum oculorum doloribus agitatus à S. Sabino diuinitus curatus fuisset, cum vxore, & libris ad Christum ita conuertitur; vt postea iussu Imperatorum comprahensus Assisij sub Lucio Tribuno capitis amputatione vnà cum vxore, & filijs martyrium fortiter subierit. *Ex Gestis S. Sabini Episcopi & mart. ac ex offic. eccl. Tudertina.*

Venustinus ex persecutore Christianorũ fit Christi fidelis, & martyr.

ANNOTATIO.

QVod Hetruria Præfectus, seu Proconsul Venustianus fuerit, ex historia minimè apparet: cũ Tudertum, Assisium, & Spoletium: vbi munus Proconsulis exercuit non Hetruria; sed in Vmbria vrbes sint. Quare pro Vmbria Hetruria scriptum putamus.

DE S. OLIVA VIRG. ET MART. BRIXIENSI, Salodiensi Patrona.

OLiua virgo Brixiensis, à S. Apollonio Episcopo in fide instructa, & ex sacro fonte regenerata, cum ad sepulchrum SS. Faustini, & Iouitæ oraret, ab Idolorum cultoribus tenta, & colaphis cæsa, ad Aurelianum Præfectum adducitur: qui carceri inclusam postera luce sibi præsentari præcipit; illamq; omni adhibito minarum, & pollicitationum artificio, vt Deos coleret, persuadere conatur, sed frustra: nam se rebus, quæ sensu & mente carerent, quales sunt Idola omnia, honorem habere non posse constantissimè respondit. Quare præses ira correptus Oliuam capillis in arbore suspendi, ignemq; subijci imperat, & à diuinis laudibus non cessantem scorpionibus cædi, donec animã exhalaret. Anno Christo nato 119. Cuius corpus à Christianis apud prædictos martyres humatum, postea Salodium, vbi magna veneratione colitur, translatum est. *Ex quodam peruetusto M.S. Eccl. S. Afra.*

Oliua capillis in arbore suspen.

ANNOTATIO.

ALij die seq. eius natalem celebrari affirmant. Fortè vna natalis, altera die Translat. recolitur.

DE S. GALDINO EPISCOPO MEDIOLANENSI.

GAldinus Mediolani ex Sala familia natus, primùm Archidiaconus Mediolansis Ecclesiæ; deinde ab Alexandro III. Pont. Max. presbyter Cardinalis creatur; nec multò post sic eius exigentibus præclaris meritis, Archiepiscopus eiusdem Ecclesiæ Mediolanen. ordinatus totius Galliæ Cisalpinæ legatus fit. Mediolanum veniens, vrbem à Friderico I. Imp. cum ædibus Archiepiscopatus dirutam, reficiendam curauit. Ordinem Humiliatorum, qui paulò ante cœperat, confirmauit. Ticinum, quod partes Imp. Pont. Max. neglecto secutum fuerat, interdicto subegit. Laudensibus Episcopum tribuit. Alexandriæ nouæ vrbis statiellorũ ædificãdæ magna ex parte auctor fuit. Pacem inter Imper. & vrbem Mediolanensem composuit. His, & alijs præclarè gestis, cum annos 10. Ecclesiam Mediolan. summa cũ laude, & vtilitate administrasset,

Præclara Galdini gesta.

straffet, cumq; contra Hæreticos declamaret, 14. Kal. Maij. an. sal. 1177. e mortali vita excedens abijt in cœlum. Corpus in æde S. Teclæ conditum est. *Ex Brev. & Actis Eccles. Mediolanen.*

ANNOTATIO.

Panuin. in Cronol. Ecclesiastica S. Galdinum S. duntaxat Ann. Eccles. Mediolan. præfuisse scribit. Sed in re hac Tab. & actis Eccl. Mediolan. fides habenda est.

DE S. IVSTINO EPISCOPO THEATINO.

IVstinus Theateæ in Marrucinis Christianis ortus parentibus, humanis, & diuinis litteris instructus ab ineunte ætate opera pietatis coluit. Factus grandior, cum omnes in eo virtutes prælucerent, ad sacros ordines promotus; tandem vrbis Episcopo defuncto, in illius locum summo omnium consensu eligitur. Onus Episcopale aggressus, tum publicis concionibus, tum priuatis locutionibus breui Ecclesiam suam, & mores populi optimè composuit. Multis claruit miraculis: in quibus partiam à Saracenis durè obsessam suis ad Deum precibus liberauit. Cum annos aliquot Ecclesiæ Theatinæ sanctè præfuisset, Ann. à Partu Virginis 1132. 14. Kal. Maij, feliciter ex hac vita recessit. Ad cuius Tumulum innumera penè prodigia sunt patrata. Nam mulier Teutonica, quæ corporis viribus prorsus destituta gestabatur, membrorum sanitatem consecuta est. Cum pars vrbis Theateæ incendio, quòd propter ventorum flatus restingui non poterat, conflagraret, eò Brachio *S.* Iustini thecæ argenteæ incluso, delato, statim ignis extinctus est. Qua die etiam paralyticus curatus fuit. Puer Bœmundi Comitis filius animam exhalaturus S. Iustino commendatus, sanus illicò reuixit. Quidam Theatinus nobilis equo intercurrendum delapsus, crure perfracto animam prænimio dolore agens vxore à S. Episcopo Iustino opem implorante breui salutem consecutus est. Cæcæ quoq; mulieri lumen oculorum restituitur, ac vna, & altera à Dæmone obsessa liberatur. Cum locustæ agrum Theatinum populabundæ aggressæ fuissent, nec vlla seruandorum fructuum spes esset, delatò cum supplicationibus aduersus illas Brachio memorato mirabiliter fugatæ, *Ex Monum. Eccles. Theatina, & Paulo Regio lib. de SS. Regni Neapolit. parte 2. vbi plura, & memoranda miracula recensentur.*

Iustinus obsessam patriã liberat. Mirac. 1. Mulier contracta sanitatem recuperat. 2. Ignis partem vrbis absumens extinguitur. 3. Puer semimortuus reuiuit. 5. Theatinus nobilis animã agens sanitatem consequitur. 6. Cæcæ lumen oculorum restituitur. 7. Locustæ agrũ depopulãtes fugantur. 8.

ANNOTATIO.

Floruit S. Iustinus sub Innocentio II. Pont. Max. quo tempore S. Bernardus Abb. Claraeuallen. sanctitate præfulgebat.

DE S. EVSEBIO EPISCOPO FANENSI.

EVsebius Episcopus Fanensis doctrina, & vitæ sanctitate ita excelluit, vt inter SS. habitus, hac die ab ecclesia Fanensi celebretur. Vixit sub Symmacho Sum. Pont. sub quo Synodo Romæ celebratæ affuit, vti ex subscriptione (*qua sic habet Eusebius Episcopus Fanestris*) apparet. Corpus illius in arca lapidea in proprio Sacello Eccl. Cathedralis asseruatur. *Ex Mon. Eccl. Fanen.*

ANNOTATIO.

Acta propria huius S. Episcopo desiderantur: extat tantummodo in Cod. M. S. illius memoria, prout supra narratum est. Non solum autem Synodo Rom. sub Symmacho sed & sub Gelasio interfuisse videtur.

DE

DE S. NICO EREMITA APVD BESVTIVM.

NIcus Eremita apud Besutium op. agri Mediolanensis à Mediolano ad 40. M. P. recedens vitam egit solitariam. Cumq; debitum vniuersæ carnis persoluisset, miraculisq; clarescerer, honorificè apud illud op. conditus est, ac venerationi esse cœpit. Eius corpus à S. Karolo Borrhomæo tituli S. Praxedis Presbytero Cardin. & Archiepiscopo Mediolanensi anno Dominicæ Incarnationis 1566. translatum, & in proprio sacello reconditum fuit, Sodalitio de pœnitentia nuncupato ibidem instituto. Eius dies festus Besutij 14. Kal. Maij celebratur. *Ex Monum. Eccles. Besutien.*

ANNOTATIO.

DE Translatione illius agitur in vit. S. Karoli à Io. Petro Goselino patricio Mediolanen. conscripta.

DE S. ELEVTHERIO ABBATE APVD SPOLETIVM.

ELeutherius Abbas, qui monasterio S. Andreæ Romæ vnà cum S. Gregorio vixit, vir summæ simplicitate, & compunctione præditus fuit. Cuius lacrymæ vt Idem Gregorius scribit, mortuum ad vitam reuocarunt. Præfuit autem monasterio S. Marci apud Spoletium, & aliquor refulsit miraculis. Quorum hæc à S. Gregorio referuntur. Cum in itinere ad cœnobium virginum diuertisset, ac moniales puerum à dæmone obsessum, à quo omni nocte vexari solitus erat in monasterio, vt secum illa nocte maneret, ei tradidissent, exceptus ab eo puer ea nocte absque dæmonis vexatione fuit. Mane moniales cum à S. Abbate puerum noctem illam quietam duxisse intellexissent quidq; pati soleret, à dæmone narrassent, illum enixè rogarunt, vt puerum secum ad suum monasterium duceret: quod cum factum fuisset, nunquam immundus spiritus ad eum accedere præsumpsit. Cum autem S. senex immoderatius de pueri liberatione coram fratribus lætaretur dicens illum quandiù apud moniales fuit à diabolo vexatum, at vbi venit ad seruos Dei Dæmonem ad illum accedere non ausum fuisse, statim puer à malo spiritu inuasus rursus vexari fratribus videntibus cœpit. Quapropter Eleutherius dolens fratribus illum consolari conantibus dixit. Panis in nullius vestrum os hodie ingredietur, nisi puer iste à Dæmonio liberabitur. Illis itaque orantibus ita perfectè sanatus est puer, vt omni deinceps diabolica vexatione caruerit. Cum S. Gregorius in monasterio syncopis morbo correptus ieiunare neq; in Sabbato sacratissimo posset, Eleutherius, cui ille se commendarat, oratorium ingressus, cum lacrymis orauit, ac exiens Gregorium benedixit, quia se statim stomachi ægritudinem depulsam sensit. Tandem S. Abbas senio confectus in monasterio S. Andreæ in manibus S. Gregorij suum Deo reddidit spûm 14. Kal. Maij, ann. salut. 600. Corpus in ecclesia S. Marci propè Spoletium conditum à Spoletinis piè colitur. *Ex Monum. Eccl. Spoletinæ, & ex lib. Dialog. S. Greg. Pap. cap. 33.*

Mirac. 1. Puer à Dæmone obsessus liberatur.

2. Syncopis morbo correptus curatur.

3. Stomachi ægritudo depellitur.

ANNOTATIO.

CIrca tempus obitus S. Eleutherij error manifestus in Monum. Eccles. Spoletina deprehenditur. Nam obijt multò ante quàm Greg. Pontifex fieret, quando nimirum adhuc in monasterio S. Andreæ agebat. Si itaque Greg. ad Pontif. an. D. 590.

cunctus

euectus est, ex eius vita, & Cronol. Eccl. Eleutherius ante id tempus obierit, oportet. De eo Martyrolog. Roman. die 6. Septemb. hac enim die translatio illius ab Eccles. Spoletina celebrari videtur.

Aprilis die 19.

DE S. LEONE PAPA EIVS NOMINIS IX.

LEo antea Bruno Episcopus Tullensis, natione Germanus, vir pius, & mitis Romanis ab Imp. Henrico II. qui ab eis rogatus fuerat, Pontifex post Damasum II. datus est an. sal. 1049. Cum verò Romam Pontificio habitu indutus ingressurus esset, ab Abbate Cluniacensi, & Hildebrando monacho persuasus, habitum Pontificalem, exutus, quasi legitimus Papa non esset, nisi à Clero Rom. electus fuisset, vrbem tanquam priuatus ingressus est, ac paulò post eiusdem Hildebrandi opera, à Clero Pontifex eligitur. Qui illum initio Pontificatus Diaconum Cardinalem creauit, eiusq; curæ basilicam S. Pauli commisit. Is cùm primus arma mouisset aduersus Gisulphum Normanum, qui Beneuentum Ecclesiæ pro censu Bambergensis Ecclesiæ ab Imp. Henrico donatum occuparat, victus & captus est, tametsi paulò post liber dimissus fuit. Leo Romam reuersus dum se in operibus charitatis peregrinos, & pauperes excipiens exercet, pauperem leprosum eius misericordia commotus in proprio lecto locari iussit, qui mane aperto cubiculo non est repertus. Rebus etiam ad religionem spectantibus animum intendit. Nam coacta multorum Episcop. Vercellis, & Romæ Synodo, Berengarium de Euchuristia male sentientem hæreseos condemnauit. Imperatorem Constantinopolitanum, vt Sacrosanctum Domini sepulchrum Hierosolymis à Barbaris fœdatum restitueret, hortatus est, Græcosq; ab errore reuocare studuit. Plura habuit pro Reip. Christianæ statu concilia, Papiæ scilicet, Moguntiæ, & Rhemis, quo ipse profectus est. Multa scripsit, præsertim contra errores Græcorum, in quibus eruditio, & pietas eius elucent. Præfuit Ecclesiæ annos 5. menses 2. & dies 6. ac 13. Kal. Maij obdormiuit in D. *Ex eius vita, qua in M.S. Gerardi in Belgis fusissime scripta reperitur. Plat. Gales. & alijs præsertim Pet. in Catal. lib. 4. cap. 65. vbi plura miracula recenset, licet illum decimum pro nono appellet.*

Leo primus arma mouet aduersus infestantes Ecclesiæ libertatem.

Mirac. Mira Leonis charitas.

Berengarij cõdemnatio.

Plura celebrat cõcilia.

ANNOTATIO.

COlitur hic S. Pont. maxima celebritate Rhemis in templo S. Rhemigij à se dedicato, cum Synodum ibi celebraret. Suessa quoq; in Campania, vbi ecclesia sibi extra vrbem suburbio extructa fuit, & brachium eius religiosissimè asseruatur, hac die solemnem cultum tanquam patronus habet.

DE S. CRESCENTIO CONFESS. FLORENTINO.

CRescentius Florentinus, Canonicus, S. Zenobij Episcopi discipulus (à quo ob eius virtutes, & sanctitatis signa Subdiaconus ordinatus est) dignã tanto magistro vitam degit. Is Mediolanũ vt S. Ambrosium Epũm inuiseret, profectus multos ibi à dæmonibus obsessos liberauit. Reuersus Florentiam aliquot paralyticos, alisq; morbis oppressos diuinitus curauit. Cum itaq; iam tot virtutibus clarus effectus esset, eodem anno post S. Ambrosij Epi Mediolanensis, ac S. Eugenij Diaconi Florentini excessum 13. Kal. Maij ann. Dom. 423. vita defunctus est, in æde S. Saluatoris à sancto Zenobio Episcopo sepultus, & sancto

Mirac. 1. Crescentius multos à dæmone liberat.

2. Paralyticos Florentiæ curat.

Eugenio

Eugenio appositus, non sine magno ciuium mœrore. *Ex vit. S. Zenobij Episcopi, à Sur. tom. 2. relata. & ex lib. SS. Hetr. Siluani Ratij.*

ANNOTATIO.

ERror insignis circa tempus mortis S. Crescentij in eius vita conspicitur. Nam si eodem an. quo S. Ambrosius, obijt, quis non intelligat hic 26. annorum errorem intercessisse? Cum S. Ambrosius an. Dom. 397. vt in Breu. Rom. vel 399. vt Cronol. Eccles. Panuin. obierit.

Aprilis die 20.

DE SS. SVLPITIO, ET SERVILIANO martyribus Romæ.

SVlpitius, & Seruilianus Romani adolescentes, illustres SS. Euphrosynæ, & Theodoræ sponsi, cum Herodem Theodoræ fratrem cæcum, & puellam nutricis Euphrosynæ filiam mutam à S. Domitilla mirabiliter sanatos vidissent, ad Christum conuersi Aurelianum, Domitillæ sponsum, ne per vim ad eius nuptias peruenire vellet, sed daret gloriam Deo, hortabantur. Sed illo pia consilia contemnente, & tripudiorum assidua defatigatione defuncto, Luxurius frater accepta in Sulpitium, & Seruilianum à Traiano Imp. ob id, quòd Christo nomina dedissent, potestate, illos Aniano vrbis Præfecto puniendos tradidit. Qui cum interrogatos Christianos comperisset, neq; ad cultum Deorum potuisset reducere, securi eos percuti iussit. Quorum corpora à Christianis in ipsorum prædio via Latina 11. ab vrbe milliario condita sunt: Vbi virtus SS. martyrum vsque in præsentem diem exuberare traditur. *Ex Gest. & pass. SS. Nerei, & Achillei à Sur. Tom. 2. rel.*

ANNOTATIO.

APud nonnullos pro Sulpitio Simplicius, & pro Traiano Nerua legitur: quod manifestus est error.

DE S. AGNETE VIRGINE POLITIANA Ord. Prædicatorum.

AGnes virgo apud M. Politianum in Hetruria humilibus, & obscuris parentibus nata, ab infantia & ipsa natiuitate signa sanctitaris dedit. Nam dũ ex vtero materno prodiret, faces cereæ in cubiculo diuinitùs accensæ visæ sunt. Ipsa infantula à puerilibus lusibus abhorrens Christo Domino, quem sibi iam eo tempore sponsum delegerat, seipsam precibus commendabat. Cum aliquando ex pago vbi nata fuerat, collem in vrbis pomerio in quo infames mulieres infamem vitam ducebant, conscenderet, corui plurimi, seu potius dæmones coruorum specie S. virginem rostro & vnguibus, quasi illorum aduersariã maximam futuram præsentientes ferire conabantur. Nonum ętatis annũ agens cœnobium virginum (cui à Sacco nomen erat) vt multis precibus à parentibus impetrauerat, ingressa. Orationibus, sacris lectionibus, & aliis piis exercitationibus vacare cœpit, modestia, humilitate, obedientia, pudicitia, quam ieiuniis, & vigiliis conseruabat, & aliis virtutibus fulgens. Annum nata 14. sic Deo arctis-

Prodigiũ in ortu S. Agnetis.

Dæmones sub coruorũ specie virginem rostro, & vnguibus lacerare contendunt.

ctissimo charitatis vinculo iuncta erat, vt inter orādum elata à terra cubito cerneretur, & aliquando Dei mater ei apparens tres lapillos pulcherrimos dono dedit, fore prædicens, vt sibi sacram ædem excitaret. Cum itaq; tot virtutibus præluceret, vnà cum Margarita eius magistra ad nouum cœnobium virginum Porceni oppido agri vrbeuetani construendum destinatur. Cui Summi Pont. iussu annum 15. nondum egressa, inuita præficitur. Vbi pietatis opera ardētius colere studebat. Lectus illi nuda humus erat, ceruical saxum, 15. annos perpetuò pane, & aqua contenta ieiunauit. Sic orandi fruebatur otio, vt non sine magno animi dolore ab eo studio ad negotia monasterij diuelleretur. Cum ab oratione surgeret pallium aliquando rore candido, cuius guttæ crucem referrent, conspersum visum est, & qua die Episcopus ad eam consecrandam accessit ara, & pauimentum manna conspersa inuenta sunt. Orans aliquādo Christum forma lactentis puerina sanctissimæ eius matris sinu complexa ab eo crucem paruam ex eius collo pendentem accepit, & sæpius ab Angelis sacra Eucharistia refecta est. Viuens dæmones ab obsessis corporibus fugauit. Oleum, panem, vinum (quod etiam ex aqua fecit) auxit. Carnes in pisces commutauit. Puerū extinctum vitæ restituit. Arcana cordis nouit. Post ann. 30. M. Politianum diuino iussu reuocata cœnobium virginum sub inuocatione B. M. V. vbi infames illæ fœminæ morabantur, extruxit, & sorori noui cœnobij, quæ mitis dicebatur, cæcæ signo crucis lumen restituit. Cum in morbum incidisset ad balnea Clauciani deducta nouam aquæ venam excitauit, quæ morbos omnes curaret. Ingrauescente morbo moniales ad obseruantiam hortata, & à sponso cœlesti euocata, 12. Kal. Maij an. sal. 1317. euolauit in cœlum, multis etiam post mortem miraculis illustris. Qui propter Clem. VIII. Sum. Pont. ad Henrici IV. Regis Francorum preces, vt in vniuerso Ord. Præd. officium diuinum de ea persolueretur, concessit. *Ex lectionib. illius a memorato Pont. approbatis ann. salut. 1601. die 23. Februar.*

Dei mater apparet Agneti.

Ieiuniū 15. annorum in pane, & aqua.

Miranda narrantur.

Innumera miracula.

ANNOTATIO.

ET si nondum in SS. virginum numerum relata est solenni ritu in maxima tamen veneratione apud Politianenses habetur. Hæc in manibus B. Bonauenturæ Pistorien. Ord. Seruorum Hildobrandi Episc. Aretini mandato solemnem emisit professionem, monasterioq; præfecta est, vt lib 5. vit. S. Philippi à F. Archang. Gianio Florentino eiusd. Ordin. Magistro adnotatum est ex Monumen. cœnobij eiusdem S. Agnetis.

Aprilis die 21.

DE S. CYPRIANO EPISCOPO BRIXIENSI.

CYprianus Episcopus Brixiensis post S. Paulinum eiusdem vrbis Episcopū inter S. Titianum, & Herculanum Ecclesiam Brixiensem rexit. Acta illius ita interciderunt, vt neq; patria sciri potuerit. Eum tamen Ecclesiam sibi creditam sanctè, pieq; administrasse certum est, cum Brixiensis Ecclesia semper ab obitu ad hæc vsq, tempora vti sanctum habuerit, colueritq;. Obijt in D. 11. Kal. Maij. Corpus in ecclesia S. Petri in Olivueto asseruatur. *Ex Tab. Eccl. Brix.*

ANNOTATIO.

CApreolus lib. 3. Annal. Brixiæ Cyprianum Episcopum eius sedis 18. facit. Cuius etiam mem. Rampertus Episc. Brixien. in Translat. S. Philastrij.

DE

Aprilis die 22.

DE S. SOTERE PAPA, ET MARTYRE.

SOter Fundis in Campania, seu in Latio (Fundana enim ciuitas ab antiquis scriptoribus, & alijs plærisq; in Latio censetur) natus, Marco Aurelio Imp. post S. Anicetum Pontificatum administrauit. Sanciuit inter alia, ne sacræ virgines vasa sacra, & pallas attingerent, neuè thuris ministerio in ecclesia vterentur. Vt Corpus Christi ab omnibus in Cęna Domini sumeretur, ijs exceptis, qui ob graue peccatum id facere prohiberentur. Idem (vt apud Gratianum legitur) statuit iuramentum malum non esse seruandum: & Presbyterum haud debere nisi duobus saltem præsentibus celebrare, vt cum dicit orate fratres aptè, & conuenienter eius salutationi responderi possit. Scripsit duas epistolas, vnam ad Episcopos Campaniæ, alteram ad vniuersos Italiæ Episcopos. Fuit eloquio suauis, aduenientes benignè excipiens, seque erga omnes vti pium patrem gerens. Vixit in Pontificatu annos 3. menses 11. dies 18. creatus mense Decembri Presbyteris 18. Diaconis 9. Episcopis 11. sub M. Aurelio Imp. martyrio coronatus, sepultus est in cęmeterio: quod postea Callisti appellatum est. *Ex Breu. Rom. Damaso, Eusebio, & Plat.*

Presbyter nō debet nisi duobus præsentibus celebrare.

ANNOTATIO.

HIc magna de Sotere quantum vixerit in Pont. inter scriptores est dissensio Euseb. lib. 5. Hist. Eccl. initio cap. 1. illum octo annos Pontif. administrasse scribit. Damasus in Pontif. annos 9. & menses quasi 8. Marianus Scot. Eusebio assentitur. Platina ann. 9. menses 3. dies 21. qui illum sub Commodo Imper. Pontificatum gessisse etiam affirmat. Panuin. in Cronol. Eccl. ann. 7. mens. 11. dies 18. Ego in tanta ambiguitate S. Damaso (si tamen liber ille Damasi est) vel Eusebio subscriberem, nisi Breuiarij Rom. cui defero, autoritas obstaret.

Magna de Sotere quantū in Pont. vixerit dissensio.

DE S. CAIO PAPA, ET MARTYRE.

CAius genere Dalmata, patria Salonensis, Diocletiani Imp. propinquus post S. Eutychianum Caro, Carino, & Numeriano Imperatoribus Pontificatū gessit vsque ad Diocletiani, & Maximiani tempora. Constituit, vt his ordinū, & honorum gradibus in Ecclesia ad Episcopatum ascenderetur, Ostiarij, Lectoris, Exorcistæ, Acolythi, Subdiaconi, Diaconi, & Presbyteri. Epistolam Decretalem ad Felicem Episcopum scripsit. Superiorum Pontificum, ne Laicus Clericum apud prophanos Iudices accusaret, decretum innouauit. Crudelitatem Diocletiani in Christianos fugiens aliquandiù in spelunca delituit, at post annos 8. vnà cum Gabino fratre martyrij coronam percepit, 10. Kal. Maij. Cum sedisset annos 12. menses 4. dies 5. & creasset mense Decembri Presbyteros 25. Diaconos 8. Episcopos 5. sepultus est in cęmeterio Callisti. *Ex Breu. Rom. & Damaso in Pontif. ac Plat.*

S. Caij ordinationes.

ANNOTATIO.

HIc quoquè circa annos Pontificatus Caij dissidium est: Damasus enim annos 2. mens. 4. dies 12. illi tribuit. Euseb. lib. 7. c. 27. Hist. Eccl. ann. 15. Platina Damasum sequitur. Panuin. in Cronol. Eccles. ann. 12. mens. 4. dies 6. Nos cum Baron. in Annal. Eccles. Breu. Rom. sequimur.

DE

DE S. DANIELE MARTYRE LAUDENSI.

DAniel sub Karolo Magno egregius miles, quo tēpore pius Imp. Paganos, ac Infideles insequebatur, illos è Christianorum finibus expellens apud laudem Pompeiam in vico Cassino, qui nunc Roccabruna appellatur, prælio cum hostibus fidei conserto, cum multis ex vtraque parte corruerent, & ipse lapide percussus pro Christo martyr occubuit. Cuius corpus cum ignotum diu iacuisset, à Karolo Magno miraculo quodam inuentum mirum suauemque odorem emittens, ibidem sacra æde ei extructa sepelitur. Cum verò locus habitatoribus desertus fuisset, corpusque martyris aliquandiu latuisset, nouo miraculo detectum, laudem nouam in basilicam S. Bassiani translatum est, ibique honorificè conditum. *Ex monument. eccl. lauden. in cuius tab. modo ad hanc diem, modò ad 10. eiusdem mens. adnotatus legitur.*

Corpus à S. Dan a Ka. Magno miraculo quodā inuēt.

ANNOTATIO.

QVod de Paganis hic dicitur parum verisimile est: neq; enim idolatræ Karolo Magno Imper. in Italia, in his præsertim regionibus erant: nisi nomine Paganorum Hæretici, vt aliquando in historijs SS. animaduertimus, intelligantur.*

DE B. ÆGIDIO ASSISINATE ORD. MINORVM PERVSIÆ.

AEgidius Assisinas S. Franciscū ciuem suum secutus, cuius 3. discipulus fuit, omnibus suis venditis pecuniam pauperibus distribuit, sæpius eisdē propriis vestibus concessis. Hic multas suscepit peregrinationes paupertatisque, pietatis, & eximiæ charitatis, ac humilitatis, & obedientiæ cultor fuit. Martyrij cupidus in Africam ad Christi fidem prædicandam profectus est. Sæpenumerò in extasim rapiebatur, quod aliquando illi Perusiæ coram Gregorio 9. Pontifi. Max. contigit. Spiritu prophetico præditus fuit. Cum enim prædicator quidā ductus à Dœmone ad dubitandum de Sanctissimæ Deigenitricis virginitate induceretur, isque B. Aegidium auxilij causa adijsset, antequam aduentus sui causam aperuisset, S. vir illum sic allocutus fertur: *Prædicator frater, virgo ante partum*. & baculo terræ difixo statim lilium prodiit: quod etiam cum secundò: *virgo in partu*, & tertiò *virgo post partum* dixisset, factum est. Quo miraculo omnem ab eo prædicatore dubitationis tentationem profligauit. Cum eum S. Ludouicus Galliæ Rex Romam proficiscens Perusiæ inuisisset, & amplexatus esset Regem tamen minimè allocutus est, ac fratribus propterea mirantibus quòd neque Regem salutasset, respondit non opus fuisse externa locutione, cum alter alteri satis inter amplexus notus esset, vsus locutione spirituali. Multus à Dęmonijs sustinuit persecutiones, ab eo sæpius noctu inter orandum percussus. Virtutibus omnibus excullis erat fide præsertim, charitate, humilitate, timore, patiētia, pietate, castitate, obedrētia, quas alijs persuadere nitebatur. Miraculis viuēs enituit: in quibus crus cuidam nobili Assisinati iam sacro morbo putrefactum signo crucis mirabiliter sanauit. Qui tandem senio confectus apud Perusiam decessit, an. sal. sum. 1260. 10. Kal. Maij. *Ex Chron. Ord. Minor. p. 1. l. 8. per totum, vbi eius vita admirabilis enarratur.*

Bona sua pauperib. distribuit.

Orans rapitur in extasim.

Spiritu prophetico præditus.

Ter baculum terræ difigēs tria producit lilia ad virginitatē B. M. testandum.

visitatus, & amplexatus à S. Lud Rege illum non alloquitur.

A Dęmone percutitur.

Cuidam crus putrefactum sanat.

Migrat Perusiæ.

ANNOTATIO.

NOndum SS. Catalogo adscriptus est; licet S. in Chron. prædictis appelletur. De eo S. Anton. Florent. in Chron. & S. Bonau. in vita S. Franc. Bis B. Coirlaro per quietem apparuit; qui in Piceno Offida natus, ac ordinĕ minorum ingressus admirãdos in vita religiosa progressus fecit, cui etiam Deipara Virgo oranti apparuisse, filiumque amplexandum porrexisse fertur. Is plenus meritis, miraculisque aliquot coruscans, an. D. 1306. die 12. Decẽbris obiens abijt in cælum, cuius corpus à Philippo Massino I.C. celeberrimo, legumque Ticini, & Pisis primario interprete extructo, conditum est. De eo in Cron. Ord. Min. parte 2. 27. 28. & 29.

Aprilis die 23.

DE S. MAROLO EPISCOPO MEDIOLANENSI.

MArolus innocentij Papæ primi syncronus, & familiaris, cum esset vitæ probitate conspicuus, ieiunijs, vigilijs, orationibus, piisque meditationibus deditus, virtutibusque (ab quas summopere à S. Ennodio Episcopo Ticinensi versibus commendatur) præstaret, S. Venerio Episcopo Mediolanensi successit. Quod munus Episcopale annos 15. summa cum laude administrauit. Multis autē relictis suæ sanctitatis argumentis 10. Kal. Maii. ad præmiũ migrauit in Cœlum. Corpus in Apostolorum basilica nunc S. Nazarii conditum est. *Ex Actis eccl. Mediolanen. ac 19. vit. Epp. Med. Pet. Galesin. de eo die praced.*

ANNOTATIO.

IN Tab. Epp. *Mediol. Besutij Marolum die 23. Maij. obijsse legitur, quod errori typographi adscribendum videtur.* Eius *Natalis ab Eccl. Mediol. mense Maio celebratur, cum 23. dies April. vt plurimum in maiorem hebdomadam, vel intra oct. Pascha incidat. Panuin. in Cronol. ecclesiast. S. Marolum an. D. 406. Episcopum creatum an. 415. migrasse scribit. ex quo non 15. annis, sed 9. duntaxat præfuisse videtur.*

ILLVM ENNODIVS EPISCOPVS Papien. carmine sequente celebret.

„ *Marolus extremæ petator Tygris vnda*
„ *Qui iubar in madidis viderat hospicijs;*
„ *Quem labor in proprio Syriæ solidauerat axe;*
„ *Orditur vatem dotibus innumeris;*
„ *Peruigil intentus, ieiunus, Prouidus ardens,*
„ *Quod morem tenuit, sat fuit officio.*
„ *Os tenerum quoties gustus contingit honesti*
„ *Transit ad affectum, quod furtum perij*
„ *Terra potens olim patribus fundata beatis*
„ *Nobilibus mundum partibus irradiat.*

DE S. GEORGIO EPISCOPO SVELLENSI.

GEorgius calari in Sardinia seruis parentibus nascitur. Quem Græca nobilis matrona parentum domina, in vtero sanctificandum, ac salutem patriæ allaturum

allaturum ab Angelo præmonita matrem, cui nomen erat Viuentia, non vt seruam, sed loco sororis habebat. Natus itaque infans, baptismoque regeneratus Georgius, vt ab Angelo matronæ fuerat prænunciatum, nominatur. Qui quarta, & sexta Feria lac semel duntaxat post solis occasum infans sugebat. Exacta infantia litteris Latinis, & Græcis imbuitur, libertateque donatus sacris initiatur breuique factus Sacerdos anno ætatis 22. Episcopus Suellẽsis ordinatur. In Episcopatu abstinentiam, quam infans cæperat, seruauit, pauperes suis facultatib. sustentabat, afflictos solabatur: ægrotos frequens visebat. Plurima viuens miracula edidit, ægris, dœmoniacisque diuinitus curatis. Dum æstiuo tempore Diœcesim visitaret, sociisque ardentissima siti vexati aquam, qua illam extinguerẽt, in via non haberent, S. Episcopus terra ter baculo percussa, aquam illicò quà ricreati sunt, eduxit. Apud Gallim oppidum Dœmonẽ solo iussu ab obsesso homine eiecit. Vocatus ad visendum ægrotum, illum iam defunctum repertũ patris permotus lacrymis orationem ad vitam reuocauit. Apud Vizullim oppidũ cæco lumen restituit. Vbi etiam cum ciuis primarij de finibus agrorum dissiderent, S. Episcopus defixis baculis, qui mox fronduere, litem sedauit. Cum apud paludem ranæ obstrepentes suos dormire non sinerent, misso ad eas Diacono, qui ne coaxarent, præcepit, et præcepto paruerunt. Montem, qui ab itinerantib. maximo cum labore, conscendebatur, facto crucis signo diuisit, indeque fons aquæ, qui etiamnum perseuerat, mirabiliter scaturiit. Cum dominus quidam seruum, qui ad S. Episcopum confugiens vestem illius manu tenebat, haud veritus Episcopum, verberaret, repentè à Dœmone arreptus dirè torquetur, donec S. viri precibus liberatus est. Torquatus Iudex Calaritanus, cum scarabeos, crabrones, & colubros, qui statim illatos mensæ cibus inuadebant, tollere è medio nulla ratione posset, S. Georgium accersiri iubet; qui animalia sola occidit oratione, nec amplius sunt reuersa. Quapropter Suellim cum adiacente pago Episcopo donauit. Denique termino vitæ instante, eoque prædicto sacris munitus 9. Kal. Maij, an. sal. 1117. migrauit in cœlum, clarus etiam post mortem miraculis. Corpus in ecclesia cathedrali sepultum est. *Ex lib. de SS. Sardiniæ nuper Calari excuso, & Cron. F. Dima Serpi Ord. Minor.*

Infans Georgius lac post solis occasum duntaxat sugit.

Inclyta charitatis opera Georgij.

Mirac. I. Aquam baculo educit.

II. Obsessum à Dœmone liberat.

III. Defunctus ad vitam reuocatur.

IV. Cæco lumen restituitur.

V. Litem baculis frondentibus sedat.

VI. Georgij præcepto ranæ haud coaxãt.

VII. Mons diuiditur, fonsque scaturit.

VIII. A Dæmone ereptus, vexatusque liberatur.

IX.

ANNOTATIO.

Vitam, & miracula S. Georgij Episcopi multo plura, quã, quæ narrata sunt (in quibus draconis, qui homines inficiens, & deuorans pagum diæc. Suellen. ad solitudinem redegerat, occisio, & herbarum sanguine illius conspersarum vsque in præsentẽ diẽ hortus) longa oratione F. Dimas Serpus l. 2. Cronic. Sard. ab ipso an. D. 1600. sermone Hispano aditorum prosequitur.

Aprilis die 24.

DE S. MARCO EVANGELISTA VENETÆ Reipubl. patrono.

Marcus, quem S. Barnabæ Apostoli consobrinum fuisse Ioannemque appellatum tradunt. S. Petri Apostoli discipulus Romæ à fratribus rogatus Euangelium, vtà Petro audierat, scripsit: quod cum Petrus legisset, probauit, Ecclesiæque legendum tradidit. Illum, vt illius Ecclesiæ habet antiqua traditio, Petrus primum Aquileiẽsium Episcopum ordinauit. qua Ecclesia constituta, illique Hermacora præfecto, cum euangelio, quod scripserat, ab eodem Petro in Ægyptum ad prædicandum mittitur. Qui Alexandriæ Christum annuncians, eam Ecclesiam à se fundatam primus Episcopus rexit, tanta doctri-

Marcus S. Barnabæ consobrinus.

Romæ scribit Euang.

Primus Aquileiens. Episc.

Alexandrinã primus fundat Eccl.

na.& vitæ integritate, vt omnes suo exemplo cogeret ad Christi fidem. Quam ecclesiam à Marco sic constitutam, Philo disertissimus Iudæorum laudibus extollit; Cum autem illi Ecclesiæ aliquot annos præfuisset, à persecutoribus fidei tentus, funibusque vinctus, ac per saxa raptatus dilaceratis vnà cum vestibus, & carnibus grauiter afflictus est. Denique in carcere reclusus, (vbi non solum Angelica visitatione, sed & Domini apparitione confortatus est) octauo Neronis anno migrauit ad Christum Aniano sibi in Episcopatu succedente. Cuius corpus à Christianis ibidem sepultum postea Saracenis Alexandriã possidentibus, à Venetis clàm sublatum, Venetias delatum est, ac in augustissimum templum sibi dicatum illatum: ex quo tempore Veneta Respub. illum tutelarem suum, & patronum habuit. *Ex Breu. Rom. Doroth. epist. Tyrio. Euseb. li. 2. c. 15. Niceph. Call. lib. 2. c. 45. Isid. de vita patrum c. 85. & al.*

Ob fidem à persecutoribus raptatur. Christus sibi apparet in carcere. Corpus à Venetis Venetias clam defertur. Tutelaris fit Venetorum.

ANNOTATIO.

EVseb. l. 2. c. 15. & 16. diuersam refert S. Marci historiam quoad mortem, & eius success. nullam enim facit martyrij mentionem & Celladonem eius successorem facit. Quod etiam alij illum sibi digitum ne Sacerdos fieret, amputasse tradunt, inter apocrypha habetur, cum membrorum mutilatio Sacr. Canonib. vetita sit. Controuersia est inter scriptores, an Marcus latinè, vel græcè scripserit Euangelium: nonnullis asserentibus quòd latinè: alijs verò quod græcè, quod Baronio magis placet.

Euseb. dissentit in vita S. Marci ab Eccles. Inuerisimile esse quod sibi digitum amputarit.

DE S. SABA MARTYRE CVM ALIIS LXX. Romæ.

SAbas militum ductor cum Christianos in carcere detentos visitaret, & eorũ curam gereret, accusatus quòd Christianus esset, comprehenditur, & ad Iudicem perductus liberè se Christiannm esse confessus est. Cumque à Christi fide abduci non posset, varijs afficitur supplicijs. ac primùm facibus ardentibus aduritur: deinde in lebetem picis feruentis immittitur: Cumque illæsus exisset, eo miraculo 70. viros ad Christum conuertit (qui omnes pro fidei confessione gladio cæsi sunt) Postremò, cùm constantior semper euaderet, in flumen demersus martyrium consumauit 8. Kal. Maij. Aureliano Imp. *Ex Martyrol. Rom. & Menolog. Græc.*

Conuersio 70. virorum.

ANNOTATIO.

PEt. Galesin. in suo Martyrol. hunc passum in Græcia scribit. & græcum Cod. cit. sed præstat Mart. Rom. auctoritas.

DE SS. MAVRITIO, GEORGIO, ET Tiberio Thebæis martyribus apud Pinarolum.

MAuritius Georgius, & Tiberius milites Thebæi, ex eorum numero, qui ex Castris Maximiani Imperatoris immanitatem deuitantes se subtraxerunt, à persecutoribus in finibus Taurinorum apud Pinarolum oppidũ præclarum deprehensi sunt: ac in fidei confessione persistenres ab illis trucidati martyrii palmam adepti in cœlum euolarunt. Quorum corpora in Abbatia sanctæ Mariæ apud Pinarolensem vrbem condita asseruantur, & hac die apud

incolas

Incolas venerationem habent. *Ex Historia SS. Martyrum Thebæorum Augustæ Taurinorum nuper adita.*

ANNOTATIO.

ET si hæc nullo antiquorum Auctorum testimonio nititur, antiqua tamen eis traditio suffragatur.

DE S. HONORIO EPISCOPO BRIXIENSI.

HOnorius 19. Episcopus Brixiensis, & à S. Philastrio 12. Ecclesiam Brixiensem post S. Herculanum magna prudentia, & pietate gubernauit. Cuius Gesta, & si iniuria temporum exciderunt, doctrina tamen, & vitæ sanctimonia illum claruisse tradunt, illudque præcipuè memoriæ prodidere, quod initio pastoralis officij Marcellam Præsidis filiam fistulis, & vlceribus plenam in Festo Assumptionis B. M. baptizatam ad pristinã sanitatem reuocauerit, corpus in SS. Faustini, & Iouitæ basilica asseruatur. *Ex Ramperto Episcopo Brixien. in sermone de translat. S. Philastrij, & Annalibus vrbis Brixiana. Qui tamen vnà cum antiquis lectionibus: M. S. expurgatione multa egent, continent enim inuerisimilia. De Comite Sabaudia, & de Duce Venetiarum, & alia.*

Aegrotæ mulieri sanitatẽ restitueret.

ANNOTATIO.

SVnt, qui S. Honorium Constantis Magni Constantini filij, filium putent, illumque ab Eusebio Episcopo Nicomedien. Episcopum ordinatum, Constantij patrui persecutionem fugientem in hac loca venisse. Sed temporum supputatio id prorsus commentitium esse demõstrat: Non potui autem non mirari Heliam Capreol. qui lib. 3. Annal. seu Cronic. Brixia longam huiusce rei historiam texuit si enim. Honorius fuit à Philastrio 9. Episc. vt ipse, & Ramp. habent. Philastrius autem Aquileien. concilio vna cum S. Ambr. interfuit an. D. 381. qui fieri potest, vt Honorius Constantini filius fuerit?

Honorius an filius fuerit Constantis Mag. Imp.

DE S. ANSELMO CONFESSORE APVD POLYMARTIVM.

ANselmus apud Mæonem pagum Faliscorum (quem vuulgus *Mugnonum* appellat) sanctitate non mediocri præsulfisse traditur: Quamuis quo tempore in humanis fuerit, quæque ediderit miracula, hactenus sciri non contigerit. Corpus illius Polymartij vrbe Faliscorum proxima in arca marmorea, ac in templo augusto religiosissimè asseruatur. Cuius dies festus, quem 8. Kal. Maij. incidit, summa celebritate agitur, finitimis populis ex deuotione eò confluentibus. *Ex Lando Leoncino to. 2. Hist. siue Fabrica Hortana par. 1.*

ANNOTATIO.

HIc ad aliorum SS. huius nominis discrimen, S. Anselmus Mæonen. appellatur, locus autem ab ecclesia S. Eutytij Presbyteri, & mart. quinque M. P. abest.

DE S. BONA VIRGINE PISANA.

BOna Pisis Bernardo patre, & Berna matre nata est, cui septenni Christus D. apparuisse, ac aliquot præcepisse dicitur, vt scilicet sola decumberet; cilicium super nuda carne gestaret; Hierosolymam pergeret; & S. Iacobi Apostoli corpus in Gallæcia visitaret. Quæ omnia executioni promptissimè mandauit.

Apparitio facta Bonæ.

Erant illi in æde S.Sepulchri orante Christum ter manus imposuisse capiti, eâque cum in deserto (in quo D.I.C.XL. diebus,& XL. noctibus ieiunauit) totidem dies ieiunasset ab eo annulo aureo donatam fuisse. Ter per hebdomadam in pane,& aqua ieiunabat: absque linteaminibus super stamine cubabat: reliquis diebus solis leguminibus vescebatur aqua ad potum adhibita. Dum ex Hierosolymis in Italiam reuerteretur à Saracenis capta diutino carcere macerata est: à quo liberata perpetuò febre laborauit. Victum tamen manibus sibi cōparabat. In sacris litteris diuinitus erudita secreta cordium, & futura Deo reuelante cognoscebat. Charitate flagrans multos à via perditionis ad viam salutis dirigebat; varijsque morbis laborantes vel solo Crucis signo sanabat. Decies semper ægra Templum D.Iacobi Apostoli in Hispania inuisisse fertur. Denique tot laboribus confecta orans,& psallens læta migrauit ad sponsum 8.Kal. Maij. An.Sal.MCCVIII. multis post mortem miraculis coruscans. *Ex Cod.antiquo M.S.Ecclef.Pisana. & Siluano Ratio lib. de SS.Hetrur.*

S.Bonau. eodem deserto, quo D.N. 40. diebus ieiunat, ac ab ipso annulo aureo donatur. Decies incisit templum S. Iacobi.

A N N O T A T I O.

Mirer hanc virginem ab aliquibus inter moniales Minorum censeri, cum eo tempore, quo illa vixit, Ordo Minorum nondum esset.

DE S.ANSELMO CONFESSORE, APVD POLYMARTIVM.

ANselmus *Mæone* pago apud Polymartium in Hetruria vitam Sanctissimā duxit, ac multis miraculis coruscauit: quorum quædam recens patrata feruntur. Nam inter alia cum carpentarius clauum, quo melius infigeretur, oleo lampadis ante aram,& tumulum *S.*Anselmi collucentis, (quod doloribus salutare esse solet) vnxisset, illicò illi manus intumescere cœpit; nec ante tumor abscessisset, quàm is ante aram prostratus, veniam orans suppliciter postulauit. Puer infans à matre in ecclesiam, in qua corpus S.Confessoris conditum est, ductus quadrantem nummi expeluí, quæ oblatam pecuniam continebat manu acceptum, in os suum immisit; qui ita linguę eius adhæsit, vt nulla via inde diuelli posset. Sed vbi mater ante tumulum genuflexa cum filio opem D.Anselmi implorasset, subitò quadrans ex ore pueri spontè prodijt. Eius dies Festus Polymartij 8.Kal.Maij non absque magno populi concursu celebratur. *Ex monum.Eccl. Polymartien.* De eo in lib. qui Fabrica Hortina inscribitur, mentio habetur.

Carpentarij, qui ex lampade S.Ans. accepit, manus intumescit. Quadrans acceptus expelui linguæ pueri adhæret.

A N N O T A T I O.

Vita,& miracula, quæ S.Anselmus viuens, & etiam defunctus edidit, iniuria temporum exciderunt. Quæ diximus, non ex aliquo M.S. vt ex ipsa traditione accepimus.

Aprilis die 25.

DE SS. EVODIO, HERMOGENE, ET Calisto Martyribus Syracusanis.

EVodius, Hermogenes,& Calistus Syracusis in Sicilia in Immani Diocletiani (vt est coniectura) persecutione ob Christianæ fidei constantiam martyrium perpessi sunt; licet Acta non extent. Passi sunt autem 7.Kal.Maij. *Ex Martyrol.Vsuardi, & aliorum.*

ANNO-

ANNOTATIO.

DIximus Acta non extare: quia nihil de illis apud Maurol. & scriptores rerum Sicul. legimus prater nudum ipsorum memoriam.

DE S. FIDELI CONFESSORE HISPELLIEN.

FIdelis confessor apud Hispellum, quod est Vmbriæ oppidum Fulgenio proximum, non paruam habet venerationem. Dies enim festus illius solẽni populi Hispellensis processione celebratur. Habet extra Hispellum propriam ecclesiam, siue sacellum. Tumulus eius apud S. Mariam in vico in dicta ecclesia perseuerat: in quem infantes ægroti deuotionis ergò immissi sanitates referre solent. Corpus inde sub latum fuit: quod cùm auferretur, ferunt (ita habet antiqua oppidi traditio) emissam cœlitus vocem, *licet hinc corpus Fidelis auferatis, non tamen virtutem.* Natalis eius 7. Kal. Maij recolitur. *Ex Annalibus Hispellen. vrbis.*

Tumulus S. Fidelis sanitatem præstari solet.

Oraculum cœleste.

ANNOTATIO.

ETsi Acta S. huius disperiere; ex antiqua tamen Hispellens. tradit. creditur illum Hispelli, vbi ecclesia, & tumultus adhuc conspiciuntur, vixisse, & diem suum obijsse.

DE S. FRANCHA VIRGINE, ET ABBATISSA Placentina.

FRancha Virgo Placentina, ex Vidalta familia nobili nata, cum vix 7. ætatis annum attingeret, vt sibi inter sacras virgines vitam ducere liceret, parẽtes orat. Ingressa igitur cœnobium S. Syrij Ordinis S. Benedicti miros vitæ spiritualis in ieiunijs, orationibus, vigilijs, in perferendis iniurijs progressus facere cœpit. Cuius sanctitatem Deus miraculo comprobrauit. Nam cum sacrum capiti eius velamen imponeret Episcopus, Angelus alio eiusdem caput tegere visus est. Mortuæ Abbatissæ subrogata (licet inuita) munus diligentissime expleuit. Carentiam virginem nobilem Placentinam, monialem fieri cupientem, vt nouum virginum monasterium extrueret (erat enim locuples) persuasit. Cui illa habitum Cistertiensium induta à superioribus præesse iubetur. Erat in oratione frequens, & sæpè pernoctans, cui aliquando clausum oratorium noctu vltrò illi apertum est: multas à monialibus molestias, & à Diabolo tentationes perpessa est, quas omnes patientia, & oratione superauit. Cum pro Cognato, quem vnicè diligebat, Feruentiùs oraret, Is illi visus se damnatum dixit. Ferunt duo vini dolia exsiccata, illa præcipiente vinum haurire, plena diuinitus esse reperta. Denique multis meritis cumulata. Sacro sumpto viatico 7. Kal. Maij. an. sal. 1218. quieuit in Domino. Corpus ibidem sepultum, hodie in sacra æde suo nomine dicata asseruatur. *Ex Breu. Cistert. & Off. Eccl. Placent.* Post obitum pluribus coruscauit miraculis, Nam Mediolanen. fœminæ lumen oculorum ad eius tumulum oranti restitutum est. Et latro oculis inter furandum captus, pœnitens illos S. Abbatissæ intercessione recuperauit. Plures & à dęmonibus obsessi, & variis morbis laborantes liberati sunt, vt eius habent Acta.

Miraculũ 1.

Miraculũ 2.

Miraculum post mortem 3.

ANNOTATIO.

Nondum in SS. numero adscripta fuit. Sancta tamen ex quo officio ecclesiastico de Sed. Apost. licentia colitur, vt plurimi alij vtriusque sexus appellatur.

Aprilis die 26.

DE S. CLETO PAPA, ET MARTYRE.

Cletus Romanus de vico Patricio quinta vrbis regione post Linum Ecclesiæ præfuit Imperatoribus Vespasiano, Tito, & Domitiano. Qui ex præcepto Principis Apostolorum 25. in vrbe Presbyteros ordinauit. Is primus in litteris verbis illis *Salutem, & Apostolicam benedictionem* vsus est. Ecclesia autem optime constituta, cum ei præfuisset annos 12. menses 7. dies 2. Domitiano Imp. qui secundam post Neronem mouit persecutionem, martyrio coronatus est, & in Vaticano iuxta corpus B. Petri Apostoli sepultus 6. Kal. Maij. Ferũt Cletum peregrinationes ad sacra loca vrbis, quæ postea stationes dictæ sunt, instituisse. *Ex Breu. Rom. Damaso, & Plat.*

ANNOTATIO.

Euseb. l. 3. c. 12. & seq. loco Cleti Anacletum reponit, ac sic seriem Pontificum digerit. vt Linus post Petrum an. 2. Titi, cum annis 12. Eccles. præfuisset, Pontificatum Anacleto tradiderit. Qui Sacerdotio totidem annis functus, illud Clementi dereliquit. Clemens verò post 9. annos illud Euaristo concessit. S. Leo Papa secundus huius nom. in epistola sua decretali ita scribit. Et si Petrus Princeps Apostol. adiutores sibi acciuit, Linum, & Cletum, non tamen Pontificij potestatem, aut soluendi, vel ligandi normam eis tradidit, sed Clementi successori suo, qui sedem Apostolicam, & potestatem Pontificalem tradente sibi B. Petro Aposto. tenere promeruit, Linus vero, & Cletus ministrabant exteriora. Ex quib. verbis liquet S. Clem. 1. post Petrum Pontificatũ gessisse, cui Anacletus successerit, Linum autem, & Cletum, veluti Chorepiscopos Petri, & Clementis adiutores fuisse, ac Cletum defuncto Lino, Ecclesiam pro Clemente in exilium misso administrasse. Quod ex lib. Pontifi. Damasi Clementem 1. Pont. appellantis. & ex epistola Decretali Ioannis 3. Pap. ad Epp. Germ. colligitur. Marianus Scot. in Cron. Clementem post Petrum cathedram Pontificalem cum Lino, & Cleto annos 12. Solum verò 9. tenuisse scribit Linumque, & Cletum, sub Clemẽte sicuti, & sub Petro ministrasse. Idem Panuin. in Cronol. Eccles. Qua de re plura apud Baron. to. 1. Annal. eccl. licet nondum hunc haud satis explicasse videatur. Vtcunq; res habeat, nos Eccl. Rom. quæ Linũ Pont. 1. post Petrum, & Cletum Pontif. etiam vt in Breu. Ro. & Mart. (vt alios interim grauissimos Auctores omittam) apertè legitur, vocat, auctoritatem sequi debemus.

Notandum. *Quamquam si illos ab Eccl. Pontifices appellari dicamus (sicuti Episcoporũ coadiutores & suffraganeos Episc. dicimus) quod SS. Petri, & Clementis coadiutores, & veluti suffraganei fuerint, inexplicabiles circa supputationes temporum difficultates euademus.*

DE

DE S. MARCELLINO PAPA, ET MARTYRE.

MArcellinus Ro. Pontifex post S. Caiū rexit Ecclesiā. Is in immani illa Diocletiani Imp. persecutione terrore perterrit' Deorū simulachris thus adhibuit. Cuius peccati mox pœnitens cilicio indutus Sinuessam ad concilium plurimorum Episcoporum venit, vbi profusis lacrymis confessus scelus suū, (propter quod nemo illum damnare ausus est, cum prima sedes à nemine iudicetur, vt in eo concilio dictum fuit) veniam vt S. Petrus, qui similiter deliquerat, impetrauit. Quare Marcellinus Romam reuersus Imperatorem adit, grauiter illū accusans, quòd se ad tantam impietatem impulisset. Qui illum cum alijs tribus Christianis Claudio, Cyrino, & Antonino capite plecti iussit. Quorum corpora cum iussu Imp. 36. dies inhumata iacuissent, ipseque Marcellinus dum ad supplicium duceretur, Clericis, ne se sepelirent tanquam sepultura ob delictū commissū indignū præcepisset. S. Marcellus à S. Petro Apostolo in sōnis admonitus Presbyt. & Diaconus, hymnis, & luminibus adhibitis in cœmeterio Priscillæ via salaria honorificè sepeliendа curauit. Præfuit Ecclesiæ annos 7. mens. 11. dies 23. quo tēpore duas habuit mense Decembri ordinationes, quibus creauit Presbyt. 4. Episcopos per diuersa loca 5. Duas scripsit epistolas, vnam ad Salomonem Episcopum, in qua illud *Pater maior me est*, exponit: alteram ad Episcopos Oriētales, in qua illos hortatur, vt lites in Ecclesia non apud prophanos iudices dirimantur. *Ex Breu. Rom. Damaso in Pontif. & Plat.*

Claudius, Cyrinus, & Antoninus cum Marcellino capite plectuntur.

ANNOTATIO.

CIrca sedis vacationem post S. Marcellini interitum varia scriptorum sententia est. Nam Damasus in Pontif. Episcopatum ann. 7. mens. 6. dies 25. cessasse ait, cum illum Marcellinus ann. 9. mens. 2. dies 16. tenuisset Platina in vita S. Marcellini scribit illum iniysse Pontif. Kal. Iulij an. D. 296. quod & Panuin. in Cronol. eccles. asserit in consulatu 6. Dioclet. Constantij verò 2. (in quo cum Damaso conueniunt) hoc est anno 12. Imperij ipsius Dioclet. Sed in vacatione discrepant, nam Plat. vacasse sedem dies 25. Panuin. autem menses duos tradit. Sedisse autem Marcellinū annos à Damaso positos vult Plat. Panuin. ann. 7. mens. 9. dies 26. Paulò diuersam habet de re hac sententiam Marian. Scot. in Cron. Res itaque satis ambigua est. Quod autem ad cessationem Pontificatus attinet opinio Damasi nullo pacto sustineri potest, cum S. Marcellus post Marcellinum vltimo anno Imperij Diocl. & Maximiani Pontificatum inierit: quod fieri non potuisset, si tot annos cessasset Pontificatus. Nam Diocletianus Imperauit ann. 20. & Marcellinus factus est Pont. anno 12. ex Baron. in Annal. (seu ex Mariano Scot. ann. 9.) Imperij eiusd. Diocl. si itaque simul iungantur 9. anni Pontif. & 7. vacationis, & 13. annis Imperij Diocl. addantur, quis non videat Pontificatum Marcelli in nonum annum post finem Imperij Dioclet. referri? Quod calculos temporum ipsorum Pontificum euerteret. Sed neque ob dictam causam dicere possumus cum Damaso Marcellinum annos 9. sedisse. Sicuti nec Platinæ sententia circa cessationem Breu. Rom. concors esse videtur. Nam si corpus Marcellini post 36. dies à Marcello nondum Pontifice sed Presbyt. sepultum est, Pontificatum pluribus quam 25. dies cessasse oportet. Ne autem S. Damaso propterea (si tamen lib. Pontificalis est illius) contradicere videamur piè possunt verba ipsius de cessatione sic exponi. Vt Episcopatus annis 7. cessasse (dicatur non propter Pont. mortē: sed quia illis annis ob vehementiam persecutionis Marcellinus à functionibus Pontificijs cessarit, ita vt ex 9. annis quibus in Pontif. vixit, duos duntaxat in munere Pontificali exercendo insumpserit.

De vacatione post S. Marcellini obitū discors scriptorum sententia.

Ba-

Baron.plura in Annal.ad ann.304.de Marcellini lapsu,& de Actis Concil. Sinuessani,quasi lapsum negans.Cum tamen ab Eccl.in Breu. Rom.afferentur. Hic alia sese offert dubitatio de martyrij ipsius Marcellini tẽpore,Nam si Diocl.Nicomediæ,& Maximian.Mediolani,an.304. die 21. April. se Imperium abdicarunt:quomodo Marcellinus sub Diocl.& iussu eiusdem Romæ eodem an. die 26.Apr.martirio coronari potuit?

DE S. LVCIDIO EPISCOPO VERONENSI.

LVcidius Episcopus 15.Veronensis post S. Saturninum Ecclesiæ præfuit Veronensi.Hic eximia sanctitate,& doctrina præditus fuit. Contemplationi in primis rerum diuinarum addictus. Qui rerum humanarum cura Presbyteris demissa,orationi,& sacrorum librorum lectioni vacabat, quo magis populum concionando in lege Domini erudiri posset. Cum verò aliquot annos oues sibi commissas pauisset.6.Kal.Maij ad præmium euolauit. Cuius corpus in basilica S.Stephani conditum ad hæc vsque tempora piè asseruatur. *Ex lib.aliàs citato de SS. Episcopi Veronens.*

ANNOTATIO.

PLura de S.hoc Episcopo sciri non potuerunt; Cum propria Acta SS. Episc. Veronens.vt plurimum exciderint.

Aprilis die 27.

DE S. ANASTASIO PAPA, ET CONFESSORE.

ANastasius Romanus Honorio, & Arcadio Imperatoribus, inter Siricium, & Innocentium Pontificatum administrauit vir planè bonus, vitæque sanctitate conspicuus; de quo S. Hieronymus scribit, quòd mundus dignus nõ fuit,qui diu illius vita frueretur.Hic S.Pontifex in Ecclesiastica re amplificãda, & exornanda maximè studuit. Statuit,vt dum Euangelium in ecclesia legitur Sacerdotes,ac cœteri omnes assurgerent,& starent. Vetuit,ne peregrini,Transmatini præsertim, ad Sacros Ordines ad eorum exercitiumve admitterentur, nisi litteras à quinque Episcopis obsignatas secum deferret, idque propter Manichæos,qui ad fidem corrumpendam multos ex suis ad diuersas partes mittebant:Constituit præterea ne mancus aliquo membro,vel corpore vitiatus sacris initiaretur. Basilicam S.Crescentiæ via Mamertina in secunda vrbis regione ædificauit. Sub eo concilium Cartaginense,ad quod litteras dedit aduersus Donatistas celebratum est,ab eoque confirmatum.Cum Ecclesiæ annos 3. & dies 10.præfuisset.Omnibus virtutibus vigilantia præcipuè officii pastoralis clarus, 5.Kal.Maii. Migrauit è vita. In cœmiterio à se constructo ad vrsum Pileatum sepultus. *Ex lib. Pontificali. Plat. & alijs.*

S. Hieron.

Conciliũ Carthaginense.

ANNOTATIO.

MArianus Scot in Cron.ad an.3.Imperij Arcadij,& Honorij. Anastasium Papam annos quinque vixisset in Pontif.scribit,menses duos, quod adimit Innocẽtio successori,adijciens. Panuin.in Cronol.eccles.an.3.& dies 21. illi tribuit,cæterum cum Mariano Scot.conuenit, quod Pont.creatus sit anno 3. siue 4. vt habet Baron.in Annal.hoc est an.D. 398.Imp.Arcadij,& Honorij. Ex quo Platina error deprahendi tur,qui Anastasium Pontificatum cæpisse ait Gratiano Imp. qui Valentinianum, & Theodosium Arcadij, & Honorij patrem præcessit.

DE

DE S. TERTVLLIANO EPISCOPO BONONIENSI

Tertullianus Episcopus Bononiensis 8. post S.Paternianum subrogatus Ecclesiam Bononiensem circa anuum sal.cccclxx.cœpit administrare. Hic monasterium sanctæ Helenæ in agro Bononiensi apud Lauinum amnem à Bononia ad vij. M. P. distans, quod his temporibus non extat. Sola ecclesia, quæ parochialis est, à Fratribus seruorum possessa, cum aliquod ædibus extanti. Narmatio Episcopo Aruernensi aliquot reliquias SS. Vitalis, & Agricolæ Martyrum in nouam ecclesiam à se ædificatam inferendas postulanti concessit (qua de re S.Gregorius Episcopus Turonensis libro secundo Historiæ Francorum,& libro de Gloria martyrum verba facit) Idem cũ cæteris Æmiliæ Episcopis Ioanni Episcopo Rauennati, qui Gregorium quendam Episcopum Mutinensem contra fas ordinauerat, aduersatus esse videtur. Hoc Episcopo Odoacer Herulorum Rex Italiam inuasit. S. autem Episcopus Ecclesia sua aliquot annos ritè administrata 5. Kal. Maij à sæculo migrauit. & in æde S. Felicis conditus est. *Ex Karolo Sigon.lib.1.de Epp. Bononien.*

Odoacer Rex Herulorum.

ANNOTATIO.

Floruit S. Tertullianus simplicio I. Pont. *Max. Imperatoribus verò Olymbrio, Nepote, & Augustulo, vltimo occidentis* Imp. *ab Odoacre Rege abdicare coacto An.D.476.ex quo tempore nullus Imp. vsque ad* Karolũ *Mag.Occid. præfuit.*

DE S. THEOPHILO EPISCOPO BRIXIENSI.

Theophilus 10. Episcopus Brixiensis, inter S.Gaudentium,& Siluinum Ecclesiam Brixiensem dignè gubernans, in numero SS. haberi, & coli meruit. Quo tempore præcisè vixerit, quæque egerit, ad posteros non peruenit. Illud ex Annalibus, & Episcoporum tabulis habetur, Teophilum Gaudentio Philastrij discipulo,& successore à S.Ambrosio Episcopo Mediolanensi ordinato,subrogatum fuisse. Ecclesiaque sua sanctè administrata hac die ad Cœlos eualasse. Eius corpus in basilica S. Ioannis Euangelistæ conditum est. *Ex Tab. Eccles. Brixien. & Annalib. eiusd. vrbis.*

ANNOTATIO.

De Theophilo, & alijs SS. Epp. *Brixiens. pauca Rampertus* Ep. *in sermone de Translat. S. Philastrij Episcopi, habet, quemadmodum, & Capr. lib. 3.*

DE S. ANTONINO PRESBYTERO, ET EREMITA LVCENSI.

Antoninus Presbiter S. Paulini primi Lucensis Episcopi socius, & discipulus fuit. Is in monte apud Lucam vitam degens solitariam, operam humãdis martyrum corporibus qui in Neroniana persecutione interficiebantur, ex eremo egrediens dabat. Inter quos, corpus S. Paulini sui magistri, & sociorũ anno post Christum natum lxix. martyrio coronatorum sepeliuit, eo loco, in quo,& ipse post aliquot annos obdormiens in Domino sepultus est. Cuius corpus cum diu ignotum fuisset, An. D. MCC. Deo reuelante integrum repertum in basilicam S. Paulini in vrbem translatum est. *Ex Monum. Eccles. Lucen.*

ANNO-

ANNOTATIO.

Nero. Imp. interficitur.

ANno memorato Nero. Imp. mense Iunio interfectus est. Quare verisimilius videtur S. Paulinum anno superiore, quo persecutio feruescebat, & quo SS. Apostoli Petrus, & Paulus passi sunt, martyrium sustinuisse.

DE S. LIBERALI CONFESSORE, ET TARVISII Protectore.

LIberalis, qui & Liberius Altinas nobilibus parentibus ortus S. Heliodori Episcopi Altinatis discipulus, sanctitate, & mira virtutũ operatione resplenduit. Is multos ex Arianis ad Catholicam fidem prædicando non absque manifesto vitæ periculo perduxit. Duos fratres Altini furti, & homicidij falsò accusatos, falsisque testibus conuictos, & ad mortem damnatos, illorum innocentia diuinitus detecta, apud Antherium Vrbis Dominum siue Præfectum defendit. Eiusdem Antherij nepotem manibus, pedibusque contractum domũ eius cùm Lentico, & Andrea discipulis ingressus mirabiliter sanauit. Qui Antherius relicta vita militari, spretis diuitijs, & Liberalis hortatu castro, quod in Taruisinorũ confinio extruxerat, illorumque fines depopulans odij inimicitiarũq; inter Taruisinos, & Altinatis causa fuerat, demolito ad fidem Catholicam conuersus vitam egit laude dignam. Liberalis posthæc cum quadam die in ecclesia S. Mauri extra Altinum preces funderet, ab Arianis captus in carcerem coniectus est: vnde, cùm multos varijs morbis laborantes, curasset (ex quibus vna die 120. sanitatem diuina virtute impertiuit) à confluentibus ad eum populis ereptus est. Cum verò hyemis tempore ad ecclesiam Cathedralem pergeret, pauperi nudo, & ex frigore nimio trementi facto sibi obuio vestem sibi detractam tradidit: qui illi sequenti nocte apparens, Christum se esse dixit, & vestem restituit, qua ille indutus à periculis non semel seruatus est. Nam cùm Arianis præualentibus, S. Heliodorus cum suis discipulis, vt solitanum locum inueniret, in quo Deo deseruire posset, nauem conscendisset, fæuaque orta esset tempestas, illam Liberalis extremo vestis illius misso in mare illicò sedauit. Reuersus Altinũ cùm mala multiplicari videret, nec Ambrosius à S. Heliodoro substitutum onus, vt ratio postulabat, sustinere, Deum suppliciter orauit, vt se è tantis miserijs eriperet: cui Angelus in somnis apparens vicinum vitæ terminũ denunciat. Quare Liberalis lætus, cum in proximam Insulam secessisset 5. Kal. Maij, animam Deo reddidit. Cuius corpus in arca marmorea conditum à nonnullis Altinatibus patria ob assiduas Arianorum molestias deserta, Taruisium, vbi Ioannes Episcopus doctrina, & vitæ probitate conspicuus præerat, delatum est, & in ecclesia Cathedrali religiosissimè asseruatur. *Ex monum. Eccl. Taruis. & Pet. in Cat. lib. 4. c. 93.*

Liberalis in curandis ægrotis insignis.

Christus in formas pauperis.

ANNOTATIO.

PEtrus loco citato vitam paulò diuersam refert. Nam corpus S. Liberalis Taruisium post Altini excedium translatum ait: Vita verò eiusd. M.S. quam Taruisij legimus, non ob vrbis excidium; sed ob Hæreticorum Arianorum vexationes eò delatum fuisse habet. Idem Petrus S. Liberalem integras hebdomadas sine cibo, & potu egisse quotidie sacra Eucharistiã refectum narrat. Eiusdem Liberalis corpus Torcelli asseruari Tab. illius eccl. docent forte partem pro toto accipientes.

DE S. ZITA, SEV SITA V. LVCENSI, vide die seq.

Aprilis

Aprilis die 28.

DE S. VITALE MARTYRE RAVENNATE.

Vitalis miles SS. Geruasij, & Protasij pater, cum Paulino Iudice consulari Rauennam veniens, cum Vrsicinum Medicũ Ligurem ob fidem Christi, ad supplicium ductum paululum in tormentis titubare vidisset, contineri non potuit, quin (cum iam Christum coleret) exclamaret, *Vrsicine Medice, qui alios curare consueuisti, caue ne te mortis aeternæ iaculo confodias*. Qua voce Vrsicinus vehementer confirmatus, martyrium fortiter subijt. Quem cum Vitalis sepelisset, nec ad Paulinum de more rediret, Iudex seà Vitali contemni arbitratus, & Christianæ religionis studio, quod in eo animaduerterat, offensus, illum comprehendi iubet, & se christianum liberè confitentem in equuleo suspendi. Cumque Vitalis Dijs sacrificare respueret, stultumq; Paulinum diceret, si putaret, se, qui alios à deceptione liberare studuerat, in animæ, & corporis sempiternam perniciem labi velle. Paulinus illum in altam foueam demersum lapidibus obrui mandat: moxque Apollonium Sacerdotem, qui Paulinum in Vitalem incenderat, malus dæmon arreptum sic exagitabat, vt is clamans diceret, *Tu me nimium Vitalis martyr Christi incendis*, & se in flumen præcipitaret. *Ex Breu. Rom. & ex Actis SS. Geruasij, & Protasij.*

Apollonij Sacerdotis Idolorum in Vitalem edicta.

ANNOTATIO.

Et si, quo Imp. S. Vitalis passus sit, ex Breu. non apparet, neque ex Martyrolog. Ex passione tamen S. Vrsicini Martyr. de qua inter alios Hieron. Rub. libr. 1. *Hist. Rauenn. colligitur illum circa Neronis* Imp. *tempore martyrium subijsse: cum Vrsicinus ex eorum numero sit, qui a S. Apollinari* I. *Episcopo Rauennatum ad fidem conuersus est. Petrus in Cat. lib. 4. c. 95. S. Vitalem patria Mediolanen. fuisse scribit, sub Nerone an. sal. 56. passum: quod rationi temporum repugnat; Nam an. 46. S. Apollinaris I. Episcopus Rauennatum à S. Petro Apost. ordinatus traditur: Nero autem an. 56. Imperium adeptus nondum persecutionem in Christianos excitarat (id enim an. 65. factum est)*

Meminit S. Vitalis mart. Venant. Fortun. lib. 4. Vit. D. Martini:

„ *Inde Rauennatum placitam pete dulcius vrbem*
„ *Pulpita sanctorum per religiosa recurrens*
„ *Martyris egregij tumulum Vitalis adora.*

DE S. MARCO EPISCOPO ATINATE, ET MARTYRE.

Marcus Iudæus Atinæ à S. Petro Apostolo Romam illuc proficiscente ex Iudaismo ad fidem Christi conuersus & salutari lauacro regeneratus illum Romam comitatus est. Vbi, & moribus, & doctrina proficiens ab Apostolo primus Atinatum Episcopus creatur. Veniens itaque Atinam, & Pallatiani hospitis sui vxorem defunctam inueniens, dum illum studet consolari, multa de huius vitæ caducæ vanitate, & fragilitate, ac de alterius felicitate, quam Deus in se credentibus, & sperantibus, seque diligentibus pollicetur, effatus ita ad fidei Christianæ susceptionem disposuit, vt breui eum cum tota fami-

lia

lia baptizarit; templumque illius in ecclesiam conuersum, quæ Cathedralis Atinæ fuit, dedicarit. Cum autem ex eo templo Iouis statuam Marcus abstulisset, apud Maximum Præfectum accusatus, (qui re ad Imp. delata rescriptum, vt omnes Christianos puniret accepit) excitata aduersus fideles, qui erant Atinæ, immani persecutione, & ipse Idolorum Sacerdotum suggestione captus in custodiam traditur, & eductus, vt Deos venerari velit, suadetur, sed Marcus se non posse Deos, qui homines scelestissimi fuere, venerari respondit. Quare Maximus iratus illum in obscurissimo carcere 7. diebus absque cibo inclusum (vbi ab Angelis visitatus est) rursus aggreditur, & post longam disceptationem de Ioue, & alijs dijs, deque Mundi Opifice, cum nihil neque minis, neque promissis obtineret, tandem dicta in eum sententia, S. Episcopus extra vrbem ductus duobus clauis per frontem, & tempora transfixis capite truncatur 4. Kal. Maij. Circa an. Sal. lx. Cuius corpus à Christianis tumulatum cum diu, absque veneratione, quæ sanctis debetur, fuisset, quo tempore in numera luporum, qui homines deuorabant, multitudine, & maxima siccitate tota ferè Campania, & latium affligebantur, in visu S. Marcus cuidam Sacerdoti apparuit, & si ab ea calamitate liberi esse vellent, vt pœnitentiam agerent, & festum sibi diem vt olim, celebrarent, ad monuit. Quod vbi factum est, mox imber copiosus descendit, & lupi fines Atinæ: tum deserentes, finitimos agros vna cum siccitate vexabant. *Ex Monum. eccl. Atinatis. Ex quib. Pet. Paulus Florius Vrbinas vitam, & passionem, qua Roma an. D. 1599. edita est, contexuit.*

Marcus de Dijs, veroq. Mundi opifice differit.

Crudele supplicium.

Marcus Campaniã ab immani luporũ multitudine, & siccitate liberat.

ANNOTATIO.

Avtor memoratus ex dictis Monum. M. S. S. Marcum sub Domitiano Imper. passum an. Sal. 60. scribit. Quod à veritate prorsus alienum est. Nam An. prædicto Nero. non Domitianus, Imperabat. Quare vel sub Nerone martyrio affectus est, vel si sub Domitiano non an. D. 60. sed multò post. cum Domitianus Imperium arripuerit an. D. 82.

DE S. VALERIA MARTYRE MEDIOLANENSI.

Valeria matrona Mediolanensis S. Vitalis martyris vxor, ac SS. Geruasij, & Protasij mater accepto de carissimi viri nece nuncio, non vt solent viduę rebus humanis consulens, res suas dispersas congregare, locoque tuto recondere studuit, aut ad Potentiorum tutelam, fauoremq; confugit: sed admirabili celeritate Mediolano Rauennam contendit, vt piam coniugis funeri operam persolueret. Illam non longi itineris difficultas deterruit, non metus possessionis amittendæ detinuit, non immanis Consularis furor retardauit, ac cum martyris vxor appellari gauderet, multo magis illi martyrio consociari æstuabat. Vbi Rauennam peruenit, à Christianis, & ab ipso martyre in somnis admonetur, ne corpus illius dimoueret, alioue transferret. Quare Mediolanum reuertitur. Cum autem in via rusticis Syluano sacra facientibus obuiasset, atque ab eis ad epulas esset inuitata, se esse Christianam, nec posse pollutis epulus carnibusuè imolatis vesci liberè respondit. Idolatræ itaque illam districtis gladijs cædentes, penè mortuam relinquunt: Quam sui semineceṁ Mediolanũ perducunt: vbi intra triduum consors martyrij facta, vt optatat, spiritum Deo reddidit. *Ex Pass. S. Vitalis apud Sur. tom. 2. relata. & Pet. in Cat. lib. 4. c. 96.*

Valeriæ vxoris S. Vitalis M. erga virũ suum mira pietas.

AN-

ANNOTATIO.

NOn hac die passa est, cum inter viri passionem, & suam tempus menstruum plus minus intercesserit; hac tamen die, eius Natalis, qua & Vitalis eius viri recolitur; cum dies passionis illius ignoretur.

DE S. PAMPHILO EPISCOPO VALVENSI.

PAmphilus ab ineunte ætate in religione, & sacris litteris eruditus, pijs operibus orationibus, vigilijs, & abstinentiæ operam dedit, suasque facultates, in adiuuandis viduis, & orphanis, ac in alendis pauperibus, & peregrinis insumpsit. Factus Episcopus Corfinij, media nocte ad horas matutinas surgere, & missas in aurora celebrare, populoque sacræ christianæ legis mysteria exponere, ac summo mane cibum capere, peregrinisq; eleemosynam dare solebat, idq; diebus festis. Nam reliquis hebdomadæ diebus ieiunans non nisi post horas vespertinas cum pauperibus refectionem sumebat. Quæ cum clerici indignè ferrent S. Episcopum apud Sergium Pont. Max. quòd sacros canones circa diuinum cultum violaret, accusant. Qui Corfinium misit, qui Episcopum ad se perducerent. Cum itaque Romam illum deducerent, accidit vt pane, & vino deficientibus in via, fame sitique maximè affligerentur: quibus S. Pamphilus compatiens ad orationem cõfugit: qua finita, cerua vbera plena gerens ex proximo monte repentè affuit: ex cuius lacte, suauissimo sitim, & famem expleuerunt. Vbi Romam ventum est, mulierem adulteram infantem, quẽ nudius quartus pepererat, in manibus tenentem in platea præsente populo, ac seuerum Presbyterum patrem illius falsò asserentem vidit. quàm falsitatem S. Episcopus sic detexit. Infantem (quem sibi afferri rogauit) vt patrem suum coram omnibus proderet, adiurauit: qui mox locutus, ac S. Pamphilo nominato, patrẽ suũ vrbis Præfectum esse clarà voce contestatus est. Quo miraculo peruulgato S. Episcopus à Summo Pont. benignè susceptus est, ac cùm eo post galli cantum surgente, psallenteque, & celebrante Angeli simul psallentes, & canentes exauditi fuissent, multis affectus muneribus, (quæ in patria pauperibus distribuit) liber dimissus fuit. Reuersus, Corfinium à Dæmone oppressum, qui se dentibus laniabat, manuum imponẽs liberauit, Ieiunijs autem vt antea, orationibus, eleemosynis, ac doctrinæ vacans, vbi vitæ finis aduenisset, clerum, & populum ad fidem orthodoxam seruandam hortatus 4. Kal. Maij. migrauit ad Christum, domo odore suauissimo, admirabilique luce completa, cum nubes lucida super illo visa fuisset. *Ex Monum. M. S. ab Eccl. Sulmonen. acceptis, quæ egent censura: cum aliqua minus probabiliam contineat.*

> Mirac. 1. Ex suauissimo ceruæ lacte sitis famesque expellitur.
>
> 2. Puerulus infans verum patrem clara voce appellat.
>
> 3. Obsessus à Dæmone liberatur.

ANNOTATIO.

SImilis historia de S. Prisco Episcopo Nucerino legitur. Quod fortassis alicui illã suspectam reddet: Sed id circa alios SS. euenisse compertum est.

DE S. ZITA VIRGINE LVCENSI.

ZIta, quæ & Sita virgo in agro Lucensi nata humili loco, Lucæ cuidam nobili diu apud ædem S. Fridiani inseruiuit, ita vt totius domus curam sustineret. Erat in cæteras virtutes humilis, & erga pauperes pia. Cum peregrino eleemosynam petenti nõ haberet, quod daret, haustam aquam illi signo crucis facto

> Mirac. 1.

facto perrexit; quæ in vinum conuersa est. Infirmos frequens visitabat, illisque cibum sibi subtractum, cum aliud dare non posset, ministrabat. Mulieri cum filijs fame periclitanti fabas dedit, quod cum per plures dies cum alijs pauperibus fecisset, idque herus rescisset, fabasque iussisset mensurari, illæ diuinitus auctæ sunt, ac si nihil ex eis fuisset detractum. Cum in nocte Natiuitatis Dominicæ pelliceam vestem hero consentiente superinduta ad ecclesiam, vt diuina officia auscultaret, perexisset, inopemque seminudum præ nimio frigore dentibus stridentem vidisset, vestem exuit, & illi donec officia complerentur, accōmodauit. Expletis officijs, cum pauperem haud reperiret, domum sine veste summo cum mœrore redire cogitur: quam cum herus asperrimè obiurgaret, post minas verbera additurus, pauper ille adest, qui veste reddita cum gratiarū actione disparuit. Vitam verò austeram valde egit. Nam corpus ita fune cōstrinxerat, vt caro supercrescens illum operiret: illudque disciplinis diuerberabat: nudis pedibus etiam hyeme incedebat: humi cubabat. In oratione, & meditatione passionis Dominicæ in extasim rapiebatur. Cum panem factura diutius in oratione fuisset, illum diuinitus factum inuenit. Aliquando ad ecclesiam S. Mariæ Magdalenæ ab vrbe 10. M.P. distantem venit, vbi foribus causis foris orans obdormijt, nec illam imber copiosus descendens attigit. Virginitatem cum humilitate, ardentique in Deum, & proximum charitate perpetuò coluit. Denique annos nata 60. febri correpta, breui 4. seu potius 5. Kal. Maij. An. Sal. 1278. ad sponsum obiens euolauit. Corpus in basilica S. Fridiani conditum multis miraculis claruit, cæcis, Dæmoniacis, mutis, alijsque corpore vitiatis ad illius tumulum diuina virtute curatis. Feruntetiam quendam Capuæ falsò furti accusatum, ac suspensum B. Zitæ, cui se commendarat, intercessione liberatū. *Ex vita illius Lucæ an. D. 1582. edita. ac ex lib. Siluani Ratij de SS. Hetr.*

Aqua in vinū vertitur.

Fabæ pauperibus distributæ augentur.

2. Pauper pellicea veste indutus à Zita, cum ab hero percutienda esset, detulit, ac disparuit.

4. Panem compositura, iam factum inuenit.

ANNOTATIO.

DE Sita, seu Zita, nondum in SS. relata, Lucæ in eccl. in qua corpus quiescit, memorata die præced. recolitur. Anconæ verò, vbi reliquiæ sunt, hac die.

Aprilis die 29.

DE S. PETRO MARTYRE ORD. PRÆDICATORVM apud Mediolanum.

PEtrus Veronæ parentibus Manichæorum hæresi infectis ortus ab ipsa pene infantia aduersus hæreses pugnauit. Cum annos 7. natus scholas frequētaret, à patruo Hæretico quid in illis didicisset interrogatus, respondit se symbolum fidei didicisse: neque vllis patris, aut patrui blanditijs, minisve à fidei constantia absterreri potuit. Adolescens Bononiā studiorū causa profectus ordinem Prædicatorū ingressus est, in quo magno virtutum splendore eluxit. Sicque ab omni impuritate cauit, vt nullius peccati mortiferi labe se inquinatū vnquam senserit. Carnem ieiunijs & vigilijs macerabat; mentem diuinis meditationibus exercebat, In salute animarum procuranda assiduè laborabat; Hæreticos peculiaris gratiæ dono confutabat. Tantam in concionando vim habuit, vt innumerabiles ad eum audiendum confluerent, multique ad pœnitentiam conuerterentur. Tanto autem ardore fidei incensus erat, vt, qui pro ea mortem subire dignus esset, Deum præcaretur. Itaque Heretici necem, quam prædicando paulò ante prædixerat, ei Como Mediolanum redeunti cum munus S. Inquisitionis gereret, gladio bis in ipsius caput ad acto intulerunt: qui

Petrus ab omni mortifera labe semper immunis.

cum

cum in ipso extremo spiritu symbolũ fidei, quam infans viriliter confessus fuerat, pronunciasset, iterum latera mucrone transuerberatus ad martyrij palmam, vt optarat an. sal. 1252. migrauit. Quem Innocentius Papa 4. multis illustrem miraculis sequente anno SS. martyrum numero adscripsit. *Ex Breu. Rom. & vita à Sur. tom. 2. relata.* Vbi duo miracula Mediolani patrata narrantur, primum de adolescente, qui officio linguæ annis 20. destitutus, in ecclesia S. Eustorgij populo spectante, à S. Petro digito in os eius, immisso, illico fari cœpit: alterum denube repente ad eius preces orta, cum ingens æstus populum disputationi inter ipsum, & Hæreticum præsentem affligeret.

Adolescens eloquio priuatus fari cœpit.

ANNOTATIO.

S*Anctus Petrus martyrio affectus fuit 7. Id. April. sed quia ea dies plerunque in maiorem hebdomadam, vel intra Resurrectionis Dominicæ oct. incidit, eius festiuitas ac die nõ impedita celebratur, vti inuita illius per F. Thomam Lentinũ eiusd. Ord. Patriarcham Hierosolymit. scripta legitur.*

Distichon in æde S. Petri martyris Veronæ.

„ *Sum Petrus martyr nutritus, & editus infans*
„ *His domibus, fiat testis imago mea.*

Hymnus S. Petri martyris ex eius officio.

Magnæ dies lætitiæ
Nobis illuxit Cælitus:
Petrus ad thronum gloriæ
Martyr peruenit inclytus.
Puer in fide claruit,
Parentum carens nebula,
Deo seruire studuit
Sub paupertatis regula.
Carnem afflixit iugiter
In labore multiplici
Viam sequens humiliter
Patris sui Dominici.
Vita, mors, signa varia,
Cælum frequenti lumine
Dant Petro testimonia
De sanctitatis culmine.

DE S. TORPETE MARTYRE APVD PISAS.

Torpes nobilis Romanus, familiæ Neronis præfectus, à S. Paulo Apost. in fide eruditus clã Christũ colebat. Cum aũt Nero Imp. Pisis templũ Dianæ augustissimum excitasset, cœloq; æneo, cum luminaribus & stellis ad cœli ætherei similitudinẽ constructo omnes Dianam colere præcepisset, non potuit Torpes cõtineri, quin zelo Dei incensus Imperatorẽ liberiùs increparet, satius esse dicens Deum verũ, qui Cœlũ, terram, mariq, & omnia, quæ in eis sunt, creauit venerari, quã inanes Deos, qui nihil valent; Nam Sol, inquit, tuus, & Luna, quos ad Dianæ virtutẽ ostentandã effinxisti, vnà cũ quadriga decidentes confracti sunt; ac post longã de Christo, & Dijs disceptationẽ, Torpes termino sibi ad deliberandũ concesso, Antonium Presbyterum, qui in specu montis, qui modo S. Iuliani appellatur, inter Pisas, & Lucã latitabat, adijt, ab eoq; aqua salutari regeneratus, Angelicaq; visione roborat° Pisas reuertitur, cũq; qui Neronẽ in Theatro circunstabant. Eũ videntes dicerent, *En qui Dianam, & alios Deos non colit*, ipse En, respondit, *qui verum Deum Christum negantes non adorant*. Quod vbi renunciatũ fuit Neroni, ille Romã profecturus Satellico Vicario mandat, vt Torpetem nisi Christo renuncians Deos veneraretur, supplicijs affectũ interficiat. Satellicus itaq; Torpetẽ triduò carceri sine cibo inclusum, postea ad se adductũ aggreditur, ac vbi se frustra illũ ad cultum Deorum hortari videt, ad ingentẽ columnã alligatũ immaniter cædi iubet, ita vt sanguis toto corpore instar aquæ deflueret. Quo tẽpore orãte Torpete colũna illa repentè cadens Satellicũ cum

Augustissimũ Dianæ templum.

Egregia de vero Deo disputatio Torpetis.

Torpes immania tolerat.

Satellicus Neronis Vicari° cum tortoribus opprimitur.

tortoribus oppressit. Syluinus autem Satellici filius martyrũ in capite gladio percussũ in rotã immisir, extractũq; feris, quibus cibus datus non fuerat, deuorãdũ obiecit: quæ illum signo crucis munitum attingere non sunt ausæ, atqui leo qui primus in eum immissus est, illicò mortuus concidit; leopardus verò caput eius lambebat. Quæ cum Euellius Imp. consiliarius vidisset, ad Christum conuersus est, Romæque postea martyrium subijt 5. Kal. Maij. Torpes autem è Theatro sub cœlum æneum à ministris ductus, Deum, vt aliquam potentiæ suæ aduersus Imp. & Gentilium superbiam ostensionem faceret, precatus est. Quare cælum illud repentè ab Angelo concussum tremuit, & corruens multos ex Infidelibus oppressit; multis eo prodigio ad Christum conuersis. Syluinus itaque Torpetem extra ciuitatem ductum decollari præcepit 3. Kal. Maij. Cuius corpus naui præfractæ cum cane, & gallo impositum mirabiliter ad Galliæ Narbonensis ad portum, qui sinus dicitur delatum est; ibique à Celerina pia, & ditissima matrona templo martyris nomini excitato honorificè conditum. *Ex Monum. Eccl. Pisana, & ex Bonino Mombr. tom. 2.*

ANNOTATIO.

De Torpete Martyrol. Rom. ad diem 17. Maij. qua die Transl. eius celebrata est. hac verò die Festiuitas illius Pisis agitur, prout in Tab. Eccl. Pisanæ. Mombrit. loco citato, & ipse 3. Kal. Maij, S. Torpetem martyrio coronatum scribit; sed quadam parum verisimilia habet, maximè verò circa illius sepulturam, quam in ora Prouincia Narbonen. Gallia, vbi oppidum S. Torpetis extat, S. Martyri datam, acta illius in Cod. Pergameno Eccl. Pisana habent.

DE S. CARO EPISCOPO ATINATE, ET MARTYRE.

Carus Episcopus Alexandro Seuero Imper. Ecclesiæ Atinati præfuit, à S. Pontiano Papa ordinatus. Qui cum populum sibi creditum doctrina, & vitæ probæ exemplo pasceret, ac regeret, & quadam die ad S. Marci Episcopi Atinatis sepulchrum orans, Dæmoniaci cuiusdam liberationem impetrasset, ab irruentibus innumeris Idolorum cultoribus repente inuasus occisus est, cũ Ecclesiam suam annos 22. & dies aliquot administrasset: cuius sanguine Dæmoniacus ille aspersus statim liberatus est. Passus fuit 3. Kal. Maij. ac in loco martyrij sepultus est. *Ex Monum. Eccles. Atinatis, & lib.* P. *Pauli Florij Vrbinatis aliàs citato.*

ANNOTATIO.

Etsi S. Carus sub Alex. Seu. & Pontiano Pont. Episcopus Atinas factus est; non tamen sub eisdem martyrio coronatus fuit; sed sub Decio in 7. eccles. persecutione.

DE S. LIBERIO EPISCOPO RAVENNATE I. huius nominis.

Liberius natione Græcus, philosophus, græcè, latinèque doctissimus Episcopus Rauennatum 8. indicio columbæ post S. Datum creatus est, Commodo Imp. Hic totus ex Deo pendens, ac munus pastoris studiosè executus, multos à veritate aberrantes reduxit, & alios ad veritatis agnitionem traxit: quos, vt in susceptæ religionis obseruantia perseuerarent assiduis tum publicis tum priuatis locutionibus hortabatur. Vixit in Episcopatu annos 21. vsque ad Victoris Papæ, & Seueri Imp. tempora. Denique pijs laboribus confectus 3. Kal. Maij, ex caduca ad perennem vitam euolauit. *Ex Monum. Eccl. Rauenn. ac ex Hieron. Rubeo in Hist. Rauenn.*

ANNOTATIO.

Alius Liberius Ep. Rauenn. huius nom. 3. sanctitate floruit: de quo 3. Kal. Ianuarij. Hic de quo agimus obijt circa an. sal. 205. non Victore, sed Zepherino Sum.

Sum. Pont. ac M. Aurelio Seueri Pertinacis filio Imp. & Panuin. in sua Cronol. eccell. habet.

DE S. PAVLO EPISCOPO BRIXIENSI I. HVIVS NOM.

PAulus I. huius nominis Episcopus Brixiensis (alter enim qui secundus nominatur in Tabulis Ecclesiasticis eiusdem vrbis die 8. Februarij celebratur) decimo loco Ecclesiam Brixiensem S. Gaudentio subrogatus administrauit eas sanctitatis laude, & post felicem eius obitum (qui 3. Kal. Maij fuit) inter SS. habitus dignam in Ecclesia sua venerationem promeruerit. Acta illius non extât, nec quantum in Episcopatu fuerit, scitur. *Ex Tab. Eccl. Brix. & eius vrbis Annalib.*

ANNOTATIO.

IN Rom. Martyrol. pro Paulo Paulinus (de quo eccl. Brixien. 4. Non. Martij agit) adnotatus fuit, errore forsan impressorum priorum.

DE S. CATHERINA VIRGINE SENENSI ORD. Prædicatorum.

CAtharina virgo, Senensis, obscuris parentibus orta vix 7. annos agens ætatis virginitatem Christo Domino vouit, in eremum secedens aliquandiu in cauerna delituit, Domum cælesti monitu reuersa vitam cœpit asperrimam degere pane, & herbis crudis, & post annum 20. ætatis solis herbis contenta, capillis detonsis, numquam in lecto decumbens, sed in tabula lignea semperque vestibus induta dormiens, se ter in die ferrea diu catena diuerberabat. Suscepto autem S. Dominici instituto (quod de pœnitentia dicitur) carnem ieiunijs, cilicio, & disciplinis domare, noctes & dies in orationibus consumere, vitamque planè angelicam cœptam agere pergit. Iesu Christi sponsi aspectu sæpè fruebatur: ex quo cœlestem illã, quæ in eius scriptis elucet, hausit sapientiã. Ad sacratissimæ Eucharistiæ receptionem tãto deuotionis ferebatur affectu, vt aliquando complures dies integros non alio sustentaretur cibo. Hominũ iniurias, tẽtationes Dæmonũ, carnis dolores acerbissimos incredibili patientia pertulit, & superauit. Animarum salutem non secus, ac suam sitiens, plurimos exẽplo sui, crebris cohortationibus, & pijs Episcopalis ad bonam frugem conuertit. Donis singularibus, & prorsus mirabilibus à Deo exornata, rebusq; tot præclaris supra sexus conditionem gestis, non modò nullo humanæ gloriæ sensu cõmota est; sed humilior semper apparuit. Gregorium 11. Pont. Max. cuius intimum propositum diuinitùs nouerat, eideq; indicarat, litteris persuasit, vt bono totius Italiæ sedem Auenione Romam referret. Vrbanum 6. multis calamitatibus afflictum, oratione, consilio, & litteris subleuauit. Cœlesti sponso sic amabilis, sic cara fuit, vt is virginis vehementius passionem suam meditantis actæq; in extasim vulnerum vestigia manibus, pedibusq; & lateri imprimeret. Cum maret ipsius absque pœnitentiæ Sacramento discessisset, ita ex animo preces effudit, vt illam, quo posset sua confiteri peccata, ad vitã reuocarit. Demum multis pro se, & Ecclesia Dei persuncta laboribus, mortis præmonita Romæ 3. Kal. Maij, An. post Christũ natũ 1380. ad sponsum, quẽ tantopere dilexerat, lætissima euolauit. Quã multis clarã miraculis Pius 2. Põt. Max. in SS. Virginũ numerũ retulit. *Ex vita à F. Raim. virg. Confessario conscripta & ex ea quã Sur. to. 2. refert.*

Matrẽ ad vitã reuocat, vt peccata sua confiteri posfit.

ANNOTATIO.

ANno D. 1461. SS. Catalogo Friderico 3. Imp. ac Paschali Venetorum Duce, alijsque Principibus, & Prælatis postulantibus solemni ritu adscripta fuit.

De eadem Hymnus ex eius officio.

TV grauem sacris meritis refertum,
Orbis exemplar pietate plenum,
Prædicatorum venerata patrem
Ordine fulges.

Nulla iam rerum placuit voluptas,
Nullus ornatus, nitor ecce nullus:
Corporis semper fugiens iniqua
Carmina vitæ.

Sæpiùs corpus domitans acerbè:
Quàm piè flagris cruor hinc, & inde
Fluxerat riuis: hominumque demum
Crimina flebas.

Iam ferox miles tibi sæpè cessit;
Et Duces iras posuere suas,
Hi necem diram populo minati
Sæpè Senensi.

Quid? quod & sacris studijs frequenter
Viribus summis operam dedisti:
Litteræ doctæ, lepidaque claris
Vrbibus extant.

Niteris verbis reuocare lapsos:
Niteris rectum suadere cunctis:
Sic ais; Tantùm probitas beatos
Efficit omnes.

Iura tu sæuæ tremebunda mortis
Fortiter temnens, nihil extimescens,
Premium nostræ vocitare vitæ
Sæpè solebas.

Vndè cùm tempus properaret ipsum
Quo sacros artus, cineresque busto
Linqueres, cælos aditura, flentes
Ipsa docebas.

Sic sacrum Christi venerata corpus,
Hostium libans, lacrymis obortis
Dixeras cunctis documenta vitæ
voce suprema.

Aprilis die 30.

DE S. LAVRENTIO PRESBYT. ET MART. NOVARIENSI.

LAurentius Presb. ex occiduis partibus, Nouariã veniẽs ibi vt Christi D. fidẽ disseminaret (nondum .n. ea ciuitas christiana effecta fuerat, aut habuerat Epum) cõstitit ac Xpum annũciare, & Idolorũ cultũ improbãdo detestari cępit. Cum

Cum verò quæ ab eo dicebantur, miraculis comprobarentur, multi ad fidem conuertebantur: quos ille extra vrbem, vbi non longè extructo cum sacro fonte tugurio habitabat, salutari expiabat lauacro. Qua in re B. Gaudentium (qui postea primus Nouariæ Episcopus creatus est) prius à se in sacris litteris eruditum adiutorem habuit. Erat non solùm vitæ sanctimonia conspicuus, sed & doctrina celebris; multa enim scripsit, ex quibus liber de muliere Chananæa adhuc extare fertur. Cum autem quadam die innumerem puerorum, quos erudiebat, multitudinem baptizasse atque cum illis in vrbem rediens in hostes fidei incidisset, ab eis crudeliter cum paruulis trucidatus est, ac in puteum demersus, Pridie Kal. Maij. Cuius corpus, & aliorum à fidelibus ibidem honorificè conditum est, basilica eius nomini dicata, quæ cum propter bella diruēda foret, SS. martyrum reliquiæ in ecclesiam maiorem Anno D. 1552. translatæ sunt. Extat adhuc locus martyrij, qui ad puteum S. Laurentij nominatur. *Ex antiquis lectionib. Eccles. Nouarien.*

ANNOTATIO.

Paulo ante S. Ambrosium Episcopum Mediolanen. vixit Valentiniano Imperat. potuitque ad eiusd. Ambrosij tempora peruenire. Quod autem Nouariam ante S. Laurentij aduentum nondum Christianam fuisse effectam dictum est, non sic accipi debet, vt nulli in ea essent Christiani, sed quòd maior pars adhuc Idolorum errore detineretur. Neque enim probabile est, cum iam tot Christiani Imp. præcessissent, Christi D. fidem in ea vrbe nunquam fuisse prædicatam, vel susceptam.

Epigramma sepulchro SS. Laurentij, & puerorum insculptum: vnde sacer humor.

„ *Aspicis hoc marmor tumuli de more cauatum?*
Id solidum est intus, rima nec vlla patet.
„ *Vnde queat tellus occultas mittere lymphas.*
Manat ab ingestis ossibus iste humor.
„ *Si dubitas, medio sudantes tolle sepulchro.*
Relliquias dices: Vnda salubris vbi est?

DE S. LAVRENTIO PRESBYTERO, ET MARTYRE Frazanone in Sicilia.

Is Ordinis S. Basilij Monachus, & alumnus fuit, floruitque in Sicilia, vbi plura extant huius instituti cœnobia, mira sanctitate. Qui pro Christo interemptus, apud Frazanonem Siciliæ pagum conditus est, & colitur. Clarus miraculis. Vixitque circa annum Sal. Hum. 1162. *Ex Monum. eius cænobij. Cuius etiam mem. Ioseph Bonfilius lib. 1. Hist. Sicula.*

ANNOTATIO.

Acta eius præcipua nondum legi; neque hactenus diem: quo illius memoria celebratur, sciri potui.

DE S. SOPHIA VIRGINE, ET MARTYRE FIRMANA.

Sophia virgo Firmi in primo martyrio ob Domini N. I. Christi fidem coronata est. Cuius sacrum caput in ecclesia Cathedrali adhuc religiosissimè asseruatur, & colitur: eiusque natalis hac die duplici ritu celebratur. Acta illius iniuria temporum exciderunt. *Ex Martyrol. Rom. & Tab. Eccl. Firmana.*

ANNOTATIO.

Non solum Firmi, sed & Rauenna, & alibi veneratione est hac virgo. Venerationem quoque Sophia vidua mater SS. Fidei, Spei, & Charitatis habet in Italia: de qua in Martyrol. Rom. die 30. Septemb.

DE S. SEVERO EPISCOPO NEAPOLITANO EIVSDEM vrbis Protectore.

Seuerus Neapoli honesto loco natus, & piè educatus, cum vitæ probitate, & doctrina præstaret: ad Episcopalis honoris fastigium euectus est post Maximum Episcopum, qui pro fidei Catholicæ defensione post conciliabulum Ariminense in exilium ab Arianis pulsus est. Seuerus diuino cultui impensè deditus quatuor ecclesias ædificauit, primam S. Ianuario Episcopo, & martyri extra vrbem, quæ perseuerat, alteram S. Potito martyri intra vrbem, quam moniales S. Benedicti tenent: tertiam S. Martino Episcopo. vltimam extra vrbem quæ S. Seueri spelunca dicebatur, in qua nunc fratres Prædicatores sunt. Non modò pietate, sed & sanctitate præcelluit, quam Deus insigno miraculo testatã esse voluit. Habebat S. Episcopus amicum inter pauperes, quos fouebat, atque facultatibus sustentabat, virum probũ, & simplicem, quo defuncto vxor in iudicium vocatur, vt æs alienum mariti, quod quidam falsis tabulis siue testibus probarat, solueret, quæ à Iudice condemnata, cum non esset soluendo, creditori in seruitutem cum filijs data est. Hæc ad Seuerum lacrymans venit, & opem illius implorat. S. Episcopus innocentis mulieris misertus Iudicem, cum falso creditore in episcopium vocat, quibus cũ præsente populo se experiri velle dixisset, an pauper amicus relicto debito sibi minime detecto decessisset. Cruce præcedente populo, & clero comitãte, Litanias, & psalmos decantans ad ecclesiã, in qua ille multo iã tempore sepultus fuerat, pergit, ac fusis Deo precibus sepulchrum aperiri iubet: quo facto vbi S. Episcopus defuncto, vt in nomine Sanctissimæ Trinitatis surgens, si summæ, quam creditor petebat, debitor erat, clara voce dicere, præcepisset (Mirandum) resedit mortuus, ac omnibus audientibus se nihil creditori præter ouum debere iure iurando affirmauit: quo dicto rursus obdormiuit; sicque mulier falso creditore, quæ defunctus dixerat, confirmante, liberata est. Denique S. Episcopus pijs laboribus, vigilijs ieiunijsque confectus in febrim incidit, ex qua cum se moriturum intelligeret. Sacro sumpto viatico, ac extremæ vnctionis Sacramento munitus inter orandum cubiculo, & lecto repentino terremotu trementibus spiritum exhalauit, cum sibi SS. Ianuarius, & Agrippinus affuissent, ac ipse clerum non semel, vt populo bonorũ operum exempla præberet, hortatus esset. Corpus extra vrbem in propria ecclesia tumulatum, postea an. D. 1310. in ædem S. Georgij intra vrbem translatum est. Vixit in Episcopatu annos 46. Decessit an. sal. 381. Damaso Sum. Pont. Imperatoribus verò Valentiniano, & Theodosio Prid. Kal. Maij. Ad quẽ extat S. Ambrosij episcopi epistola. *Ex Paulo Reg. lib. de SS. Regni Neapolit p. 2.*

Miraculum insigne.

AN-

ANNOTATIO.

Correctione eget, quod S. Seuerum Valentiniano Iuniore Imp. decessisse à Paulo Regio dicitur. Nam anno memorato 381. adhuc Gratianus Imp. viuebat; cui interfecto an. 383. Valentinianus Iunior successit. vt habet Cronol. Eccles. Tametsi Gratianus multo ante Valentinianum collegum sicuti, & Theodosium designarat, nominari tamen debuit Gratianus, vti primarius Augustus.

DE S. MERCVRIALE EPISCOPO FOROLIVIENSI.

MErcurialis. Ex Armenia Hierosolymam primùm, dein Romam religionis ergò veniens, cognita eius doctrina, & sanctitate Episcopus Liuiensis, quo tempore S. Rophilus Episcopus Popiliensi Ecclesiæ præerat creatur, ac Ecclesiam Liuiensem, (quam à labe Ariana, qua ferè tota Italia erat infecta, immunem seruauit) vitæ sanctitate, doctrina, & miraculis clarus administrauit. Inter miracula autem, quæ ab eo patrata sunt, illud in primis memorandũ fuit: quòd cum draco ingens inter Forum Liuij, & Forum Popilij, halitu venenato animalia inficeret, eaque, & homines deuoraret, S. Mercurialis, vbi populo triduanum ieiunium indixisset, ac preces Deo publicè, & priuatè ab omnibus fundi curasset, vnà cum S. Rophilo, qui eadem præstiterat, ad locum, in quo draco morabatur, insequente vtroque populo accessit, ac illum quasi agnum stolis alligatum in puteum proximum præcipitarunt, terraque, & lapidibus obruerunt. Taurum Hæreticum, qui aduersus Sanctissimam Eucharistiam prædicabat, Arimini vna cum SS. Episcopis Rophilo, Gaudentio, & Geminiano confutauit: qui paulo post intestinorum doloribus correptus expirauit. In Hispaniã profectus cum Regem ab insanabili morbo diuinitus curasset, captiuos omnes Liuienses, & finitimos, quos Visigothi captiuos in Hispaniam abduxerant reduxit. S. Episcopus cum aliquot annos Ecclesiæ suæ sanctè præfuisset, Prid. Kal. Maij. obdormiens quieuit in pace. Cuius corpus An. sal. 1576. In arca marmorea, serico tectum ab Episcopo Liuiensi detectum fuit vbi huiuscemodi inscriptio in lamina plumbea reperta est. HIC REQVIESCIT CORPVS B. MERCVRIALIS EPISCOPI LIVIENSIS. Obijt anno 156. Prid. Kal. Maij. *Ex Pet. in Catal. lib. 10. c. 107. Baron. in Annot. ad Martyrol. die 23. Maij. ac ex Gest. S. Gaudentij Ep. Arimenen. Nec non ex antiquo M.S. quod Forolinij legimus.*

Draco stolis allegatur.

ANNOTATIO.

TAbula Eccles. Liuien. hac die natalem S. Mercurialis iuxta inscriptionem memoratam adnotatum habent; at Martyrol. Rom. de eo ad diem 23. Maij agit. qua die nulla illius celebritas Foroliuij agitur. Agunt de Mercuriali etiam hac die monach. Vall. Vmb. Illud potius miror, quod S. Mercurialem an. 156. obijsse habet illius inscriptio in loculo eiusdem reperta, cum ex vita S. Gaudentij Episcopi Arimen. qui sub Constantio Imp. martyrium passus est, S S. Mercurialem Episcopum Liuien. et Rophilum Ep. Popilien. eò tempore vixisse appareat: siquidem S. Gaudentius ex Concilio Ariminen. fugiens ad illos diuertisse legitur. Forte ea inscriptio tria 300. habuit, quorum duo temporis vetustate euanuere.

DE S. GVALFARDO CONFESSORE VERONÆ.

GValfardus Augustæ Vindelicorũ natus, ephippiorum artifex Veronã venit. Vbi quidquid ex arte ea lucrabatur præter victũ & vestitum tenuem admodum, in egenorũ vsus distribuebat, donec se viri huius casibus subducens, in syluam haud procul ab vrbe apud Athesim se abdidit: in qua per annos 20. vigi ijs, ieiunijs, & orationib⁹ vacãs assiduè nemine cõscio vixit: quoad

à nauigantibus per Athesim conspectus, ab eis illum per condensum arboribus callem fugientem in cellulam insecutis deprehensus velut homo syluestris Veronam, & si inuitus perductus fuit. Qui ab Augustanis ciuibus agnitus habitationem in Monasterio S. Petri cum aduictum necessarijs obtinuit. Vnde postea fluuii exundatione in ædem S. Trinitatis loco edito extra vrbem sitam se se recepit. Sed à pijs viris opinione sanctitatis illius adductis cellula apud Ecclesiam S. Saluatoris in curia Regia iuxta Athesis ripam ei extructa, in ea ad annos 10. vsque ad obitum habitauit vitam per id tempus in dura corporis castigatione prosecutus. Appropinquante autẽ vitæ termino corpus suum in arca lignea inclusum (quam ipse sibi parauerat) multis precibus illud in via communi, præ foribus memoratæ ecclesiæ sepeliri postulauit. Cũ itaque ex hac vita migrasset Pridie Kal. Maij. An. post Christum natum 1127. multis miraculis ad eius tumulum subsecutis. Corpus in arca ex Vico Cutiano vallis Panthenæ cœlo sereno (quæ aliàs absque maxima aeris perturbatione loco dimoueri non poterat) eadem hora, qua vir S. animam Deo reddiderat, aduicta in dicta S. Saluatoris basilica collocatum est. *Ex lib. Aug. Valerij Episcopi Veron. & Card. de SS. Veronens.*

ANNOTATIO.

Extat in dicta ecclesia in lamina plumbea inscriptio hac. Hoc iacet in tumulo Beatiss. Gualfardus de ciuitate Augusta. Qui migrauit Verona anno ab Incarnat. Domini 1127. *Prid. Kal. May. & eius Transl. fuit* 7. *Kal. Dec.* 1507. *præsente Ioanne de Abbatia Canonico Verona. Extat alia inscriptio ante eius aram huiusmodi. Ossa S. Gualfardi de Cæsarea Augustana ciuitate hic requiescunt. Vbi corrigendum est illud de Cæsarea. Nam Cæsarea Augusta c. est Hisp. non Germ.*

DE S. VENTVRA CONFESSORE HISPELLENSI.

Ventura Hispelli ex antiqua Hispelluciorum familia, quæ hac quoque tempestate perseuerat, natus, vt vetus habet traditio, sanctitate floruit. Corpus illius in arca marmorea conditum in ecclesia suo nomini cõstructa, & dicata piè apud vrbis mœnia asseruatur: magnamque apud Hispellenses venerationem habet 5. Non. Maij (qua die eius Natalis summa celebritate clero, & populo publica processione, & deuotione colitur) Miraculis aliquot fulsisse fertur. Sed Acta non extãt; neque quo tempore vixit memoriæ proditum est. *Ex Monum. & Annalib. vrbis Hispellen.*

ANNOTATIO.

Illum Fratres Cruciferi Congregationis suæ alumnum fuisse affirmant; eiusque memoriam hac die celebrant: cum Hispelli die 3. *Maij, Festiuitas illius agatur, vt dictum est.*

DE B. FRANCISCO SENENSI ORD. SERVORVM.

Franciscus Senensis non obscuris ortus parentibus, à prima ætate litteris operam dedit. Cum autem quadam die B. Ambrosium Ord. Præd. concionãtem de Mundi contemptu, & dicentem: *Mereberis Deum, si homines fugeris* audisset vix à matre retineri potuit, quo minus se in solitudinem reciperet. Defuncta matre annos natus 22. Ordinem Seruorum B. M. V. ingressus dici non põt, quanta sit vsus vitæ austeritate, assiduis vigilijs, orationibus, ieiunijs, & disciplinis macerans. Factus Sacerdos Missam quotidie celebrabat, vt sacro munitus viatico ab hinc exeundum semper paratus esset. Concionaturus magis orationi, quã studio vacabat. Sic autem acer, & grauis erat in reprehendendo, vt multos à vitijs deterreret, præsertim quod inter prædicandum igneus globus super

Sententia B. Ambrosij Seen.

Globus igneus super caput illius apparet.

ſuper caput eius à virginibus viſus fuiſſet. Cumque multi ad eum ex vtroq; ſexu quotidie fama ſanctitatis tracti confluerent, quibuſdam illam mulierum frequentiam ſiniſtre interpretantibus Sanctiſſimam Deigenitricem, vt huic malo occurreret, præcatus, repentè obſurduit, eaque re lætatus; quòd ſibi ex animi voto accidiſſet, nullum medicamen admittere voluit. Aſperitatem itaque vitæ proſecutus, humi cubabat, ſomno modico contentus. Corpus, quod aſellum nominare ſolitus erat, modicè paſcendum dicebat, quo ſuſtinendis oneribus ſatis eſſet, illudque ſæpiſſimè flagellis, nonnumquam ſaxo verberabat. Nec tamen à charitatis operibus vacabat. Sic enim diſſidentium paci operam, dedit, vt à ciuibus Pacificatoris cognomen ſortiretur. Cum Franciſcus illud Apoſtoli: *Cupio diſſolui, & illo cum Chriſto, & mihi viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum*, in ore frequenter haberet. quadam die ad prædicandum egreſſus in terram decidit, vnde à ſodali ſubleuatas grauioribus doloribus cœpit affligi haud conqueſtus, ſed tacitus hymnos, & pſalmos recitans. Qui mortis ſuæ præſcius, in vigilia Aſcẽſionis an. ſal. 1326. Ioanne 22. Sum. Pont. Prid. Kal. Maii. migrauit in Cœlũ, multis clarus miraculis: in quibus illud memorabile. Quidam brachii cauillam, vt in ridendo fieri ſolet, contra B. viri miracula extulit: Statimque illud quaſi lapis obriguit: donec is in ſe reuerſus ad tumlum illius orans ab illa brachii torpedine liberatus eſt. Quidam agricola B. Franciſco in via potum aquæ negarat: cuius mox agrum horribilis tempeſtas vaſtauit. Puer ab alijs inter ludendum in fõtem profundum iniectus, mortuuſque inde extractus, ad Frãciſcique tumulum delatus diuinitus reuixit. Multi præterea in dies à morbis inſanabilibus, curati ſunt, & oppreſſi ab immundis ſpiritibus liberati. *Ex eius vita per Nicolaum Borghesium Eq. & Patricium Senenſem ſcripta, & Cron. Seruorum.*

Maxima vitæ illius aſperitas.

Irridens miracula B. Frãciſ. punitur.

Puer in aqua ſuffocatus re ſuſcitatur.

Infirmi, & oppreſſi à Dæmone liberantur.

ANNOTATIO.

Ondum officio eccleſ. colitur. corpus tamen iam pridem in ara eleuatum, quod integrum adhuc vſque tempora conſpicitur, multam habet apud Senenſes venerationem tota ciuitate in die illius feſto confluente.

De S. Petro Diacono confeſſore apud Salutiolam. *Vide die 12. Martij.*

DE S. MAXENTIA VIDVA S. VIGILII Epiſcopi Tridentini matre.

MAxentia nobilis Romana cum ex viro, cui in matrimonium data fuerat, filios procreaſſet, Vigilium, Claudianum & Magorianum, illos defuncto marito cum domus curam ſuſcepiſſet, in Dei timore, & in chriſtiana pietate educauit: curauitque vt in bons artibus, honeſtiſque diſciplinis inſtruerentur. Cum autem Vigilius diuino conſilio Tridentum ſe conferret, illum, non ſexus imbecillitate, aut longinquitate itineris deterrita, patriæ dulcedine, opumve commoditatibus irretita, ſecuta eſt. Cum autem ille ad Epiſcopatum Tridentinæ Eccleſiæ euectus eſſet, Maxentia, vt Deo liberius poſſet inſeruire, in pagũ Maianum apud Lacum Toblinum ſe recepit: vbi domo ſibi conſtructa reliquũ vitæ ieiunijs, orationibus, ac miſericordię operibus tranſegit. Ibiq; Sanctis operationibus, ac etiam miraculis clara ad cœleſtem patriam euolauit Prid. Kalend. Maij. Cuius corpus à fidelibus, qui ſacellum adhuc S. Maxentię nomen conſeruans circa tumulum extruxerunt, ibidem conditum eſt; Donec Tridentum ſanctæ eius reliquiæ ab Altimano Epiſcopo tranſlatæ vnà cum S. Vigilij reliquijs collocatæ ſunt. *Ex off. illius: quod Eccleſia Tridentina recitare conſueuit.*

Maxẽtia tres filios genuit.

Tridentum cum S. Vigilio venit.

Deo vacat in pago Maiano.

Miraculis fulget.

Eius reliquiæ Tridentum transferuntur.

ANNO-

ANNOTATIO.

Quis vitã S. Maxẽ. scripsẽ rit.

Mol. ĩ Addit. alia die Maxmem.

IDem Altimanus Tridentinus Episcopus: qui sacras Maxentia reliquias Tridentum transtulit vitam ipsius scripsit. Io. Molan. in Addit. ad Vsuard. Natalem S. Maxentia ad diem 30. Martij adnotauit, cum tamẽ ex illius vita eam prid. Kal. Maij migrasse constet.

Maii die 1.

DE S. PHILIPPO APOSTOLO.

Patria S. Philippi.

Familiaris fuit Christo.

PHilippus Bethsaide vbi, & Petrus, & Andreas in Galilæa natus, postridie à vocatione Petri, & ipse à Christo Domino vocatus mox secutus est eum: & ad eundem Nathanaelẽ adduxit. Is quam charus, & familiaris Christo fuerit, illud facile declarat, quod Gentiles illum videre cupientes, Philippum rogabant, vt sibi Iesum ostenderet. Cum in solitudine ad ingentem illam turbam pascendam panis deesset, illum Dominus sic affatus est: *Vnde ememus panes, vt manducent hi?* & post resurrectionem, cum Philippus dixisset; *Domine ostende nobis patrem, & sufficit nobis*: Dominus ad illum sic ait: *Philippe, qui videt, me videt & patrem meum: an credis, quia ego in patre, & pater in me est?* Is post Domini Ascensionem postquam eunuchum Candacis Æthiopum Reginæ in fide instructum baptizasset vt in Actibus Apostolorum legitur, in Scythiam, quæ ei in sortitione Prouinciarum obtigerat, profectus prædicatione, & admirandis signis, quibus morbos præcipuè, & spiritibus immundis oppressos sola manuum impositione sanabat, plurimos ad Christi fidem perduxit, aris templisque Deorum, & Dæmonum simulachris euersis. Captus enim, & ad Martis statuam, vt illi sacrificaret, perductus vix eò peruenerat, cum ingens draco erupit, qui Pontificis filium, duos Tribunos, & qui se vinctum tenebãt lethaliter vulnerauit, multosque oris flatu infecit; omnibusque interitum minabatur. Cum autem non sine lacrymis Philippum, vt opem ferret, orarent, is se draconem non modò eiecturum, sed & infestos ad sanitatem, mortuosque ad vitam reuocaturum spondet, si statuam istam euertentes, Christi Domini crucẽ erigerent. Illis annuentibus Philippus draconem abire iussit, mortuos excitauit, & infestos restituit: Ibique annum commoratus omnes præceptis christianæ fidei instruxit. Inde in Asiam reuersus Hierapolim celebrem Phrygiæ magnæ vrbem venit, vbi cum Dæmonum cultus, confutaret, & Christi Domini fidem ad salutem necessariam diceret, vnà cum Bartholomæo Apostolo, qui & ipse per id temporis in ea loca venerat, ab Idolorum cultoribus captus in vincula, carceremque conijcitur, & immanibus afficitur cruciatibus donec Mariamna virgine Philippi sorore dolẽte, & pro fratris salute orante; terra subito motu agitata omnibus maximum incussit timorem ac horrendo hiatu cũctos absorberet. Cumque id sibi quod Dei Apostolos male sic habuissent, euenire intelligerent supplicibus animis veniam suorum scelerum postulantes eos liberos dimiserunt in Christum credentes. Cum autem Philippus aduersus Ebionitarum Christum ante Mariam nõ fuisse asserentium errorem inueheretur, illi in Apostolum concitati illum in crucem actum lapidibus obruerunt. Cuius corpus postea Romam translatum in basilica 12. Apostolorum cum corpore S. Iacobi Apostoli conditum est. *Ex Breu. Ro. & ex Simeone Metaph.*

Prædicat in Scythia.

Draconẽ eijcit mortuos reddit vitæ & infestos sanitati.

Venit ĩ Phrygiã. ibi in vincula conijcitur.

Hierapolis terremotu concussa Apostolos lib. dimittit. & credit ĩ Christum.

Philippus, ab Ebionitis cruci affixus lapidatur.

ANNO-

ANNOTATIO.

Sunt qui Philippum in pace, quieuisse, ac inter duas eius filias virgines sepultum tradant. Verum is non Philippus Apostolus, sed Diaconus fuit. Cuius mentio fit in Actibus Apost. De quo scribit Lucas eum visum fuisse Cæsarea à Paulo, & 4. filias virg. habuisse. licet Euseb. l. 3. c. 31. aliter scribat. Baron. de re hac in Annot.

Duo Philippi vnus Apost. alter Diac.

DE SANCTO IACOBO APOSTOLO Domini fratre.

IAcobus cognomento iustus, & frater Domini dictus Alphęo patre, & Maria matre (quæ Mariæ Iacobi, & Ioseph, & Cleophæ ad aliarum differentiam dicitur) in Iudæa natus tanta fuit vitæ sanctitate, vt homines certatim vestimentorum eius fimbriam cuperent attingere. Hic ab ineunte ætate vinum, & siceram non bibit: carne abstinuit, nunquam tonsus, neque vnguento, aut balneo vsus. Cui lineis vestibus induto in Sancta Sanctorum ingredi licebat: Cuique assiduitas orandi callum genibus obduxerat, vt duritie cameli pellem imitaretur. Post Christi Domini Ascensionem Hierosolymorum Episcopus creatus: ad eumque Princeps Apostolorum misit, qui se ab Angelo carcere eductum nunciaret. Cum autem Apostoli concilium Hierosolymis super orta de lege, & circuncisione controuersia haberent, Iacobus Petri sententiam secutus concionem habuit, in qua vocationem Gentium probauit, & fratribus scribendum dixit, ne Gentibus iugum Mosaycæ legis imponerent. Eius meminit S. Paulus Apostolus in epistola ad Galatas dicens; Ascendi Hierosolymam ad videndum Petrum; aliorum autem Apostolorum vidi neminem, nisi Iacobum fratrem Domini. Is nonaginta sex annos natus, cum Ecclesiæ Hierosolymitanæ annos 30. præfuisset, ac Christum Dei filium Constantissimè prædicaret, a Iudæis primũ lapidibus appetitus, in altissimumque templi locum adductus inde præcipitatus est. Cumque confractis cruribus, semiuiuus, manus tendens in Cœlum pro inimicorum salute precaretur. Iis verbis; *Ignosce eis Domine, quia nesciunt, quid faciunt*, in capite fullonis fuste grauiter percussus animam Deo reddidit 7. Neronis anno iuxta templum, vbi præcipitatus fuerat, sepultus. Vnam scripsit epistolam, quæ de 7. Canonicis est. Eius corpus Romam velatum in ecclesia sibi, & S. Philippo dicata conditum est. *Ex Breu. Rom. Euseb. lib. 2. c. 22. Metaphr. & alijs script.*

S. Iacob. Alphęo patre, & Maria matre nascitur. Vitam austerã duxit vino & sicera abstinens. Nunquã tonsus nec balneo vsus. Callũ genib. orando obduxit. Primus Episcopus Hierosol. creatur. Eius snia in Conc. Hiero. Nonaginta, & sex annorũ de summo Tẽplo præcipitatus orat. p interfectorib. Scripsit vnã de 7. Can. ep. Corpus Romæ. Metaphr. diuersam mortis causam narrat.

ANNOTATIO.

Causam mortis D. Iacobi Apostoli Minoris aliter Sur. ex Metaphr. refert: quòd nimirum Iudæorum populo diuersis opinionibus agitato, Principes vt commotã seditionem sedarent; Iacobum, vt de summo templo populum ad seruandam Moysis legem hortaretur, orant. Verum is Christum Dominum a Deo viuorum, & mortuorum iudicem constitutum docens. Omnes illi adhærere suadebat. Quare illi indignati sanctum Apostolum de sublimi deorsum præcipitarunt.

De SS. Hippolyto Presbytero, Sabino, & Romulo, *Martyribus apud Abillinũ.* *Vide die 17. February.*

DE S. BENIGNO DIACONO, ET MARTIRE APVD MEVANIAM.

BEnignus Diaconus S. Vincentij Episcopi Meuanatis frater, vnà cum illo clamantia Capitolini Præfecti iussu captus Perusiam perducitur; vbi cũ vterq;

in

in templum Martis, vt illi sacrificarent, vterque ductus fuisset, ac eis orantibus omnia templi idola corruissent, Dæmonijs exeuntibus, & clamantibus, plurimi eo miraculo ad fidem Christi Domini conuersi sunt: in quibus comes quidam fuit in Christianos immanissimus. Quibus per motus Capitolinus Vincentio in custodiam reducto, Benignum cum aliquot alijs christianis gladio feriri iussit. Cuius corpus Eutasius christianus apud Portulium sepeliuit Kal. Maij. *Ex Passione S. Vincentij Episcopi.*

Dæmonia exeunt.

ANNOTATIO.

Corpus S. Benigni vnà cum corpore S. Vincentij Lucæ habetur. Et vtriusque simul memoria die 6. Iunij celebratur. Cum verò corpus S. Vincentij Meuaniæ quiescere dicatur, Lucæ horum SS. integra corpora esse non possunt, sed pars aliqua insignis nomen totius per figuram, vt sæpenumero fieri solet, vsurpat.

DE S. ALDREBANDO EPISCOPO FORO SEMPRONIENSI.

Aldrebandus Sorbitali in Æmilia apud Bobium, & Galeatam natus, Rauēnæ liberalibus disciplinis operam dedit. Qui ob eius morum elegantiā, & eximiam sacræ Theologiæ, ac sacrorum canonum eruditionem ab Arimenensibus Canonicis Præpositus eligitur. Sed cum inter concionandum Arimenenses, quòd res Ecclesiæ occuparent, argueret, à concitata multitudine vix euasit. Egressus Arimino, a Forosempronienfibus, qui eum in Episcopum elegerant, in suam ciuitatem deducitur. Vbi cum primùm ordinatus fuit, magnam basilicam construere aggreditur, vitamque valde austeram ducere. Nam carne abstinuit, sæpissimè ieiunans: Ciliciò indutus, non in lecto, sed super nuda tabula cubabat. Pauperibus quibus semper fores patebant, necessaria ministrabat. Omnib. diebus festis populo concionabatur, quod cum faceret quadam die hirundines obstrepentes prædicationem impedirent, facto illis præcepto, illicò conticuerunt. Vitam cum ad c. ferè annos produxisset, nihilque præsenio iam gustare videretur, oblatam sibi perdicem coctam facto crucis signo abire iussit, quæ rediuiua mox auolauit. Cū verò mense Ianuario cerasa postulasset, derideretur; misit ad altares, in quo ipse celebrare consueuerat, ac ibi cerasa recentia inuenta ad eum delata sunt. Pluribus alijs effulsit miraculis, in Dœmoniacis præsertim liberandis, ac morbis insanabilibus curandis. Obiit diem suum Prid. Kal. Maii. licet postera die sepulturæ traditus fuerit. Multis autem ex vrbino, Callio, alijsque finitimis vrbibus confluentibus; mirum accidit. Quod vinum in paruo vase contentum, maximæ tamen multitudini satisfuit, donec quispiam diceret. *O diabole quid est hoc, quòd vinum hoc tantæ multitudini non deest?* Post biennium, æditúus ecclesiæ in qua S. Episcopi corpus tumulatum est, ad horas matutinas pulsandas surgens, lumina super illius sepulchro vidit, & Angelicum cantum audiuit, vnà cum Archipresbytero, & Canonico ab ipso vocatis. Quapropter corpus illius in maiorem capellam translatum fuit. in qua translatione mira alia contigere. Nam cum quidam digitum clam sublatum domum suam exportasset, in magnam incidit ægritudinem; à qua non prius sanatus est, quam digitum restitueret. Eugubinus item, qui noctu oleum ex lampade ante corpus S. Aldrebandi ardente accipere præsumpserat, amisso lumine oculorum delictum confessus, & veniā postulans, illud recepit. Ferunt etiam Fanenses campanas binas ex S. Aldrebandi æde abstulisse; quæ pulsatæ nunquam nisi restitutæ sonum ediderunt. *Ex eius vita M.S. ab Eccles. Forosempronien. accepta.*

Miracula. I. Perdix cocta sua euolat.
II. Cerasa recentia mense Ianuario reperiuntur.
Miracu. post mortem.
I. Aedituus lumina videt, ac Angelicū cantū audit.
II. Surreptor digiti ī magnā incidit ægritudinem.
III. Oleum ex lāpade quidā auferens lumine oculorū priuatur.
IIII. Fanenses Cāpanæ allatæ nullum edūt sonum.

ANNO-

ANNOTATIO.

Empus quo hic S. Episcopus vixit in vita memorata desideratur: nisi quod tum ante quam Regulares predicationis officio fungerentur, hoc est ante S. Dominicum, Franciscum, & alios Religiosos Mendicantes vixisse apparet.

DE S. PEREGRINO FOROLIVIENSI CONF. ORD. SERV.

Peregrinus Foroliuii ex Latiosa familia, quæ adhuc perseuerat, natus, cum adolescens quadam die in maiore ecclesia ante Deiparæ virginis, cui maximè deuotus erat imaginem, vt vias suas dirigeret, oraret, illam prætiosis vestib. indutam, sibi, vt ad seruos suos se conferret, præcipientem audiuit. Quare confestim Senas Angelo comite profectus à Priore Seruorum visione, & mandato virginis expositis ad ordinem recipitur splendore quodam cœlesti, quo futura sanctitas illius monstrabatur, caput circunfulgente, an. natus 30. Forumliuij remittitur; vbi assiduis laboribus, vigilijs, ieiunijs, precibus, aliisque corporis macerationibus operam dedit. Illud mirandum, nunquam per annos 30. sedisse, saxo pro sede, si somno, aut lassitudine victus stare non posset, vsum: nunquam in lecto neque infirmum decubuisse, noctes ferè omnes in somnes in orationibus, & meditationibus ducebat: nulla die conscientiæ examine, & sacramentali confessione prætermessis, peccata exterioribus etiam lacrymis expiabat. Admirabili fuit patientia. Nam cum crus sibi ex sacro morbo putrefactum dolorem sibi maximum aliis verò fœtorem afferret, sic absque querimonia fuit, vt ciues illũ alterum Iob appellarent. Quod crus cum ex medicorum consilio amputandum esset, Peregrinus noctu ex loco, in quo iacebat, in capitulum reptans, atque ante imaginem crucifixi (quæ adhuc apud Foroliuienses venerationem habet) orans, obdormiuit, ac Christum de cruce descendentem, & crus sibi tangentem vidit. Expergefactus crus ita sanatum sensit, ac si nunquam fuisset infirmum. Quod miraculum à medicis, qui manè crus secaturi aduenerant, per vrbem diuulgatũ est. Peregrinus octogenarius piis laboribus, ætateque confestus, febri correptus breui Kal. Maii. an. sal. 1345. in cœlos euolauit Beato Philippo (qui ei ingrediendæ religionis occasio fuerat) & Beato Francisco Senensi comitantibus, Multis post mortem claruit miraculis: in quibus cæcus, Peregrino, cum sepulchro inferendus esset) ex feretro manum oculis illius admouẽte lumen recepit, mulier multis obsessa dæmonibus ad sacrum cadauer perducta illicò liberata est. Quidam etiam ex arbore procera delapsus, Peregrini nomine inuocato, absque læsione fuit. Quapropter Foroliuienses, & finitimi populi hac die ad illum venerãdum confluunt. Paulus verò v. Pont. Max. vt officium illius proprijs lectionibus recitetur, indulsit. *Ex off. seruorum Romæ approbatis.*

Peregrini Angelus comes.

Per annos 30 non sedet.

Mira Peregrini patientia.

Mirac. I. II. III.

ANNOTATIO.

Vita B. Peregrini à Nicolao Burghesio Patricio Senen. à F. Michaele Florentino in Cron. & ab alijs, sed fusius à F. Archangelo Florentino in vita S. Patris Philippi. Ex quibus nos illam paucis perstrictam in lectiones digessimus, quas à sacra Rit. congreg. dum off. Prioris Generalis fungeremur an. D. 1609. approbandas curauimus. Extat Diploma Pauli v. sum. Pont. 18. Kal. Maij. dat. an. prædicto.

DE S. EVPHROSYNO EPISCOPO PAMPHILIÆ apud Panzanum.

Evphrosynus Episcopus Pamphyliæ (ciuitas ignoratur) Romam profectus dum in patriam rediret, uenit in Hetruriam, vbi cum inter Senas, & Florentiam in Pesam amnem aquarum exundatione intransuadabilem incidisset, illũ signo crucis munitus vnà cum socijs traiecisse fertur. Consistere coactus apud Panzanum castrum, ibi Christi Domini fidem prædicans, multos ægrotos diuina

Mirac.

diuina virtute sanauit. Cum verò diem mortis suæ præsciſſet, ac locum, in quo humari vellet, designasset, cessit è vita, ecclesia suo nemine, quæ adhuc extat ibidem ædificata. *Ex Monum. Eccles. Fesulana.*

ANNOTATIO.

Dies festus illius prima Maij Dominica celebrari solet. Quando hic S. Episcopus obierit, quoue Pont. Romano venerit, scire minime potuimus.

Maii die 2.

DE SS. SATVRNINO, NEOPOLO, GERMANO, ET Cœlestino martyribus Romæ.

SAturninus, Neopolus, Germanus, & Cœlestinus Romæ propter fidei christianæ confessionem comprehensi, ac multi passi sunt: Cum verò à sententia remoueri non possent, diu carceri inclusi animas Deo reddiderunt. *Ex Adone, & alijs.*

ANNOTATIO.

Sub quo Imper. passi fuerint nec Ado, nec ante illum Vsuard. & Beda docent: sed neque, si corpora ipsorum extent, scire potui.

DE SANCTO ANTONINO EPISCOPO FLORENTINO Ordinum Prædicatorum.

ANtoninus Florentiæ patre Tabellione natus à prima ætate qualis futurus esset ostendit. Nam ab omni puerili leuitate alienus officijs diuinis, orationibus, & sacris concionibus frequens operam dabat. Annum natus 15. ordinem voluit Prædicatorum Fesulij ingredi, cum iam in iure canonico prout ætas ferebat versatus videretur; Sed ob imbecillem ætatem reiectus, sequenti anno voti compos factus est. Anno probationis Cortonæ expleto Fesulas reuersus sōno, ac cibo parcissimis vsus. totum se legendo, & scribendo dedit. Et licet Romæ, Neapoli, Florentiæ, Senis Caietæ, Cortonæ ac Fesulis priorem egerit, tot tamen tantaque volumina conscripsit. vt planè mirandum sit, qui tantulus homo (erat enim statura membrisque pusillus) inter tot occupationes tanta scribere potuerit in magna vitæ austeritate. Nam cilicio, & zona ferrea præcinctus non in lecto, sed in tabula cubabat. Sacerdos factus, quotidie celebrās, alterius missam auscultabat. Quamuis autem cœnobijs, & Prouincijs præesset, haud tamen infimę sortis munia obire dedignabatur. Benignus, & misericors erat. Nam cum puella lotis linteis capisterio fracto, vehementer fleret, ac matris minas veritas fugam pareret, S. vir capisterij partes sola nominis Iesu inuocatione, & signo crucis ita iunxit, vt fracturæ vestigium nullum appareret. Creatus ab Eugenio 4. Pont. Max. Archiepiscopus Florentiæ fugam cæpit cogitare, sed obediētiæ vinculo adstrictus sarcinæ pastorali collum submisit. Familiam, sex tantùm hominibus constabat, ad cultum diuinum crebrò hortabatur, cum ipse nocturnis, & diuinis horis semper interesset. Erat etiam in domesticos mitissimus, ad eumque semper omnibus aditus patebat maximè consiliorum causa. In Episcopali munere vigilantissimus fuit singula diœcesis templa non per vicarios: sed per se ipsum visitans: Non illum frigora, non ęstus, non pluuiæ, non tempestates, non pericula ab officio retardabant. Multa viuens edidit miracula; In iis puc rum

rum fascinatum, atque medullitus arefactum oratione sua curauit. Cuidam ciui ex Filicaria familia vnicus filius vnicè dilectus obierat: cuius pater luctu deformatus ad S. Antoninum in cœnobio S. Marci agentem accedens, causam sui fletus aperuit: qui cum S. vir blande luctus cōsolatus, dixisset, *I domum, & filium ad vitam reuocatum complexare*, domum reuer sus filium vitæ restitutum inuenit. Cum petenti panem dare iussisset, diceret autem custos tres tantùm panes extare, vade, inquit S. Episcopus, *& diligentius arcam scrutare*: quam cum iuisset, pane referram candidissimo reppenit. Cum pauper fiscellam pomis plenam spe maioris retributionis S. Episcopo obtulisset, nil aliud ab eo quàm hæc verba. *Retribuat tibi Deus*, retulit. Cum autem is conquereretur, eo accersito afferri iussit chartam, in qua cum verba illa scripsisset, eamque lanci vni imposuisset, pomis alteri lanci impositis (mira res) charta pomis omnibus, qui aderant, stupentibus præponderauit. Cum supremus ciuitatis magistratus (quem octouiros vocant) duos sacerdotes noctu in crimine à satellitibus deprehensos mane ad Episcopatum tubis clangentibus misissent, ea re indignatus S. Antoninus anathematis illos pœnam incurrisse declarauit, à qua eos præ foribus ecclesiæ, vt moris est, apostolica auctoritate dissoluit, vtque magis pœnam huiuscemodi metuerēt panem candidum afferri iussit; qui mox pronuntiata in eum anathematis execratione atredinem quasi carbo contraxit, moxque re benedictus pristinum cādorem recuperauit. Etsi autem summa benignitate præditus erat, seueritatem cum opus esset, adhibebat. Nam sacerdoti mille aureos, quos ludens lucratus fuerat, abstulit, hæreticum, & necromantem reclamantibus ciuibus concremandum curauit. Futura aliquando mala prædixit; quemadmodum mercatori, quē ad animi, & lucri cupiditatem remittendam hortabatur: qui inter Venetias, & Patauium facto naufragio, submergebatur, nisi à S. Antonino ab eo inuocato ex aquis porrecta manu ereptus fuisset. Denique sanctissimus Episcopus cum Ecclesiæ suæ annos 13. p̄fuisset, an. ætatis 57. morbo correptus, sacris munitus euolauit in cœlum quo tempore Pius 2. Papa Roma Florentiam aduenerat. Mortem plura mira subsecuta sunt, nam fœmina, & vir, illa lateris, hic brachij vsu destituti sacro tacto corpore liberati sunt. Fœmina altera Fabriani in Piceno, & monialis virgo Ord. Prædicat. Florentiæ vtraque corpore contracta, ope à S. Episcopo implorata sanitatem recepit integram. *Ex vita à F. Vinc. Mainardo eiusd. ord. scripta à Sur. to. 2. relata.*

Mirac. S. Antonin. I. II. III. IIII. V.

ANNOTATIO.

Illum Hadrianus 6. Pont. Max. in SS. numerū retulit Prid. Kal. Iunij, an. D. 1523.

Hymnus S. Antonini ex illius Officio.

Is teneris ab vnguibus
Sacros edoctus canones
Mundi spretis illecebris:
Christi se iugo subdidit.
Prędicatorum Ordinem
Delegit inter cæteros,
Vt litteris, & moribus
Incumberet ardentius.
Sed non bene sub modio
Lumen ardens occulitur;
Ad præsulatum trahitur.
Lucens inflamans populos.
Virginitate niueus
Doctrinæ luce splendidus
Præsul, & pastor optimus
Clarum virtutis specimen.
Pauper amauit pauperes,
In miseros misericors,
Intepidus in perditos,
Plusquam mitis in humiles.

DE

DE S. VALENTINO EPISCOPO GENVENSI.

Miracula I. Valentinus Genuæ natus ex antiqua traditione, ob eius virtutes Episcopus Genuensium v. creatus vixit in Episcopatu ad annos 75. vitæ sanctimonia, miraculisque cōspicuus: quibus etiam post obitum emicuit. Nam (vt aliqua quæ scripta leguntur, proferamus) cum quidam Albintimeliensis ob escam faucibus II. hærentem animam ageret, ad S. Valentini sepulchrum deductus, statim à periculo liberatus est. Puella Astensis, quæ ita pedibus contracta erat, vt nullo pacto incedere posset, ad tumulum S. Episcopi delata incedendi recuperauit facultatem. Matrona item Genuensis, quæ faciei deformitatem ex morbo contraxerat, III. ad opem S. Valentini confugiens, prioris formæ speciem, decoremque recepit. *Ex monum. Eccl. Genuen.*

ANNOTATIO.

Tempus, quo hic S. Episcopus floruit, & Acta illius quandiu in Episcopatu vixit, desiderantur: Cum pauca hæc in Annalibus vrbis Genuen. & in cod. per antiquo eccles. Genuen. Dumtaxat adnotata legantur.

DE S. *SYLVESTRO* MONACHO, ET Confessore Troynopoli in *Sicilia.*

Sylvester Troynopoli honestis, religiosisque parentibus Gulielmo *Siciliæ* Rege ortus, pieque educatus cœnobium S. Michaelis Archangeli Ordinis S. Basilij habitum monasticum induens ingreditur. Vbi breui eos progressus fecit, vt cæteros viiæ asperitate, suique ipsius abnegatione antecelleret. Peregrinandi cupidus de Abbatis licentia v. Idus Februarii Catanam ad corpus B. Agathæ virginis, & martyris venerandum venit. Qua in re illud mirandum, quod cum Catana à Troynopoli 40. M. P. absit: quæ quis equo per diem æstiuo tempore vix confecit, *Syluester* tamen pedester hyberno tempore Catanam profectus, ac precibus ad virginis tumulum persolutis domum eadem die reuersus est. Cum furnarius panem cocturus scopam, qua furnum ardentem prunis mundaret, minimè reperiret, quæreretur que quòd mora pani detrimentum afferret, Syluester signo crucis munitus illum ingressus prunis ardentibus in vnum collectis vestis suæ extremitate tersit: qua re Abbati nunciata, accurrens cū monachis è furno Syluestrum illæsum exeuntem vidit, ac ex ea die apud monachos Syluester cœpit esse venerationi. Romam, vt loca sancta inuiseret, summique Pont. à quo ob sanctitatis famam benignè exceptus est, pedes deosculaetur profectus, ijs peractis perceptaque Pont. benedictione nauem conscendit & Panormum appulit. Vbi cum Regis filius grauissimè ægrotaret, ad Regem accedens, bono animo illum esse, iubet, & ad filium iam morti proximum deductus fore, vt breui incolumis euaderet ait. Quem medici delirare existimantes, & illudere volentes, porcæ vrinam afferri curant, ex qua ille ægroti morbum agnosceret, quam illicò Syluester esse porcæ 10. in vtero suillos habentis vrinam dixit. Sicque illa Regis mandato mactata, & aperta deprehensum est, & Syluestro habita fides: qui omnibus è cubiculo eiectis cum preces Deo, effudisset, filium Regi reddidit incolumem. Cumque Rex *Syluestrum*, vt quicquid vellet posceret, instanter rogaret thynni tandem cuius ingens copia capi solet, parū pro cœnobio petijt: Qui petitionem exilem miratus, aliquot thynnorum vegetes,

Mirac. I. Syluest. eadē die Troynopoli Catanæ petit, ac reuertitur pedester.

II. Syluester è furno exit illæsus.

III.

IV.

tes, perpetuò quouis anno dandos decreuit: quibus ad hæc vsque tempora frui feruntur. Reuersus ad monasterium, defunctoque Abbate, cum Syluestrum et subrogare cogitarent, is elapsus in syluam non longe à ciuitate se abdidit; Vbi aliquandiu vitam eremiticā duxit, orationibus, ieiunijs, meditationibus, alijsq; corporis afflictionibus intentus: Donec 4. Nonas Ianuarij An. à partu virginis 1185. suum Deo tradidit spiritum. Corpus ibidem sepultum est, sacra æde sub eius inuocatione constructa. Quò hac die, & 2. Ianuarij innumera hominum multitudo confluit: solent enim dæmoniaci, infirmique eius intercessione liberari, Anno verò D. 1575. peste per vniuersam Siciliam grassante, cum Troyno poli multi in dies perirent, ac die secunda Ianuarij (qua Natalis eius celebratur) maximo efferuescente Imaginem *S.* Syluestri ciues in processione deferrēt, mox ab ea penitus extincta liberati sunt. Quare Iulius 3. Pont. Max. non modò Indulgentias ecclesiam S. Syluestri visitantibus concessit, sed & festum ab omnibus in ea ciuitate celebrari voluit. *Ex lectionib. quæ in eius die festo recitantur,* ac ex Anthologio Græcor.

ANNOTATIO.

G*Vlielmus Rex sub quo Syluester natus traditur non Bonus, sed Malus cognom. fuit, Boni pater, qui An.* 1176. *decessit, Bonus verò An.* 1189. *quo & S. Sylu.*

Maij die 3.

DE S. ALEXANDRO PAPA, ET MARTYRE. AC DE SS. Euentio Presbyt. & Theodulo Diacono pariter martyribus.

ALexander Romanus: licet ætate iuuenis, fide tamē, & sanctitate canus, post S. Euaristum Traiano, & Hadriano Imperatoribus rexit Ecclesiam. Hic magnam Romanæ nobilitatis partem Senatorum præsertim ad Christum conuertit; in quibus Hermetem vrbis Præfectum cum tota eius familia, in qua serui 1250. censebantur. Constituit vt in mysterio panis tantummodo, & vinū, cui aqua propter sanguinem, & aquam, quæ ex Iesu Christi latere profluxerant, adhiberetur: adderetur que in Canone *Qui pridie, quàm pateretur*. Decreuit ēt, vt aqua benedicta sali admixto perpetuo in ecclesijs, & in cubiculis ad fugandos dæmones asseruaretur: & vt clerici à iudicio sæculari essent immunes tribus scriptis epistolis. Delatus apud Hadrianum Imper. in Asia agentem Aureliani iudicis ab Imp. Romam missi iussu cum pluribus alijs Christianis comprehēsus Quirino Tribuno custodiendus traditur; quem cum Balbina filia à strumis liberata ad fidem perduxit. Illum Aurelianus post longam de fide disceptationem in equuleo suspendi, vngulis qui laniari, & latera lampadibus aduri iubet nullam vocem vel gemitum emittentem, eo deposito ad Seuerinæ vxoris preces, Euentius Presbyter torquetur, qui interrogatus à Iudice respōdit se 80. annum ætatis agere, 11. quorum baptizatum fuisse, 20. Presbyterum ordinatū, iamque 11. annum in carcere detentū esse, & quia Iudex eum, vt Dijs sacrificās suæ consuleret ætati hortabatur, *Tu potius inquit, Christo Dei filio, vt misericordiam consequaris adhære*. Post quem Aurelianus Theodulum aggreditur, dicēs, *& tu Theodule, iussa nostra paruifacis?* cui cum respondisset, *imo teipsum, qui sanctos supplicijs afficis, nihili pendo*, in rabiem actus furnum accendi, in eumq; Alexandrum, & Euentium dorso colligatos immitti, Theodulum verò ad ostium sisti (si fortè duorū cruciatu cōmoueretur ad pœnitentiā) imperat: sed Theodulus dicēte Alexādro adesse Angelū Dñi, qui tribus pueris affuit, se ipsū in furnū

Serui familiæ Hermetis 1250.

Decreta S. Alexandri.

Euētius Presbyter torquetur.

Q cum

cũ illis iniecit. Cũ verò haud læderentur ab igne, extractos, Iudex iracũdia tabescens, Euentiũ & Theodulũ capite plecti, Alexandrũ verò mẽbratim concidi, punctis qui creberrimis donec expiraret, confodi iubet. Tunc Aureliano martyribus insultantem, audita vox est ex alto. *Quibus tu insultas paradisus apertus est, tibi verò tartarus.* Qua voce territus Seuerinam vxorem rogat, vt pro se oret. Quæ respondit, imò abiens Christi martyres meis sepeliam manibus, ne eadem clades mihi eueniat. Quare eos in prædio suo 3. ab vrbe, lapidi via nomentana sepelijt, & virò in amentiam lapso, breuique defuncto, cilicio induta, Sacerdoteque, qui ad sepulchrum martyrum celebraret, à S. Sixto Papa impetrato reliquum vitæ in pijs operibus ibi confecit. *Ex passione quam Sur. tom. 2. refert. partemque ex Breu. Rom.*

Alexander membratim, ac punctis creberrimis immanissimè cõciditur.

Vox è cælo facta.

ANNOTATIO.

Damasus in lib. Pontif. videtur Alexandrum post 10. annos, & menses, cum aliquot diebus Pontif. sub Traiano passum asserere, quod, & Marianus Scot. in Cron. & Panuin in Cronol. Eccles. & Pet. Gales. in martyrol. affirmant, sic vt opinantur supputatione temporum suadente. Sed Euseb. lib. 4. c. 4. Hist. Eccl. apertissimè Alexandrum III. Imp. anno Hadriani martyrio affectum fuisse scribit. Accedit quod maior est, auctoritas Breu. Rom. præter eaqua Baron. habet in Annalib. Eccles. ad annum 3. Hadriani.

Corpora horum SS. mart. in vrbem translata, & condita in ecclesia S. Sabinæ habet Breu. Rom. Sed corporis S. Alex. inuentionem apud se celebrat Iustinopolitana Eccl. Parmen. item Eccles. & Lucen. in basilica illarum apparet... se corpus eiusdem S. Alex. Papæ, & mart. in propria Ecclesia habere iactant, vt in basilica illarum apparet.

Addunt nonnulli vti Gales. Iuuennalem Diaconum; sed deceptos ex eo puto, quod ecclesia eadem die natalem S. Iuuenalis Episcopi Narnien. celebret.

DE S. IVVENALI EPISCOPO NARNIENSI, ac Fossanensi patrono.

IVuenalis patria Carthaginensis: vt Ecclesiæ Narniensis monumenta habẽt, ex medico factus Presbyter Romam venit, inde Narniam Episcopus eius vrbis a S. Damaso Papa Narniensibus petentibus ordinatus. Qui oratorio in S. Valentini Episcopi, & martyris Interamnensis honorem extructo plurimos, qui nondum crediderant in Christum, vi miraculorum, & prædicatione ad fidem perduxit. Cum enim Ligures vrbem obsidione præmerent, orante S. Iuuenale, & dicente. *Fiant viæ impiorum tenebræ, & lubricum.* Orta repentè tempestate, hostes fulminibus territi in fugam versi sunt. Cum verò innumeram vtriusque sexus multitudinem sacra Communione reficeret, mirum, quòd calix (qui vitreus erat, seruaturq. vsque in præsentem diem, ægrotos in eo bibẽtes sanans) aucto diuinitus Sacramento satisfuit. Cũ annos 7. Eccl. Narniensi sanctissimè præfuisset, spiritum Deo reddidit, apud superiorẽ ciuitatis portam sepultus. Corpus Narniæ asseruari dicitur, caput verò Fossani, à quodã Canonico Tolosate furtim sublatum, ibique relictum, cũ mulus qui capsam cum capite ferebat, apud Fossanũ substitisset, nullaq. vi dimoueri posset, quod cum lateret diuinitus reuelatũ est. Nam cum Angliæ Regis filia ab immundo spiritu sic exagitaretur, vt is se exiturum nõ esse nisi ob Iuuenalis reliquias diceret, dũ Romã perduceretur, apud Fossanum Iuuennalem appellare cœpit, sicq. effosa in eo loco terra sacrũ caput inuentum est, quo Regis filia tacto illicò liberata est. Quapropter Fossanenses Iuuenalem sibi patronũ asciuere, Illud quoq, miraculum narrant, quod nauis mercibus onusta cum horribili orta tempestate periclitaretur,

Miracula.

Mulus qui capsam cum capite S. Iuuenalis ferebatur, nulla vi dimoueri potest.

Dæmon Iuuenalis reliquijs se exire è filia Regis Angliæ contestatur.

Iuuenalis super aquas incedens horribilem tempestatem sedat.

tur,affuit Iuuenalis super aquas ambulans,qui otans procellam sedauit, & manifestato nomine nautis disparuit. Quare mercatores præciosa munera Hatniã mittunt, quæ S.Iuuenali iam defuncto,Maximo eius successori, qui ex eis templũ D.Iuuenali excitauit data, sunt, vno ex socijs,qui quartana febre laborabat, cum ad S.Episcopi sepulchrũ orasset sanato. *Ex Monum. Eccl. Narmien. & Fossanen.*

ANNOTATIO.

Sanctus Greg. PP. in homilia 37. mem. S. Iuuenalis Episcopi Narnien. quem martyrem vocat; licet Baron. in Annotat. ad hanc diem putet S. Gregorium de alio Iuuenali verba facere, ac duos fuisse Iuuenales Episcopus Narniens. vnum confess. de quo Martyrol. Rom. hac die alterum mart. de quo S. Greg. Ego verò eundem Iuuenalem esse existimo, qui mart. propterea appellari videtur, quòd a cultoribus Bacchi tentus immolare, & carnes immolatas edere dum cogeretur, in os eius gladius immissus fuerit, quem is ita dentibus tenuit, vt qui illum immiserat, extrahere conatus guttur sibi pracideret, vt Acta illius habent M.S. Quod si duo Iuuenales extitissent; aliqua ipsorum Narnia memoria extaret.

Iuuenalem quare Martirem appellet D.Gregor.

Epitaphium S.Iuuenalis.

,, *Secretus locus est intus, sanctisque recessus,*
,, *Quem famulus Christi sanctus Iuuenalis amauit.*
,, *Sanctorum socius meritis euectus in astra*
,, *Rupe caua placuit tumulari membra sepulchro;*
,, *Ne polluta manus sacrum contingere possit.*

DE S. VRSIO CONFESSORE APVD M. SVMMANVM.

VRsius,natione Gallus,haud obscuro loco natus, cum sibi à quodam peregrino parricidã cũ fore prędictum fuisset,ne tantum scelus admitteret,in Dalmatiam venit,annum ætatis 26.agens,vbi cum Regem ad Christũ cõuertisset, filiam illius in vxorẽ accepit. Quod cum pater accepisset, filij visendi causa eò profectus,à nutu perhumaniter excipitur, ac in proprio lecto collocatur. Vrsius aũt cum per id tempus abesset, à dæmone familiaris specie in via deceptus,& persuasus,quod vxor cum quodã aduena excumberet, domum festinans & ira percitus patrem, vxoremq; cũ filio interficit. Verum errorem recognoscens,Romã contendit, ac ab Hadriano Pont. Max. hanc sibi iniunctam accepit pœnitentiam,vt tandiu peregrinaretur,quoad neminem de loco percunctatus,ad templũ B.M.V. in Summano M.dedicatũ perueniret.Peregrinatus itaq; Hierosolymam, Cõpostellam,& orbis terræ ecclesias celebriores, Tandẽ apud Vincentiã M. Summanũ à pastoribus nominari audiens, eò peruenit, vbi paulò post obiens,inditio campanarũ sponte sua sonantiũ,& baculi sui frondentis innotuit,ac in sepulchro marmoreo apud Sazonum op.ab Ezelino Tyranno euersum,conditus est. Cuius corpus à propinquis in Galliam transferre conatis loco dimoueri haud potuit,vbi nunc pagus est,qui S.Vrsij nominatur. Agitur autem eius dies festus magno Incolarum finitimorum concursu maximis à Sum.Pont. Indulgentijs templo illius elargitis. *Ex quodam M.S. peruetusto, ac ex Pet. in Cat. in Append. c. 8.*

Vrsius Patrẽ, & vxorem cũ filio interficit.

ANNOTATIO.

INitium huius Historia cum Hist. S. Iuliani Hospitatoris conuenit. Vtrique enim parricidium prædictũ est. Vterque longe gentium recessit, vterq; patrem occidit, catera diuersa sunt.

DE S. VIOLA VIRGINE, ET MARTYRE VERONÆ.

VIola virgo,& martyr Veronæ recolitur V. Non. Maij, vti tabulæ ecclesiasticæ ad sacrum Ecclesiæ Veronensis vsum compositæ testantur. Sed an Veronensis illa fuerit,ac vbi,& quando martyrium passa sit,monumenta eiusdē Ecclesiæ non docent. *Ex Tab. seu Kalend. Veronen. Eccl.*

ANNOTATIO.

SEd neque alibi huius S. virg. & mart. (cuius tantum commemoratio Veronæ fit) memoriam vigere deprehendimus, neque vllam aliam huius nominis virginem reperimus.

Maij die 4.

DE S. MONICA VIDVA ROMÆ.

MOnica S. Augustini Episcopi,& Doctoris dupliciter mater, quia eum, & mundo, & Cœlo peperit,mortuo marito,quē senectute confectum alienum à fide Christo conciliarat (illi nomen erat Fabricius) castam, & in operibus misericordiæ exercitam viduitatem agebat. In assiduis pro filio, qui in Manichæorum errorem inciderat, ad Deum precibus lacrymas effundebat: quem Romam primū profectum;deinde Mediolanum secuta est. Qui assiduis matris hortationibus ad S. Ambrosium se conferens, ab eo publicis concionibus,& priuatis colloquijs conuersus,& baptizatus est. Posthæc in Africam redeuntes apud Ostia Tyberina cum constitissent, Monica in febrim incidit,morboque in grauescente cum quadam die eam anima defecisset,vt in se redijt, *vbi eram*,inquit,& adstantes intuens filios Augustinum, & Deodatum; *Ponite hic*, ait, *matrem vestram, tantum vos rogo, vt ad altare mei memineritis*. Quare nono die, 4.Non.Maij. An. ætatis 56. animam Deo reddidit. Corpus in æde S. Aureæ virginis,& martyris conditum, postea Martino V. Sum. Pont. Romam in basilicam S. Augustini translatum est. *Ex Breu. Rom. & ex vita apud Lipom. tom. 2.*

ANNOTATIO.

HAbuit Monica præter Augustinum etiam Adeodatum,& Perpetuam,quæ viro orbata in monasterio virg. à S. Augustino fratre ædificato sancto fine quieuit. Inter miracula illud narratur: quod S. Monica sic erat orationi, & meditationibus addicta, vt sæpe in extasim rapta, à terra eleuata cerneretur,quasi in sublime volatura.

Monicæ tres filij.

Hymnus Sapph. S. Monicæ.

TE ferant linguæ, celebrēt et omnes
Te simul totus moduletur orbis;
Sæculis cunctis memoreris ampla
Monica laude.

Cuius effusa lacrymæ, precesq;
Cor tui durum,rigidumque nati
Ad Dei magni meruere sacrum
Vertere cultum.

O decus summum,pia spesq; matrum
Certanatorum via, dux, asylum
Dæmonū uictrix, Heresū fugatrix
Alma virago.

O tibi quantas populus fidelis
Gratias debet memori sub æuo,
Quem tuis summis meritis beasti
Candida mater.

DE

DE S. CYRIACO EPISCOPO, ET MARTYRE, ac patrono Anconitano.

Cyriacus Episcopus Hierosolymis, quò loca sancta visendi causa cum Anna matre contenderat, ob Christianam fidem iussu Iuliani Apostatæ comprehensus, ad immolandum Dijs compellebatur. Qui cum id facere constantissimè recusaret, diris supplicijs excruciatur. Nam primùm manus illi præciduntur; deinde plumbū liquefactum in os eius infunditur, spectatoribus stupentibus, simul & viri tolletantiam admirantibus: tum in lecto ferreo carbonibus ardentibus strato collocatus, supinus, sale, & adipe aspersus, quo magis vreretur, in dorso virgis immanissimè cæditur: quæ omnia cum superasset, & constantior in fide videretur, in carcerem denuò excruciādus traditur; Inde ductus in profundissimam foueam venenatis serpentibus plenam demergitur: quibus diuinitus extinctis Ammonius veneficus eò miraculo commotus ad Christum sese conuertit, ac fortiter gladio percussus martyrio coronatus est. Cyriacus verò in lebetem olei feruentis plenum immissus dum preces Deo funderet, iubente Iuliano gladio circa pectus transuerberatus gloriosum fidei agonem consumauit 4. Non. Maij. Corpus ad M. Caluarij radicem, vbi Crux Dominica reperta fuerat, conditum, postea Gallæ Placidiæ Augustæ opera Anconam translatum est, ibique honorificè collocatum. *Ex monum. Eccles. Anconitana, & Petr. in Catal. lib. 4. c. 120.*

Cyriacus exquisitissimis supplicijs afficitur.

Ammonius venefic⁹ martyrio coronatur.

Florianus martyrij cupidus.

ANNOTATIO.

Acta S. Cyriaci Episcopi in Eccles. Anconit. & apud Petr. in Cat. loco citato censura indigent. Nam S. Cyriacus apud Hierosolymorum Episcopus fuit, ut acta dicta habent: Cum sub Constantio, & Iuliano S. Cyrillus doctiss. Eccl. Hierosolymitanæ præesset. Baronius in Annot. illum Episcopum Anconitanum facit; sed tamen Passio illius, quæ in Eccl. Anconitana asseruatur, Patriarcham Hierosolymitanum fuisse ostendit, quod etiam falsum est; nam eo tempore Ecclesia Hierosolymit. nondum Patriarchalis effecta fuerat.

De S. Cyriaco sic Mant.

,, *Haec cuius inuentor Iudas miracula cernens*
,, *Exuit antiquam mentem, posuitque veternum,*
,, *Scabricemque animi fluuialibus abluit vndis.*
,, *Et mox in Solymis est factus Episcopus oris*
,, *Iuda in Cyriacum verso: qui tempore longo*
,, *Post obyt, cum iam regnaret Apostata Cæsar.*

DE S. FLORIANO MARTYRE, ET PATRONO ÆSINO.

Florianus miles, & ciuis Vincentinus (vt habent Vincentinæ Ecclesiæ monumenta) in persecutione Diocletiani, & Maximiani Imperatorum cùm esset Cetiæ in Norico, Christianosque inquiri audisset, apud Laureacum regionis metropolim, martyrij cupidus, eò ꝑficiscitur, ac se Christianū esse apud Aquilinum Præfectum vltrò confessus, iussu eiusdem Præfecti tentus, ad cultū inanium Deorum adigitur. Quod cum facere constanter renuisset, primùm fustibus iterum, atque iterum durissimè cæsus est: deinde, cum nullo pacto à proposito fidei abduci posset, ferro acuto inter scapulas acto, vsque adeò grauiter vulneratus est, & verberatus, vt toto corpore proprio cruore perfunderetur:

quod tamen supplicium libenti animo pertulit pro Christo. Denique iratus iudex illum saxo ad collum appenso in Anisum fluuium ex ponte præcipitari, & mergi iubet. Cuius corpus à christiana matrona inuectum, & plaustro impositũ, (fonte diuinitus enato, cum boues in via siti deficerent) conditum fuit; postea aliò translatum. *Ex Pet. l. 4. c. 121. à quo Sur. accepit, & ex monu. Eccl. Vincentina.*

ANNOTATIO.

Vidimus acta S. Floriani mar. apud Eccl. Aesinam in Piceno (quæ se corpus habere asserit, cum illud Vincentia sibi vendicet) quæ in multis deprauata videntur: Nam inter alia Aesinum fluuium, eum, in quem S. mart. præcipitatus est, (qui Anisus dicitur, & in Danubium apud Laureacum influit) affirmant: qui error ex quadam vocis similitudine processisse videtur.

DE S. ANNA VIDVA, ET MART. S. CYRIACI MATRE.

Anna mater S. Cyriaci.

ANna S. Cyriaci Episcopi, & martyris mater, vnà cum eo Hierosolymam, vt sancta loca visitaret, profecta, cum filium carceri inclusum ad martyrium fortiter pro Christo subeundum hortata esset, iussu Iuliani Imp. Apostatæ comprehensa, primum laminis ignitis ad latera admotis semiusta torquetur; deinde capillis suspensa iugulatur. Cuius corpus à christianis cum corpore S. Cyriaci sepultum fuit. *Ex passione S. Cyriaci.*

ANNOTATIO.

Licet hac die passio eius in Mart. Rom. referatur. Anconæ tamen festum ipsius propter S. Cyriaci solemnitatem in seq. diem transfertur.

DE S. VALERIANO MART. ET FOROLIV. PROTECTORE.

Valerianus à dæmonibus pellendis valdè insignis.

VAlerianus nobilis Armenus, fama sanctitatis (quæ in expellendis à corporibus obsessis dæmonibus maximè enituit) licet adolescens esset, conspicuus, cum Leonis Imperatoris, qui Marciano successit, nepos ab immundo spiritu maximè vexaretur, Byzantium quæsitus perducitur. eoque breui liberato, tantam sibi gratiam conciliauit, vt ob eius mores probatissimos, inter primos aulicos habitus negotijs grauioribus pacis, & belli interesset. Cum autem Gensericus Vuandalorum ex Africa in Italiam, vt illam occuparet, traiecisset, Leo Augustus Basiliscum cum ingenti classe addito sibi Valeriano destinauit. Qui copiis Anthemii adiunctis apud Populoniæ littora hostibus occurrens, illos in Africã redire coegit. Cũ verò Italia propter Arianos ciuilibus discordijs exagitaretur, Basiliscus Valerianũ cũ parte exercitus in Æmiliæ partẽ, quæ Romandiola dicitur, mittit. Qui precibus Deo factis, magis fisus q̃ copiis multã Arianorum stragem effecit. Quo tempore Leobanus quidam Gothorũ Dux Arianus Foroliuiensem vrbem occuparat. Hanc obsidere, à Tyrannoq; liberare cogitans Valerianus, vt ad orthodoxam fidem eam pertraheret, nocte dum orationi vacabat, mane manũ cũ hoste conserturus, cum aliquot electissimis viris, repentè ab hostibus, qui noctu eruperant, inuasus vna cũ socijs pro fide demicans trucidatur. Quorum tñ exercitus paucis interiectis diebus ab vrbe Liuiensi Valeriano auxiliante, (illum. n. per vrbis mœnia noctes aliquot obequitare visum ferunt) dissipatus est. Cui propterea à Foroliuiensibus non modò honorifica sepultura tradita est; sed & templo ei constructo, illum sibi patronum præcipuum asciuere. *Ex Cron. vrbis Liuiens. & antiquis eiusd. Eccl. Monum.*

Valerianus stragem Arianorũ in Aemilia facit.

Valerianus licet interfect. equitare cernitur.

ANNO-

ANNOTATIO.

Historia hæc variè scripta reperitur: a qua multa, quæ tabulis proxima videntur, quæque contraria sunt superioribus, vel subsequentibus, resecauimus.

DE S. VENERIO EPISCOPO MEDIOLANENSI.

Venerius ciuis Mediolanensis (quem natum ex nobili Oldradorum familia tradunt) S. Ambr. Episcopi discipulus fuit; à quo Diaconus, deinde Presbiter ordinatus est. 1506. vitæ sanctimoniã, & insignem doctrinam S. Simpliciano in Episcopatu sufficitur. Miris laudibus à S. Io. Chrisostomo in epistola commendatur: ad eumque synodus Carthaginensis, quod illum virum sanctissimũ, & doctissimum haberet, legatos misit. Cum Ecclesiam Mediolanen sem summa cum laude annos 9. rexisset, 4. Non. *Maij*. circa an. sal. 418. hic corpore relicto abiit in cœlum. Cuius corpus in basilica Apostolorum, quę modo S. Nazarii dicitur tumulatum est. *Ex Breu. & Act. Eccl. Mediolanen.*

ANNOTATIO.

Besutius in tab. Episc. Medicl. circa tempus S. Venerij valde aberrat; Nam illum an. 400. *ad Episcopatum assumptum in eo Anastasio, & Innoc. Sum. Pont. annis 9. vixisse tradit; quod temporum supputationi repugnat. cum S. Ambr. ann.* 397. *[a]ecesserit, cui Simplicianus subrogatus an.* 1 2. *circiter vixit ad annum D.* 409. *perueniens: quo tempore Innocent.* 1 *Eccl. Romanæ præerat. Quod si Venerius annis 9. vixit in Episcopatu, anno D.* 418. *Zosimo Rom. Pont. obijt. Acta Mediol. Eccl. illum Anastasio, & Innoc.* 1. *Pont. vixisse habent: cum tamen Anno* 418. *non* Innoc. *sed Zosimus sederit ex Annal. apud Baron. cum autem* Innoc. *in* Pont. *annos* 16. *fere vixerit; nullo pacto Venerius sub Anastasio Papa* Innocentij *prædecessore Episcopus Mediolani esse potuisse; vt eadem* Acta *testantur.*

De S. Venerio, S. Ennodius sic cecinet.

» *Forma pudicitiæ Iuuenis sectande Veneri*
» *Venit nominibus nil famulatu suis*
» *Fortia marcebant vetulo sub indice membra*
» *Aetas præsentem perdiderat puerum.*
» *Sublimis postquam conscendit fulcra cathedre*
» *Cana tener populis dogmata disseruit*
» *Aurea fluxerunt locupletis flemmata linguæ*
» *Soluens, ac nitidum reddidit eloquium.*
» *Aluus vt Ecclesiæ tumuisset semine verbi,*
» *Non deerat partus lactis Apostolici.*

DE S. TITIANO EPISCOPO LAVDENSI.

Titianus natione Alemãnus Episcopus Laudensis S. Cyriaco in Episcopatu successit an. post Christum natum 475. Simplicio Sum. Pon. Zenone Oriẽtis, & Augustulo Occidentis Imp. vixit in Episcopatu (quẽ sanctè & piè illũ administrasse ex eo liquet, quod in SS. Episcoporum numerum relatus est) bien-

nium duntaxat; cum An. 477. Kal. Maij decessisse ex epitaphio, quod adhuc extat apud Laudem veterem, appareat. Obijt autem diem an. ætatis 55. agens. Cuius corpus in æde S. Petri sepultum, vbi epitaphium illius visitur, nouissimè à Bossio Episcopo Nouariensi cum Diœcesim Laudensem visitaret, in Cathedralem ecclesiam translatum est. *Ex Tab. & Monum. Eccles. Lauden.*

ANNOTATIO.

Vita, & miracula, quæ S. Titianus operatus est temporum iniuria exciderunt. Dies festus illius hac die celebratur; licet Kal. Maij obierit, idque ob festum Apostolorum Philippi, & Iacobi.

DE S. BENEDICTO EPISCOPO ÆSERNINO.

SAnctus Benedictus Episcopus Æserniæ, apud eam ciuitatem venerationi esse consueuit. Cuius corpus sub ara maiore Cathedralis ecclesiæ conditũ religiosè colitur lampade semper ante illud accensa. De quo illud mirum narrant, ecclesiam illam quasi repentino, vehementique terremotu concussam contremuisse, cum Episcopus Æserninus circa S. Benedicti corpus effodi iussisset. Cæterum patria, tempus, & Acta illius ignorantur. *Ex Paulo Reg. lib. de SS. Regni Neap.*

ANNOTATIO.

Illum in nullo reperimus Martyrologio adnotatum. Quæ autem scripsimus ex quodam M. S. Eccl. Æserniæ ad nos transmisso excerpsimus.

DE S. PAVLINO EPISCOPO, ET PATRONO Sinogalliensi.

SAnctus Paulinus Episcopus, licet Acta ipsius desiderentur, maximam habet apud Sinogallienses venerationem; nam illius Natalem hac die summa celebritate colunt cum octaua, vti suæ vrbis præcipuum Tutilarem. Cuius reliquias religiosissimè asseruatas habent. Tempus, quo is fuit in humanis, haud reperiri potuit. *Ex Tab. Eccles. Sinogallien.*

ANNOTATIO.

Hunc à Paulino Nolano diuersum credimus, cum quod diuersis diebus celebrãtur eorum Natales, & corpora in suis vrbibus extent. Tum quòd dum essemus Sinogalliæ in vrbis illius Annalib. seu Cron. M. S. legimus S. Paulinum Episcopum Sinogallien. fuisse.

DE S. IACOBO DIACONO, ET MARTYRE BERGOMENSI.

IAcobus Bergomi nobili genere ortus, ac in liberalibus disciplinis educatus comitate morum, & orationis elegantia omnibus amabilis, & iucũdus erat. Is cum aliquando Presbyterum in christianorum cœtu de fidei christianæ veritate, & falso Idolorum cultu differentem audisset, illius desiderio incensus, abiecta inanium Deorum religione Christo nomen dedit, ac sacra aqua expiatus, in clericorum numerum adscribitur, Archidiaconus paulo post effectus. Quo tempore, cum pestis Ariana virus suum latè diffunderet, Bergomique ad 40. ex præcipuis clericis Ariani in ecclesia trucidassent, Iacobus recenti fratrum cæde minimè territus, illis se se opponens Catholicam fidem publicè, & priuatim scripturæ sacræ ac Patrum testimonijs confirmatam defendit: Sicque non modò Catholicos in fide retinuit; Sed & multos ex Arianis ab Hæresi ad veram fidem reuocauit. Quæ res multorum in illum odium ingens parauit.

Quare

Quare Hostes conspiratione in eum facta Iacobum in templo ex suggesto ad populum concionantem iaculo feriunt: illumque inde præcipitatum nodosis fustibus contusum crudeliter mactant 5. Non. Maij, An sal. 380. Cuius corpus à Catholicis in basilica S. Alexandri conditum est; ubi in dies miraculis illustratur. *Ex off. Eccl. Bergomen.*

Iacobus ex suggesto iaculo ab Arianis feritur.

ANNOTATIO.

Mirabiliter fortè quispiam, cur S. Iacobi Natalis 4. Nonis Maij celebretur, si 5. die eiusd. martyrio coronatus est: Sed causa (vt arbitror) esse videtur Festum Inuent. S. Crucis quod die 3. agitur.

DE S. SENTIO MILITE, ET MARTYRE apud Lucam.

SEntius miles, & martyr Lucæ hac die venerationem habet: Corpus enim illius in templo maiore religiosè asseruatur, & memoria eius anniuersaria duplici ritu non modo in ciuitate, sed & per diœcesim celebratur. Acta tamen S. martyris ita periere, vt neque locus, neque tempus, neque genus martyrij sciri cōtigerit. Solæ enim manent eius reliquiæ cum inscriptione martyris nomen continente. *Ex Tab. Ecclef. Lucen.*

ANNOTATIO.

AN hac die passio illius recolatur, vel Inuentio, siue Translatio neque id quidem scitur.

DE SS. HERACLIO, IVSTO, ET MAVRO MARTYRIBVS apud Fulginium.

HEraclius, Iustus, & Maurus martyres in Ecclesia Fulginatæ venerationem habent; nam ibi corpora ipsorum in Cathedrali basilica condita sunt, & quotidie in omnibus eius Diœcesis ecclesijs illorum commemoratio fit. An Fulginij martyrio coronati fuerint, vel quæ fuerit ipsorum patria, quoue tempore vixerint; cum essem Fulginij studiosè perquisiui: haud tamen addiscere potui. Ex *Monum. & Tab. Eccl. Fulginatis.*

ANNOTATIO.

HOrum memoria Martyrum, vt accepimus nulla certa, præstitutavè die celebrari consueuit.

Maij die 5.

DE S. CRESCENTIANA MARTYRE ROMÆ.

CRescentiana Romæ martyrio coronata titulum olim in vrbe proprium habuit. Cuius mentio fit in Concil. Rom. sub Symmacho Papa celebrato. Cętera prorsus ignorantur. *Ex Mart. Rom. & Baron. in Annotat. hac die.*

ANNOTATIO.

EX vet. M.S. Martyrol. vt Baron. in suis ad Martyrol. notis monet, restituta est: cum prius in nullo Martyrol. descripta reperiretur.

DE

DE S. SILVANO MARTYRE ROMÆ.

HVius (vt Baron. in Annot. habet) mentio fit in vita Bonifacij I. Papæ, qui sepulchrum ipsius Siluani exornasse dicitur. Patria, tempus, Acta, genus martyrij similiter ignorantur. *Ex Martyrol. Rom. & Annot. Baron.*

ANNOTATIO.

SAnctus hic martyr hac die adnotatus reperitur in Vet. M.S. Martyrol. ex quo in Rom. Martyrol. translatus est.

DE S. ANGELO MARTYRE ORD. CARMELITARVM apud Alicatam in Sicilia.

ANgelus patria Hierosolymitanus in religionem à puero propensus habitum Carmelitarum induit, ac post annum in M. Carmelum se cōtulit: vbi emissa professione de superioris licentia quinquennio vitam solitariam, & austeram duxit, aliquot editis miraculis, reuersus Hierosolymam, ibique Presbyter ordinatus: inde ad prædicandum in diuersa loca recessit. Romam profectus, loca sacra inuisit, quo tempore etiam SS. Franciscum, & Dominicum, qui ad vrbem venerant, vidit, & allocutus est: à quibus illi martyrium etiam prædictum ipsum verò S. Francisco stigmata prædixisse ferunt. Roma discedens in Siciliam venit, vbi cum Alicatæ primùm secretò; deinde publice Berengarium virum præpotentem corripuisset, quòd sororem maximo cum scandalo carnaliter cognoscere non desisteret, tantùm apud illum offendit (sorore ad pœnitentiam conuersa) vt S. virum in ecclesia SS. Apostolorum Philippi, & Iacobi concionantem Kalendis Maij manu armata Hæreticorum aggressus, in capite læthaliter vulnerarit: Ex quo vulnere S. Angelus (qui ad se venientibus salutis monita dare nunquam destitit) 3. Nonas Maij, An. sal. 1220. hinc palma martyrij decoratus in Cœlos euolauit. *Ex Breu. Carmelit. & ex Thesauro Concion. tom. 2. vbi compendio gesta eius ex Enoch Hierosolymit. qui vitam fusissimè scripsit, referuntur.*

Berengarij turpissimus incestus.

ANNOTATIO.

PEtr. in Cat. Append ca. 10. historiam longè diuersam narrat: Nam, & Siculū illum facit, & à Paganis carcere prius afflictum postea gladio in fronte percussum migrasse ait. Molanus in Addit. ad Vsuard. ab Hæreticis interfectum scribit, quod & Martyrol. Rom. habet.

S. Angelum versibus celebrat Bapt. Mant. de quo inter cætera.

„ *Ad tua Franciscus se se vestigia flexis*
„ *Prostrauit genibus, sacris dedit oscula plantis,*
„ *Insuper adiecit: Salue pater Angele montis*
„ *Incola Carmeli: te mors manet inclita, Christi*
„ *Testis eris: Tibi Rex diuum decus annuet istud.*
„ *Te quoque Francisco memorant responsa dedisse*
„ *Talia, soluendæ tanto pro munere grates.*

„ *O Fran-*

„ *O Francisce Deo, sed erit tua gloria nusquam*
„ *Inferior: tibi Christus enim sua vulnera quinq;*
„ *Imprimet, & fies Christi patientis imago.*
„ *Dominicus Hispanis, qui tunc veniebat ab oris,*
„ *Forte aderat tàm mira notans præsagia patrum.*

DE S. GERVNTIO EPISCOPO MEDIOLANENSI.

GEruntius ciuis Modiolanensis (quem ex familia à basilica Petri natum ferunt) post S.Eusebium electus, cum electionem detrectaret, ex Simplicij Pont.Max. obedientia onus pastorale suscepit inuitus, quo tempore Italia ab Herulis, Gothis alijsque Barbaris nationibus affligebatur; Ecclesiam Mediolanensem mira patientia annos 6. multa sub Odoacre Rege passus administrauit. Cumque virtutibus, & sanctitate præfulgeret 3. Non. Maij. Leone I. Imperat. migrauit ad Christum in æde S. Simpliciani tumulatus. *Ex Monum. Eccl. Mediolanen.*

ANNOTATIO.

HIc error emendandus Besutij in Tab. Epp. Mediolanen. & aliorum, qui S.Geruntium à Simplicio Papa ad Episcopatum sibi delatum administrandum coactum fuisse scribunt An.479. obijsse autem Leone 1. Imp. An. 485. quo tempore Zeno imperabat non Leo. Cum S.Simplicius Papa an. D.467. post Hilarium electus fuerit; Geruntius autem an.469. obierit: Quod sic ostenditur. An.397. (ex Breu. Rom.) obijt S.Ambrosius. An.409. S.Simplicianus. An.418. S.Venerius. An.433. S.Marolus. An.436. S.Martinianus. An.445. S.Clicerius. An.455. S. Lazarus. An.473. S. Eusebius post quem An.479. obijt S.Geruntius. An. itaque 473. Episcopus creatus est, non 479.

Laudes S. Geruntij S. Ennodius ita prosequitur.

„ *Ecclesia postquam parta est tibi sella Gerunti,*
„ *Funera decessor non timuit morbus: moriens.*
„ *Te reparante redit, patiatur sors pallida lætum,*
„ *Viuit post obitum discipuli precio.*
„ *Agricolis vinctus coluisti germina vitæ,*
„ *Nec serpens solium pabula læta tulit.*
„ *Qui dedit in medium quàm lex iubet optima victum;*
„ *Emit terrenis fluctibus ille palum.*
„ *Errorem mentis præssisti lege laborum,*
„ *Otia non passus, virtutibus veheris.*

DE S. THEODORO EPISCOPO BONONIENSI.

THeodorus Episcopus Bononiæ 11. Laurentio, qui post S.Iocundum Ecclesiæ Bononiensi præfuit, circa annum à Christo nato 530. Successit, Agapito Sum.Pont. & Athalarico Rege Gothorum Imperium Italiæ tenente. Hic & si gesta ipsius temporum iniuria ad posteros non peruenere, sic tamen eccle- *Athalaricus Rex Gothorum.*

siam

siam sibi commissam administrauit, vt defunctus in Diuos relatus hac die ab Ecclesia Bononiensi celebretur. Illi Agapitus Papa omnia monasteria Bononiensis Diœcesis, Abbates, Monachos, Presbyteros, Diaconos, & cęteros clericos subiecit. Hoc tempore S. Proculus Interamnensis Episcopus Totilæ Regis iussu ob fidem Catholicam decollatus fertur, ac in ædi S. Proculi martyris conditus. S. autem Theodorus cum vita excessisset in æde S. Felicis sepultus est. eiusq; memoria 5. Non. Maij colitur. *Ex Karol. Sigon. lib. 1. de Epp. Bononiensib.*

S. Proculus Interamnen. decollatur.

ANNOTATIO.

EX loco memorato Sigonij S. Theodorum vsque ad exactos ex Italia Gothos à Narseti (quod circa an. D. 554. factum est) misso in Italiam à Iustiniano I. Imp. peruenisse colligitur, ac in Episcopatu ad annos 24. circiter vixisse.

DE S. LANDO MARTYRE, ET PATRONO HORTANO.

LAndus SS. martyrum Valentini, Rutilij, Florentini, Hilarij, & Felicissimæ (vt illius Acta habent) frater, adolescens Domitiano Imp. christianam religionem colebat; ad quam prædicando multos perducebat. Ex Germania in Italiam veniens fratres suos apud Faleriam in specu latitantes inuenit, quos baptizandos curauit. Digressus ab illis apud Hortam prædicans plures diuinitus sanauit infirmos: verum ab hostibus fidei comprehensus, & ad Imp. perductus, variè; sed frustra, vt Deos coleret, tentatus, vsquè adeò cæditur, donec sanguis toto corpore deflueret. Rursus præsentatus Imperatori, cum munera oblata contemneret, & respueret, minas verò non formidaret, ad templum Martis trahi iubetur, vt illi sacra faceret, sin minus interficeretur. Ductus eò orauit ad Christum, vixque finem fecit orandi, cum templum illud statim corruens multos ex Sacerdotibus illius oppressit. Quamobrem excandens Imp. Landũ ad arborem alligari, laminisque ardentibus ad motis exuri, genas abradi, & ad extremum capite troncari præcepit. Passus est apud Vadimonis lacum iuxta Bassanellum oppidulum: quod ab Horta ad 11. M. P. abest, vbi adhuc S. Landi ædicula mõstratur. Corpus verò in ecclesia parochiali eiusdem oppidi, ad quod plurimi præsertim dolori capitis obnoxij confluere solent, conditum est. *Ex lib. qui Fabrica Hortana inscribitur, par. 4.*

Templum Martis corruit.

ANNOTATIO.

FElicissima, cuius S. Lãdus frater fuisse hic perhibetur, ea est, quæ Faleria vrbe excisa apud ciuitatem Castellanam passa est cum Graciliano. Valentinus autem, & Hilarius videntur, qui Viterbij martyrio coronati traduntur, Tametsi in horum Actis nulla fit Landi mentio, ac Valentinus, & Hilarius sub Diocl. & Maxim. passi sunt vereor ne pro Diocletiano Imp. Domitiano scriptum fuerit, & pro Ex Gracia Ex Germania positum. Si enim frater fuit SS. Valentini, & Hilarij. Illi ex oriente venere, & sub Diocl. mart. effecti fuerunt.

DE S. LEONE CONFESSORE, ET PATRONO Bouensi.

LEo in Calabria vlteriore, in qua Brutij populi sunt, in agro Bouensi natus, piéque à parentibus educatus, adolescens ordinem S. Basilij ingreditur. in quo eam uitæ normam secutus est, ut multam sanctitatis laudem sit adeptus;

ptus miraculis, & viuens, & mortuus coruscans: ob quæ non mediocrem apud suos ciues venerationem promeruit. Corpus eius Bouæ in templo Cathedrali honorificè conditum hac die præcipuè colitur. *Ex Cron. Calabriæ.*

ANNOTATIO.

PAulus Reg. in lib. de SS. Regni Neapolit. illum Episcopum Bouens. facit, fortè quòd Abbas fuerit, (Abbates enim multos per errorem, vt videtur Episcopos appellare solet.)

DE S. HERINA VIRGINE, ET MARTYRE ALETINA, eius vrbis patrona.

HErina Licinij Imp. filia, Aletij nata ex Constantia Constantini Magni sorore: ibique in Christi fide educata; cum eam pater suus cuidam Duci in matrimonium collocare vellet; ei cœlesti sponso matrimonio iunctam se esse liberè respondit. Quam Licinius incassum monitam, vt ab hac mente deduceret, thalamo includi, & à mulieribus Idolatris, quæ illam à Christiana religione remouerent, custodiri iubet. Interea is ab equo ferociore calcibus percussus, humiq; semimortuus iacens, filiæ precibus ad vitam reuocatur; qui Odio acerbissimo in Christianos æstuans, recentisque beneficij immemor filiam se, vt Christum, à quo tunc vita donatus fuerat, verum Deum agnosceret, hortantem in tenebricosum locum, quò vel propositum mutaret, vel incommodis affecta interiret, tradidit: Verùm Angelus locum lampade parieti affixa admirabi, & inextinguibili luce collustrauit. Quod vbi Licinius resciuisset custodes adhibuit, nequid, quo lumen aleretur, eò inferretur. Cùm autem lux illa nō modò non deficeret, sed magis in dies augeretur, Tyrannus tanto confusus miraculo, Herinam, quam frustra à Christi confessione deterrere conatus fuerat minis, varijs cruciatibus aggreditur. At illa in tormentis constantior euadens virginitatis decus tandem martyrij palma decorauit Anno sal. Hum. 326. circiter. *Ex Tab. & monum. M.S. Eccles. Aletina, ac ex Paulo Reg. lib. 1. de SS. Regni Neap.*

Herina Christo virginitatem vouet.

Patrem semimortuum reuocat ad vitam.

In carcerem conijcitur.

Angelus lampadem inextinguibilem defert.

Varijs cruciatibus afficitur.

Martyrio coronatur.

ANNOTATIO.

HAud silentio obuoluendum duxi hoc loco, quod An. D. 1418. *Laodislao Rege Aletij contigisse ferunt. Nam in quodam sacello, quod olim extra vrbem erat, Imagines S. Herinæ, & S. Veneræ vnà cum accensis lampadibus Imaginem Sanctissimæ Deiparæ circunstantes repertæ sunt: Vbi S. Mariæ de luce cognominatæ templum constructum fuit. S. verò Herinæ insignis basilica ab Aletinis excitata est; quam Clerici Regulares tenent.*

DE S. TEVTERIA VIRGINE VERONÆ.

TEuteria Virgo Angla, Regia stirpe edita, quo tēpore maxima Angliæ pars adhuc Gentilitatis errore detinebatur, à teneris Christianę fidei præceptis imbuta, in dies magis in christianis virtutibus proficiebat. Cum autem ob eius egregiam formam ab Osualdo Rege Anglo expeteretur, neque pollicitationibus, neque minis à proposito virginitatis colendæ abduci posset, diuinitus admonita reliquit patriā, ac in Italiā veniens, Veronæ consedit. Sed cū Regis satellites eā insecuti nō longè abessent, ad B. Tuscā S. Proculi Epi Veronensis ger

manam

manã in cellula extra vrbẽ vitã solitariã degẽtem confugit; quæ fenestellã, qua ingrederetur aperuit, quæ fenestella (Teuteria ingressa) sic statim aranearũ telis pertexta fuit, vt ministri Regis delusi in Angliam absq; Teuteria redirent. Teuteria itaque ea molestia liberata reliquum vitæ in eadem cellula cum Tusca, cui in omnibus tanquam matri obediens deferebat, summa animi exultatione confecit, assiduas preces pro Osualdo persecutore Deo fundens: quoad ille ad fidẽ conuersus vitam religiosam degeret. Cum verò ambæ die noctuque vigilijs, ieiunijs, orationibus, & pijs colloquijs, ac meditationibus vacarent. Teuteria graui morbo oppressa, breui sacris mysterijs perceptis, cum ea verba pronunciasset, *In manus tuas domine commendo spiritum meum* astantibus Angelis animã exhalauit 3. Non. Maij. An. à Partu Virg. 236. Cuius corpus ibidem tumulatum est, ecclesia postea in eius, & S. Tuscæ honorem extructa. *Ex lib. Aug. Valerij Episcopi Veronen. & Card. de SS. Eccl. Veronen.*

Teuteria sub Aranearum telis mirè latitat.

ANNOTATIO.

EXtat Verona huius, & S. Tusca Virg. vita carminibus descripta, vna cum Hymno Sapphico apud basilicam SS. Apostolorum. Sed circa tempus dubitare contingit (de qua re in vita S. Proculi Episcopi agendum est) An. enim 236. Alexander Imperio præerat. illudque tenuit ann. 13. hoc est ab an. 224. ad an. 237. quibus temporib. S. Proculus minimè vixisse videtur.

Hymnus S. Teuteriæ ex memor. lib.

CVncta spreuisti pretiosa Regis
Dona, nec cœpit Veneris voluptas:
Fregit aut Bacchus, vel opes amœnæ
Pectora casta.

Sed Deo semper tua dedicata
Mens fruebatur dapibus supernis
Carnis, & mundi superans furores
Bellaque Sathan.

Quin duce, & Tusca latitans in arcta
Cellula, miræ documenta linquis
Clara virtutis, miseros iuuasq;
Æthere cassa.

Tu ferare Vatum generosa tellus
Clara Verona, ac opibus superba
Virginis tantæ decorata sacro
Corpore gaude.

Maij die 6.

DE S. MAVRELIO, EPISCOPO IMOLENSI, & Protectore.

MAurelius ciuis Corneliensis (quæ ciuitas Imola nominatur hoc tempore) ad Episcopalem honorem ante S. Proiectum euectus, sic Ecclesiam Imolensem administrauit, vt vita functus sanctus ab ea Ecclesia semper habitus sit, & co-

& colatur. Eius corpus in æde Cathedrali sub ara maiore asseruatur ex antiqua traditione. Acta tamen illius, & tempus, quo vixit haud sciri potest. *Ex off. Eccl. Imolen.*

ANNOTATIO.

E *X Tab. eiusd. Eccl. ad sacrum vsum confectis corpus S. Maurelij in propria Ara quiescere legitur. Isque hac die vti vrbis protector celebratur.*

DE S. BENEDICTA VIRGINE ROM.

Benedicta virgo, nobilis Rom. à teneris Christo Domino inseruiendi; ac illi virginitatis dicandæ desiderio flagrans spretis pro Deo parentibus, & facultatibus in monasterio adolescentula adhuc se inclusit: in quo ita sanctè vitam instituit, vt cœlestis virginum sponsus illam non multos post annos ad se acceperit. Cum enim Galla vidua in eodem cœnobio degens, cui S. Petrus Apostolus in somnis apparens mortem vicinam denunciarat, ab Apostolo petijsset, vt & Benedicta virgo, quam vnicè diligebat, secum ex hoc sæculo migraret, ab eo responsum accepit, Benedictam post dies 30. moriendo se subsecuturam. Quare Benedicta die 30. à Gallæ excessu, læta migrauit ad sponsum, cum iam ante aliquot annos *S*. Benedictus Abbas vita excessisset. *Ex S. Greg. Papa, lib. 4. Dialog. c. 14. & ex lib. Virg. Rom. Anton. Gallonij.*

ANNOTATIO.

F *Vit alia huius nominis virgo Rom. quæ, vt Anton. Gallon. scribit Petrum in Cat. lib. 9. c. 40. secutus, ex nob. Senatorum progenita in Gallias profecta apud Lugdunum martyrium subijt post S. Quinctinum. De tempore obitus huius virg. de qua agimus, supra in Galla dictum est.*

Maij die 7.

DE S. FLAVIA DOMITILLA VIRGINE ROM. ET martyre vnà cum SS. Virginibus Euphrosyna, & Theodora, apud Tarracinam.

Flauia Domitilla virgo Rom. nobilissima (erat enim Titi, & Domitiani Imperatorum neptis) à SS. Nereo, & Archilleo suis eunuchis ad Christum conuersa, & virginitatem illi seruandam persuasa, ab Aureliano Titi Aurelij Consulis filio, cui virgo desponsata fuerat, quòd ab eius coniugio abhorreret sacro virginitatis velamine à S. Clemente Papa accepto Christianæ religionis apud Domitianum Imp. accusata, in Pontiam Insulam deportatur, ibique longū in carcere duxit martyrium. Inde sub Traiano omnibus SS. qui virgini inseruietant, & adhærerant interfectis, ab Aureliano Tarracinam reducitur, & ad eā suadendam, vt in nuptias consentiret sponsi Euphrosyna, & Theodora virgines spōsæ, Domitillæ Collactaneæ, mittuntur: sed contra factum est; nam Domitilla illas non solum ad fidem Christianam, quà erant aliena prædicatione, & miraculis perduxit, sed & virginitatem seruare persuasit. Quare Luxorius Aureliani frater, eo defuncto, Tarracinam veniens, sacras virgines in fidei cōfessione constantes cubiculo, in quo erant orantes incenso, per ignem ad sponsum nobili martyrio consumato transmisit Nonis Maij. Quarum corpora Cæsarius Diaconus integra reperta in nouo sarcophago altius terra defossa condidit;

dit; Vbi postea sacra ædes illis ædificata fuit. Sed corpus Domitillæ Romam delatum cum diu in Diaconia S. Hadriani fuisset, vnà cum corporibus *SS.* Nerei,& Archillei An. sal. 1597. in illorum titulum translatum est. *Ex Breu.Rom. & Gestis SS. Nerei,& Achill. à Sur.tom.2.relatis.*

ANNOTATIO.

IN Breu.Rom.nuper reform. Prid. Id. *Maij, S.Domitilla vnà cum SS. Martyrib.Nereo,& Achilleo celebratur. Ob id (vt arbitror) quod corpus ipsius horum mart.corporib.sociatum est;cùm tamen hac die martyrio coronata fuerit.*

Fuit etiam Flauia Domitilla Flauij Clemētis Consulis Domitiani propinqui vxor, & ipsa ob fidem Christi in Pandatariam insulam sub Domitiano (vt Dion auctor est) relegata. Flauius autem Clemens Consul Domitillæ *matronæ vir, Domitillæ verò virg. patruus, ob fidem Domini N.I.C. iussu Domitiani interfectus est, de quo Sueto. scribit, quod Imperio crucis ignominiam prætulerit. Cuius soror Plautilla S.Domitillæ V. mater ab Apostolo Paulo baptizata sanctè fine quieuit. Eiusd.virg.propinquus fuit S.Clemens Papa, à qua illa velum virginitatis accepit. En quot SS. habuit hæc virgo propinquos. De qua re Anton. Gallon. lib.de Virg. Rom. à quo Baron.in Annot.in Martyrol.accepit.*

DE S. IVVENALI MARTYRE ROM.

HAc die Iuuenalis martyr in Martyrologio Vsuardi, & Romano memoratur.quem Baron.in Annot. diei 3. huius opinatur Episcopum fuisse Narniensem; de quo S.Gregorius Papa Homelia 37.loquitur. Nos verò cum Narniæ nulla Iuuenalis martyris memoria exter, à Iuuenali Episcopo,& Confessore diuersi,hunc potius Iuuenalem Diaconum S. Alex. Papæ credimus: *de quo Pet.Gales. in suo Martyrol.die 3. Maij agit, & antiqua M.S. citat.*

DE S. MAVRELIO EPISCOPO, ET MARTYRE, ac Ferrariæ patrono.

MAurelius Edessæ in Syria patre eius Prouinciæ Rege natus anno 18.ætatis, cum virtutibus micaret, à patre in Regni societatem assumitur, inuitus, cū ad cœlestis Regni acquisitionem aspiraret. Quare mortuo patre Regno maiori fratri relicto Smyrnā ad Teophilum Epum venit; quo tempore ea ciuitas nōua hæresi eorum, qui non rectè de Christo Domino sentiebant, turbatur. A quo ordinatus Presbyter, Romam ad Romanum Pont. opem aduersus Hæresim imploraturus destinatur. Verum in itinere Hęrisiarcha diuinitùs extincto, dum reuerti smyrnam conatur, diuino numine volente Ostiam; deinde Roma appellitur, cum autem circa id tempus Oldradus Ferrariensium Episcopus fato concessisset, Ferrarienfesque diuino admonitu à Ioanne IV. Pont. Max. Maurelium sibi Episcopum deposcerent, ille Episcopus creatus Ferrariam veniens in vrbis ingressu puellam à natiuitate cæcam mirabiliter illuminauit, ac populum sibi commissum verbi doctrina, & vitæ sanctitate pascere cœpit. Interea Diuallus frater natu minor maiore interfecto Regnum occupat, & populum à fide auertere conatur. Quo nuntio accepto Maurelius confestim, vt fratrem ab errore reuocaret, eò contendit. Verùm cum Diuallum amanter corripuisset, ille ira percitus Maurelium captum, & vt à fide desciscerer excruciatum, clam populi tumultum veritus decapitari iussit. Cuius corpus à Christianis sepultum, cum aliquan-

Miraculū 1.

aliquandiu fuisset ignotum ab Henrico III. Imp. Ferrariam delatum est, ibique honorificè conditum miraculis fulgens. *Ex eius vita typis excussa, & M. S.*

A N N O T A T I O.

MVlta eget censura vita S. Maurelij: præsertim in eo quod Ferrariensis Episcopus dicitur, cum Ferraria à Vitaliano Pont. vt Leand. Alb. in sua Italiæ descrip. testatur, an. D. 658. ciuitas effecta, primo sedem Episcopalem, quæ vico habentia erat, obtinuerit. Non ergo sub Io. IV. Pont. Quod etiam dicitur id an. 636. accidisse, falsum est: cum Io. IV. an. D. 340. sedere caperit post Seuerinum.

DE S. BENEDICTO PAPA HVIVS NOMINIS II.

BEnedictus Rom. ita moribus excultus fuit, ita doctrina sacrarum maximè litterarum excelluit, vt Leone II. ex humanis sublato, summo omnium consensu in Pontificatu subrogaretur, erat enim pietate, humanitate, ac liberalitate in pauperes præ cæteris insignis: vt propterea amabilis omnibus redderetur. Fama sanctitatis illius commotus Heraclius Constantinus Imp. inueteratam confirmandi Pontificis ab Imperatoribus consuetudinem remisit. (Non enim electus Pont. ante consecrabatur, quàm ab Imperatore, siue ab eius Exarcho confirmationem summa pecunia obtinuisset.) Benedictus itaque ad Pontificatum euectus, sacris ædibus reficiendis & exornandis animum applicuit: in quibus S. Petri, S. Laurentij in Lucina, S. Valentini via Flaminia, & S. Mariæ ad martyres decentissimè opere musiuo, marmoreque, Porphyretico, ac Cophitico, exornauit, præter vasa argentea, & sacra indumenta, auro, argentoque intexta illis collata. Quo tempore, & Paritarius Longobardorum Rex S. Pontificem imitatus cœnobium S. Agathæ Papiæ construxit, cum Ecclesiæ menses 10. & dies 12. præfuisset, non sine mœrore omnium vita excessit. An. sal. 685. *Ex Plat. & al. Vit. Pont. Scriptorib.*

Heraclius Imp. Pontificis confirmandi consuetudinē reijcit.

A N N O T A T I O.

HEraclius Constantinus, qui statuit, vt Pont. à clero, & pop. Rom. electus Pontificatum non expectato Imperatoris, aliorumve consensu exerceret, non Heraclius ille fuit, qui aduersus Cosdroam Regem Persarum pugnauit, sed Constantinus V. cognomento Pogonatus. Hanc autē perniciosissimam ecclesiæ consuetudinem Odoacer Rex innexit, & Iustinianus Imp. eam expulsis Gothis vnà cum sequentib. Impp. vsque ad Benedictum II. Papa retinuit. Sed Hadrianum ferunt rursus confirmandi Pont. facultatem Karolo Magno concessisse quam ab Hadriano III. reuocatum, Leo VIII. denuo Othone I. Imp. restituit: Sed illam ab Henrico IV. penitus sustulit Greg. VII. electionem Pontificum Cardinalib. Clero, & pop. Rom. liberam permittens. Quam posteriores Pontif. solis Cardinalibus concesserunt.

Prædictam Pontificum confirmandorum consuetudinem inuexit Odoacer Rex.

DE S. PETRO EPISCOPO PAPIENSI.

PEtrus Ticini nobilissimo genere natus (erat enim Asperandi Regis Consobrinus) ab Ariperto Longobardorum Rege, cui ob generis nobilitatem suspectus erat, in Hetruriam relegatus, apud M. Sancti Sabini oppidum agri Aretini exulauit; vbi æquo animo exilium tolerans, ab hominum consuetudine abhorrens, totus erat in orationibus, in vigilijs, & pijs meditationibus. Inde à Luitprando Rege reuocatus Episcopus Papiensis Gregorio Tertio Summo Pontifice creatur. Id quod sibi à Sancto Sabino Episcopo, & martyre dum frequens eius ecclesiam in oppido Hetruriæ memorato visitaret,

ret, prædictum fuerat; cui propterea ecclesiam extra vrbis Ticinensis mœnia, ædificauit, quo tempore Franciscus Galliæ Rex Ticinum oppugnabat, disiectã. Is morum candoris, virginitatis, & religionis summopere commendatur. Eius suasu Luitprandus Rex corpus S. Augustini Episcopi, & Ecclesiæ Doctoris, cũ aliquot aliorum SS. Corporibus ex Sardinia Ticinum maxima impensa, & solemni pompa asportauit. Cum Ecclesiam Ticinensem annos 14. laudabiliter rexisset, Luitprando adhuc superstite vitam caducam cum beata commutauit Non. Maij. In æde S. Ioannis Baptistæ apud S. Vrsiscenum sepultus. *Ex Anton. M. Spelta lib. de Epp. Papiensib.*

Franciscus Galliæ Rex Ticinum oppugnat.

ANNOTATIO.

Apud Authorem citatum corrigendus est error forte impressoris incuria illapsus de Constantino Quinto Imp. Nam Constantinus, qui Zacharia I. Pont. Max. post Leonem III. eius patrem imperauit, non quintus (qui bonus fuit, Iustiniani iunioris pater) sed 6. pessimus cognomento Copronymus; qui Catholicos diu persecutus est.

DE S. IVVENALE EPISCOPO INTERAMNENSI.

Iuuenalis Interamnæ nobili genere natus, pièquè in Christiana religione educatus; cum virtutibus, & sanctitatis laude floreret, ad Episcopatum Ecclesiæ Interamnensis circa annum sal. 400. assumptus est. Quam cum sanctè administrasset, hac die ex hac vita migrasse traditur. Cui S. Proculus Episcopus Interamnen. 2. eius nominis ecclesiam in colle, cui ex sancto Episcopo nomen est, in agro Interamnen. ædificauit. *Ex Monum. Eccl. Interamnen.*

ANNOTATIO.

Nihil de S. hoc Iuuenale apud aliquem authorem legi. Sola monumenta citata illius mentionem continent nullis gestis enarratis.

DE S. INNOCENTIO EPISCOPO, ET CONFESSORE Caietæ.

Innocentius ex Galilæa vrbe ortus, adhuc puer, gratia, sapientia, & Intellectu diuinitus exornatus, Seuerini Proconsulis persecutionem fugiens in Iustinianam ciuitatem venit: vbi Diaconus ordinatus est, & post aliquot annos, Episcopus creatus fuit. Inde post 7. annos, discedens Ænariam Insulam sinus Puteolani a Neapoli ad 18. M. P. distantem adnauigauit, ibi à monialibus benignè exceptus. Ab Ænaria in speluncam secedens, ibi B. Memoratianum inuenit: quo cum Tarracinam ad 13. M. P. dissitam pergens, in locum, qui Capratica dicebatur, diuertit. Eò Seuerianus Præfectus cum milites, qui B. Innocentium cum socijs ad se perducerent misisset, & boues qui plaustrum trahebant, ad orationem S. Innocentij ingenti mugitu edito expirassent, milites territi, Præfecto quid acciderit renunciant. Quare ille vitum Dei deinceps perturbare non est ausus; at se se illius precibus commendauit. Cum autem B. Innocentius Capraticæ moraretur, Secundus quidam, cui oculi vnius lumen defecerat, manusque, & pes officio erant destituti, ad illum sanitatem consecuturus venit, & somniũ exposuit. Cui illi, vt vaccas indomitas in somnis visas ad se adduceret, iussit, quò facto (illas enim vti edomitas, & mansuetas inuenit) ab omni morbo confestim

Boues, ingẽti mugitu edito, expirant.

festim curatus; domum reuersus vasa tritico, oleo, & vino plena diuinitus reperit. S. verò Innocentius cum B. Memoratiano omnibus impedimentis plaustro à vaccis tracto impositis in locum, qui Palma dicebatur apud Fundos demigrauit. Vbi breui Nonis Maij, obdormiuit in Domino. Cuius corpus post plures annos, cum miraculis præluceret, Caietam Translatum in æde S. Mariæ conditum est. *Ex quodam M.S. Romæ inter scripta Baron. Card. reperto, & monum. Eccl. Caietana: in quib. plura fabulosa, quæ resecauimus, continentur.*

ANNOTATIO.

HAec S. Innocentij Historia accurata eget censura, alicuius docti viri, qui omnibus diligenter inspectis tempus, quo S. vir in humanis fuit, proderet. quæ Galilaea ciuitas, & quæ Iustiniania sit, (tres enim huius nominis vrbes leguntur) explicaret.

DE S. ALBERTO CONFESSORE CREMONENSI.

ALbertus ex Ogna vico vallis Serianæ agri Bergomensis, à Bergomo ad 25. M.P. recedente apud Clusonum oppidum non obscurum natus, vitam immaculatam Deoque placentem duxit. Erat autem Agricola: qui terram exercens, ex fructibus, qui familiæ alendæ superérant, pauperes, maxime verò viduas, pupillos, peregrinos, & ægrotos sustentabat. Multas, vt sancta loca præsens visitaret, peregrinationes suscepit. Multas item molestias sustinuit. Denique post multos labores, vigilias, & carnis macerationes Cremonæ (vbi ex Romana peregrinatione reuertens ægrotauit) Nonis Maij. An. sal. 1190. miraculis clarus migrauit è vita in æde S. Matthiæ sepultus. Cuius funeri S. Homobonus interfuit. Ei postea ob crebra miracula templum in valle prædicta excitatum est: vbi hac die ipsius Festiuitas maxima celebritate, & populi frequentia agitur. *Ex monum. Eccles. Cremonen. & Ognon. ac ex libro, qui Vinea Bergomen. appellatur.*

ANNOTATIO.

HIc ab alio Alberto, qui Pontida apud Bergomum vixit, diuersus est, Ille enim Ab. fuit Pontiden. huncque per annos ferè 100. præcessit. Hic verò Ognensis. quem tamen Tab. Eccles. Cremonen. ciuem Cremonensem faciunt.

DE S. FRANCHO EREMITA APVD Frentanos.

FRanchus Eremita Calaber B. Hilarionis Calabri discipulus, cum illo ex agro Consentino in Samnium venit. Vbi in valle Auentini apud Casulum oppidum vitam degit asperam. Cum verò post aliquot annos diem obijsset, miraculisque coruscaret, corpus illius in Frentanos delatum in Francauillę templo honorificè conditum fuit. Agitur autem dies festus illius magna populi celebritate Nonis Maij; siue quòd ea die decesserit ex hac vita, siue corpus eius translatum fuerit. *Ex Cron. Calabria authore F. Hieron. Polistinen. Ord. Minor.*

ANNOTATIO.

ALter Franchus monachus in Samnio siue Aprutio in agro Aquilano colitur, ab hoc diuersus. De quo Nonis Iunij.

DE B. VILLANIO EPISCOPO EVGVBINO.

Pauperũ fuit amantiſs.

Interfuit Indulgentiæ Aſſiſij.

Vixit in Epiſcopatu an. 25.

Fontem è ſaxo eduxit.

VIllanius ob vitæ,& morum probitatem Anno virginei partus 1205. Epiſcopus Eugubij creatus fuit. Hic pauperum amantiſſimus fuit, mira continentia, temperantiaque inter cæteras virtutes prædictus. Indulgentiæ perpetuæ S. Mariæ Angelorum Aſſiſij, ſiue Portiunculæ ad 2. diem Augusti percipi ſolitæ, adfuit publicationi. Eo Epiſcopo Eccleſia S. Bartholomæi Abbatiæ Camporegianenſis Gregorij IX. Pont. Max. iuſſu extructa fuit. Vixit in Epiſcopatu annos ferè 25. ac meritis, & miraculis clarus (fontem enim, qui adhuc extat, fonsque B. Villanij nominatur, ad Carbonam vicum è ſaxo mirabiliter excitauit) Anno ſal. 1230. Nonis Maij obdormiuit in Domino, in eccleſia maiore conditus. *Ex monum. Eccleſ. & vrbis Eugubinæ.*

ANNOTATIO.

E*Vgubini deuotionis ergo hoc ad eius tumulum Epitaphium poſuere.*

Epitaphium B. Villanij.

DIVO VILLANIO ECCL. EVGVB. PRÆSVLI EGREGIA BONITATE, MIRA TEMPERANTIA, SINGVLARIQVE INTEGRITATE PRÆDITO AN. AB ORBE REDEMPTO M. CCXXX. VERA FVIT VITA. ANNOS LXX. NATO.

DE B. FORTIO EREMITA EVGVBINO.

IBidem B. Fortius Eremita apud Eugubinos in veneratione habetur.

Epitaphium B. Fortij.

DIVO FORTIO EREMITÆ CANDORE ANIMI, SVMMA CONSTANTIA, ET CHRISTIANA PIETATE INSIGNI AN. A CHRISTO NATO M. XL. AD COELI PAT. MIGRAVIT.

Maij die 8.

DE S. VICTORE MARTYRE MEDIOLANI.

VIctor miles Maurus natione, Mediolani apud Maximianum Christianos agriter perſequentem accuſatus quòd Chriſtum coleret, conſtanter ſe Chriſtianum apud Imp. confeſſus, minas illius horrendaque ſupplicia, quę ſibi, niſi Dijs ſacrificarent, parabantur, nihili pendens, dicebat Chriſtianus ſum, & Chriſto, cuius ſpiritu nutrior, totum me ab ineunte ætate conſecraui. Miſſus in carcerem ibi ſex diebus abſque cibo, & potu fuit: Septimo die oblatus Tribunali, cum maiori conſtantia Deorum ſacrificia exectaretur, fuſtibus cæditur, dicebatque ego Dæmonijs non ſacrifico, ſed Chriſto vni Deo. Rurſus carceri incluſus poſt triduum Dijs ſacrificare iubetur, quod facere recuſans iterum fuſtibus atrociter mactatur, & in carcerem reductus Anolino à conſilijs tra-

duur,

ditur, vt eum ab hac sententia deduceret; sed modis omnibus per se,& per alios multisque promissis pertentatus martyris animus inuictus permansit. Quare Imp. in furorem actus, omnia tormentorum genera expediri, adducique iubet. Cui Victor, hæc tu quidem Imperator, mihi tormenta paras, at longe maiora in extremi Iudicij die te manent. Quibus verbis ille magis incensus plumbo feruenti martyrem perfundi mandat, & nil læsum miratur, ad portamque Vercellinam mittit, vbi militibus dum Imperatoris expectatur sententia dormientibus victor elapsus in proximum stabulum equorum orans ante ora equorum deprehensus est, ac in sylua, quæ Dunlinus dicebatur, iubente Imp. capite truncatus 8. Id. Maij, cum prius ad carnifices conuersus dixisset, Dicite Imperatori, hoc anno illum e vita excessurum. Corpus eius feris deuorandum obiectum, ab illis intactum, & ab aliorum iniuria defensum fuit. Quapropter Imp. sepelirr illud à S. Martino Antistite permisit. *Ex Sur. tom. 2. Acta à Maximiano notario scripta referente. Qui notarius ita subscripsit, Ego Maximianus notarius ab Infantia Christianus, qui licet Paganismi iuramento me constrinxerim, hoc tamen martyris certamen, quod oculis perspexi, noctu ad luminaria inscriptis redegi, fideliq; narratione ad posteritatem transmisi.*

Mirum animi robur Victoris.

ANNOTATIO.

ILli templum augustum Mediolani excitatum fuit. Volaterrani verò ipsum vrbis suæ Tutelarem die 13. huius summa celebritate venerantur; habent enim caput sibi à Callisto II. Pont. Max. dono datum. Senenses quoque Victorem inter vrbis protectores habent.

DE S. PRISCO EPISCOPO NVCERINO.

PRiscus Nuceriæ (quæ ciuitas in Picentibus, est Salerno finitima) natus ijs virtutibus præfulsit, vt patriæ suæ Episcopus crearetur. Factus Episcopus diuinis interesse, missamque quotidie ante alios celebrare solitus erat; captiuos suis facultatibus redimebat; contumelijs affectus nunquam tamen irasci visus est. A maleuolis apud Rom. Pontificem, tanquam hæreticus, & sacrorum Canonum vlatorio accusatus, in ecclesia, vt erat sacris vestibus indutus, comprehēditur, Romamque vinctus perducitur, miraculis in via ab eo perpetratis; Etenim cum maximo frigore comites affligerentur, S. Episcopus ignem à muliere acceptum absque vlla vestis, qua illum accepit, læsione ad eos, quo calefierent, attulit. Cum alia die siti maxime vexarentur, & fame, ad preces illius cerua accurrens abunde lac omnibus ministrauit. Romæ cum noctu Pontifex concinentes Angelos dum Priscus de more matutinas horas, & sacram missam celebraret, audisset, illum non modò à calumnijs liberum dimisit, sed etiam muneribus affecit. Ferunt autem concam marmoream sibi à Pontifice donatam, duobus iuuencis indomitis iunctam Nuceriam deduxisse, atque ante fores maioris ecclesiæ collocasse. Illud quoque stupendum narrant, quòd cum vitæ terminus aduenisset, ad sepulchrum, in quo duæ ipsius germanæ sepultæ fuerant, accessit, illisque, vt sibi locum concederent, præcepit. Quare illi vita functo, cum corpus in sepulchrum inferretur, locus medius ab eis sese ad partes contrahentibus concessus est. *Ex Paulo Regio Episcopo Equen. lib. de SS. Regni Neap. par. 2.*

Mirac. 1. Vestis, qua igne gerebatur illæsa remansit. Ceruæ lacte, fames, sitisq. expellitur. 3. Pontifex cōcinentes Angelos dū Priscus sacris incumbit accedit.

ANNOTATIO.

Miror ab auctore vitæ huius S. Episcopi tempus, quo vixit, non fuisse expressum; neque Pont. apud quem accusatus fuit, nominatum; Hæc enim prætermissa historiam solent suspectam reddere; maximè si inuerisimilia contineat. Haud tamen sanctitas Prisci Episcopi in dubium reuocari debet, cum illum Eccl. Nucerina miraculis illustrem semper venerata sit.

DE S. METRONE PRESBYTERO, ET CONFESSORE Veronensi.

METro Germanus nationi cum Veronam ad inhabitandum venisset, ibi incestus crimen inscienter commisit, cum filia priusquam clericus fieret. Qui pœnitentiam sibi ab Episcopo Veronensi iniunctam humiliter, & libenti animo peregit. Ea autem fuit pœnitentia, vt ferreis compeditus vinculis, ijs nunquam solueretur, quoad clauis in Athesim proiecta reperiretur. Quæ clauis post aliquot annos in piscis ventriculo inuenta est, sicque Metro compedibus solutus fuit. Illum vel inuitum Episcopus sacris initiatum ad Presbyteratum promouit: sed S. vir humana despiciens in solitudinem inter Veronam, & Mantuam se recepit: Vbi cum aliquot annos vitam potius cœlestem, quam humanam duxisset, 8. Idus Maij, ad perennem, & beatam vitam euolauit. Cuius corpus, disceptantibus Veronensi, & Mantuano Episcopis de sepultura, plaustro impositum à duobus iuuenis indomitis iuncto nemine regente, recta Veronam in ædem S. Vitalis martyris in qua magna abstinentia vixerat mirabiliter delatum est: ibique in proprio sacello honorificè conditum. *Ex lib. Aug. Valerij Ep. Veronen. & Card. de SS. Veronens.*

ANNOTATIO.

EXtat adhuc in eccl. S. Vitalis Catena, & lapis, cui pœnitentiæ causa S. Metro alligatus fuerat. Sed quo tempore vixerit, nulla monumenta docent.

DE S. AMATO CONFESSORE, ET PATRONO Saludecij.

AMatus Saludecij (quod est oppidum Ariminensis diœcesis) honestis parentibus ortus, mortuo patre puer in fratris tutela relictus est, & educatus; inter quem iam adolescentem, & fratrem vxor fratris discordias disseminat, quod Amatus filiam illius (quam ex alio viro susceperat) in matrimonium ducere nollet. Quare diuisis bonis, Amatus in ea domo (quæ nunc S. Amati xenodochium dicitur) vitam planè religiosam ducens, fructus paternæ hæreditatis alendis pauperibus erogabat corpus ieiunijs, & vigilijs affligebat, ac flagello ferreo in memoriam Dominicæ Passionis verberabat; semel in die cibum sumens, à carne abstinens, oleribus, herbarumque radicibus contentus, humili; vestitu indutus. Cum propterea non modo à fratre, & vxore fratris quotidie contumelijs affectus, sed etiam ab Oppidanis ludibrio haberetur; haud tamen ab incœpto destitit, sed iniurias, & irrisiones patienter ferens in melius perficiebat. Cuius sanctitatem diu Deus latere non est passus. Cum enim is operas suas in agro alterius locaret, vt victum sibi, & pauperibus acquireret, & post prandiũ oraturus paululum à socijs recessisset, filius domini illius agri, curiosius accedẽs, illum

illum à terra eleuatum, ſplendoreque coruſcantem vidit. Quem vir S. ne cui rem viſam diceret obteſtatus eſt. Sed puer contineri non potuit, quin paulo poſt omnibus panderet, quod viderat. Quæ res opinionem de dementia Amati apud vulgus extinxit. Verùm frater cum vxore ſua nouam calumniam in virum Dei confingit, Claram ſcilicet ſororem, quæ virginitatem Deo vouerat, & quotidie in domo Amati verſabatur, ab eò carnaliter cognoſci. Quærela igitur apud loci Præfectum inceſtus porrecta per nuncium citatur, ſed dum nuncius illum domi operitur (erat enim in agro) mirandum planè contigit. Nam Amatus domū reuerſus veſtem ſibi detrahēs, illam de more ſuper abacum iecit, quæ mirabiliter in radijs ſolaribus per feneſtram ſuper abacum ingreſſis ſubſedit. Quod cū Nuncius Præfecto retuliſſet, ille Amatum, qui ad iudicium venerat, non auſus interrogare dimiſit. Cum autem miraculis in dies clareſceret, & à multis aſſiduè viſitaretur, in longinquas terras peregrinationes ſuſcepit, ac quater D. Iacobi Apoſtoli corpus inuiſit. Ex qua peregrinatione vltimò cum rediiſſet, xenodochium ædificauit pauperum. His, alijsque operibus clarus anno ætatis 65. diem ſuum in Domino obijt. In æde S. Blaſij ſepultus. vbi in dies miraculis fulget. *Ex eius vita apud Saludecianos.*

Amatus in oratione à terra eleuatus.

Veſtis Amati ſuper radios ſolares mirabiliter insidet.

ANNOTATIO.

E*Xtat vita eius M. S. deinde typis excuſa Arimeni an. D. 1599. à Iacob. Ant. Modeſto Saludecien. Eccl. Archipresbytero. In qua miratus cum nullam temporis, in quo vixit, fieri mentionem, tametſi inter recentiores SS. ſeu beatos censerī videtur? corpus enim integrum adhuc cernitur. Quod cum aliquando clerici ex arca, vt puluerem excuterent, abſque luminibus, & ſacris veſtibus extraſſiſſent, dum illud recondere vellent adeo graue effectum eſt, vt non niſi accenſis luminibus, ac illis amictu lineo, ſtoliſque indutis recondi potuerit.*

DE S. ACATHIO CENTVRIONE, ET MARTYRE
Scyllacij patrono.

ACathius Cappadox Centurio annos natus 25. ſub Diocletiano, & Maximiano eius genero, à Firmo Tribuno, quòd Chriſtianus eſſet accuſatus, à Bibiano Iudice variè, vt Deos coleret, tentatus, cum liberè reſpondiſſet, *En corpus habes meum ad flagella excipienda paratiſſimum, vtere illo, vt libet, animi certè propoſitum neque tu, neque Imp. neque omnis dæmonum malitia, vt impuris dæmonibus, & inanibus Dijs ſacrificem, euertere poterunt*, ſuſpenſus dirè neruis à ſex carnificibus ſanguinis riuis decurrentibus cæditur, & maxillas plumbeis laminis contunditur: quibus fortiter ſuperatis Perinthi in obſcura cuſtodia 7. dies manſit, vulnerum tumore afflictus. Inde Byzantium ferreis catenis grauatus, inedia exhauſtus, laſſitudine oppreſſus, illum militibus in via perurgentibus trahitur. vbi in carcere multos ad Chriſtum angelica viſitatione roboratus conuertit. Septimo die eductus Iudici ſiſtitur, vultu hilari, & planè angelico, quaſi delicatis epulis enutritus (vt iudex aduerſus cuſtodem exclamās ſuſpicatus eſt) ac contuſis dentibus quernis virgis à 10. robuſtis viris verberatur; quo tempore vox de cœlo martyrem confortans audita eſt, qua carnifices timore oppreſſi concidere. Denique Bibianus illum ad Flauinum Thraciæ Proconſulem puniendum miſit. Qui ſupplicijs parcens ob vxorem chriſtianam, martyrem gladio percuti iuſſit 8. Id. Maij. Corpus Scylletium vrbem magnæ Græciæ (quæ nunc Calabria vocatur) diuinitus delatum ibi honorificè conditum fuit. *Ex Metaphr. à Sur. tom. 2. rel.*

ANNOTATIO.

Græci in Anthologio passionem paucis, & paulò diuersam narrant. Nam sub Pirmo primùm (quem Præsidem vocant) excruciatum, deinde sub Bibiano etiam Præside, tum sub Phillacciano alio Præside capite plexum tradunt. Ipsumque martyrem Acacium vocant.

Maij die 9.

DE S. HERMA DISCIPVLO ROMÆ.

HErmas vnus ex antiquis discipulis fuit, cuius Paulus Apostolus in epistola ad Romanos capite vltimo meminit dicens: Salutate Asyncritum, Hermam, Phlegontem, Patrobum, Hermem, et, qui cum eis sunt, & quem Philippopulis Episcopum fuisse, librumque, qui Pastoris nomine inscribitur, ab antiquis citatum, atque, in ecclesijs Græcorum adhæc vsque tempora vsitatum (licet latinis sit ignotus) scripsisse ferunt. Hic Romam veniens, Deoq; dignè seipsum sacrificium offerens, virtutibus clarus cælestia regna petiuit 7. Idus Maij. apud vrbem Romam sepultus cuius nomini titulus iuxta Baptisterium facultatibus S Praxedis extructum, & à S. Pio discipulo Apostolorum consecratum, constitutus fuit. *Ex. Adone in Martyrol. & Pet. in Cat. lib. 4. c. 146. Mem. eiusd. S. Hieron. lib. de Script. Eccl.*

ANNOTATIO.

ALijs Hermes nominatur: sed Hermes ab Herma diuersus est, vt ex loco citato ad Rom. apparet. Porrò de Herma Græci in Menol. die 7. Martis agunt.

DE S. GERVNTIO EPISCOPO PHICOCLENSI, & martyr, & Callij patrono.

Phycocle olim, quæ modo Ceruia, vrbs dicebatur.
Miracula.
Anseres Geruntium Romam vsque comitum.
2
Cerua lac sitientibus præbet. 3.
Palliū à solis radijs sustineatur.
4.
Paxillū terræ defixū pullulat.

GEruntius Episcopus Phycoclensi, (quæ Ciuitas Ceruia nunc nominatur Rauennæ finitima) sub Symmacho Papa sanctitate floruit; interfuit Cōcilio Rom. sub eo Pont. celebrato. Hic apud Sum. Pontificem accusatus à maleuolis, Romam profectus, causam egregiè defendit: cognita eius innocentia dum Roma in patriam liber reuertitur apud Callium Vmbriæ vrbem ab Hæreticis (quibus ob fidem Catholicam, quam acerrimè tuebatur infensissimus erat) malè habitus demùm interficitur. Corpus Callij sepultum, maximam ibi habet venerationem: Cum Callienses Geruntium Tutelarem sibi delegerint. *Ex Actis illius M.S.* quæ Baron. expurgatione indigere monet. In ijs miracula aliquot recensentur, in quibus anseres iussu Geruntij in itinere illū ad Pont. vsque comitatos fuisse: In via ceruam lac comitibus siti laborantibus præbuisse, Geruntio iubente: Romæ pallium illius coram Pont. à solis radijs sustentatum: Paxillum à percussore contra eum missum, terræ defixum statim frondiusse. Quæ miracula in Hymno expressa leguntur.

ANNOTATIO.

QVod in S. Geruntij vita legitur, eum sub Symmacho I V. concilio Rom. interfuisse; emendandum est: sub Symmacho enim V. & VI. Synodus Romæ celebrata fuit ex Cronol. Eccles. apud Panuin.

Hym-

Hymnus de *S.* Geruntio Episc. eius miracula continens. ex Vit. M.S.

Antistes hic egregius;
Et martyr celeberrimus
Hoc in pace promeruit,
Quod belli victor extitit.
Falsi reatus crimina
Vera purgant prodigia,
Felicis viri merita
Noua produnt encomia.
Blanditi velut alites
Agrestes parent anseres,
Alas obliti pedibus
Longinquum iter peragunt.
Sphæra solis insolita
Se stupet ferre pondera,
Spectaculum mirabile
Cappa pendet in aere.
Ceruæ tensis vberibus
Lac præbent sitientibus,
Vt feræ discant bestiæ
Sub Sancto mansuescere.
Votis colendus omnibus
Fulget martyr Geruntius,
Vt sol emissis radijs
Sic coruscat miraculis.
Sudes iniecta pinguibus
Fixa solo radicibus.
Ex arida materia
Ramos virentes germinat.
Post triumphalem obitum
Feris corpus expositum
Canes simul cum auibus
Siuis obseruant faucibus.
Recisum caput splendida
Reddit vbique nemora,
Micabat sidus igneum
Per vastum saltus ambitum.

DE S. LVMINOSA VIRGINE TICINENSI.

LVminosa V. Ticini nata, & educata, S. Epiphanij Episcopi Ticinēsis, ac SS. virginum Liberatæ, Speciosæ, & Honoratæ soror, in monasterio S. Vincentij vitam sanctissimè egit: Cui S. Epiphanius Honoratam natu minimam instruendam tradidit. Sed eò Romam profecto, vrbeque Ticinensi ab Odoacre capta cum Honorata in captiuitatem abducta fuit: donec à fratre redempta ad cœnobium redijt. In quo paulo post sæculo huic vale dicens migrauit ad sponsum. Cuius corpus nunc in æde S. Epiphanij, cum corporibus SS. eius sororum Liberatæ, & Speciosæ piè asseruatur. *Ex vita S. Honoratæ, & S. Epiph.*

ANNOTATIO.

AGitur hac die apud Canonicos Regul. in dicta Eccl. S. Epiphanij illius Festiuitas; licet in Tab. Eccl. Papien. descripta minimè sit.

Maij die 10.

DE *S.* GORDIANO MARTYRE ROM.

GOrdianus Iudex Rom. Imperatore Iuliano Apostata à S. Ianuario Presbytero, qui ad illum condemnandus ductus fuerat, & in vinculis detinebatur in fide Christiana eruditus, vnà cum Marina vxore, & 53. ex eius familia vtriusque sexus sacro lauacro expiatur Idolis in vsus pauperum conflatis. Quod vbi Præfectus accepit, Ianuario relegato, Gordianum catenis vinctum in custodiam tradi per Clementianum Vicarium: vxorem verò perpetuæ Rusticorū seruituti ad aquas saluias mancipari iubet. Postea Gordianum ad se perductum cum à proposito fidei remouere non posset, multis iniurijs affectum primùm plum-

plumbatis cædi, deinde capiti plecti, ac corpus ante Apollinis templum canibus proijci deuorandum imperat. Sed illi Tyranno humaniores lugubri vlulatu necem sanctissimi martyris prosecuti, illud ab aliarum ferarum incursu tutati sunt, donec Christiani aliquot ex familia illud noctu sublatum via Latina primo ab vrbe milliario in eadem crypta, in qua S. Epimachi martyris (qui Alexandriæ ob christianæ fidei confessionem in carcere detentus, demum combustus fuerat) reliquiæ, inde Romam translatæ, conditæ fuerant, tumularunt. *Ex Breu. Rom. & ex ea quam Sur. tom. 2. passionem refert.*

Humaniores Tyranno canes.

ANNOTATIO.

Nonnulla inter Breu. Rom. & acta à Sur. relata diuersitas est. In Breu. enim iussu Præfecti Gordianus comprehenditur, caditur, & decollatur: In actis verò iussu Iuliani Apostatæ (qui nunquam factus Imp. fuit Romæ) hæc à Clementiano Vicario facta leguntur: Cùm ex Breu. constet Clementianum S. martyrem vinctum in carcerem abduxisse iussu Præfecti, qui Apronianus erat.

DE S. CALEPODIO PRESBYTERO, ET MART. ROM.

Calepodius Presbyter Alexandro Imp. passus est. Cum enim Romæ magna Capitolij pars, & Sacerdotes Idolorum quatuor de cælo tacti, vnà cum Iouis statua concremata corruissent, aereque nubilo, & tenebroso facto populus conterritus extra vrbem fugeret, Palmatius Consul id Christianorum culpa accidisse arbitratus, ad eos in regione Transtiberina cum Callisto Papa, & Clero morantes comprehendendos milites misit, qui ingressi cœnaculum mox ad Calepodij Presbyteri orationem excæcati sunt. Quod vbi Imperatori nunciatum est, is Calepodium perquiri, & detineri iubet: Eumque Dijs immolare recusantem gladio animaduerti, & corpus per vrbem raptatum in Tyberim iactari præcipit. Quod S. Callistus Papa inuentum sepeliuit. Passus est autem 6. Idus Maij. *Ex actis, & pass. S. Callisti Papæ, à Sur. tom. 7. rel.*

Mirac.

ANNOTATIO.

Quod ab Alex. Imp. gestum circa hunc, & alios martyres legitur, ad illius Præfectos referendum est, cum Alexandrum Christianos minimè persecutum legamus. Si tamen sub Alex. & non potius sub Antonino Heliogabalo passus sit.

S. Calepodij cœmeterium hodie in eccles. S. Pancratij via Aurelia monstrari fertur.

DE S. PALMATIO CONSVLE ROM. ET MARTYRE.

Cum Simplicio Senatore Felice Blanda vxore, & alijs.

Palmatius Consul Alexandro Imp. Cum milites, quos trans Tyberim in cœnaculum, in quo Christiani erant cum Callisto Papa, Calepodio Presbytero, & cœtero clero, ad eos comprehendendos immiserat, cæcos effectos vidisset, & Iulianam templi virginem dùm Mercurio sacrificaretur, à Dæmone arreptã Deum Callisti verum, & vnum esse clamantem audisset, statim commotus, ad S. Callistum venit, ab eoque instructus, præmissis ieiunio, & oratione, vnà cum vxore, liberis, & alijs 42. ex eius familia baptizatur. Quibus cognitis ab Imp. à Torquato Tribuno comprehendi, & in custodia detineri iubetur: Adductusq; ad Imp. ab eo dementiæ obiurgatur, quod immortales deos colere oblitus Christo adhæsisset. Qui cum se Deos colere desijsse diceret, quòd illi opera manuũ hominum

Palmatius Consul cum 42. ad fidem conuertitur.

hominum essent, Simplicio Senatori, ab ea mente deducendus traditur, apud quem orationibus,& ieiunijs intentus, Blandam Felicis cuiusdam vxorem para lyticam oratione mirabiliter sanauit, accersitoque Callisto cum viro eius Felice baptizandam curauit. Eo miraculo Simplicius ad Christum conuersus, & ipse cum vxore, & tota eius familia in qua vtriusque sexus 68. erant, sacro lauacro expiatus est. His ad Imp. delatis, missi sunt milites, qui Palmatium, Simpliciū, cum suis, ac cum Felice, & Blanda decollarent. Quorum capita ad terrendos Christianos per diuersas vrbis portas suspensa sunt. 6. Idus Maij. *Ex pass. S. Callisti Papa apud Sur. tom. 7. & Pet. in Cat. lib. 4. c. 150.*

Simplicius Senator cum 48. baptizatur.

ANNOTATIO.

Calepodius, Palmatius, Simplicius cum cat. sub Antonino Heliogabalo, potius quam sub Alex. passi videntur. Ex Cronol. Eccles. apud Panuin. nondum enim Alex. Imperium adeptus fuerat, licet Consul. & Cæsar esset. De qua re infra in S. Callisto Papa.

DE SS. QVARTO, ET QVINTO MARTYRIBVS Capuæ.

QVartus, & Quinctus Romæ via Latina ad centum aulas martyrium passi ob fidem, à Beda, Vsuardō, & Adone ac ab alijs Martyrologiorum scriptoribus referuntur, eorumque corpora Capuam translata fuisse eadem Martyrologia habent. Vbi non mediocri honore coluntur. Nam illorum Festiuitas ac die in Ecclesia Capuana celebratur, agiturque dies festus ex deuotione, ciuibus ab operibus cessantibus. *Ex Tab. Capuana Ecclesia.* Tempus passionis, & genus martyrij à nemine expressum legitur.

ANNOTATIO.

EX Breu. antiquo Capuano hos martyres Epp. Capuanos fuisse apparet. quod verisimile non est; nam in Catalogo Epp. Capua minimè continentur: nec in nouis illius Eccles. Tab. Episcopi nominantur. Quod si Capuani fuissent Episcopi, qui eodem tempore coronari potuissent? neque enim duos Episcopos ciuitas simul legitimos habere potest.

DE SS. ALPHIO, PHILADELPHIO, ET CYRINO martyribus, & patronis Leontinis.

ALphius, Philadelphius, & Cyrinus in Aquitania Vitale, & Benedicta nobilibus, & Christianis parentibus orti, ob religionem Christianā cum Onesimo præceptore, & Erasmo nepote ex sorore alijsque 13. condiscipulis sub Decio Imp. comprehensi, cum ab ortu solis ad occasum capillis suspensi à sancto proposito dimoueri non possent, Romam vincti ad Imp. perducuntur. Qui contra Persas profecturus eos Licinio Valeriano examinandos, & puniēdos tradit. In carcerem itaque, & in vincula coniecti, noctu à SS. Apostolis Petro, & Paulo confirmati, a vinculis liberantur, ac primum minis, & promissis tentati neruis bouinis diu, & acriter cæduntur: Postea Puteolos ad Diomedem Ducē perducti, (Onesimo, & Erasmo cum alijs 13. ibi martyrio affectis) oraque lapidibus contusi ad Tertullum Siciliæ Præsidem ablegantur. Qui illos primum capite abradi, piceque & plumbo liquefacto perfundi iubet: deinde ingenti iugo

Ab ortu solis ad occasum capillis suspē duntur.

Varijs, ac diris afficiuntur supplicijs.

go grauatos, æquo in via diuinitus leuantur, Leontinos præmittit. Ibi non semel fustibus cæsi, pedibusque suspensi subiecto fumo cruciantur, rursusque liquatis plumbo, & pice perfusi vncinis ferreis excarnificantur. Clauis inde ignitis calciati incedere longè coguntur, nudique, & funibus attracti per ciuitatem raptantur. Tum fœdo carcere inclusi, diutina fame, & grauibus compedibus affliguntur duos circiter annos. Quorum exemplo prouocati, Epiphana, & Euthalia nobiles fœminæ, viginti milites (qui SS. fratres custodiebant) Hebræi permulti, Cleonicus item, & Stratonicus martyrij palmam adepti sunt. Ad Horum prædicationem Alexander Tertulli consiliarius conuersus Neophytus appellatus primus extitit Leontinorum Episcopus. S. Teclam Isidoræ martyris filiam, à sexannorum paralysi liberarunt. S. Iustinæ altero oculo captæ lumen restituere. Ab Ecclesiæ Leontina, cui futura prædixerant, Dæmones procul abegere: Illos tandem Tertullus in Confessione fidei constantes cum cerneret, Alphio linguam detrahi (qui maxima sanguinis copia erumpente spiritum exhalauit) Philadelphum verò in craticula, & Cyrinum in sartagine comburi iussit 6. Idus Maij. *Ex off. Eccles. Leontina Agathini Castilioni Canon. eiusd. eccles. opera Romæ approbatis an.* 1608.

Multi ob eorum constantiam martyrio coronantur.

Paralyticæ sanitas; oculo captæ lumen restituitur.

ANNOTATIO.

Horum natalis in tota Sicilia dupl. ritu celebratur. Extat op. de S. Philadelphi nomine dictum apud Aluntium vrbem euersam inter Pactas, & Caphalodium. Quidam illos sub Valeriano passos putant.

DE S. CHRISTINA VIRGINE, ET MARTYRE Panormitana.

Christina V. nobilissima Panormi (vt eius habet Historia) nata, ac in fide christiana clam à teneris erudita est, cum autē illam pater suus Deos, quos aureos, & argenteos habebat, colere crederet, eam christianam esse ex ancillis eius, & Idola contrita distribuisse pauperibus cognouit, omnibus artificijs à fide in Christum deducere conatur. Quapropter ipsam diu inclusam in suis ædibus afflixit. ac vbi eam in sententia colendi Christum defixam videt, expoliatam à 12. viris iugiter cædi vsque ad defatigationem iubet, & carceri inclusā frustraque à matre, vt patri obtemperaret, suasam, vngulis ferreis toto corpore dilaniari, rotæque alligatam igne succendi, sed à flammis nil læsa rursus carceri emancipatur, vbi ab Angelis plagis omnibus curata: saxo deinde ad collum alligato, & in mare demersa, ab Angelis incolumis ad littus reducitur. Tradita verò Præfecto patris successori nouis supplicijs afficienda, cum à lecto ferreo in censo à fornace ardenti, à serpentibus venenatis nullam, Deo protegente, læsionem sensisset, Denique post mammillas abscissas, & linguam amputatam, sagitta in corde transfixa immaculatum Deo reddidit spiritum. Corpus in sacello maioris ecclesiæ auro gemmisque, & marmore prætioso exornato in ara argentea asseruatur, & maxime habet apud Panormitanos venerationem. *Ex eius vita M. S. & edita. qua tamen expurgatione indiget.*

Christina ab Angelis plagis curata.

ANNOTATIO.

Acta huius virginis prorsus eadem cum actis Christianæ V. quæ Tyri apud Vulsinios passa est, 9. Kal. Aug. Pater enim vtrobique Vrbanus appellatur, & tormenta plane eadem sunt. Vt propterea hanc eandem cum illa quis credere possit, cuius corpus

Pulchra animaduersio.

corpus Panormum delatum sit, & cuius hac die non Natalis, sed translatio Panormi celebretur. Verum Christina Tyren. corpus Vulsinijs, & Torcelli asseruari traditur; quod si illud re uera aut Vulsinijs, aut Torcelli quiescit, hanc, cuius corpus habent Panormitani, ab illa diuersam esse oportet, & acta vtriusque confusa fuisse.

Maij die 11.

DE S. ANTHIMO PRESBYTERO, ET MART. ROMÆ.

ANthimus Presbyter insignis Dioclet. & Maximiano Imperatoribus vnà cum Sisinnio, Diacono, Diocletio, Florentio, Massimo, Basso, & Fabio Romæ in vinculis propter Christum detinebatur, cum Lucina nobilis matrona Piniani clarissimi viri Asiæ Proconsulis vxor liberam illis abeundi potestatem, & opes amplissimas pollicetur, si marito insanabili morbo laboranti desperatam salutem restituerent. Cui Anthimus, fore, vt vir eius incolumis euadat, si abiecto dæmonum, seu Deorum cultu, in Christum crederet. Introductus itaque Anthimus cum Sisinnio (cum Pinianus se ad sacra Christi suscipiẽda paratum diceret, Christumque corde, & ore confiteretur, ab eo supplex veniam suorum scelerum postulans) humi prostratus preces Deo fundit, orantibus autem Anthimo, & Sisinnio ingens fulgor repente obortus cubiculum illustrauit, simulque Pinianus pristinam recuperauit sanitatem: qui emissis cæteris Christianis è custodia, post 7. dies, in fide plenius instructus aqua salutari, cum vxore, & tota familia expiatus est. Posthæc Anthimus in prædijs Piniani via Salaria latitãs quendam, qui Rusticorum syluano immolantium dux erat, à dęmone arreptum, & homines gladio interimentem liberauit, & cũ alijs ad Christum perduxit, destructis Idolis. Quod Priscus consularis indignè ferens, Anthimum in Christi confessione immobilem saxo ingenti ad collum ligato in Tyberim præcipitari iubet; sed cum ab Angelo ereptus in suum oratorium restitutus esset, & rursus ad populum concionaretur, iussu Prisci iterum captus, cum nec minis nec terroribus superari posset, abscissione capitis martyrium consumauit 5. Idus Maij. ibidem in suo oratorio sepultus. *Ex passione illius à Sur. tom. 3. rel.*

Pinianus Proconf. expiatus sanatur.

Anthymus in Tyberim pręcipitatus ab Angelo eripitur.

ANNOTATIO.

PAssus est Anthimus circa extrema Diocl. & Maximiani Impp. tempora. Marcellino Sum. Pont. an. sal. 302. circiter, quo tempore Simplicius, & Faustinus fratres cum Beatrice sorore passi sunt Lucina Matrona post Piniani viri beatum excessum adhuc superstite.

Hac die S. Anthimi mart. Aretij memoria celebratur, qui ab Anthimo Presbytero diuersus esse videtur, cum illum Diaconum, vt in quodam M. S. Aretij legimus, fuisse appareat.

DE SS. MAXIMO, BASSO, ET FABIO martyribus Romæ.

MAximus, Bassus, & Fabius cum SS. Anthimo Presbytero, Sisinnio Diacono, ac Diocletio, & Florentio in custodia apud Pinianum Proconsulem Sanctæ Lucinæ virum detinebantur propter fidem. Cum autem omnes è carceribus dimissi fuissent liberi ob Piniani ad Christum conuersionem,

ac

ac in Piniani Prædijs via salaria Maximus Bassus, & Fabius cum alijs Christianis sub Anthimi disciplina morarentur, Anthimo iussu Prisci consularis sublato, illi Maximus successit. Quem propterea Priscus in vincula côiectum vsque adeo fustibus cædi imperauit, donec animam exhalaret. Post illum Bassus christianis præfuit, qui illorum animos metu perculsos confirmabat. Sed cum multi Gentiles ad mercatum eò ad locum, quem Forum nouum appellabant, confluerent, sacraque Baccho facerent, Bassum eos impietatis arguentem, ac flatu simulachra euertentem furore perciti, calcibus, pugnis, & fustibus ad necem cædunt. Fabius verò ab illis Prisco traditus, diuque custodia maceratus, cum impura Idolorum sacrificia execraretur, capite plectitur. Quare Anthimus, Maximus, Bassus, & Fabius via salaria eodem loco ferè interfecti, & circa eosdem dies ibidem à Christianis sepulti sunt. *Ex Gestis, & pass. S. Anthimi Presbyteri.*

ANNOTATIO.

Sisinnius, Diocletius, & Florentius cum post Piniani baptismum Auximum profecti in prædijs eiusd. Piniani moram ducerent, ibi martyrium subiere.

Forum nouum, cuius mem. Plin. lib. 3. olim Episcopalem sedem habuit: Cuius hodie nulla ferè extant vestigia.

DE SS. SISINNIO, DIOCLETIO, ET FLORENTIO martyribus apud Auximum.

Sisinnius Diaconus, Diocletius & Florentius, post Piniani clarissimi viri Afr̨ Proconsulis conuersionem carcere in, quem propter Christum vnà cum S. Anthimo Dioclet. Imperatore coniecti fuerant, liberati, in prædio eiusdem Piniani apud Auximum Piceni vrbem habitabant, vnà cum alijs Christianis; qui in dies illis adiungebantur, Deo absque vlla molestia per triennium vacantes, donec Gentiles per circuitum statuto tempore (hoc est quouis euoluto triēnio) ad sacra Dijs, seu Dæmonibus facienda, responsaque ab illis accipienda conuenirent. Quibus immolantibus Dij se consueta responsa date posse negant, nisi Sisinnius, Diocletius, & Florentius sibi sacrificare cogantur. Quare Impia turba SS. viros comprehendit, & tractos ad simulachra, illis sacra facere compellit. Cumque id facere constantissimè recusarent, tantamque impietatem detestarentur, ab Idolatris lapidibus obruti sunt. Quorum Corpora in eodem loco apud Auximum à Christianis post hostium discessum non sine honore humata fuerunt. *Ex Gestis S. Anthimi Presbyteri.*

ANNOTATIO.

Sisinnius hic ab alio Sisinnio Diacono, qui Romæ cum Saturnino sub eisdem Impp. Tertio Kal. Decemb. passus fuit, longè diuersus est, vt Acta ipsorum demonstrāt.

DE S. EVELLIO MARTYRE ROMÆ.

Euellius nobilissimus vnus ex Neronis Imp. Consiliarijs, cum Pisis Constantiam, & signa admiranda quæ S. Torpes operabatur, admiraretur, interius commotus se ad Christum conuertit, ac paulo post aquis salutaribus expiatus, Romam Satellici immanitatem fugiens se recepit; vbi deprehensus, & in confessione susceptæ fidei fortiter perseuerans, martyrij palmam capitis abscissione

sione sub eodem Nerone promeruit 5. Kal. Maij. *Ex Pass. S. Torpetis à Membrit. tom. 2. & à Sur. tom. 3. relata. prater Pet. in Cat. lib. 5. c. 8.*

ANNOTATIO.

Corpus Euellij in Eccles. Pisana, vbi is colitur, asseruatur. Puto autem hanc esse Translationis diem. Quòdsi Natalis est, corrigenda sunt acta, in quibus 5. Kal. Maij passus esse refertur.

DE S. ANASTASIO, ET SOCIIS MARTYRIBVS apud Camerinum.

ANastasius Cornicularius (id nomen erat officij in Prætorio, Cornicularius: namque sententijs damnatorum exequendis præerat) Camerini agebat, quo tempore S. Venantius martyrio affectus est. Qui miraculis illius permotus, in Christum credidit, ac cum tota eius familia à S. Porphyrio Presbytero baptizatus est. Quod cum Antiochus Præses accepisset, illum cum suis tentum, & ad se adductum, cum in acceptæ fidei confessione immobilis persisterent, capite truncari iussit 5. Idus Maij. Dec. Imper. *Ex Gestis, & Pass. S. Venantij mart.*

ANNOTATIO.

PLures huius nominis martyres in Martyrol. Rom. memorantur: E quibus vnus in Italia hoc est Aquileia die 5. Decembris passus est.

DE SS. PRIMO, MARCO, IASONE, ET COELIANO martyribus Tergestinis.

PRimus Presbyter, & Marcus Diaconus Tergestini nobili quidem genere orti, at fide, & religione clariores, Cum Tergesti fidem in Christum prædicarent, & Deorum cultum euerterent, Hadriano Imp. ab Artasio Præside cõprehensi, cum fidem abnegare nollent, primùm fustibus grauissimè cæduntur, dein de ignis ipsorum ventribus subijcitur: à quo tamen illæsi permansere: tum sulphur igne resolutum in ora eorum infunditur; quod illis refrigerio potius, quã ardore afficere videbatur. Ad quæ cum plurimi ad Christum conuerterentur, in illis Iason, & Cœlianus fuere, quos Præses tandiu fustibus verberari iussit, donec spiritum emitterent. Tandem Primus, & Marcus, omnibus cruciatibus superatis abscissione capitis martyrium gloriosum compleuerunt. Quorum corpora vnà cum corporibus SS. Apollinaris, & Lazari Tergesto Veronam translata in ecclesiam SS. Firmi, & Rustici maiorem condita sunt, agiturq; dies festus Translationis die 22. Maij. *Ex Monum. Eccles. Veronen. & Pet. in Cat. lib. 4. c. 151.*

Primus, & Marcus diris cruciatibus præmuntur

ANNOTATIO.

EXtat in prædicta ecclesia in duab. Tab. huiusmodi inscriptio Translatio SS. martyrum hic quiescentium facta 11. Kal. Iunij An. D. 1255. per Annonem Episcopum Veronen. cum vniuerso clero, & pop.

DE S. ILLVMINATO CONFESSORE SEPTEMPEDANO.

SAnctus Illuminatus confessor Septempidæ in Picino (quæ vrbs nunc S. Seuerinus appellatur) colitur hac die: cuius corpus in monasterio S. Mariani religiosè

religiosè afferuatur. Illum S. Francisci Assisinatis socium, & alumnum fuisse ferunt: cui ille iam moriturus non modò stigmata nulli adhuc mortalium detecta; sed & arcana alia quamplura reuelauit. Cum enim sanctissimus pater fratres, qui aderant, consulerent, an mysteria essent à se reuelanda. Illuminatus non tam nomine quàm re illum ad ea detegenda oratione sua cohortatus est. Is post S. Francisci obitum, & ipse apud Septempedanos relicto quod mortale erat, in Cœlos euolauit. *Ex Tab. Eccles. Sanctoseuerinatis, & ex Martyrol. Rom.*

Fuit disc. S. Francisci. Illi S. Franc. stigmata, & alia arcana reuelauit. Apud Septépedanos obijt.

ANNOTATIO.

Acta ipsius minimè vidimus licet à nobis fuerint non semel expostulata. De eo in Chron. Ord. Min. par. 1. lib. 2. c. 56.

Fuit, & Illuminatus eremita apud Tifernum Tyberinum de quo ad diem 8. *Iulij agitur.*

Maij die 12.

DE S. NEREO, ET ACHILLEO MARTYRIB. ROMÆ.

Nereus, & Achilleus fratres Flauiæ Domitillæ virginis, cui seruiebant Eunuchi, à S. Petro Apostolo in fide Christi instructi, & baptizati dominam suam, ad virginitatem Christo dicandam persuaserunt. Quod cum Aurelianus Consulis filius, cui Domitilla desponsa fuerat, rescisset, illos apud Imp. Christianæ religionis accusatos, in Pontiam Insulam relegandos curat. Vbi rursus ad quæstiones vocati, & verberibus cæsi, ac etiam ab Aureliano muneribus tentati, vt virginem ad nuptias hortarentur, cum fortes in fidei confessione persisterent, Tarracinam alijs supplicijs afficiendi perducuntur: Ibique à Memmio Rufo viro consulari varijs cruciatibus ad Deorum cultum adiguntur: Etenim equuleo, & flammis dirissimè torti sunt: Verum cùm nulla tormentorum acerbitate vincerentur, dicerentque fieri non posse, vt à S. Petro Apostolo baptizati, fidem abnegantes, Idolis immolarent, ad extremum securi percussi illustre martyrium consumarunt 4. Idus Maij, Domitiano Imp. Quorum corpora ab Auspicio eorum discipulo, & Domitillæ educatore Romam delata, in crypta arenaria via Ardeatina iuxta S. Petronillę monumentum milliario vno, & dimidio ab vrbe condita sunt. *Ex Breu. Rom. & propria illorum Pass. quam Sur. tom. 3. refert.*

ANNOTATIO.

Horum corpora cum diu in Diaconia S. Hadriani mart. fuissent, in pristinum locum, & in proprium Titulum restitutum à Cæs. Baronio eiusd. tituli Card. relata decentius sub Clem. Octauo Pont. Max. recondita sunt vnà cum Flauia Domitilla virg. corpore Prid. huius diei. Ex Martyrol. Rom.

DE S. PANCRATIO MARTYRE ROMÆ.

Pancratius puer in Phrygia Cledonio, patre nobili, & opulento natus Dionysio patruo, patre à morbo, ex quo mortuus est, correpto commendatus, Romam cum patruo venit, atque alienus adhuc à Christiana religione in M. Cœlio habitauit: Vbi Rom. Pontifex cum clericis ob persecutionis Diocletiani, & Maximiani Imperatorum acerbitatem latitabat. Cuius egregias virtutes Dionysius admiratus ad eius colloquium vnà cum Pancratio puero admitti cupiebat. Admissi itaque ad Eusebio Ianitore ad Pontificem, à quo peramanter excepti sunt, Christianamquè fidem ab eo edocti, post 20. dies salutari aqua ablu-

ti

ti regenerantur: atque ita in Christi amorem exarsere, vt vltrò se persecutoribus prodere non dubitarent. Cum autem Paganorum multido in Christianos fureret, eosque ad supplicia, & necem vel indicta causa pertraheret, comprehēsus, & Pancratius ad Imp. adducitur. Qui adolescentis eleganti aspectu delectatus, illum benignè ad venerandos Deos hortatur, pollicetur que se eum diuitijs, & honoribus auctum loco filij habiturum. Cui Pancratius animo prorsus virili respondit, *noli Imperator, frustra decipi, quod me puerum vides: Nam D. I. C. mentem eam mihi infudit, vt nullos terrores Principum, aut Iudicum reformidem. Porrò Dij, quos colere hortas, impostores fuere, qui nec suis parentibus pepercerunt, seque stupris, & incestibus contaminarunt: quapropter non satis mirari possum, quomodo non fædum, & turpe putes illos venerari.* Quibus verbis Diocletianus exardescens Pancratium illico extra vrbem via Aurelia ductum, capite truncari iussit. Cuius corpus Octauilla matrona noctu sublatum, & vnguentis delibutum ibidem sepelijt 4. Idus Maij. Vbi postea ecclesia suo nomini dicata fuit. De quo Gregorius Turonensis libro de gloria martyrum illud inter cætera narrat de Pancratij tumulo: quod qui falsum iurasset, ad illius sepulchrum accedens, statim à dæmone arripiebatur, vel in terram corruens expirabat. *Ex Breu. Rom. & Pass. quam Sur. affert. tom. 3.*

Admiranda Pancratij adolescentis ad Imperatorem respōsio.

Periurius dæmone arreptus expirat.

ANNOTATIO.

Error apud Mombrit. tom. 2. vbi passionem S. Pancratij recitat, manifestus emendandus est. Nam scribit Pancratium à S. Cornelio Papa, Diocletiano Imp. baptizatum fuisse. Cum Cornelius Pontificatum Decio Imp. vt notissimum est, gesserit. Pancratius autem à Marcellino Papa ad Christum conuersus, An. D. 303. circiter martyrio affectus fuerit.

Corpus S. Pancratij Venetijs in monasterio S. Zachariæ nunc quiescere Pet. in Cat. lib. 4. c. 156. author est.

DE S. DIONYSIO CONFESSORE ROMÆ.

Dionysius S. Pancratij patruus, cum nepotem suæ fidei à fratre commissum omni diligentia educaret, vt id commodius præstaret, cum opibus affluerent, Romam Diocletiano Imp. & Marcellino Pontifice cum nepote annum 14. agenti venit, habitauitque in M. Cœlio, vbi Pontificis prædicatione Christi fidem vnà cum Pancratio suscepit: ac in pijs, & Christianis operibus versatus non multò post ex hac vita migrauit in Cœlum, ante nepotis passionem. *Ex Passione S. Pancratij.*

ANNOTATIO.

Vbi S. Dionysij corpus conditum fuerit, vel nunc requiescat, incertum est. Hac die autem natalis illius adnotatur in Martyrol. Vsuar. & Rom. qua Pancratius eius nepos passus est, licet hic ante decederet, quàm is pateretur.

DE S. EPIPHANA MATRONA, ET MART. LEONTINA.

Epiphana Leontina nobilis à prima ætate Christiana Alexandro Tertulli Siciliæ Præsidis consiliario matrimonio iuncta, illum ad Christum conuertit. Quo Romam profecto, vt Præsidis immanitatem declinaret, ipsa de SS. Alphij, Philadelphij, & Cyrini consilio ducentis seruis libertate donatis, & substantia pauperibus erogata, vt ad martyriū expeditior esset, domi remansit. In prætorium autem adducta, ac de viro, deque religione interrogata, se cum viro Christo nomen dedisse liberè respondit. Cum autem Præses specie illius captus, illam in prætorio custodiri iussisset, ipsa pudicitiæ suæ insidias parari in-

Epiphana pulcherrima ante omnium oculos denudatur.

telligens, si quid à me audire uis, coram omnibus inquirito, dixit: & cum eam frustra blanditijs delineret, ante oculos omnium denudari, vt quam dolor non affligeret, verecundia terreret, ac neruis cædi, nudamque in publicũ carcerem detrudi mandauit. Eductam postero die cum populi multitudinem ad Epiphanæ constantiam spectandam confluentem Præses vereretur, in carcerem remisit. Postridie (qui fuit 3. Idus Maij) egressus vrbe cum militibus Epiphanæ omnes hortationes Tyranni reijcienti, mammillas amputari præcepit. Quo in vulnere spiritũ nobilissima fœmina Deo reddidit Decio Imp. Cuius corpus proiectum in obscurum locum à Tecla, & Iustina edictum Tyranni, nequis illud sub pœna capitis sepeliret, haud formidantibus, apud SS. fratrum corpora integris mammillis tumulatum fuit. *Ex off. Eccles. Leontina nuper Roma approb. ac ex Gestis SS. trium fratrum.*

ANNOTATIO.

Rom. Martyrol. huius nobilissima matrona martyrium 4. Idus Iulij refert, quod alicuius scriptoris culpa accidisse videtur.

Corrigendum in hac hist. est, quod dicitur Epiphanam sub Decio, & Valeriano passam esse. Nam non eodem tempore Decius, & Valerianus Imperarunt, cum inter Decium, & Valerianum, Gallum, & Volusianum Impp. intercessisse manifestum sit.

DE S. CHRYSPOLYTO EPISCOPO, ET MARTYRE Bittonij in Vmbria.

Mutus loquitur. Crus confractum sanatur. Baruntius à lupo deuorãdus liberatur.

Chrysopolytus S. Britij discipulus ab eodem Episcopus Vettoniensium; (quorum oppidum Bittonium in Vmbria perseuerat) ordinatus, quo tempore S. Vincentius Episcopus quoque Meuaniæ creatus est, multis effulsit miraculis. Nam in via paganum quendam mutum loquela ei restituta cõuertit; Valerium Præfecti nepotem, cui casu crus confractum fuerat, oratione sanat, & conuersum baptizat: Baruntium bubulcum in agro Bucaconis à lupo deuorandum liberat, & ad fidem perducit, vna cum Vincentio sodali à carcere diuinitus, erepto, cum cœlestis quidam splendor carcerem illustrasset: quo miraculo cœteri omnes carceri inclusi cum custode conuersi ad Christum liberati sunt. Quibus ad Austerum Præfectum delatis, Chryspolytus comprehenditur, & Christum confessus alapis cæditur, & flagellatur; ac carcere mancipatus (vbi Arrianum quendam Gentilem apopleticum oratione curat, sacro lauacro expiatum) diuque afflictus, cum eductus Christum abnegare nollet, vnà cum Baruntio bubulco in ardentem fornacem inijcitur: qua diuinitus extincta, Baruntius in agro memorato cum Teutilla S. Episcopi sorore decollatur, Chryspolytus verò in Castro Imperiali (quo in loco nunc S. Chryspolyti Abbatia cernitur) iussu Præfecti per medium secatur. 4. Idus Maij. Diocletiano, & Maximiano Imp. Eorum corpora à Christianis iuxta turrim Bibanniam inter Sambam, & Tiniã amnes condita fuero. *Ex monum.* Eccles. Bittouiens. *& Gestis S. Britij Episcopi, quæ tamen correctione indigent: Nam in ijs legitur S. Chryspolytum sub Nerone Imp. passum esse: Ordinatum verò à S. Britio, qui sub Dioclet. vixit.*

Arrianus apoplesia liberatur.

ANNOTATIO.

Extat etiamnum familia Chryspolytorum nob. Bittonij, & Perusia, quam à S. Chryspolyto originem traxisse dubium non est. Corpus autem S. huius Episcopi, & mart. modò in ecclesia suo nomini dicata, quam Fratres Minores teneat requiescit.

DE

DE S. EPIPHANIO EPISCOPO BENEVENTANO.

EPiphanius vigesimo tertio loco Ecclesiam Beneuentanam administrauit: Successit autem S. Tammaro in Episcopatu. Sic autem ei Ecclesiæ præfuit, vt sanctitatis laudem adeptus, vt ob id à morte ab Ecclesia Beneuentana inter SS. Episcopos habitus sit, & officio Ecclesiastico cultus. Cuius reliquiæ ibidē piè asseruantur. Gesta illius siuè quòd non extent, siue quòd inter arcana memoratæ Ecclesiæ lateant nondum videre contigit. *Ex Tab. Eccles. Beneuent. & Synodo Prouinciali eiusd. Eccles.*

ANNOTATIO.

NAtalem eius hac die celebrari credimus, qua magni illius Epiphanij *Salamina Episcopi, vt fieri mos est, cum dies obitus alicuius sancti ignoratur.*

DE S. PHILIPPO PRESBYTERO, ET CONFESSORE Argyrensi.

PHilippus in Assyria Theodosio, & Augia nobilissimis, & copiosis, ac Christianis parentibus Arcadio Imp. diuino munere natus, ac pie educatus, in clericorum numerum adscribitur. Factus grandior annorum 21. ac ordinatus Diaconus, hortatu matris, quæ Romana erat, Romam cum Eusebio sodali terra, marique breui peruenit. Vbi Romani Pont. pedes exosculatus, cum latinā linguam non caleret, posteaquam manum capiti illius Pontifex imposuisset, iussisset que, vt latinè loqueretur, illico Romanè ita expeditè, ac si Romanus fuisset, loqui cœpit Romæ autem supra tres menses demoratus, ac ab eodem Pont. Presbyter factus, in Siciliam cum super immundis spiritibus, qui Argyram præ cæteris vrbibus, & loca finitima maximè vexabant, potestate destinatur. Vbi itaque Messanam mari cum Eusebio, & Argyram in monte constructam terra peruentum est, dum per eos sacra Deo pro itinere feliciter confecto aguntur, Dæmonum turma per aera volitare, & quòd eos Petrus Apostolus misso Philippo Presbytero loco exturbare aggrederetur, clamare audita est. Hic primùm Philippus manum filiæ ciuis Argyrensis ditissimi, & pijs operibus addicti impo nens immundorum spirituum turbam ab ea expulit: quorum princeps sic effatus En Philippe cum meis Dei iussu, & Petri Apostoli egredior tecum hic vsque ad diem Iudicij extremi habitaturus, adolescentulam quasi mortuā dereliquit. Opus cœptum prosequutus vrbem tandem à dæmonum vexatione, & cultu (illis enim Argyrenses, vt mitiores eos redderent, sacra quædam faciebant) liberauit. Nec solùm curandis energuminis vir S. præcelluit; Sed & præclara alia edidit miracula, Nam cum pater filij submersi mortem insolabiliter fleret, Philippus miseratus illius, puerū (cui Ioannes nomen erat) ex fonte ter in D.N.I.C. nomine vocatū, rediuiuū mirabiliter extraxit Athanasium quendam virum improbū, vsurasq; publicè exercentem à vipera in suo viridario morsum, cum is se vitā in melius emendaturū iure iurando pollicitus fuisset, modico luto ex sputo plagæ imposito, quo tumor omnis abscessit, statim liberauit, Cū mulier fœtū ex vtero iam mortuū edire nequiret, maximisque idcirco doloribus exagitata exclamaret, accersitus Philippus, aquam benedixit, qua hausta mox absque molestia puerū peperit. Quidam Pastor puluere à Philippo benedicto ante ostium armenti sparso, cum in nomine eiusdem, vt abirent, præcepisset, nullum de cætero ex lupis detrimentum accepit. Mulier fluxum sanguinis patiens, cū aquā, qua inter celebrandum S. vir manus abluerat, bibisset, illico sanata est. Porrò innu-

Philippus Romanè diuinitus eloquitur.

Philippi mira in fugandis dæmonijs virtus.

Princeps quorundam dæmonum Philippo effatur.

Puer mortuus resurgit.

Athanasium vsurarium vi peræ morsu luto ex sputo liberat.

Mulier sanguinis fluxu laborans curatur.

innumera sunt, quæ viuens, & mortuus miracula patrauit, præsertim circa à Demonijs obsessos, quæ ad hæc quoque tempora maxime in eius Festiuitate liberantur. Denique Philippus ætate confectus, breui infirmitate correptus, 4. Id. Maij, viuus in sepulchrum, vt voluerat illatus, obdormiuit in Domino. Templo haud multo post sui nomini augusto admodum excitato, vrbeque de eius nomine deinceps dicta. *Ex eius vita Typis excusa Messanæ An. sal. 1605.*

ANNOTATIO.

DE S. Philippo plura apud Thomam Fazellum lib. 10 Dec. prima. Vbi illum S. Petri Apostoli discipulum (quod etiam Pet. Gales. in suo Martyrol. affirmat) Constantinopoli Romam profectum scribit: cum ex antiquis M. S. ex quib. vita desumpta est, cum Arcadio Imp. natum constet, id quot & Baron. in Annot. habet.

DE S. PHILIPPO CONFESSORE PANORMITANO.

PHilippus, quem ad distinctionem Philippellum vocant, Panormi nobilibus, & sterilibus parentibus S. Philippi Argyrensis precibus ortus, octennis eidem D. Philippo à parentibus, vt sub illius disciplina educaretur, offertur. Qui breui in Christiana pietate eruditus Panormum remittitur. vbi cum ad ætatem legitimam peruenisset, sacris ordinibus initiatus, vitam tanto magistro dignam duxit; ita vt in numero SS. habitus sit. Cuius corpus Argyræ vnà cum corpore S. Eusebij S. Philippi Argyrensis socij, & S. Lucæ confessoris iuxta magistri sui corpus conditum est. Eius autem Festiuitas hac eadem die celebratur Argyræ. *Ex vita S. Philippi Argyren.*

ANNOTATIO.

IS vt accepimus haud venerationem habet Panormi, sed tantum Argyræ: vbi vti diximus, corpus eius quiescit. Cuius depositionis dies ignoratur.

Maij die 13.

DE S. NATALI EPISCOPO MEDIOLANENSI.

NAtalis Latinè, Græcè, & Hebraicè doctus, maximusque Catholicæ fidei propugnator post Theodorum Secundum, qui S. Benedicto successit, à Zacharia I. Pontifice Max. Mediolanensis Episcopus creatur. Quod munus, licet breui, summa cum laude administrauit, sese Arianis fortiter opponens. Ecclesiam S. Georgio martyri ædificauit: in qua, cum Ecclesiæ Mediolanen. duos menses supra annum præfuisset, vita functus sepultus est. Illum à Stephano II. Pont. Max. in sanctos relatum ferunt. *Ex Tab. & Actis Eccles. Mediolanen.*

ANNOTATIO.

PAnuin. in Cronol. Eccles. Hunc an. D. 749. Episcopum creatum, annos 2. et menses duos præfuisse scribit: Tab. verò eum an. 747. ad Episcopatum assumptum 14. mensib. illum administrasse docent.

DE S. CRISTANTIANO MARTIRE ASCVLI.

SAnctus Cristantianus martyr hac die duplici ritu in Ecclesia Cathedrali Asculana in Piceno, vbi corpus eius asseruari fertur, celebratur. Idē in diœcesi Laudensi, in qua cōtra tēpestates aduersas inuocatur, venerationē habet,

ta-

tametsi officio Ecclesiastico minimè colitur, quòd ex Tab. aut Kalendario Laudensis Ecclesiæ pateat. *Ex Tab. Eccles. Asculanæ.*

ANNOTATIO.

Apud Laudenses non est vna huius S. opinio. Alij enim illum Confessorem putant; alij martyrem. Sunt qui eum Episcopum Bobiensem fuisse credant. Res prorsus ambigua.

DE S. BONOSIO EPISCOPO SALERNITANO.

Bonosius Episcopus I. Salernitanus vir fuit admirandæ sanctitatis, ac inter SS. eius Ecclesiæ Episcopos primus, qui, & si acta illius ad nostra tempora haud peruenere, semper tamē ab Ecclesia Salernitana pro sancto habitus, & cultus fuit. Eius in vita S. Gramatij successoris fit mentio: & in officio Ecclesiastico propria oratio recitatur. *Ex Tab. Eccl. Salernit. & ex lib. Gasparis Musca ae Epp. Salernitanis.*

ANNOTATIO.

Baronius huius meminit in suis Annotat. in Martyrol. 14. Kal. Nouemb. Sunt, qui illius natalem in diem seq. referant.

Maij die 14.

DE S. BONIFACIO MARTYRE ROMANO.

Bonifacius ciuis Rom. Cum Aglaem nobilem matronam carnaliter cognouisset, pœnitentia ductus, suscepta peregrinatione ad conquirenda, & sepelienda martyrum corpora se contulit. Ac Tarsi Christianos causa fidei variè tortos, eorum vincula osculatus, ad supplicia constanter perferenda hortabatur. Quapropter comprehensus vngulis ferreis excarnificatur, & acutis calamis inter vngues manuum, & carnem infixis plumbum liquefactum in os illius infunditur. Quibus in cruciatibus tantùm dicebat, *Gratias tibi ago Domine I. C. fili Dei.* Mox in ollam feruentis picis capite demisso inijcitur: vnde cum inuiolatus exisset, securi percutitur: Pridie Idus Maij, Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus. Quo tempore magno terræmotu facto, multi ad Christū conuertuntur. Postera die socij, quos ille reliquerat, aduenientes, & martyrio affectum cognoscentes, corpus quingentis solidis redemptum, vnguentis conditū, & linteis inuolutum Romam portandum curarunt. Cui Anglæ ab Angelo admonitu (quæ & ipsa pœnitens pijs operibus se addixerat) obuiam processit, ac illud in ecclesia nomini eius dicata, Nonis Iunij via Latina sepelijt. *Ex Breu. Rom.*

Bonifacij atrocia tormēta.

ANNOTATIO.

Metaphr. Lipom. & Sur. to. 3. referētib. 14. Kal. Ianuar. Natalem eius describit. Extat adhuc. Eccl. S. Bonifacij: qua nunc S. Alexij, qui ibidem sepultus est, nominatur.

DE S. PONTIO EPISCOPO, ET MART. APVD NICIAM.

Pontius Romanus à S. Pontiano Papa baptizatus Marcum patrem Senatorem, & duos Philippos Imperatores ad Christum conuertit. Profectus

Pontius duos Philippos Imp. cōuertit

ad Galliæ, & Italiæ confinia prædicandi causa Valeriano, & Galieno Imperatoribus, apud Cimelam ciuitatem (quæ in Alpibus Maritimis Nicææ ad varū proxima erat) Claudij Præfecti iussu comprehensus, primum in equuleo suspenditur: qui mox confractus est, repentino fulgore tortoribus, & ipso Præfecto (qui Pontio dixerat: *Nunc videbimus, an Deus tuus valeat te de manibus meis eruere*) perterritis. deinde duobus vrsis ferocibus, famelicisque Anabio Consiliario suadente in Amphitheatro deuorandus exponitur. Qui venatoribus, qui eos è caueis eduxerant, discerpis, prostrati versus S. martyrem, populum summa admiratione affecere clamantem, *Verus est Deus Christianorum, quem Pontius colit*: Tunc Præfectus in rabiem versus statim ligna comportari, illisq; circum martyrem ignem supponi iubet: quibus breui consumptis: ita Pontius inuiolatus visus est, vt ne in vestibus quidem, aut capillis vllum combustionis indicium appareret. Quare Præfectus confusus, ac superatus illum Apollini honorem habere recusantem, capite plecti præcepit. Quod dum fieret, ipse, & Anabius à Dæmonibus arrepti suffocantur. Pridie Idus Maij. Corpus à Christianis ibi tumulatum, postea Niciam, vbi præcipuam venerationem habet, translatum, ibi religiosè asseruatur. *Ex Bonino Momb. tom. 2. & Sur. tom. 7. ac Pet. in Cat. lib. 4. c. 168.*

Vrsorum mãsuetudo in martyrem, & in venatores crudelitas.

Pontius igne circundatus illæsus prorsus apparet.

ANNOTATIO.

IN Gallia pluribus locis colitur S. Pontius vti Episcopus, & mart. (licet in Martyrol. Rom. mart. tantùm habeatur) extatque vrbs in Gallia Narbonen. Occitana de nomine illius dicta: & apud Cimelam vrbem excisam ecclesia, & pagus S. Pontij. Cuius passionem idcirco hic afferre libuit, quòd is Romanus potius in Italia, quàm in Gallia (cum Cimela, & Nicia, cis Varum Italiæ terminum ab antiquis in Italia describantur) obierit.

DE SS. VICTORE, ET CORONA MARTYRIBVS Feltriæ patronis.

VIctor miles status Damasci in Syria Antonino Imp. Sebastiani Ducis iussu, quòd Christianus esset, comprehēsus Dijs immolare compellitur: qui Christiana libertate respondit, se potius quæuis supplicia subiturum, quàm honorem, qui Christo soli Deo deberetur, Dijs falsis habiturum. Tunc Dux digitorum compages ei constringi, acutèque auelli iubet: deinde in fornacem valde incensam inijci: in qua occlusa triduo fuit absque vlla prorsus læsione. Eductus non sine maxima omnium admiratione, carnes venenatas à malifico sibi iussu Ducis suppeditatas comedit, dicens, *& si à carnium esu abstineo, eas tamen, vt metua veneficia nihili facere intelligas, comedam*. Quod cum oratione præmissa fecisset, & nihil passus esset, Magus peiora, grauioraque veneficia offerens ait, *si hæc superaueris, & ipse arte resecta, Deum quem colis, colam*. Quibus eadem facilitate, & absque læsione à Victore sumptis, ille libris Vulcano traditis nomen Christo illico dedit. Tunc Dux furore accensus neruos martyris toto corpore diuelli, & oleum feruens infundi imperat; ac dicentem, oleū illud suaue sibi visum esse, in ligno suspensum ardentibus facibus lateribus admotis aduri, venenumque aceto mistum faucibus ingeri, & oculos effodi, martyre dicente, *licet corporis visum excæcaueris, interiore tamen anima sensu acutius video*. Cumque martyr se ad alios cruciatus paratum diceret. Dux illum capite in terram verso donec cum sanguine per nares, & animam efflaret, suspendi

Victor carnes venenatas comedit.

Immanissimis cruciatibus torquetur Pontius.

dii imperat. Qui triduò suspensus multis luminibus orbatis visum restituit. Post triduum viuo præter opinionem repetto Dux pellem detrahi præcipit. Aderat mulier Stephana nomine militis cuiusdam vxor annos 16. nata: quæ cũ Victorem ter, quaterque beatum prædicaret, duas è Cœlo coronas demitti vnã Victori alteram sibi, ab Angelis à se visas dicebat. Quare ad Ducem adducta, & interrogata, cum se Christiana dicens, nulla ratione ad Dijs sacrificandum adduci posset, duabus palmarum arboribus curuatis, alligata, ab illis in altum dimissis per medium statim discerpta est. Victor verò tandem securi percussus illustre martyrium compleuit, cum prius satellitibus post 12. dies, & oratoribus suis post 7. mortem: ac Duci post 24. captiuitatem prædixisset, corpusq; suum (quod percussum sanguinem cum lacte dedit) post triennium in Italiam deferendum. Quæ omnia ita euenere. Feltriam autem delatum vnà cum corpore S. Coronæ, seu Stephanæ ibi honorificè conditum est, vt vterque vrbis illius tutelaris summa celebritate colatur. *Ex Pass. apud Metaphr. & Sur. tom. 3. rel.*

Cæcis visus restituitur.

Gemina corona pro Victore, & Stephana.

Corpus sanguinem cum lacte mirabiliter effundit.

ANNOTATIO.

ETsi Hi martyres in Syria passi sunt, eorum tamen historiam hic reposuimus, quòd Victor Italus esset, & Italicæ vrbis patronus.

DE SS. IVSTA, IVSTINA, ET HENEDINA SARDINIÆ martyribus.

IVsta, Iustina, & Henedina fœminæ in Sardinia propter fidem Christi comprehensæ martyrio coronatæ sunt Pridie Idus Maij, circa ea tempora, quibus Crescentianus Turribus & Antiochus Sulcis sub Hadriano passi sunt. Quibus ob miracula ecclesia extructa postea in Cathedralem erecta est, Oppidoque S. Iustæ nomen impositum, quòd ad Arboritanum metropolim proximã attinet. Acta illarum desiderantur: miraculis tamen claras, ac vrbis S. Iustæ, quam à peste liberarunt, patronas Sardiniæ Annales tradunt. *Ex Fara libr. 1. de reb. Sard. & F. Dima Serpa in Cron. Sardin.*

ANNOTATIO.

ET si Io. Franc. Fara loco memorato has SS. fœminas in pace decessisse scribit; Martyrol. tamen Rom. illas apertè martyres nominat. Quas F. Dimas loco cit. Calari passas asserit, nullo tamen aliorum testimonio.

DE S. PASCHALE PAPA I. HVIVS NOMINIS.

PAschalis Romanus post Stephanum IV. qui illum monasterio apud Vaticanum præfecerat, Pontifex à Clero, & Populo Rom. electus Ludouico Pio Imp. inscio (illis enim temporibus neque Pont. Romanus sine Imp. licentia eligi, neque Episcopi ab ipso Pont. creari poterant) missa legatione placauit; Episcoposque postea designandi non expectato Imperatoris consensu de cætero facultatem, & donationis ecclesiæ à Carolo Magno factæ confirmationem ab eo accepit. Is pro Ecclesia Catholica maximè verò aduersus Iconomachos (quorum Dux erat Leo Armenus Imp. Catholicos, in quibus S. Theodorum studitum Abbatem, S. Ioannicium Anachoretam, & S. Nicetam exilio, & cædibus vexans) egregiè certauit, eos qui ex oriente refugiebant benigne excipiens, & sustentans: quibus apud S. Praxedis basilicam à se a fundamentis rursus extru-

Paschalis cõtra Ecclesiæ hostes egregiè decertat.

ctam monasterium ædificauit. Corpus S. Cæciliæ virginis, & martyris ipsa reuelante inuentum aureis indumentis velatum, sanguine adhuc conspersis, vnà cum corporibus SS. martyrum Valeriani spōsi, Tiburtij, Maximi, nec non Vrbani, & Lucij Pontificum ex Cœmeterio Prætextati in eiusdem virginis ecclesiam à se donis plurimis ornatam, & auctam transtulit. Basilicam quoque S. Mariç Maioris vetustate collabentem instaurauit. Plurima SS. corpora in vrbem inuexit honestiusque recondidit. Clericis stipendia auxit. Captiuos vtriusq; sexus per multos varijs, & longinquis in regionibus redemit. Ædes sacras restituit, & ornauit, sacris vasis, & vestibus pretiosis elargitis, Miraculis etiam claruit: in quibus, illud non prætereundum, quòd cum noctu porticus ante basilicam Principis Apostolorum incendio conflagraret, S. Pontifex nudis pedibus accurrens, seque flammis obijciens, illas oratione sua, & aliorum extinxit. Cum autem Ecclesiæ annos 7. menses 3. dies 16. præfuisset Pridie Idus Maij. An. sal. 824. decessit è vita sepultus in Vaticano. *Ex Anastasio Biblioth. à Baron. in Annal. ad an. præd. rel. Ex Plat. & alijs.*

Porticus basilicæ S. Petri igne perflagrans ab incēdio liberatur.

ANNOTATIO.

Paschalis Lotharium Ludouici Pij filium patre adhuc viuente, & assentiente Roma in basilica S. Petri die Paschatis, qui 15. fuit Aprilis An. D. 823. Augustum coronauit.

DE S. BONIFACIO EPISCOPO FERENTINO.

Bonifacius à Gaudentio Presbytero Ferentino enutritus, ac postea Ferentij (quæ ciuitas Viterbio proxima hodie iacet) factus Episcopus, vir eximiæ sanctitatis fuit, multis clarus miraculis. Cum irruens grando exiguam vineam suam vastasset, paucis relictis racemis, parare nihilominus omnia vasa vinaria adueniente vindemia Constantio Presbytero nepoti iussit, & quod ex paucis illis racemis in torculari calcatis expressum fuit, vasis cum benedictione infudit, quod adeo ex torculari redundauit, vt illis vasis expletis, ex eo etiam pauperum vascula implerentur. Ingressus autem cum nepote prædicto, qui vasorum tot præparationem deridebat, cellam vinariam, vinum exundans, solumque madefactum ex eo repperit. Quod miraculum ne eo viuente euulgaret, nepoti terribiliter minatus præcipit. In festo S. Proculi martyris à Fortunato viro nobili exoratus, vt post missarum solemnia in domum suam cibum capturus declinaret, cum mensam benedicturus esset, quidam foris cum symia cymbalū cœpit percutere. Quem S. vir dedignatus ait, Heu, Heu mortuus est miser iste pro charitate tamen cibum, & potum ei porrigite; licet sit mortuus. Qui accepto pane, & vino, egrediens domo saxo ingenti ex tecto percussus obijt. Constantius nepos aureos 12. equià se venditi pretium in arca reposuerat: pauperibus autem eleemosynam poscentibus S. Episcopus absente nepote arca violenter aperta illos 12. aureos distribuit. Nepos reuersus, vt arcam apertam sine aureos videt, strepitare, & clamare cœpit, *Omnes hic viuunt, solus ego in domo hac viuere nequeo:* quem cum S. vir placare non posset, ingressus ecclesiam B. Virginis, orat, vt sibi reddatur, vnde furentis Presbyteri mitigetur insania, ac in sinu suo 12. aureos fulgentis inuenit, quos nepoti reddens dixit, *ecce solidos, quos quæsisti, scito tamen te propter auaritiam tuam in Episcopum huius ecclesiæ post me eligendum non esse.* Gothis duobus Rauennam pergētibus vasculum ligneum vino plenum dedit, quod cū vix prandio sufficere deberet, satis tñ illis non modò vsque Rauennā sed & quandiu Rauennæ morati sunt, atque in reuersione Ferētium vsq; erucç hortū suum depascentes, adiuratione in nomine D. N. I. C. mirabiliter expulit.

Ex paucis racemis ingens vini redūdat expressio.

Inuisa, ac futura prædixit.

Vini mira multiplicatio.

Erucæ ab hortu fugantur.

Sed

Sed & puer sæpius domum sine vestibus, quas pauperibus nudis concedebat, reuertebatur; triticum quoque quod mater in annum reponere solebat, pauperibus erogabat. Cũ verò mater horreum vacuum reperiens pugnis se desperans tunderet, Bonifacius illam, vt horreo exiret, rogat, quo facto S. puer modicum tritici, quod remanserat, sic orando auxit, vt mater in horreum reuersa, illud plenum inueniret. Illud etiam mirum, quod cum vulpes gallinam abstulisset, quod facere consueuerat ex vicina rupe exiliens. Bonifacius puer, ecclesia, vbi orans à Deo remedium postularat, egressus vulpem gallinam referentem, & ex ore dimittentem vidit. *Ex lib. 1. Dialog. c. 9. S. Greg. Papa.*

Triticum in horreo auget.

ANNOTATIO.

CORpus S. Bonifacij Episcopi, qui ferè S. Greg. Papa tempestate vixit (is enim se gesta Bonifacij à Gaudentio Presbytero illius nutritore audisse scribit) corpus Viterbij, quò cum Episcopali sede translatum est, quiescit, & colitur, vt audiui.

DE S. POMPONIO EPISCOPO NEAPOLITANO.

POmponius Episcopus Neapolitanus, cuius gesta vnà cum tempore quo vixit, & præfuit, ignorantur, factus Episcopus, inter alia, quæ eum gessisse probabile est, ecclesiam maiorem S. Mariæ à fundamentis extruxit, & ornauit. (eã nunc tenent clerici, seu vt vocant Canonici Regulares) cum autem Ecclesiam summa prudentia, & pietate administrasset Prid. Idus Maij migrauit è vita, in eadem basilica, quam ædificarat quanque Ioannes Papa dedicasse fertur. tumulatus. *Ex Paulo Reg. lib. de SS. Regni Neapolit. ac ex monumentis Eccl. Neap.*

ANNOTATIO.

IS inter SS. Athanasium, & Ioannem eiusdem vrbis Epp. vixisse videtur ex quodam M.S. de Epp. Neapolit. quod vidimus Neapoli. rem tamen affirmare non ausim.

DE S. BONOSIO EPISCOPO SALERNITANO.

Vide die praced.

DE S. CONSTANTIO EPISCOPO CAPREARVM Patrono.

COnstantius ex clarissimo Imperatorum Stemmate procreatus, cum doctrina, & vitæ sanctitate præstaret Constantinopolitanæ Ecclesiæ præficitur quo tempore Ecclesia occidentalis ab Hæreticis affligebatur: quibus S. Episcopus sese opponens, multos ad sanitatem reduxit. Is & viuens, & mortuus miraculis claruit. Quidam pœnitentiæ causa ob grauissima delicta ferro constricti ab eo diuinitus soluti feruntur ferreis vinculis in morem ceræ resolutis. Cũ mortem obijsset, corpus Capreas (insula est apud Promontorium Mineruæ in ore Cratetis sinus) delatũ, multa ei ciuitati beneficia præstitit. Nam cum Agareni vastata Calabria classe campaniam peterent, & Capreas applicuissent, ciuesque in antra metu perterriti refugissent, anus quędam, quæ fugere cum alijs nequiuerat, à S. Constantio Insulæ patrono ope implorata, liberationem impetrauit. Cum enim vir S. eam consolatus disparuisset, mox orta tempestas horribilis Hostes discedere coegit. Quod An. sal. 891. contigisse ferunt. *Ex monum. Eccles. Beneuent. & Capreen.*

Vincula ferrea in morem ceræ dissoluũtur.

ANNOTATIO.

QVando hic S. Episcopus vixerit, & quomodo eius corpus Capreas delatum fuerit haud apparet ex eo M.S. Eccl. Beneuent. à quo hæc accepimus.

DE

DE S. BEVIGNATE CONFESSORE PERVSINO.

Olíua, & triticũ præcox.

Puer a lupo occisus reuiuiscit.

BEnignates monachus Perusinus vitam in sylua apud Perusiam solitariam duxit: quo in loco ecclesia antiqua suo nomini dicata perseuerat. Is multis effulsit miraculis, quorum aliqua referre non pigebit. Cum non esset, quod aduenientibus apponeret, quo ve famem depelleret, eius precibus oliua, & triticum, quorum nondum tempus aduenerat, diuinitus maturescunt. Duo insontes suspensi, cum se Benignatis orationibus commendassent, liberantur. Puer etiam à lupo occisus, ad S. virum delatus, ad vitam post preces pro eo factus reuocatur. Cum obijsset, antequam sepulturæ traderetur, plurimi infirmi, & à Dæmonibus vexati sacri corporis tactu curati sunt. Corpus ibidem in dicta ecclesia cum monasterio (quem locum Equites Hierosolymitani possident) ad hæc vsque tempora requieuit, tota ciuitate ad illud hac die venerandum confluente. Cæterum quo tempore vixerit, cuiusve instituti aut Religionis fuerit, ignoratur. *Ex Tab. & antiq. tradit. Eccles. Perus.*

ANNOTATIO.

QVæ paucis de S. Benignate narrata sunt, haud ex aliquo scripto accepimus, sed ex picturis memoratæ ecclesiæ: vbi is habitu monastico albi coloris indutus conspicitur.

Maij die 15.

DE S. LIBERATORE EPISCOPO, ET MARTIRE in Pelignis.

SAnctus Liberatoris Episcopi, & martyris in Pelignis freques, & celebris est memoria multis in locis, præsertim Sulmone, Beneuenti, vbi eius reliquiæ habentur, & Manlianæ in Sabinis, vbi Tutelaris est, & templum habet, vt accepimus.

ANNOTATIO.

ACta ex varijs locis, in quibus is colitur peruestiganda curaui; at nihil certi ad manus hactenus peruenit.

DE S. EVTITIO PRESBYTERO, ET MARTYRE Soriani in Faliscis.

EVtitius Presbyter Ferentij Christianis clam in persecutione sub Claudio Imp. ministrabat, multos ad Christum conuertens, in quibus fuere Gratilianus, & Felicissima. Ad quorum corpora visenda seu sepelienda cum diuino admonitu Faleriam venisset, Gratiliani parentes adhuc Gentiles in Christiana fide erudiuit, & aquis salutaribus expiauit. Inde instantis martyrij præmonitus, Ferentium reuertitur. Vbi accusatus quòd contra Principum decretum Christum prædicaret, & Deos negligeret, Maximo Tribuno sistitur. Cui cum Eutitius se Deos, tanquam vana, & muta simulachra, quæ oculos habent, & non vident, contemnere respondisset, catenis constrictus in carcerem truditur. Postero die eductus (Dionysio Episcopo Ferentino, qui pro Eutitio intercesserat, fustibus cæso, & extra vrbem eiecto) primùm blanditijs, ac honorum, & diuitiarum promissis, vt Deos coleret à Maximo tentatur. Sed cum Christo omnium conditori renunciare, Deos autem, qui sunt hominũ inuenta, & opera adorare

adorare non posse constanter responderet, verberibus affectus, in equuleo suspenditur: eos lapidibus cõtunditur: ac demum extra vrbẽ ductus capite truncatur. Cuius corpus à B. Dionysio Episcopo à clericis adiuto noctu sepelitur, in crypta: ex qua aqua infirmis sanitatem impertiens vsque in præsens scatere dicitur; & manna pluries colligi, præsertim in Festo Paschatis, Pentecostes, Assumptionis & hac die, quibus anni temporibus ad Eutitij ecclesiam (quæ in Hortana diœcesi constructa haud mediocrem apud finitimos populos venerationem habet) processio fieri consueuit. Eius reliquiæ in scypho lapideo inter rudera inuentæ ab Henrico Episcopo Hortano sub Alex. VI. Pont. Max. in arca marmorea decenter reconditæ in ara ecclesiæ prædictæ religiosè asseruantur. *Ex monum. Eccl. Hortanæ, & Soriani, vbi is præcipuè vti Tutelaris colitur.*

Aqua salutario.

ANNOTATIO.

SAncti Eutitij Presbyteri in actis SS. martyrum Valentini, & Hilarij fit mentio; Sed dum illi sub Diocletiano & Maximiano, hic vero sub Claudio passi referuntur, error corrigendus venit, nisi fortè Eutitius ibi memoratus ab hoc, de quo agimus, diuersus sit.

DE S. SIMPLICIO EPISCOPO, ET MARTYRE Phausaniæ.

SImplicius Episcopus Phausaniæ (quæ ciuitas hodie Terra noua in Prouincia Gallurensi in Sardinia nominatur) post SS. Gauini, Propti, & Ianuarij passionem, ob fidem Christianã iussu Barbari Præsidis comprehensus, frustrà ab ipso minis deterretur. Cumque Deos dæmones esse, & muta simulachra diceret, ab ipso Præside lancea transfixus, semineccis cadit: ac triduo, quo Fideles ad supplicia fortiter pro Christo perferenda hortabatur, animam Deo reddidit Idibus Maij circa An. sal. 304. Cuius corpus à Christianis ibidem conditũ fuit; vbi postea templum suo nomini excitatum est. ibique Episcopi Ciuitatensis sedes constituta. Illum Ciuitatenses patronum suum maximè venerantur. *Ex Io. Arca de SS. Sardin. & F. Dima in Cron. Sard. lib. 3.*

ANNOTATIO.

QVod S. Simplicium martyrio affectum an. D. 305. *scribunt Cronologiæ repugnat. Barbarus enim Præses sub Diocl. & Maxim. Sardiniam administrauit. Cui Iulsius, deinde M. Delasius Imperantib. adhuc prædictis (vt scribit Fara lib. de Reb. Sard.) successit. Diocletianus, autem & Maxim. an.* 304. *Imperio abdicantur. Oportet itaque S. Simplicium martyrium subijsse ante an.* 303.

DE S. DIMIDRIANO EPISCOPO VERONENSI.

DImidrianus Episcopus 16. Veronensis post S. Lucidium eam Ecclesiam sanctissimè administrauit bonorum operum, & sanctitatis exemplar. Vir planè diuinus; qui varijs virtutum generibus excultus, vitæque sanctimoniam cum eruditione coniungens, omnibus hominibus proderat. Obijt autem diem suum Idibus Maij, & in sacra æde D. Stephani apud alios SS. Episcopos appositus est. *Ex antiquis monum. Eccles. Veronen. à Raphaele Bagata Archipresbytero rel.*

AN-

ANNOTATIO.

HVius, aut prædictoque aliorum Episcoporum Veronen. Acta desiderantur. extat antiqua in æde S. Stephani tabula, in qua eius, & corporis seu mentio habetur.

DE S. VRSO EPISCOPO FANENSI EIVSDEM VRBIS Protectore. *Vide die seq. in quem ex falsa informatione relatus est.*

DE S. DOMNINO DIACONO, ET CONFESSORE Placentino.

DOmninus Placentiæ sub S. Mauro Episcopo eiusdem ciuitatis floruit: à quo ordinatus Diaconus, vnà cum SS. Victore, & Gelasio verbi prædicatione, alijsque pijs operibus maximè verò circa diuinum cultum laborans operam dedit. Diuinis officijs, & animarum saluti præcipue intentus erat. Sed, & seipsum ieiunijs, vigilijs, ac orationibus assiduis exercens, dignam Deo, & acceptabilem hostiam offerebat. Cum verò in diuinis exercitationibus plurimum proficeret, famaque sanctitatis eius in dies magis percrebesceret, dilectus Deo hinc in æternam vitam translatus est Idibus Maij, in Moxijs à S. Mauro sepultus. Statimque post mortem omnibus cœpit esse venerationi. Corpus eius postea a b Euorardo Episcopo in S. Sauini basilicam cum aliorum SS. corporibus translatum est, & anno D. 1481. à Fabricio Episcopo loco decentiori repositum. *Ex monum. Eccles. S. Sauini in lectiones digestis.*

ANNOTATIO.

OFficium Ecclesiasticum, quod in dicta tantum basilica recitabatur, nunc in tota diœcesi Placentina licet totum excepta oratione, de communi vnius Confess. non Pont. recitatur. Ex Off. Eccles. Plac. nuper Romæ Approb.

DE S. HELARO ABBATE GALEATENSI.

HElarus, siuè Hellerus, (quem alij Hilarium vocant) Hetruscus, adolescens vt Deo liberius inseruiret, in abditum Apennini Montem, ex quo Vitis amnis profluit, se recepit: ibique oratorio, & cellula extructis dies noctisque in diuinis laudibus insumebat. Annos natus 22. vitam cœnobiticam multis ad eum ob sanctitatis famam confluentibus instituit cœnobio apud Galeatam ædificato. Quo tempore Theodoricus Rex eos, qui ad Helarum confugiebant, (in quibus Olybrius nobilissimus Rauennas fuit) aliquid moliri contra Regnum suspicatus, misit qui ad se S. virum pertraherent. Sed cum errantes locum haud potuissent inuenire, Rex ipse equo insidens, multisque comitatus ad Helari monasterium venit, cuius septa nunquam potuit ingredi, equo semper quanuis calcaribus, & verberibus adacto ingenua procumbente. Ex quo Rex id diuinæ virtuti tribuens, Helarumque sanctissimum virum intelligens, duos ex Senatoribus misit, qui illum suppliciter orarent, vt ad se veniret. Qui cum venisset, Regem in monasterium introduxit: Rex cum in antro Helari simul cum eo comedisset, monasterium illud priuilegijs ornatum multis prædijs ditauit. Helarus autem pijs laboribus, ætateque confectus, an. natus 82. feliciter migrauit ad Christum 3. Idus Maij. ibidem à monachis suis tumulatus.

Olybrius nobilissimus Rauennas.

Equus Theodorici Regis cellulam S. Helari licet calcaribus percussus ingredi minimè potest.

Cuius

cuius dies Festus agitur hac die. *Ex Monum. Eccl. Galeaten. & Hieron. Rub. li. 3. Hist. Rauenn.*

ANNOTATIO.

Illud S. Helari cænobium in Abbatiam conuersum est opulentissimam, cui 36. Ecclesiæ parochiales subiectæ sunt. Eius Abbas Rom. Pont. tantùm subditur plurium pagorum, in quibus Galeata Ciuitilla oppidulo vicina, ac feri totius vallis dominus est. Quæ exemptione à Paulo I. Pont. Max. an. D. 759. donatum est. ex Hieron. Rub. lib. 5. Hist. Rauenn. & Baron. in Annal. ad an. præd.

De eo in Breu. Vall. Vmbr. in quo Romanus fuisse traditur.

DE B. IACOBO PHILIPPO CONFESS. FAVENTINO Ord. Seruorum.

Iacobus Philippus Fauentiæ pijs parentibus ortus 9. ætatis annum agens institutum Seruorum B. M. in eadem vrbe suscepit. Is in dies magis in disciplina regulari proficiens admirandam planè cœlestemque duxit vitam. Sic enim, ieiunijs, orationibus, vigilijs, meditationibus, verberibus, & alijs carnis macerationibus addictus erat, vt pelle, & ossibus tantùm constare videretur. Quotidie culpas deflere, & Sacramentali confessione expiari solebat, nullam inordinatam in corde suo cogitationem morari passus. Fraternæ correptionis obseruantissimus fuit, veniam ab ijs, quos corrigebat, humiliter petens. Carne nunquam vesci, & nunquam ridere visus est. Vino rarissimè vsus, parcum admodum cibum assiduè ieiunans sumebat. Inter celebrandum (erat enim Sacerdos) lacrymas fundere solitus erat. Cum annos 30. in summa vitæ austeritate transegisset, assiduis corporis macerationibus confectus obdormiuit in Domino. Idibus Maij. An. à partu virginis 1483. multis clarus miraculis, cæcis, claudis, mutis, & alijs diuersi generis infirmis ad eius tumulum mirabiliter curatis. *Ex monument. cænobij Seruorum Fauentiæ, & Cron. Ord. eiusd.*

ANNOTATIO.

Corpus eius in proprio sacello hac die à Fauentinis venerationem habet. Cui etiam Papia in æde SS. Primi, & Feliciani, & alibi sacella, & aræ ob eius miracula extructa sunt.

Extat Fauentiæ priuilegium immunitatis ab oneribus familiæ B. Iacobi Philippi à ciuitate ob eius merita perpetuò concessum.

Vitam scripsit Nicolaus Burghesius Eq. & Patricius Senen. qui voto nuncupato à mania liberatus imaginem argenteam cum his versibus detulit.

„ *Corde laborabam genuo stimulatus iniquo*
„ *Quòd vitio stomachi creuerat atra bilis.*
„ *Huc vt confugi supplex, numenque precatus*
„ *Diue tuum, vacuæ non rediere preces.*

Maij die 16.

DE S. VBALDO EPISCOPO EVGVBINO.

VBaldus Eugubij in Vmbria non infimo genere natus à puero pietate, & litteris eruditus castitatem coluit. Cum tempus, vt vxorem duceret, aduenisset, sæpèque vt eam duceret, tentatus fuisset, nunquam tamen à proposito virginitatis seruandæ potuit abduci. Quin factus clericus, deinde Sacerdos patrimonio suo ecclesijs, & pauperibus distributo, Canonicorum Regularium Institurum suscepit, illudque in patriam suam inuexit. In quo cum aliquandiu sanctissimè vixisset, fama sanctitatis euulgata ab Honorio II. Pont. Maximo Ecclesiæ Eugubinæ inuitus præficitur. Quam cum multos annos summa cum laude gubernasset multis miraculis clarus (in quibus illud mirandum, quod patriam exercitu hostilium vrbium, quæ contra Eugubinos conspirauerant, signo crucis ex mœnibus fugato, ab obsidione, & aggressione liberauit) quieuit in pace. Cuius virtus in effugandis dæmonibus elucet. Illum Cœlestinus Papa III. huius nominis in SS. numerum retulit. Paulus verò V. in Breuiario Romano conscripsit. *Ex Breu. Rom. & vita per Hieron. Falcutium scripta.*

Vbaldus patriam ab hostilibus vrbibus signo crucis vindicat.

ANNOTATIO.

DEcessit an. D. 1171. Alex. III. Pont. Max. ætatis suæ 81. cum an. 41. in Episcopatu vixisset.

DE SS. PEREGRINO, HERCVLANO, ET FLAVIANO martyribus Anconæ.

PEregrinus Diaconus Anconitanus, in loco Rosceliano natus Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus multos prædicando ex Iudæis, & Gentilibus conuertit ad Christum; Sed apud Anolinum Proconsulem accusatus, ad eumq; perductus, cum ex illi fidem in Christum prædicasset, & Deorum cultum improbaret, illis vsus verbis *Simulachra Gentium argentum, & aurum opera manuum hominum*, & quæ sequuntur post longam de Dijs, & Christo disceptationem, in craticula ferrea igne subiecto iubetur extendi, oleoque perfundi. Verum Peregrinus Deum illis verbis precatus, *Igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas, & illis libera me à pressura flammæ, quæ circundedit me*, Incendium illud nulla læsione percepta superauit. Quapropter Anolinus vbi non semel frustra tamen ad Deorum cultum Peregrinum hortatus esset, Imperatorum edicta veritus, si viuere permisisset, in illum capitis sententiam dixit: Cum quo Herculanus, & Flauianus, qui à Peregrino conuersi, in confessione Christi fortes persistebant, capitis abscissione palmam martyrij adepti sunt. Eorum corpora à Christianis tumulata, nunc in ecclesia S. Peregrino dicata requiescunt. *Ex monum. Eccles. Ancon. ad nos transmissa.*

Peregrinus craticula ferrea torquetur.

Herculanus, & Flauianus decollantur.

ANNOTATIO.

ECclesia S. Peregrini, in qua horum martyrum corpora condita sunt, parochialis est, & per antiqua.

Hac die Eccl. Interamnen. S. Peregrinum Presbyterum Rom. & mart. retulit, quem à S. Sixto Papa in Galliam missum ad prædicandum in itinere Interamna prædicasse, oratoriaque construxisse ac cæmeteria, Romamque postquam Gallos in fide con-

confirmasset reuersum via Appia martyrio coronatum, & apud S. Petrum sepultum fuisse asserit. Quod apertè Martyrol. Rom. repugnat. Nam Peregrinus à S. Sixto in Galliam directus, Episcopus I. Antisiodorensis fuit, ibiq; martyrio coronatus est, nō Romæ, vt Acta eius habent.

DE S. VRSO EPISCOPO FANENSI.

VRsus Episcopus Fanensis hac die Fani celebratur, cuius corpus vnà cum corpore S. Eusebij eiusdem vrbis Episcopi in eadem arca marmorea in propria ara, & sacello maioris ecclesiæ requiescit. Qua vixerit tempestate, quæque egerit, & an. S. Eusebium præcesserit, subsecutusve sit, hactenus scire non potui. *Ex Tab. Eccl. Fanen.*

ANNOTATIO.

FEstum eius solemniter, & cum oct. celebratur die præcedenti. Est enim vrbis protector.

DE S. POSSIDONIO EPISCOPO, PATRONO Mirandulæ.

POssidonius, seu Possidius patria Tagastensis, Hippone in monasterio à S. Augustino extructo sub eius disciplina vitam duxit, & litteras didicit. ab eoq; nunquam discedens Presbyter ordinatus est. Megalio autem Episcopo Calamēsi defuncto illi inuitus sufficitur, à Crispino hæretico eiusdem vrbis Episcopo in itinere, dum diœcesim visitaret, multis verberibus affectus. Vitam in vigilijs, & ieiunijs, alijsque macerationibus egit. Quædam scripsit, in ijs vitam S. Augustini, cui operum illius indicem attexuit. Cuius idem Augustinus lib. 3. c. 6. contra Cresconium Grammaticum meminit. Quem ferunt non multo post D. Augustini excessum, migrasse à sæculo. Corpus apud Mirandulam oppidū, cuius patronus præcipuus est, religiosè asseruatur. *Ex monum. Eccles. Mirandulana, & eius vita apud Eremitanos.*

D. Aug. li. 3. c. 6. contra Crescon.

ANNOTATIO.

QVando, & quomodo corpus huius S. Episcopi Mirandulam delatum sit, haud accepi.

DE S. ADAMO ABBATE FIRMII IN PICENO.

FIrmij in Piceno S. Adamus Abbas hac die sub ritu duplici celebratur. Cuius corpus in Metropolitana Ecclesia conditum est. Ibidem apud Minores B. Adami egregij quondam Concionatoris, & miraculis corusci extat memoria. De quo illud memoriæ proditum est, illum aliquando ad viam per loca deuia aberrantem habitu à lupo apprehensum reductum fuisse. Aliquando etiam hirundines inter concionandum obstrepentes facto illis precepto, vt tacerent, à clamore compescuisse. Floruit circa An. sal. nostræ 1287. ferturque post mortem miraculis claruisse. Ex *Tab. Eccles. Firmana, ac ex Chron. Min. lib. 5. partis secunda.*

Lupus B. Adamum ad viā reducit.

Hirundines obstrepentes compescit.

ANNOTATIO.

HVius S. Abbatis Acta videre nondum contigit: neque si e[illegible]t hactenus scire potuimus.

DE

DE S. MAXIMA VIRGINE APVD FORVM IVLIVM.

MAxima virgo apud Forum Iulium, quæ est vrbs Carnorum in vico Callidiano non modò virginitatis flore resplenduit; sed & multis, insignibusque (vt Ado in suo tradit Martyrologio) virtutibus claruit. Quæ denique 17. Kal. Iunij ad virginitatis præmium euolauit in Cœlum, magnamque apud Foruilienses, & Aquilerienses totamq; eius Diœcesem obtinet venerationem. *Ex Martyrol. Rom. & Adonis. De ea paucis tamen Pet. in Cat. SS. lib. 5. c. 7.*

ANNOTATIO.

ACta propria huius virginis, siue quod non extent, siue incuria eorum, à quibus ea expostulauimus, nondum vidimus.

Maij die 17.

DE S. RESTITVTA VIRGINE, ET MART. NEAPOLI.

REstituta virgo nobilis, Carthagine nata, ac in Christiana religione à S. Cypriano Episcopo erudita Valeriano Imp. apud Proculum Iudicem accusatur, quòd esset Christiana. Cum quo vbi de Christo Deo vero, & vno, ac de falsò inanium Deorum cultu longum sermonem habuisset, nec promissis aut minis, vt Deos coleret, flecti posset. hanc post varios cruciatus ab impio Iudice sententiam excepit, vt viua in nauicula pice, oleo, resinaque perfusa combusta in alto pelago mergeretur. Quam sententiam dum ministri exequirentur incensa nauicula, flamma in eos conuersa illicò omnes combusti sunt. Restituta verò illæsa, angelica visitatione roborata, cum Deum, vt se ex carnis huius er gastulo educeret, precata esset, in oratione reddidit spiritum 16. Kal. Iunij circa An. sal. 256. Cuius corpus eadem nauicula in insulam Ænariam mirabiliter delatum ibi honorificè conditum est. Quæ non modò in ea Insula, sed & Neapoli, ob templum eidem Constantini Magni iussu excitatum præcipuè colitur. *Ex Martyrol. Rom. Et monum. Eccles. Ænarien. & Neapolit. à quib. Paul. Reg. lib. de SS. Regni Neapolit. p. 1. accepit. Extat in dicta Eccl. prop. off.*

Flamma vindex ministros comburit.

ANNOTATIO.

CVm Restituta sub S. Cypriano Episcopo Carthaginen. vixerit, qui sub Valeriano Imp. passus est. haud sub Numeriano An. 286. vt in off. illius, & pass. à Paulo Reg. loco citato legitur; Sed Valeriano circa An. 256. martyrio coronata fuit. Adolescens enim, vt ex actis eius colligitur, illud subijt.

DE S. FABIO MARTYRE.

FAbius martyr apud Fæsulas in Abbatia S. Martini colitur; Ibi enim corpus illius asseruatur; sed quo tempore sub quibus, quoue in loco martyrium inierit ignoratur. Acta etenim eius desiderantur. *Ex Tab. eiusdem Abbatia.*

ANNOTATIO.

CVm Fæsulis essemus huius S. Mart. monument. si qua aderant, peruestigauimus; sed nihil præterea reperire potuimus.

DE

DE S. EVPVRIA VIRGINE, ET MARTYRE Caietæ.

EVpuria virgo, & martyr (cuius patria, & genus martyrij nescitur) apud Caietanos non paruam habet ob eius miracula venerationem: quæ ad illius tumulum patrata leguntur. In ijs Martinum quendam Patricij Britanni filium toto corpore contractum, cum ad aram, in qua virginis corpus conditum est, ductus fuisset, integram membrorum omnium sanitatem consecutum ferunt. Mulier ità à dæmone obsessa, vt à multis viris robustis teneri non posset, ad idem sepulchrum perducta liberata est. Quod alijque fœminæ ex Campania euenisse legitur. Illud etiam fertur, nostris ferè temporibus accidisse rusticum quendam dum faciem lauaret in mari in die huius virginis festo, illud dulce gustu percepisse, quod ab alijs accurrentibus ad rei nouitatem compro batum tradunt. *Ex quodam M. S. antiquo Eccles. Caietanæ cuius exemplum in Bibliotheca Iul. Anton. Sanctorij Card. S. Seuerinæ legimus.*

Corpore cōtractus sanitatem recipit.

Maris aqua in festo S. virginis dulcis degustatur.

ANNOTATIO.

ACta illius dum viueret, Caietæ, & alibi perquisita, haud reperire potuimus: ex quo aliunde corpus ipsius Caietam deuectum conijcimus. si enim Caietæ, propeue eā vrbem passa fuisset, aliquid præter eius miracula saltem ex traditione sciretur.

Maij die 18.

DE S. VENANTIO MARTYRE, ET PATRONO Camerinensi.

VEnantius Camers annum 15. natus Decio Imp. apud Antiochum Præfectum Christianæ religionis accusatur. Quem ille diu pollicitationibus, & terroribus tentatum cum ad Idolorum cultum reducere non posset, flagris cæsum vinculis adstringi iubet; quibus ab Angelo solutus lampadibus aduritur, ac capite deorsum verso, fumoque subiecto suspenditur. Quem constantem miratus ac rursus ab Angelo solutum candidaque veste indutum supra fumum ambulantem videns Anastasius Cornicularius in Christum credidit, & à B. Porphytio Presbytero baptizatus paulò post martyrij coronam percepit. Venantius autem in carcerem coniectus frustrà ab Attalo præcone, fidei Christianæ desertore suasus, vt ad Idolorum cultum rediret, vbi rursus coram Præfecto Deos venerari constanter recusasset, illi dentes contusi, maxillæque confractæ sunt, ac cæsus in sterquilinium deijcitur. Sed ab Angelo ereptus, cum ante Iudicem staret, & loqueretur, iudex è tribunali cadens, & dicens *Verus est Deus Venantij* expirauit. Quod vbi Præfecto nunciatum est, Venantium leonibus obijci præcipit: à quibus ad eius pedes prostratis nil læsus, dum populo Christum prædicat, in carcerem reducitur. Porphyrius Presbyter interim Præfectum adiens, narrat se per visum nocturnum populos à Venantio aqua salutari expiatos vidisse clarissima luce fulgentes; ipsum verò Præfectum obscurissima caligine opertum. Quibus ille ira incensus illicò Porphyrium imperat capite plecti, Venantium verò per loca vepri-

Venantius dirè torquetur. Supra fumū ambulat.

Anastasius Cornicularius, & mar.

Iudex è tribunali cadens expirat.

Porphyrius capite plectitur.

T bus,

bus,& carduis plena raptari,& semianimem relictum, manè sequentis diei ex alta rupe præcipitari; Indeque diuinitùs ereptum denuò per loca aspera ad mille passus trahi. Vbi militibus in proxima valle siti æstuantibus, Venantius ex lapide, in quo genuũ eius adhuc forma impressa manet, aquam signo crucis eduxit. Quo miraculo plures in Christum credentes ibidem cum Venantio iussu Præfecti capite plexi sunt. Eo tempore fulgura, & terræmotus ij fuere, vt Præfectus aufugiens paulò post mortem turpissimam obierit. Corpora martyrum à Christianis tumulata, postea in basilica S. Venantio dicata cõdita sunt. *Ex lectionib. quæ ab Eccl. Camerinen. recitantur.*

Venantius aquam è lapide educit.

ANNOTATIO.

HIc miror quosdam (in quibus Pet. Gales. in suo Martyrol.) S. Venantium Episcopum facere; cum ex actis 15. duntaxat annum, cum subijt martyrium egisse constet.

DE S. FELICE EPISCOPO HISPELLENSI, ET MART.

FElix Episcopus Hispelli Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus, dum munus Episcopale in ea ciuitate exequeretur, multosque prædicatione ad Christum perduceret, iussu Præfecti comprehensus, vt Christo renunciaret, multis cruciatibus afficitur: quos omnes cum admirabili tollerantia superasset, nec Christum prædicare desisteret, demùm ceruicibus fortiter datis martyrio coronatus est. Hic Synuessanæ Synodo vnà cum Ioanne Episcopo Spoletino, in qua Marcellinus Papa crimen proprio ore confessus est, adfuit. *Ex Annal. & monum. Eccl. Hispellen. præter Martyrologia, & Pet. in Cat. lib. 5. c. 13.*

Vt Christo renũciet multis afficitur cruciatibus.

Synuessanæ Synodo adest, vbi Marcellinus Papa propriũ crimen confitetur.

ANNOTATIO.

PLeraque Martyrol. Felicem Episcopum, aut Spoletinum, aut Spalaten. faciunt, cum Hispellen. siue Hispellatis legendum sit. Nam Hispelli in ecclesia maiore sub illius imagine in pariete depicta subscriptio sic habet S. FELIX EPISCOPVS HISPELLAS. *Spoletij quoque in ecclesia Cathedrali antiqua illius imago cum huiuscemodi inscriptione* S. FELIX EPISCOPVS DE HISPELLO, *visitur, Baron. in Annot. pro Spoletino Spalaten. scriptum opinatur. Cum Spoletina Eccl. S. Felicem suum Episcopum minimè agnoscat.*

Maij die 19.

DE S. PVDENTIANA VIRGINE ROMANA.

PVdentiana (ab alijs Potentiana) virgo Pudentis Rom. Senatoris filia, parentibus orbata patrimonio amplo diuendito, & pretio pauperibus distributo se cum Praxede sorore ieiunijs, & orationibus, ac SS. martyrum sepulturis dedit; effecitque, vt tota familia, in qua nonaginta sex homines erant, à Pio Pont. baptizaretur. Cum autem ab Antonino Imp. ne Christiani publicè sacrificia facerent, sancitum fuisset, Pius in Pudentianæ ædibus sacra faciebat, ipsa Christianis, quos benignè excipiebat, ad vitam necessaria suppeditante. Quibus in operibus diutius versata, cum è vita 14. Kal. Iunij migrasset in sepulchro patris ad cœmeterium Priscillæ via Salaria à Pastore Presbytero, & à sorore sepulta fuit. *Ex Breu. Rom.*

AN-

ANNOTATIO.

*A*Nton. Gallonius lib. de virginib. Rom. Pudentianam, & Praxedem diem obijsse sub M. Aur. Antonino, (qui persecutionem in Christianos à se in prioribus ann. excitatam, postea ob victoriam aduersus Barbaros precibus Christianorum obtentam sustulit) non sub Antonino Pio pluribus orationibus ostendit. Verùm si harum pater Pudens S. Petrum Apost. qui Romam venit an. D.44. hospitio excepit, qui filia vitā vsque ad M. Aur. Antonini tempora produxere? Nec satisfactum dubitationi videtur, si dicatur illum Pudentem à Pudente virginum patre diuersum fuisse, cum id voluntariè, & nullo Antiquorum scriptorum testimonio comprobatum dicatur. Oportet itaque Pudentem valde iuuenem fuisse, ac SS. virgines post multos annos ex eo genitus ad plurimos annos, qui Antonini Pij tempora attingerent, vitam produxisse, ac in vltima senectute decessisse, cum ex Martyrol. Rom. Pudentem harum virg. patrē ab Apost. baptizatum esse appareat.*

DE S. PVDENTE SENATORE ROM.

PVdens Senator Rom. Punico patre, & Priscilla matre natus, cum Romam aduenientes Apostolos Petrum, & Paulum domi suæ excepisset, ab eis in Christiana religione instructus baptizatus est. Is pietatis operibus maximè addictus fuit. Christianos enim, præsertim pauperes, & peregrinos domi suæ libē ter excipiebat, illisque necessaria ministrabat. Quod maiore animi ardore post Sabinellæ vxoris (ex qua Pudentianam, & Praxedem filias à Pastore baptizatus suscepit) mortem, alijs charitatis & virtutum exercitationibus addictis præstitit. Vestem candidam, qua ab Apostolis baptizatus fuerat indutus, immaculatam seruans, animæ quoque candorem vsque ad extremum vitæ conseruauit. Domi suæ sacram ædem ædificauit. quam Pastor Presbyter S. Pij Papæ frater seu Pius ipse dedicasse fertur. Denique cum filios Nouatum, & Timotheum, Pudentianam, & Praxedem optimè instituendos curasset, ad cœleste præmium euolauit. *Ex Adone, & Pet. in Cat. lib. 5. c. 14. præter Martyrol. Rom.*

ANNOTATIO.

DE S. Pudente, cuius S. Paulus Apost. ep. 2. ad Timoth. c. 4. meminit, Græci alia die agunt, hoc est 18. Kal. Maij, vnà cum Aristarcho, & Trophimo, vt Baron. ait in Annot. hac die. Sed animaduerteri debuit. hos à Græcis scribi sub Nerone decollatos. ac ex 70. Discip. numero fuisse. Sic enim in Anthologio ipsorū legitur. τῶν Ἀγίων Ἀποστόλων τῶν Εβδομήκοντα Ἀριστάρχου, πούδη, καὶ τροφίμου: *Quos Apostolorum Paulum vbique sequutos, & ipsos prædicasse aiunt.*

DE SS. CALOCERO, ET PARTHENIO
martyribus Rom.

CAlocerus, & Parthenius Tryphoniæ Augustæ Decij Imp. coniugis eunuchi; quorum prior cubiculo eiusdem Augustæ præfectus erat, alter alterius officij, hoc est Notariorum primicerius cum Christianam clam religionem colerent, detecti, ac comprehensi, vt Christo renunciantes Deos colerent, frustra admonentur, Quare cum nullo modo, vt Dijs sacrificarent, adduci possent, eiusdem Decij iussu necati martyrij palmam 14. Kal. Iunij adepti sunt. *Ex Adone, & Petro in Cat. lib. 5. c. 17. in quib. Sur. tom. 7. accepit.*

ANNOTATIO.

HOrum martyrium Romæ via Appia consumatum ex Vsuardo, & Adone habetur.

DE S. PETRO COELESTINO CONFESSORE Aquilæque protectore.

PEtrus Moronensis cognomento (sic à M. in quo vitam asperam duxit appellatus) patria Æserninus vitam Anachoreticam in summa austetitate apud Sulmonem ducens, famaque sanctitatis fulgens cum religionem Cælestinorū instituisset à Greg. X. approbatam absens Perusiæ à Cardinalibus opera Karoli Regis Neapolitani, & Latini Cardinalis Pontifex post Nicolaum IV. An. sal. 1294. eligitur, ac Cœlestinus V. appellatur. Qui Aquilæ maximo hominum concursu (200. siquidem eorum millia Aquilam, vt Eremitam Pont. factum cernerent, aduenisse ferunt) consecratus 12. Cardinales creauit, vitamque pristinam quo ad vigilias, ieiunia, & orationes retinebat Latini Cardinalis præcipuè opera in administrando Pontificatu vsus: Erat autem in omnes ita humanus, benignus, & facilis, vt mortuo Latino, à nonnullis Cardinalibus maximè verò à Benedicto Caietano, Pontificatum ambiente vt se illo abdicaret, ne Ecclesia causa sui detrimentum pateretur, & ne ipsi tanto regimini ob nimiam facilitatem inhabilis à Deo æternùm quasi omnium malorum, quæ eo Pontifice fierent, causa seuerè puniretur, facilè persuadetetur. Quare Cœlestinus animæ suæ saluti timens Neapoli Collegio Cardinalium coacto, vbi se tutò Papatui renunciare posse intellexit, sexto mense Pontificatum maxime Karolo Rege, & alijs reluctantibus deposuit, eremumque repetijt. Interim Benedictus Caietanus in Pontificem creatus, & Bonifacius VIII. dictus, ne Petrus ad sedem ab æmulis Cardinalibus, & Principibus; quibus factum improbabatur, reuocaretur, illum in itinere captum, & in Castro Fumonis apud Ferentinum carceri emancipatum accuratè iussit custodiri. Vbi post 17. menses cessit è vita. Quem miraculis clarum Clemens V. Pont. Max. Auenione 5. Non. Maij An sal. 1319. SS. numero adscripsit. Corpus primum ex Cœlestinorum monasterio Ferentinum delatum est: Inde clam sublatam Aquilam deductum fuit, vbi An. sal. 1520. die 11. & 12. Iunij, pontificali habitu indutus, valdeque refulgens supra templum S. Mariæ, in quo corpus asseruatur, cum horæ vespertinæ decantarentur, apparuisse, vrbique benedixisse traditur. *Ex eius vita à Paulo Reg. lib. de SS. Regni Neapolit. par. 2. relata.*

ANNOTATIO.

Miracula narrantur innumera S, Petri Cœlestino.

VItam multis Petrus de Aliaco Card. scripsit à Sur. tom. 3. relatam, quamque Paul. Reg. prolixius prosequitur: in qua miracula innumera continentur, cæcos enim plures, & mutos, & corpore vitiatos, ac varijs morbos insanabilibus laborantes, obsessosque à Dæmonibus curasse, & occulta diuinasse traditur.

DE S. THEODORO EPISCOPO LVCENSI III.

THeodorus III. Episcopus Lucensis, (quem ex Turtinghellorum familia progenitum ferunt) ad eam dignitatem ob eximias eius virtutes euectus

euectus fuit. Is factus Episcopus aduersus Arianam perfidiam, quæ Italiam peruagabatur, strenuè certauit, ab eaque peste commissum sibi gregem incolumē seruauit. Cum verò diu Ecclesiæ suæ sanctissimè præfuisset, meritis cumulatus ad cælestem patriam 6. Idus Augusti euolauit. Cuius corpus postea in ædem S.Paulini hac die, qua eius festiuitas celebratur, traslatum fuit. *Ex monum. Eccles. Lucen.*

ANNOTATIO.

QVod S.Theodorus III. Episcopus Lucæ fuerit dubitationem habet, cum primus S. Paulinus à S. Petro Apost. ordinatus fuerit: nisi quis velit diu Ecclesiam Lucen. Pastore caruisse, quod & alijs vrbibus accidisse legimus.

DE B. SYBILLINA VIRGINE PAPIENSI Ord. Præd.

Sibyllina virgo Papiæ nata ex Biscossa familia anno ætatis 11. lumine oculorum orbata, inter sorores, quæ de Pœnitentia dicebantur, ordinis S.Dominici, triennio non sine magno patientiæ, & pietatis exemplo vixit cum autem quadam die feruentiùs oraret, vt visum reciperet, quo victum posset manibus operando comparare, visa est sibi à reclusorio ad ecclesiam Cathedralem à S.Dominico trahi (à quo opem assiduis precibus implorabat) ab eoque quædam horrenda primùm, deinde iucunda, splendidaque, ac mero odore redolentia palatia sibi ostendi. Caduca itaque aspicere non curans reclusorium annos 15. nata ingreditur: ex quo bis tantùm egressa fuisse legitur. In eo prioribus, 7. annis eam pœnitentiam egit, quam quis magis admirari, quā imitari queat, Corpus suum vigilijs, orationibus, ieiunijs, lacrymis, verberibus quo ad sanguis efflueret, affligebat. hyeme ignem nunquam adhibuit, eisdem tamen quibus æstate, vestibus induta, lectus illi tabula lignea breuis, & angusta; in qua breuissimo somno fessa membra recrearet. Cumque immensis doloribus afficeretur corporis, animo tamē ex meditationibus, & seruorum Dei colloquijs magnam capiebat voluptatem. Claruit, & spiritu prophetico, cum plura arcana, & futura aperuerit. Denique anno reclusionis 64. ætatis 80. Migrauit ad sponsum 14. Kal. Aprilis An. sal. 1367. In æde S.Thomæ quæ est Ord. Præd. sepulta, miraculis fulgens. *Ex antiqua tab. eiusd. eccl. in qua vita compendio descripta est.*

Oculorum lumine orbata.

Visio B. Sibyl.

Mira Sibyllinæ pœnitentia.

Claret spiritu prophetico.

ANNOTATIO.

VItam fusius vulgato idiomate edidit F. Donatus Lagus Ord. Præd. Papiæ an. D. 1599. in qua eius miracula enarrantur.

Maij die 20.

DE S. BASILLA VIRGINE, ET MARTYRE ROM.

Basilla nobilissima virgo Rom. à teneris in fide Christi erudita ab Heleno patruo eiusdem, & Eugeniæ virginis suasu virginitatem Deo vouit, licet à suis Pompeio viro clarissimo in matrimonium desponsa fuisset. Dum itaque Eugeniæ consuetudine per litteras, & per internuncios Protum, & Hyacintum frueretur, atque à Sancto Cornelio Papa aqua salutari regenerata

fuisset, Pópeius sponsus certiora serua Basillæ factus, remque vt erat suspicatus, vbi à Basilla (quam neque alloqui potuit) se Christo desponsam non posse in alicuius nuptias consentire responsum accepit, furens rem ad Galienũ Imp. defert, Eugeniam virginem, quę vnà cum Proto, & Hyacintho falsis eunuchis, virgines à cultu Deorum, & à nuptijs auerteret accusans. Quare Imp. Eugeniam, & eunuchos comprehendi iubet, ac custodiæ tradi: Basillæ verò denunciari, vt aut sponsum acciperet, aut gladio interiret. Quæ cùm se Christum Regem Regum sponsum habere respondisset, gladio transuerberata ad eum migrauit 13. Kal. Iunij. Via Salaria. *Ex Gestis S. Eugeniæ virg. & mart. ac SS. Prothi, & Hyacinthi.*

ANNOTATIO.

Babilla à Pet. in Cat. lib. 5. c. 23. pro Basilla scribitur. Vbi & illud narratur Basillam quòd esset ex genere Impp. haud tentam fuisse, neque publicè auditam, sed priuatè domi suæ decollatam.

DE S. THEODORO EPISCOPO PAPIENSI XXIV.

Theodorus ex præposito Ecclesiæ S. Agnetis (quæ postea de S. huius Episcopi nomine dicta est) B. Petro Episcopo vita functo Zacharia I. Pontifice Max. ob eius præclaras animi dotes subrogatur. Erat is corpore quidem exiguus, at animo maximus, & inuictus: qui populum ita crebris hortationibus instituit, vt, & diuina mandata seruaret, & Arianam pestem, quæ in Italia repullulare videbatur à se longè depelleret. Multis claruisse miraculis fertur, in quibus illud in primis narratur, quòd cum Rex Galliarum vrbem Ticinensem obsideret, & S. Episcopus mœnia circunueniens oratione, & signo crucis illam ab hostibus defenderet, nepos q; Regis illum cõspicatus iacta in eum sagitta interimere conatus fuisset, illa in sagittariũ diuinitùs retorta eum vita priuauit. Quem S. Theodorus ad Regis qui se obsidionẽ soluturũ promiserat preces ad vitã reuocauit. Cum verò Rex promissis non staret, tanta ius imbrium de cœlo ruere cœpit, vt Papia cum exercitu discedere, & transalpes abire cogeretur. His, alijsque præclare gestis, cum annis 14. Ecclesiæ summa cum laude, & vtilitate præfuisset, de obitu à SS. Syro, & Inuentio in somnis præmonitus, ac clerum, & populum, quibus visionem aperuit, ad pietatem, mutuamque beneuolẽtiam seruandam hortatus 15. Kal. Iunij migrauit è vita. Stephano II. Pont. Max. in prædicta S. Agnetis ecclesia conditus. *Ex Antonio M. Spelta lib. de vit. Epp. Papiens. post Iacobum Guallam, & Steph. Breuent.*

Theodorus signo crucis Papiam ab hostibus obsessam liberat.

Sagitta in sagittarium retorta.

ANNOTATIO.

Quod Gualla, & Breuent. in huius S. Episcopi vita aiunt Karolum Magnum Papiam S. Theodoro Episcopo obsedisse, cùm ab Historia quæ illum semel hanc vrbem obsedisse, & cepisse Desiderio superato narrat, tum à temporum supputatione discrepat. Cùm S. Theodorus Episcopatum Luitprando Rege inierit, illumque anno 14. tenuerit, vt à Spelta ritè ostenditur; licet ipse Theodorum mortuum sub Constantino V. Imp. referat, qui multò ante decesserat: Imperabat autem Constantinus VI. cognomento Copronymus.

Guallæ sententia haud probatur.

Gu-

Gulielmus Episc. Papien. LXV. sic de S.Theodoro, & Hieronymo scripsit.

, *Theodorum in acie*
, *Cum sanctis Pontificibus.*
, *Hieronymus vas gratiæ*
, *Cum maximis spiritibus.*

DE S. ANASTASIO EPISCOPO BRIXIENSI.

ANastasius Episcopus Brixiensis XXV. S. Paterio subrogatur. Is Ecclesia Brixiana optime constituta in Africam proficiscitur, vbi multos ad Christianam, & Catholicam fidem prædicatione, & miraculis reduxisse fertur. Peragrata autem magna Africæ minoris parte, rebusque in ea diuinè gestis ab Ecclesiam suam rediјt: in qua circa Gregorij Magni Papæ tempora, siue paulo antequam is ad Pontificatum assumeretur, multis cumulatus meritis ex hac vita S. Dominico sibi succedente migrauit 13. Kal. Iunij. Cuius corpus in basilica Cathedrali conditum est. *Ex Pet. Gales. in Martyrol. Capreolo in Annalib. & Monum. Eccl. Brixien.*

ANNOTATIO.

TEmporum supputationi valdè repugnare videtur, quod Capreolus, & Galesin. S. Anastasium circa An. sal. 400. vixisse tradunt, cum illi successerit S. Dominicus, qui sub S.Greg. Magno Papa vixit.

DE S. BERNARDINO SENENSI ORD. MIN.
Aquilæ Protectore.

BErnardinus Senis honesto loco natus à puero sanctitatis specimen dedit. nā sibi alimenta, quæ pauperibus daret, subtrahebat; sicque à vaniloquijs abhorrebat, vt sodales adolescentes de rebus minus honestis loquentes, Bernardino accedente conticescerent. Liberalibus disciplinis excultus sacros Canones didicit, sacræque scripturæ operam dedit. Annum natus 17. Religiosæ vitæ cupidus primum in Disciplinatorum B.M. confraternitate adscribitur: quo tempore terribili peste Italia afflicta, innumeri ex omni parte Romam peregrinantes Senis à dicta cōfraternitate excipiebantur, multis ibi; ex contagio quotidie decedentibus; quibus Bernardinus diu noctuque peruigilans summa cum charitate haud morbidorum plagas horrescens ministrabat. Ipse cum cessasset pestis, domi ægrotans ad arctiorem viuendi normam aspirare cœpit, ac cœlesti quadam visione ad S.Francisci Assisinatis Institutum pertrahitur An. sal. 1401. ætatis verò 22. Indutus itaque habitum Minorum cum ad excipiendam eleemosynam exiret, accidit, vt matrona quædam Senensis oculos in eū defigeret, amoreque impudico exardens, illum quasi eleemosynam datura intra domum accersit, amoreque detecto, vt sibi consentiat orat, sin minus contra eum se vocem emissuram, quod sibi vim afferret. Bernardinus ad orationem confugiēs, eo remedio vsus est, vt mulierem sponte nudatam flagello, quod occultè gerebat, tandiu cæderet, quoad ab illa tentatio carnis euanesceret. Factus Sacerdos munus prædicationis aggreditur, cumque iam admirabilis euasisset, creatus Minister Terræ Sanctæ, vt vocant, Cismontanis monasterijs præficitur, ex

Castitas Bernardini.

quibus 300. amplius reformauit. Quo tempore etiam pontificia legatione perfunctus maiorem nominis celebritatem adeptus est. Erat in concionando adeo efficax, vt in quadam ciuitate taxillos, foliaque lusoria omnia comburi persuaserit. Qua de re faber indignatus de Bernardino obloquebatur, Qui ad fabrum accedens, rogauit an aliud sciret opificium, illoque negante, Bernardinus circino circulum cum sole descripsit, & in medio solis nomen Iesu: quod faber imitatus, ex paupere diues factus est. Id in causa est, cur Bernardinus solem in manibus gestans cum nomine Iesu pingatur: cum enim Romæ inter cōcionandum multa de hoc nomine dixisset, ac à nonnullis haud intelligentibus hæreseos insimularetur postera die, supra caput concionantis nomen Iesū, quale ab eo in medio solis depictum fuerat, mirè coruscans visum ferunt. Erat in reprehendēdo vehemens, qua in re Mediolani apud Ducem grauiter, mortem nisi eam dicendi libertatem remitteret, minitantem offendit. Sed Bernardinus Ducem animo infracto adiens in magna hominum frequentia horrendo verborum profluuio ita perfregit, vt ne verbis quidem repugnare ausus fuerit. Cū verò Dux vinum præcipuum, & poculum aureis nummis plenum Dei viro dono misisset, idque eo recusante non semel fecisset. Bernardinus dona ferentem secum ad carcerem, in quo ære alieno obstricti detinebantur, duxit, atque ex ea pecunia omnes, duobus exceptis, liberauit, duobus etiam paulò post eductis. Cum itaque fama eius sanctitatis peruolaret, à tribus ciuitatibus hoc est, Senensi, Ferrariensi, & Vrbinati Episcopus deposcitur; quem honorem animarum lucris intentus recusauit. Nam cum mitram capiti eius Eugenius IV. Pont. Max. proprijs manibus imposuisset, illam cum gratiarum actione deponens, ne à procuranda proximi salute huiuscemodi compedibus vinciretur, orauit. Cum Romam iterum concionaturus, proficisceretur, claudum liberationem implorantem in via interrogauit, *Credis me tibi posse in nomine Christi sanitatem reddere?* & dicentem *Credo*, statim porrecta manu à terra incolumem subleuauit. Multa præterea in Apuliam iturus miracula per viam edidit. Sed morbo apud Aquilam correptus anno ætatis 63. 13. Kal. Iunij migrauit in cœlum: surdo aqua, qua corpus suum, ablutum fuerat, auditum recipiente, ac iuuene defuncto, ad vitam reuocato. Quem alijs miraculis illustrem Nicolaus V. Pont. Max. eiusdem ord. An. D. 1451. 14. Kal. Iunij SS. numero adscripsit. *Ex vita quam Sur. tom. 3. & Paul. Reg. lib. de SS. Regni Neapolit. par. 2. referunt.*

Cur Bernardinus solem in manibus gerat.

De nomine Iesu.

Mitram capiti ab Eug. IV. impositam summa præ charitate respicit.

Claudus sanatur.

ANNOTATIO.

Tanta per Italiam erga sanctiss. hunc virum deuotio est, vt non modò Senis, & Aquilæ vbi summa celebritate colitur. Sed etiam Verona, Patauij, Pisis, Lucæ, Aretij, Perusia, Beneuenti, Ferraria, Vincentia, Beluni, Mutina, Fauentia, Eugubij, & alibi natalis illius celebretur.

Epitaphium S. Bernardini Senen. ex Mapheo Vegio, qui vitam eius scripsit.

„ *Hic Bernardinus Aquilana conditus vrbe est.*
„ *Suscipiuntque Senæ pignoris ossa sui.*
„ *Francisci ille crucem, paupertatemque secutus;*
„ *Nunc melius Cœli regna opulenta tenet.*
„ *Errantis populi monitor, qui maximus olim*
„ *Doctrinis potuit quemque mouere suis.*
„ *Nunc quoque signorum mira virtute suorum*
„ *Segnius haud nostris contulit ille bonis.*

Et

,, *Et qui languentes animas curare solebat*
, *Nunc etiam medica corpora curat ope.*

DE S. PETRO PARENTINO MART. VRBEVETERI.

PEtrus ex familia Parentina Romæ natus,& enutritus. Cum Vrbeueteri Manichæorum hæresi infecta, Catholici à Pontifice Rom.Gubernatorem,qui huic morbo mederetur,expostulassent, ad eam vrbem regendam An. D. 1199. mittitur. Qui ab Vrbeuetanis exceptus,re cum Episcopo communicata, terminum Hæreticis,in quo ad Ecclesiæ vnitatem,& gremium redirent,statuit: quo elapso contumaces diuerso pœnarum genere multauit, Romam paschalem solemnitatem cum suis celebraturus profectus, atque ab Innocentio III. Pont. Max. (qui tunc Ecclesiæ præerat) interrogatus,quomodo cum Hæreticis ageretur,se graue illorum in se odium concitasse respondit.Confirmatus autem à Pontifice, ne eos timeret,qui occidunt corpus, animam verò non possunt occidere,illo rediit;vbi paulò post ab Hæreticis facta in eum conspiratione, noctu per fraudem captus,dum cubitum iret,& extra vrbem ductus, cum nollet edicta in eos retractare,neque fideiussoriam cautionem, quod nō eos læderet,præstare,ab eis immanissimè cæditur. Qua in re mirabile quiddam contigit. Nam cum interfectores corpus martyri in puteum,proiicere vellent,numquam illud e terra leuare,neque putei os aperire potuere. Memoriæ quoque proditum est, nucem infrugiferam,iuxta quam corpus Petri relictum fuerat, eo anno bis fructus protulisse. Corpus intra vrbem delatum non sine bonorum omnium lacrymis sepulturæ traditum est,multis subsecutis miraculis, maximè in iis,qui insanabili morbo laborabant, interfectoribusque diuerso mortis genere,breui,miserèque consumptis. *Ex Antiquo Cod. Pergameno Ecclesf. Vrbeuetana.*

Corpus S Petri in puteū proiici nequit.

ANNOTATIO.

E*T si inter SS. nondum, quod sciatur, repositus est: ab Ecclesia tamen Vrbeuetana natalis illius duplici ritu, vt ex Tab. eiusd. apparet, celebrari consueuit.*

DE S. GVIDO CONFESSORE APVD PISAS.

GVidus,siue Guido ex nobilissima Gheradesca familia Comes Donoratici (quod castrum Pisanæ diœcesis est)' ibi abiecta rerum humanarum cura vitam solitariam,circa annum sal. 1090. in orationibus,ieiuniis, vigiliis, piisq; mediitationibus elegit.In primis autem pauperum subleuationibus operam dedit,antequam se recluderet,cum diu vsque ad extremam senectam in huiusmodi exercitationibus versatus esset. 13.*Kal.*Iunij An. D. 1099. vitam hanc mortalem cum perenni commutauit: quo migrante campanas castri nullo pulsante sonasse ferunt. Illum Callistus III.Pontifex Max.An.D.1403. sanctum appellauit ac Archiepiscopo Pisano corpus ex castanero castro ad ciuitatem transferendi potestatem fecit; vbi in cathedrali ecclesia conditum asseruatur. *Ex monum. Ecclesf. Pisana, quæ Sylnan. Ratius lib. de SS. Hetruriæ refert.*

ANNOTATIO.

A*Cta propria S. Guidonis iniuria temporum desiderantur: Quæ autem dicta sunt potius traditione, quam ex vetere aliquo scripto paucis exceptis habentur.*

Maij

Maij die 21.

DE S. HOSPITIO CONFESSORE NICIENSI.

HOſpicius apud Niciam vrbem in Italiæ Galliæque confinio reclusus catenis ferreis constrictus, cilicio indutus, vitam satis austeram pane, & paucis, dactylis contentus egit, per Quadragesimam solis herbarum radicibus, vt olim eremitæ in Ægypto, veſcens. Multis autem miraculis enituit, prophetico etiam spiritu clarus. Nam Longobardorum aduentum, cum vitam ciues licentiosius agerent, prædixit, fugam consulens. Cumque gens illa furibunda aduenisset, ferroque, & igne omnia vastaret, aditumque, vbi vit Dei reclusus erat non inueniret, duo, tecto sublato, illum catenis cinctum conspicati maleficũ esse; quid mali fecisset interrogant: quibus ille se homicidam, omnisque criminis reum esse dixit. Tunc vnus gladium educens, vt caput illi amputaret dexteram extensam sibi sic obrigere sensit, vt nec illam contrahere posset, donec S. vir signo crucis brachium sanitati restituit. Cum posthæc multi à Dæmonibus vexati ad eum deferrentur, omnes eis manus imponens, sanabat, & virum Andegauensem, qui ex morbo linguæ, & aurium officium amiserat, protinus sanũ efficit, & cæcum natum oleo benedicto iniunctum post orationes, & ieiunia, visu collato mirabiliter illustrauit. qua benedictione vnam, & alteram mulierẽ ab immundi spiritus vexatione liberauit. Cum autem dies mortis sibi instaret, ab Episcopo Niciensi ad se accersito sepeliri postulauit. Depositis itaque catenis, quibus cinctus erat, & corpore, quod vermibus vndique scatentibus intollerabili cruciatu afficiebatur, humi prostratus vi lacrymarum profusa, manibusque ad Cœlum extensis spiritum Deo 12. Kal. Iunij reddidit. *Ex Sur. tom. 3. qui ex Greg. Turon. lib. 6. c. 6. & 7. Hist. Franc. accepit. De eodem Pet. in Cat. lib. 5. c. 27. vbi pro Nicia Nuceriam habet.*

Interfectoris brachium diuinitus immobile redditur.

Hoſpitius miraculorum patrator insignis.

Cæcus natus lucẽ aſpicit.

ANNOTATIO.

QVanuis tamen, quo S. Hoſpitius vixit, minime expressum in eius vita legatur: Illud tamen intelligi potest, ex tempore, quo Longobardi Italiam inuadentes, eam occuparant.

DE S. CONSTANTINO CONFESSORE APVD BOVENSIS.

COnstantinus, qui Bouæ, (vrbe vlterioris Calabriæ inter Hieracium, & Rhegium sita in ora maritima) hac die colitur, ille Magnus Constantinus Imp. Helenæ filius fuit. Quem Græci eadem die vnà cum Helena matre præcipua celebritate vti apud nos festa ab vniuersali ecclesia præcepta, venerantur. Bouæ verò Festiuitas ob eius reliquias, quæ ibi habentur, sicuti accepimus, agitur. *Ex Cron. Calabriæ.*

ANNOTATIO.

NOnnulli hunc Constantinum, qui Boua colitur, Bouensem ciuem fuisse putant. Quod an ita sit, ipsi viderint Bouenses.

Maij die 22.

DE SS. FAVSTINO, TIMOTHEO, ET VENVSTO martyribus Romæ.

FAustinus, Timotheus, & Venustus Romæ, vt habent Martyrologia antiqua, martyrium propter Christum subierunt 11. Kal. Iunij. Cætera hoc est,

est, sub quo Imp. & quo mortis genere, prorsus ignorantur. *Ex Beda, Adone, & alijs Martyrologiorum Scriptorib.*

ANNOTATIO.

H*Orum meminit Beda, Molan. & Pet. Gales. in suis Martyrol. sed nemo ipsorum passionem refert.*

DE S. IOATHA MARTYRE PATRONO BELVNENSI.

IOathas genere Pentapolitanus apud Dadium Iudicem Roma in Pẽtapolim à Maximiano Imp. vt Christianos puniret missum accusatus, & interrogatus liberè se Christianum esse, nec velle Deos (*qui oculos habent, & non vident, aures habent, & non audiunt; os habent, & non loquuntur, manus habent, & non palpant, pedes habent, & non ambulant, Qui sunt opera hominum, & in ore ipsorum non est spiritus*) venerati respondit. Quibus verbis iratus iudex os eius lapidibus, tundi, ipsumque fustibus cæsum, & vinctum in carcerem trudi iubet, rotamq; interim acutissimis gladijs quibus corpus martyris crudeliter dilaceraretur, expediri. Postera luce Ioathas, qui ea nocte agonem suum Deo precibus commendarat, eductus, cùm in sententia non colendi Deos persisteret, iussu impij iudicis alligatur, rotaque tandiu circunducitur, donec S. martyr corpore per fracto, vbi clamans ad dixisset. *Suscipe Domine animam meam*, spiritum exhalaret. Cuius ossa ne à Christianis inuenta sepelirentur, iubente iudice in locum occultum proiecta sunt, Verum B. Theodorus Episcopus, cum Eudoclito Diacono, iunctis bobus duobus plaustro, eoque insidens (cum in Dei nomine bobus præcepisset, vt se ad locum vbi martyris reliquiæ latebant perducerent) eò peruenit: collectasq; reliquias reuerenter plaustro imposuit. Sed boues ad Adrianam villam cum immobiles constitissent, S. Episcopus ibidem S. martyris reliquias condidit, quo in loco postea ecclesia constructa fuit; cum multa Deus mirabilia operaretur. Quibus reliquijs Belunum mirabiliter delatis; Belunenses S. Ioatham in patronum habere, & venerari cœpere. *Ex lectionibus antiq. in festo eius ab Ecclesia Belunensi recitari consuetis.*

Crudele rotæ martyriũ.

ANNOTATIO.

Q*Vo tempore, & quomodo ex Cyrene Belunum reliquiæ S. Ioathæ translatæ fuerint, lectiones memoratæ non docent.*

DE S. IVLIA VIRGINE, ET MARTYRE in Corsica Insula

IVlia virgo Carthaginensis vrbe à Vuandalis capta, cuidam mercatori Palæstino venditur; cui illa fideliter ac sedulò seruiens, ieiunijs, & orationibus Deo quoties per occupationes liceret diseruiebat. Accidit autem, vt Dominus in Galliam nauigaturus, naui, in qua & Iulia erat, Corsicæ littora appelleret. Cumque nautæ ad sacra Dijs facienda vnà cum Insulanis naui descendissent, sola virgo quòd Christiana esset remansit, quod Felix quidam Tribunus, animaduertens, vt illam ad sacrificia compelleret, ab Eusebio (id nomen erat domino Iuliæ) sibi vendi, vel cum quatuor captiuis commutari postulauit: quo recusante quod illam charissimam haberet, is domino ebrio facto, & dormiente nauim ingressus virginem rapuit, ac nolentem Dijs immolare alapis cæsam,

cæsam, & crinibus suspensam dirè flagellatam, demum cruci affigunt. 11. Kal. Iunij. Cuius corpus a monachis, qui in Gorgonia Insula habitabant diuinitus admonitis nam sublatum in ea insula conditum fuit. Donec Desiderij Regis Longobardorum vxor illud Brixiam asportandū, illique sacram ædem extruendam curauit. *Ex Petr. in Cat. lib. 5. c. 29.*

Iulia cruci affigitur.

ANNOTATIO.

IVlia virgo maximam habet in Corsica venerationem, licet corpus ibi non sit, sicuti & S. Restituta virg. & mart. ibidem memoria celebris est, quamuis corpus aliò translatum fuerit. Passa est autem apud Bonifacium opp. Corsicæ è Sardinia regione.

DE S. AVRELIANO MARTYRE PAPIÆ.

AVrelianus Romæ Decio Imp. cum magnam hominum turbam Idolis immolantem cernens zelo correptus exclamare cœpit, *O cæci, cur Dijs lapideis, surdis, & mutis, quibus vos longè meliores estis immolatis?* Qui Hila Præfecto iubente captus cum Maximo filio puero à se in christiana religione educato statim ad Idola colenda trahitur, cumque id facere recusaret, diceretque *Christum solum verum, & immortalem Deum adoro*. Deumque vt virtutem suam in Idola manifestaret, deprecatus esset, illa illicò mirabiliter in alium locum delata sursum deorsumque cōuersa sunt, Hilasque Præfectus ita immobilis effectus est, vt nulla vi loco dimoueri posset, qui Aureliano pollicitus se in Christum crediturum si suis precibus abire posset, vbi voti compos factus est beneficij immemor ditos martyri cruciatus minatur, nisi Deos in locum suum restituat. Qui respondit. *Si Dij te, vt dicis iuuarunt, cur non possint in locum pristinum redire?* Missus ad Imp. cuius filia à dæmone obsessa clamabat non posse ab alio, quam ab Aureliano Dei seruo curari, illam in Christi nomine dæmone expulso liberauit (populo exclamante *Verus, & magnus est Deus Aureliani*) Quæ in Christū credidit: Decius autem, qui se in Christum crediturum promiserat, si filiam liberasset, id magicis artibus, tribuens, Aurelianum ad Deorum templo duci, imperat, vt illos veneraretur: quorum Idola à martyre tacta subito corruentia, contrita sunt. Quare Decius ira inflammatus linguam martyri præscindi iubet, qui cum adhuc expeditè, vt ante loqueretur, ductus ad Capitolium ibi cum Maximo filio 4. Non. Februarij decollatus est. Cuius corpus Ticinum translatum in monasterio Senatoris conditum est. *Ex Iacobo Gualla lib. 3. sanctuarij c. 9.*

Vox infracti animi Aureliani.

Obsessa liberatur.

ANNOTATIO.

PEt. Gales. in suo Martyrol. die 2. Feb. vbi de hoc mart. agit, illum Lauretianum appellat: cuius corpus in cæmeterio Callisti sepultum Papiam translatum ait. Papia autem non natalis dies, sed transl. recolitur. Licet autem in Tab. Eccl. Papien. Episcopus nominetur, haud tamen Episcopus fuit, vt acta ipsa testantur.

DE S. MARCIANO EPISCOPO RAVENNATE.

Vide infra in calce huius diei.

DE S. LVPICINO EPISCOPO VERONENSI.

LVpicinus Episcopus Veronensis 17. Ecclesiam Veronensem inter SS. Dimidrianum præcess...m, & Lucillum successorem sanctissimè rexit. Hunc

ferunt

ferunt, vt in antiquis monumentis M.S. habetur, virum optimum, & sanctissimum fuisse. Qui vita defunctus 11. Kal. Iunij in templo S. Zenonis, vbi etiam num quiescit, conditus est in ara sibi, Sancto Lucillo successori, & Crescentiano martyri extructa. *Ex libro SS. Veronens. Augustini Valerij Episcopi, & Card.*

ANNOTATIO.

Hvius S. Episcopi reliquiæ etiam in ecclesia S. Mariæ cognomento antiqua, & in Eccl. SS. Apostolorum habentur.

DE S. EVSEBIO EPISCOPO COMENSI VII.

EVsebius apud Nouo Comũ natus in Vico (qui modò Burgum Vici adhuc dicitur vbi coniũctus, in disciplinisque, & pietate educatus, ita in ijs pro fecit, vt cum S. Exuperantius Episcopus Comensis ex hac vita migrasset, illi subrogatus fuerit. Qui cum aliquot annos Ecclesiæ suæ summa cum laude præfuisset, onustus meritis 11. Kal. Iunij hic corpore relicto euolauit in Cœlum, in basilica SS. Apostolorum Petri, & Pauli sepultus. *Ex monum. Eccl. Comen. & ex lib. Bened. Iouij de Epp. Comensib.*

ANNOTATIO.

QVa vixerit tempestate haud legimus, sed cum III. Episcopus post S. Abundiũ, qui sub Leone I. Papa floruit, fuisse asseratur, illum circa An. D. 500. vixisse conijcimus.

DE SS. EPISCOPIS, ET MARTYRIBVS CASTO, ET Cassio Capuæ. Vide die 7. Nouembris.

DE S. FVLGENTIO EPISCOPO VTRICVLANO.

SAnctus Fulgentius Episcopus Vtriculanus, Totilæ Gothorum Regi (cui infensus erat) cum exercitu accedenti, xenia, vt sæuitiam illius mitigaret, per clericos suos misit, quæ Rex barbarus despexit, ac S. Episcopum ad se adduci iussit, milites itaque captum Episcopum in solo sole nimio æstuante designato circulo, extra quem pedem non efferret, constituunt; quo facto tanta vis imbrium subito descendit, vt & milites pluuiæ vehementiam non ferentes inde aufugere coacti tecta peterent, terraque omnis per circuitum aqua exundante operiretur, ea excepta in qua vir S. detinebatur, cum intra eum circulum ne guta quidem pluuiæ decidisset. Quod vbi Regi nunciatum fuisset, mens eius effera in mansuetudinem, & reuerentiam erga S. Episcopum conuersa est. Hæc ex libro Dialog. S. Gregorij Papæ. Ex alijs autem quæ sequuntur: cum Totilas Vtriculum venisset, ac iniquorum instigatione S. Episcopum cædi, ac ante currum suum vinctum duci præcepisset, illum milites quòd à prædicatione nõ desisteret, in foueam proijcientes viuum sepeliunt. At globo lucis, ex quo vox Fulgentij orantis, & alterius illum consolantis audita est, conspecto, Rex, & adstantes viri sanctitatem admirati, factique pœnitentes ipsum ad sepulturam comitati sunt. *Ex monum. Eccl. Vtriculana.*

S. Fulgentiũ aqua pertingere non audit.

ANNOTATIO.

SI ita res se habet, pro martyre ergo, non pro Confessore ab Ecclesia Vtriculana S. Fulgentius Episcopus colendus est.

DE S. HATTONE EPISCOPO PISTORIENSI.

HAtto, qui & Hattus, & Actus dicitur, natione Hispanus, & patria Pacensis, litteris & moribus excultus in Italiã venit, vt loca S. inuiseret, circa An. sal. 1125. captusque Vallis vmbrosianæ religionis, quæ sanctitate florebat, amore, fit monachus, & post quinquennium Abbas; nec multo post, Generalis octauo loco electus S. Bernardo, qui Parmensis Episcopus, & Cardinalis creatus fuerat, subrogatur. Quo in munere, & alios ad imitationem sui prouocabat, & ordinem nouis monasterijs auctum propagauit. Fama autem sanctitatis illius vbique diffusa, à Pistoriensibus Episcopus instantissimè Innocentio II. Pont. Max. deposcitur. An. D. 1134. Qui factus Episcopus (licet inuitus) vitæ tamen monasticæ obseruantiam haud intermisit. à Didaco Archiepiscopo Compostellano opera Rainerij Pistoriensis diaconi eius ecclesiæ nodum vnum colli S. Iacobi Apostoli (quem propterea Pistorienses vti protectorem suum venerantur) obtinuit. Diuino cultui addictus horis & nocturnis intererat. Ægrotos frequens visebat. Afflictos, viduas, pupillos, & pauperes non solùm verbo, sed & opere fouebat. Cum annos 20 Ecclesiam Pistoriensem sanctè laudabiliterque rexisset, quo tempore S. Bernardus Abbas Clarauallensis defunctus est, & ipse hinc in Cœlos migrauit. Cuius corpus cum annos 184. latuisset, integrum, incorruptumque, & suauem mittens odorem repertum in ædem S. Iacobi translatum est miraculis aliquot subsecutis. De quo Clemens VIII. Pont. Max. ordini Vallis vmbrosæ, vt Pistoriensi ciuitati, vt officium illius duplex recitare valeant indulsit An. 1605. *Ex vita Florentiæ Typis excusa, & ex Vita Generalium Vallis vmb. lib. 2.*

ANNOTATIO.

EXtat Pistorij in Archiuio Eccles. S. Iacobi publicum, vt vocant instrumentum, in quo B. Hatto manu propria subscriptus est; seque Pacensem nominat.

De eo apud Vallumbrosianas agitur die 21. Iunij, qui dies depositionis esse videtur; hic verò translat.

DE S. IOANNE ABBATE PARMENSI.

IOannes Parmæ Ioanne patre, & Euphrosyna matre nobilibus parentibus natus, seu potius ex matris defunctæ vtero extractus, à puero litteris humanioribus, deinde sacris operam dedit. Adolescens à Sigifredo Episcopo Canonicus Parmensis ecclesiæ creatur. Sed factus grandior sæculi pertæsus, in Palæstinam se contulit, vbi loca sancta sæpius non sine lacrymis inuisit, & habitum monasticum S. Benedicti induit. Reuersus in Patriam ab eodem Episcopo Abbas monasterio S. Ioannis Euangelistæ à se constructo præficitur. Quo in officio mira humilitatis patientiæ, mansuetudinis, & in pauperes misericordia exempla reliquit, peregrinos viduas, orphanos, & egenos modis omnibus iuuabat. Se se, in ieiunijs, vigilijs precibus, & pijs meditationibus, cum per occupationes cœnobij licebat, assiduè exercens versabatur. Cũ dies obitus instaret, graui morbo oppressus à Sanctissima Dei Genitrice cella cœlesti lumine illustrata inuisitur: nec multo post Episcopo Sigifredo, ac monachis astantibus animã Deo reddidit. An. D. 976. ibidem tumulatus. Quem Gregorius VII. Pont. Max. in SS. numero ob miracula, quibus post mortem micuit, adscripsisse fertur. *Ex sanctuario Eccl. Parmen. An. D. 1593. edito.*

Cella superno lumine illustrata.

AN-

ANNOTATIO.

Vixit S. Ioannes Othone I. & II. Impp. ac Ioanne XIII. Benedicto VI. & VII. Pont.

DE S. HVMILITATE ABBATISSA ORD. VALLIS Vmbrosæ Florentiæ.

HVmilitas, prius Roxanes nominata Fauentiæ honesto loco nata ab ineunte ætate Sanctissimæ Dei genitricis seruitio addicta ab aliarum puellarum consuetudine abhorrebat, humili amictu induta, cum verò egregia forma prædita esset, à patruo, quo tempore Fridericus II. Imp. vrbem obsidebat, in matrimonium postulatur: quę se non alium sponsum præter Christum velle respondit. Verum patre defuncto à propinquis cuidam ciui in matrimonium datur; cui duos genuit filios, qui post baptismum susceptum mortui sunt. Cum castitatis seruandę desiderio teneretur sæpe virum, vt vterque religiosus fieret, orabat, qui aliquando grauiter ægrotans, vt illa monasterium S. Perpetuæ propè Fauentiam ingrederetur, consensit, ipseque in virorum monasterium ingressus est. Humilitas itaque (sic enim appellari voluit) anno ætatis 24. agens monialis effecta, cæteras humilitate, abstinentia, & regulæ obseruantia anteibat. Cum verò solitudinis desiderio æstuaret, quadam die in extasim acta, se extra monasterium apud Anemonem fluuium inuenit, & apud patruũ diuersata in cellula ab eo sibi apud ecclesiam S. Apollinaris extructa reclusa habitauit, cuius reclusioni Abbas S. M. Crispini ordinis Vallis vmbrosæ adfuit, tota penè ciuitatę præsente. Post aliquot annos fama sanctitatis peruolante, à Prælatis persuasa relicta solitudine monasterio virginum S. Mariæ propè ciuitatem ædificato sub eodem instituto Abbatissa præficitur, vbi etiam spiritu prophetico claruit. Nam & monialem, quæ præ verecundia peccatum in confessione reticuerat, & capellanum in peccato celebrare volentem secretò admonuit. Cuidam sanguinis è naribus fluxum signo crucis cohibuit, cum humana remedia haud profuissent. Benedictione panem vnum ita auxit, vt distributus satis omnibus monialibus fuerit. Cum ardentissima febre mense Augusto laboraret, iussit glaciem sibi ex puteo afferri: eaque hydria plena mirabiliter extracta est, strumas à mulieris gutture solo signo crucis abegit, plura alia in eo cœnobio edidit miracula, donec S. Ioannis Euangelistæ qui sibi apparuit, iussu, apud Florentiam ibi monasterio eiusdem ordinis extructo ad regimen illius demigrauit. Vbi apud Munionem amnem (iuxta quem cœnobium constructum erat) puerum cuiusdam ciuis Florentini, qui in via dum sanandus ad ipsam deferretur, defunctus fuerat, vitæ restituit. Equitem Florentinum Bernardum ex Rubeis nomine, qui ad eam visitandam venerat, vt saluti suæ consuleret, quòd proximo Iouis die moriturus esset, monuit, sicque, vt prædixerat, euenit. Denique ipsa multis pijs laboribus confecta, in die S. Luciæ febri correpta amissa loquela vsque ad 11. Kal. Iunij, qua die migrauit in cœlum, morbum patienter tulit, obijt An. sal. 1310. Cuius corpus euerso monasterio S. Ioannis Euangelistæ An. 1529. die 21. Septembris in ecclesiam S. Antonij in vrbem translatum, demum in cœnobium S. Saluij An. 1534. die 14. Augusti delatum conditum fuit. *Ex vit. SS. & Beatorum ord. Vall. Vmbr. Florentia edita An. D. 1582.*

Humilitas spiritu Prophetiæ clara. Fluxum sanguinis signo ✠ cohibet. Panem benedictione multiplicat, Glaciem è puteo mirabiliter extrahit. Puer defunctus ęnurgit.

AN-

ANNOTATIO.

NOndum SS. numero adscripta est; sanctam tamen illam auctor memorati libri appellat. Colitur Fauentiæ in propria eccles. ei cum cœnobio virginum dicato.

DE S. MARCIANO EPISCOPO RAVENNATE III.

MArcianus nobilis Rauennas à S. Apollinare, cuius discipulus fuit Diaconus ordinatus, cum omni virtutum genere præcelleret, post S. Eleocadiū Rauennæ Episcopus indicio columbæ electus est. Hic tanto animi ardore Christum prædicabat, vt Rauennates non tantùm in accepta religione confirmaret, sed & ad calamitates quaslibet perferendas, & ad necem ipsam fortiter, pro Christo subeundam vehementer incenderet. Cum enim varijs oppugnationibus aduersariorum impeterentur, nullis tamen ictibus frangi, deque pietatis gradu deijci potuerunt. Multis autem sacris initiatis ipse gloria rerum præclarè gestarum cumulatissimus 11. Kal. Iunij An. à partu virginis 127. Hadriano Imp. ad cœlestem patriam euolauit, ac in æde S. Eleocadij conditus est. *Ex Sur. tom. 3. qui ex primo lib. Hist. Rauenn.*

ANNOTATIO.

HIeronym. Rub. libro citato Hist. Rauenn. nominis similitudine, siue identitate deceptus scribit S. Marcianum Astam profectum in Liguriam S. Secundum in carcere visitasse, ac Derthonæ martyrio coronatum fuisse, corpusque Rauennam reportatum: cum Marcianus, de quo in Actis S. Secundi, Episcopus fuerit Derthonen. cuius corpus Derthonæ adhuc asseruatur. Hic verò longè ab illo diuersus in pace quieuerit, & propterea ab Eccl. Rauenn. & Confessor non vt martyr celebratur, & in Martyrol. Rom. vt Confess. adnotatus reperitur.

Geminus Marcianus.

DE S. FVLCO CONFESSORE APVD AQVINVM.

FVlcus in Anglia natus, inde cum Grimoaldo Presbytero, & Eleutherio fratribus in Italiam peregrinatus; Romam deinde Aquinum venit: in cuius territorio, siue diœcesi vitam duxit sanctitate plenam. Denique multis clarus miraculis obdormiuit in Domino 11. Kal. Iunij, cuius corpus Ceperani oppidulo Latij ad Lirim asseruari fertur. *Ex Martyrol. Rom. & antiqua Ceperanensium traditione.*

ANNOTATIO.

VItam illius: quæ in Eccl. Aquinati M. S. asseruari traditur, nondum ab Episcopo Aquinate habere potuimus.

Maij die 23.

DE S. DESIDERIO EPISCOPO LINGONENSI, & martyre.

DEsiderius patria Genuensis, & Agricola vir simplex, & timens Deum terram aratro exercebat apud Bauarum villam. Cum Lingonenses Romam ad Episcopum deposcendum nomine Desiderium profecti (ab Angelo enim admoniti fuerant, vt eum Episcopū suæ ciuitatis eligerent, cuius baculus terræ defixus

defixus diuinitus germinaret.) Eâ pertransire contigit illis vbi Desiderius erat, qui ab eo viam sciscitantes cum illi nomen Desiderij esse intelligerent, illiusq; baculũ in terra fixum: donec de via responderet; statim frondescentem cernerent, illum licet illetteratũ Episcopum consecrandum curant. Qui diuinitùs instructus, dum munus pastorale præclare exequitur, Vuandali in Galliam irruentes Lingones obsident, captaque ciuitate S. Episcopum in ecclesia pro populi salute orantem comprehendunt, & ad Crescum Ducem perducunt; qui illum mori paratissimum se esse dicentem si populo parceretur, extra vrbem ductum decollari iussit, passi sunt cum eo Vincentius Diaconus, & alij. Qua in re plura mira accidere: nam speculator in vrbem reuertens capite illiso expirauit, & porta, qua S. Episcopus ad suppliciũ exierat, ita spontè saxis obstructa est, vt per eã ingredi, nec egredi Barbari potuerint. Liber quoque in quo S. Desiderius preces recitare consueuerat, suo sanguine ita aspersus fuit, vt cum eo plura folia tincta fuissent, characteres tamen illæsi remanserint; qui liber adhæc vsque temporà monstratur. Illud quodq; affirmatur, quod si quis scienter peierasset mox, vt ecclesiam S. Desiderij ingressus erat, diuinam vltionem experiebatur in seipsum. *Ex Petr. in Cat. lib. 5. c. 31. & monum. Eccles. Genuen. Quæ tamen censura egent, maximè circa tempus à Petr. adnotatum. Passus est, enim An. D. 411. Innoc. Papa I. & Honor. Imp.*

Baculus diuinitùs germinat.

Spiculator capite illiso expirat.

Porta saxis sponte obstruitur.

ANNOTATIO.

DEsiderij Episcopi memoria in multis Italiæ vrbibus celebris est, Genuæ maximè, & Derthonæ. In cuius diæc. C. Nouum est op. peramplum, & minimè obscurum: cuius: Hic S. Episcopus Tutelaris est. Rem planè miram Neocastrenses narrant. territorium ipsorum, quod antea filicibus refertum erat ex die qua Festiuitatem S. Desiderij ab operibus cessantes celebrare vouerunt, illis omnino caruisse: cum tamen in finitimis cernantur.

DE S. EVPHEBIO EPISCOPO NEAPOLITANO.

EVphebius Neapoli natus, & educatus ob eius singulares virtutes ad Episcopalem honorem euectus nihil prætermisit, quod ad optimi pastoris officiũ pertinere videretur. Gregem enim sibi creditum verbo, & exemplo pascere studuit. Ipse verò carnem suam ieiunijs, alijsque macerationibus domuit, vt ex abstinentia diutina, spiritus vix artus regeret. Multus erat in orationibus, & meditationibus. Cum demum ægrotans vitæ terminum sibi adesse præsentiens clerum aduocari iubet, quem ad obseruantiam diuini cultus hortatus feliciter ad æterna gaudia migrauit 10. Kal. Iunij An. sal. 713. circiter Constantino I. Pont. Max. & Philippico Imp. Cuius corpus in oratorio suo nomini extra vrbem dicato (quod nunc Capucini Religiosi tenent) conditum fuit. Illum Neapolitani vrbis suæ protectorem habent, & venerantur, quod ciuitatem ingenti miraculo à Sarracenorũ depopulatione liberarit: Cum enim classem Christianorum apud Crotonẽ superassent, Neapolimq; adnauigantes villis, suburbijsq; occupatis obsiderent. Sacerdos, qui in oratorio S. Euphebij quotidie celebrare consueuerat, in S. Episcopi protectione confisus, vrbe egredi, & ad oratorium accedere, & celebrare haud dubitauit factus hostibus inuisibilis cũ per ecclesiã requirentibus. Is expletis sacris misterijs, cũ vocẽ sibi dicentẽ, ne hostes trepidaret, sed eos baculo suo percuteret, audisset, ad vrbẽ regrediẽs, quoscũq;

Mira de S. Euphebio narrantur.

Sarracenos obuios habent, baculo percussi in terram illico mortui concidebãt, ex quo tantus hostes terror inuasit, vt in fugam versi statim conscensis nauibus abscederent. Aliud mirum haud prætereundum narrant. Cum alienigena ab amico Neapolitano summam pecuniæ mutuò accepisset ad S. Euphebij tumulum quasi is fideiussor esset, (sic enim inter se conuenerant) nec illam ad diẽ constitutam, sed neque multo transacto tempore redderet, creditor, vxore sua ei derisorie dicente, vade ad S. Euphebium fideiussorem, ipse nanque mutuatam pecuniam tibi restituet, ad S. sepulchrum accedens illum pro pecunia sua orauit: Qui sequenti nocte debitori apparens grauia illi, nisi subito æs alienum restituat, minatur, cum verò is distantiam loci, & maris procellas causaretur, S. Episcopus, vt pecuniam cum scripto nomine crediroris cymbæ imponeret, marique committeret, præcepit, sic enim fore, vt ad creditorem deferretur, prout mirabiliter factum est. *Ex vita apud Paul. Reg. lib. de SS. Regni Neapolit. par. 2. & vita SS. Patronorum Neapolis.*

Sacerdos baculo Sarracenos interimit.

Cymba defert creditori pecuniam.

ANNOTATIO.

HAec Acta circa tempus emendatione egere videntur. Non enim An. D. 713. Philippicus sed Anastasius imperabat: qui eo anno Philippico obcæcato, & abdicato successerat.

DE S. ANNONE EPISCOPO VERONENSI XXXIII.

ANno Veronæ nobili genere satus, litteris sacris eruditus, factus Presbyter, ob eius præcipuam doctrinam, & mores probatissimos, in demortui Episcopi locum eligitur, qui & si oblatam dignitatem respuit, multorum tamẽ precibus victus, ne diuinæ voluntati aduersari videretur, onus pastorale suscepit, quod tanta pietate, & prudentia administrauit, vt ab omnibus pius pater haberetur. Cum verò ciuitas ob diutinam siccitatis plagam fame affligeretur, S. Episcopus vnà cũ Maria eius sorore, assiduis precibus, & lacrymis fusis flagelli tanti causam per visum intellexit, vrbem scilicet ab ea calamitate non prius liberandam, quam SS. martyrum Firmi, & Rustici corpora ibi debito honore cõderentur, vbi pro nomine Christi martyrium fuerant passi. Diu igitur conquisita, tandem S. Mariæ sororis Annonis opera inuenta, Veronamque translata sunt. Claruit S. Episcopus circa An. sal. 775. Ecclesiam SS. Teutetiæ, & Tuscæ virginum consecrauit, earundem corporibus in arca marmorea ab ipso reconditis. Qui multis laboribus pro Ecclesia sua exantlatis, denique 10. Kal. Iunij obdormiuit in Domino, in ecclesia Cathedrali tumulatus. *Ex libr. de SS. Eccl. Veronen. Aug. Valer. Episcopi, & Raphaelis Bagata Presbyteri.*

ANNOTATIO.

S. Anno S. Verecundo in Episcopatu successit, quem S. Cerbonius subsecutus est. Multos annos Ecclesiam Veronen. administrauit: nam ex eiusd. Eccl. Monum. illum An. D. 751. in humanis fuisse apparet. Eius mem. Pet. in Cat. lib. 7. c. 8. in S. Mariæ Consolatricis eius sororis vita.

Epitaphium S. Annonis.

„ *Veronæ præsul, cæli qui fulget in arce,*
„ *Hic situs est Anno sanctus pater inclytus vrbis.*

DE

DE SS. EVTYCHIO, ET FLORENTIO CONFESSORIBVS Nursiæ.

EVtychius, siue Enthicius, & Florentius monachi apud Nursiam sanctitate coruscarunt; quorum vnus actiuæ, alter contēplatiuæ vitæ addictus erat; Eutychius enim animarum saluti inuigilabat; Florentius orationi vacabat: quē Eutychius in oratorio solum relinquēs ad proximi monasterij regimen se recipit. Florētius itaque solus relictus, cum à Deo solatium aliquod postulasset, mox ad oratorij fores vrsum stantem inuenit: cui caput ad terram inclinantem seque obsequentem demonstranti, quatuor vel quinque oues quæ remanserant, custodiendas commisit, atque partes ad horam sextam domum reduceret præcepit. Mirandum planè quod vrsus, qui oues deuorare consueuerat, ad viri Dei præceptum illas pasceret, & custodiret, ad horamque sibi constitutam, & non ante, neque post reduceret. Fama rei huius peruulgata, quatuor monachi ex discipulis Eutychij inuidia stimulante, quod Florentius tanto miraculo clareſceret, cum magister ipsorum nulla signa faceret, vrsum interemerunt. Quem non redeuntem vt solebat, Florentius inquirens, in agro occisum inuenit, doloreque magno perculsus, interfectoribus imprecatus est dicens, *Spero in omnipotenti Deo, illos qui vrsum meum nihil eos lædentem occiderunt, vindictam in hac vita recepturos.* Breui itaque quatuor illi monachi elephantino morbo correpti membris putrescentibus interierunt. Quapropter Florentius toto corpore vitæ suæ fleuit, se in eo quod exanditus fuerat, crudelem, & homicidam exclamās. Cum fama sanctitatis in dies percresbesceret, Diaconus quidam longè positus, vt se Florentij orationibus commendaret, ad cellam eius accessit, quam serpentibus vndique septam inuenit, vt ingredi non posset. Vocatus Florentius, vt eam pestem vidit, oculis in cœlum sublatis, ac manibus tensis, illos ita perdidit, nam cū cœlum quietum esset, & serenum, eo statim turbato exortum tonitruum serpentes omnes interemit, & cum Florentius diceret, *Ecce illos occidisti Domine, quis eos hinc leuabit?* mox tot aues aduolarunt, quæ illis longe sublatis, locum mundum à serpentibus reddidere. Eutychius autem, & si viuens signa non edidit, post mortem tamen, quæ 10. Kal. Iunij contigit, multis miraculis claruit, ex quibus illud memorandum, quod quoties ciues Nursini siccitate laborarēt, vestimentum, quod vsque ad Longobardorum tempora seruatum est, per agros circunferentes, illico pluuiam impetrabāt. *Ex lib. 3. c. 15. Dialog. S. Greg. Papæ, à quo Pet. in Cat. lib. 2. c. 8. accepit.*

Vrsus oues custodit.

Interfectores elephantino morbo correpti intereunt.

ANNOTATIO.

QVa tempestate vixerint sanctissimi hi duo viri, qui apud Nursinos venerationem habent ecclesia ibi S. Eutychio dicata, latet. floruisse tamen ætate S. Greg. superiore oportet, cum S. Gregorio hæc Sanctulus Presbyter narrauerit.

DE S. BOBONE CONFESSORE APVD VICVM IRIÆ.

BObo Nuglerij in Gallia Narbonēsi ex Adelfredo patre, & Odilinda matre nobilissimis, & opulentis parentibus natus, licet militarem vitam patrem imitatus ageret, virtutibus tū Christianis emicabat. Factus grandior regionem ab irruentibus hostibus ex Hispania (quo tempore illa occupata Mauri vicina Galliæ loca excurrentes populabantur) tuebatur. Cum verò illi Fraxinetum Insulam continenti, in quo Bobo arcem loco editiore habebat, proximam occu-

passent, finitimosque populos assiduis excursionibus, & depredationibus vexarent, arcemque Bobonis demoliri niterentur, is Beatissimis Apostolis Petro, & Paulo vouit, se depositis armis orphanorũ curam suscepturũ, semelq; quouis anno ipsorum limina inuisurum, si de hostibus victoria reportasset. Quare cum illi per visum eum bono animo esse iussissent, non modo arcem in illam cũ paucis per medios hostes ingressus defendit, sed etiam illos ab ea Insula depulit. Nam cum Rex illius Præfecti cõiuge per vim potitus esset, Præfectus iniuriam vlturus, Bobonem clam in Insulam cũ peditibus, & equitibus admittit: qui plurimis ex hostibus repentè eos adortus occisis, Regi verò & alijs, qui Baptismũ suscepere, pepercit, sicque insula penitus deuastata regionem omnem finitimã, ab Hostium metu omni liberauit. Cum quidam fratrem Bobonis iniustum inter fecisset vir S. animo æstuabat in diuersas agitato, nam caro, & sanguis ad vindictam incitabant, Christus ad patientiam trahebat. Vicit tandem pietas: etenim cum inimicum obuium habuisset, necemque fratris vlcisci in sua potestate esset, illi suppliciter veniam petenti concessit, osculatusque eum lętum à se dimisit. Cum itaque Bobo depositis armis curam pupillorum suscepisset, Romamq; singulis annis voti causa proficisceretur, (quo in itinere mulum vnum duntaxat ducens, ad claudos, cæcos, & alios infirmos in via portandos, quo se magis affligeret, pedester incedebat) tandem apud Vicum Iriæ quod Derthonensis diœcesis oppidum est præclarum) graui morbo correptus animã Deo reddidit 10. Kal. Iunij. in festo Pentecostes, ibique sepultus est. Super cuius tumulum si quod pecus vel armentum transisset, illico corruens moriebatur, donec locus clatris ligneis septus est. Is aliquot miraculis fulsit, dum enim corpus in arca reconderetur mulier altero orbata oculo, visum recepit. Quare ibi ecclesia suo nomini extructa fuit. Corpus tamen multis euolutis annis apud Ticinensem vrbem in ecclesia S. Apollinaris cum eiusmodi inscriptione, HIC REQVIESCET CORPVS S. BOBONIS in arca lapidea die 6. Februarij repertum fuit, multis luminibus statim in ea basilica ac stella supra tectum visis. *Ex lib. de SS. Veronens. Aug. Valerij Episcopi, & Raphaelis Bagata Archipresbyt.*

Bobo regionem omnem ab hostium excursionib⁹ liberat.

Mulier cæca visum recepit.

ANNOTATIO.

NOn solum Vico Iria, & in tota Derthonen. diœc. sed & Verona, ac Laude, & alibi S. Bobo colitur, licet in Tab. Eccl. Lauden. non Bobo, vt dicendum est, sed Bonus appelletur. Solet is super armentis inuocari maximè per Liguriam.

Maij die 24.

DE S. VINCENTIO MART. IN PORTV ROMANO.

VIncentius martyr apud Portum Rom. vrbem cum ostia proxima iacentẽ, à Beda, Vsuardo, Adone, alijsque passus refertur 9. Kal. Iunij, nullus tamen quo tempore siue in qua persecutione martyrium subierit, explicat. *Ex Martyrol. Rom.*

ANNOTATIO.

DE Vincentio mart. primum mem. Vsuard. in suo Martyrol. à quo cæteri Martyrolog. script. accepisse videntur.

DE SS. ZOELLO, SERVILIO, ET ALIIS MARTYRIBVS in Histria.

ZOellus, Seruilius, Felix, Syluanus, & Diocles in Histria pro Christo passi sunt, vti Beda, Vsuardus, Ado, Petrus in Catalogo referunt: Quo tamen mortis

mortis genere,& sub quibus Imperatoribus,ac in qua ciuitate, minimè docent. *Ex Martyrol. Rom.* Illud mirandum nullam horum martyrum in Tab. Eccles. Aquileien. neque aliarum Eccles. Histriæ mentionem fieri.

ANNOTATIO.

ZOellus Alter Aquileia colitur die 27. Decemb. qui & Zoilus appellatur: sed is Presbyter est,& Confess. hic verò mart. ac Zoellus,& Zoellius nominatur.

DE S. SERVVLO MARTYRE TERGESTINO.

SEruulus Tergesti Eulogio patre, Clementia matre,nobilibus,& Christianis parentibus ortus,& in Christiana religione educatus Numeriano Imp.adolescens vitam in specu extra ciuitatem anno vno, & aliquot mensibus eremiticam duxit,cum ad ciuitatem rediret,in via serpentem miræ magnitudinis signo crucis interfecit; nam cum in eum persflasset,mox crepuit. Mortuo patre, multis apud matrem manens miraculis coruscauit, dæmoniacis, corpore perfractis, & morbo graui laborantibus mirabiliter curatis. Multis propterea ab eo ad fidē perductis Iunilij Præsidis iussu comprehensus in vincula conijcitur, frustràque tentatus, vt Deos coleret diris cruciatibus afficitur. Primò enim neruis cæditur, postea in equuleo tortus, vngulis excarnificatur; tum oleo feruenti perfusus, demùm fortiter omnibus superatis iussus est iugulari cum alijs ab eo conuersis. Cuius corpus cum socijs mater sepeliendum curauit 9.Kal. Iunij. *Ex monum. Eccl. Tergest. & Pet. in Cat. lib. 5. c. 36.*

Seruulus serpentē signo ✠ interimit.

ANNOTATIO.

SEruulus videtur idem cum Seruilio, qui in Historia (in qua etiam Tergestum ob vicinatum censitur) vnà cum Zoello Felice, Syluano, & Diocla in Martyrol. passus refertur, nec refert, quòd secundò loco nominetur. (ordo enim sæpè peruertitur) maximè cum Seruulus cum alijs coronatus legatur.

DE S. ROBVSTIANO MARTYRE MEDIOLANI.

RObustianus Mediolani martyrio coronatus in Martyrologio Rom. traditur. Mediolani tamen corpus illius minimè reperitur, neque aliqua ipsius in Breuiario Mediolanensi commemoratio fit. Fortè vnà cum Actis ipsa quoque martyris memoria euanuit. Passus est Non. Kal. Iunij. Sub quo Imp. incertum est. *Ex Martyrol. Rom.*

ANNOTATIO.

ILlud miror Baron. in Annotat. Tab. Mediolanenses, & Pet. Galesin. Annales eiusd. vrbes citare, In quibus tamen nihil de Robustiano mart. legimus.

DE S. ANOLINO MARTYRE ROMÆ.

ANolinus custodiæ Præfectus, à S.Vrbano Papa dum in custodia illa detineretur ad fidem conuersus, Alexandro Seuero Imp. cum Almachio vrbis Præfecto detectus quòd Christianus esset, iussu illius cōprehēditur, varièq; vt propositū mutaret, tentatur; verùm cum is constans in sententia persisteret

iussu Præfecti capite plectitur ex Kal. Iunij. *Ex Cod. M. S. quod à Petr. Gales. citatur.*

ANNOTATIO.

GAlesi. illum sub Diocl. & Maxim. Impp. coronatum scribit, ab Almachio Præfecto. qui sub Alex. Præfecturam administrauit, non sub Diocl. Cum autem etiam S. Vrbanus Papa: à quo hic conuersus dicitur sub Alex. passus sit, & ipse sub eod. Imp. passus videtur.

DE S. AFRA MARTYRE BRIXIENSI.

AFra Italici Rhetorum Comitis, & Carnomanorum Præfecti coniunx, cum Brixiæ Hadriano Imp. præsente, in amphitheatro leones, leopardos, & Vrsus, ad SS. Faustinum, & Iouitam vt eos deuorarent, immissos, ad eorum pedes procumbere illisque blandiri: ministros verò, qui eos in martyres incitarant, dilaniare, Sacerdotesque, & Italicum, qui cum Idolis ad SS. martyres, vt illa colerent, descendetant vnguibus, & dentibus discerpere vidisset, & Idola cōtrita, eo miraculo vehementer commota ad Christumq; conuersa; ad SS. martyres, cum primum potuit, accessit; à quibus ad S. Apollonium Episcopum destinata: qui illam in fide breui instructam aqua salutari expiauit. Regenerata itaque opibus suis in pauperes erogatis, cœlestem vitam, in orationibus, ieiunijs, eleemosynis, & pijs meditationibus agebat: quo ad Aurelianus Præfectus Roma Brixiam aduentans illam comprehendi, carcerique includi iubet, vbi diu afflicta, varijsque tormentis excruciata, vt ad Idolorum cultum rediret; tandem victrix educta iussu impij Præfecti populo inspectante decapitata est. 9. Kal. Iunij. Cuius corpus à S. Apollonio, & alijs Christianis noctu sublatum in eodem loco, quo corpora SS. Faustini, & Iouitæ, conditum est. Quo in loco insignis postea basilica suo nomini; quam Canonici Regulares tenent, excitata fuit. *Ex vita eiusdem mart. Brixiæ an. 1602. excusa ex ijs, quæ à SS. Faustino, & Philastrio scripta sunt.*

ANNOTATIO.

HAec longè ab ea, quæ Augustæ Vindelic. passa fuit, diuersa est. Illa enim sub Aureliano Imp. hæc sub Hadriano multo ante martyrium subijt.

DE SS. ELPIDIO EPISCOPO ATELLANO, CYONE Presbytero, & Elpicio Diacono Salerni.

ELpidius Episcopus, Cyon Presbyter, & Elpicius Diaconus sanctitate Siricio Pont. Max. & Arcadio Imp. floruere. Elpidius siquidem Atellanæ vrbis (quæ nunc Aduersa siue Auersa nominatur seu propè Auersam iacet in Cāpania) Episcopus mirabilium extitit perpetrator, vt solo visu ægrotis sanitatem impertiret, & à Dæmone obsessos liberaret: sic autem erat Dæmonibus formidolosus, vt territi dicerent, *Iuxta Elpidij cellam non transeamus, ne torqueamur.* Cum ciuitas incendio conflagrasset, breui tamen fama sanctitatis eam restituit, & Incolarum numerum auxit. Cum templum Altissimo ædificasset, paulo post, Elpicium nepotem, & Diaconum annum ætatis 22. agentem, doctrina, moribusque præclaris excultum, ac vitæ sanctitate fulgentem vita functum in eo sepeliuit. Mox B. Cyonem Presbyterum germanum suum æquè sanctitate conspicuum Elpicio apposuit. Quibus, & sanctissimus Episcopus Elpidius obdormiens

Elpidius mira efficit.

Dæmonum vix.

Elpicius Elpidij nepos.

Cyo Elpidij Germanus.

miens adiunctus est. Horum corpora in ecclesia Cathedrali Salerni condita religiosè, pièque asseruantur. *Ex off. Eccles. Salernit.*

ANNOTATIO.

Quomodo, & quando corpora horum SS. Salernum translata fuerint, cum Atella obierint, scire non potui. Illorum celebritas simul agitur: (licet diuersis diebus migrarint) hac die, qua translata putantur corpora.

Maij die 25.

DE S. VRBANO PAPA, ET MARTYRE.

VRbanus Romanus Alexandro Imp. post S. Callistum Papam rexit Ecclesiam. Hic doctrina, & vitæ sanctitate multos ad Christum conuertit, & ad martyrium subeundum incendit: In illis Valerianum S. Cæciliæ virginis spōsum, & Tiburtium fratrem. Primus decreuit, vt possessiones seu agri Ecclesiæ relicti retinerentur, & fructus in vsus Ecclesiæ, & clericorum, pauperumque sustentationem per Episcopos dispensarentur, his verbis, *Ipsæ res Fidelium, quæ Domino offeruntur, non debent in alijs vsibus, quam Ecclesiasticis, & Christianorum fratrum, vel indigentium conuerti: quia sunt vota Fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum*. Vasa sacra exemplo suo argentea esse statuit: cum illa omnia ex argento cum patenis argenteis 25. restituerit. Vixit in Pontificatu annos 6. menses 7. dies 4. Quibus quinquies mense Decembri habitis ordinationibus creauit Presbyteros 9. Diaconos V. Episcopus per diuersa loca 8. martyrio sub Alexandro Coronatus sepultus est 8. Kal. Iunij in cœmeterio Prætextati. *Ex Breu. Rom. & Damaso in Pontif.*

S. Vrbani circa bona Ecclesijs donata decretum.

ANNOTATIO.

Dissidium inter scriptores circa annos Pontificatus Vrbani est. Nam Damasus illi annos 4. menses 10. tribuit, vnà cum Platina. Eusebius verò (quem Cassiod. & Marianus Scot. sequuntur) lib. 6. c. 18. Hist. Eccles. annos 8. Nos tamen authoritatem Breuiarij Rom. & Baron. in Annalib. Eccles. sequimur.

DE S. CANIO EPISCOPO, ET MART. ACHERONTIÆ.

CAnius Episcopus Africanus Carthaginæ ob christianam fidem, ad quam prædicatione sua multos conuerterat, iussu Pigrasij Præfecti comprehensus diris cruciatibus torquetur, alligatus enim rota toto corpore dilaceratur, ac in equuleo suspensus virgis immanissimè cæditur. Quibus in tormentis vocem de cœlo eum confortantem audiuit, quod Acherontiæ vitæ finem habiturus esset. Cum itaque sententia in illum pronunciata decollandus esset, repente cœlo turbato, tanta vis imbrium cum terræmotu, tonitruis, & fulgure descendit, vt omnibus aufugientibus, Canius relictus solus ab Angelo diuinitus in lucaniam Acherontiam deferretur. Vbi primum apud vrbis amphitheatrum virum angina animam agentem signo crucis liberauit, ac eadem trāseuntibus eodemque morbo laborantibus in posterum liberationem impetrauit. Hoc miraculo in ea vrbe manifestatus prædicare cœpit, infirmos, corpore vitiatos, & ab immundis spiritibus obsessos sanans, cum etiam leprosos curasset, & mortuos ad vitam reuocasset. Cumque Dæmoniacum iam annos 9. à Dæmonio possessum, & vexatum multis præsentibus liberasset, plurimos ad fidem perdu-

Canius rota dilaceratur. Angina laborantes sanantur. Canius lepros curat, mortuos ad vitam reuocat, & aduersus energumenos præcellit.

Eunomia lumine destituta sanatur.

Canius Araneorum telis contegitur.

Canij animā in columbæ specie.

ctos baptismo regenerauit. Cum verò Eumeniæ mulieri ob assiduum fletum lumine destitutæ visum crucis signo reddidisset, totamque familiam baptizasset, Quidam Idolorum cultores obstinatiores illum ad necem inquirentes persequuntur, quos Canius in sepulchro delitescens effugit: Inde egressus, ac ab hostibus quæsitus se in spinas abdidit telis aranearum vndique repente prætextas. Vbi Deum præcatus, vt se, ex carnis huius ergastulo educeret, senio confectus obdormiuit in Domino. Cuius corpus à B. Elpidio Episcopo Acherontino sedata persecutione, noctu, cum animam illius ab Angelis in cœlum specie columbæ deferri vidisset, cum clero, & Fidelibus sepelijt, eiusque nomini templum extruxit. Quod postea An. sal. 1080. ab Arnaldo Episcopo in Cathedralē ecclesiam translatum in marmoreo mausoleo conditum est. *Ex lectionib. in officio ab Eccl. Acherontina recitari consuetis, ex quib. Paul. Reg. lib. de SS. Reg. Neapolit. par. 1. vitam excerpsit.*

ANNOTATIO.

Passi cum eo in Africa feruntur Oliuerius, & Marianus eius discipuli: quorum corpora ab Angelo Acherontiam delata vnà cum S. Canio ibidem quiescere dicuntur. Ipse verò Canius eius vrbis protector ab ea solemniter cum octaua celebratur.

DE S. BONIFACIO PAPA IV.

Bonifacius IV. Valeriæ in Marsis ortum habuit, Bonifacioque III. An. sal. 606. in Pontificatu successit. Hic Pantheon à Phoca Imp. obtentum S. Mariæ & omnibus martyribus dedicauit, Kal. Nouembris, qua die Festiuitas omnium SS. instituta est. Cum primum Cibelæ Matri Deum, & omnibus Dijs à Gentilibus dedicatum fuisset. Eo Pontifice monasterium Luxouiense in Burgundia, & Bobiense in Italia extruitur. Ipse verò Bonifacius diuino cultui deditus, domum propriam in cœnobium conuertit, & prædia in monachorum victum multa attribuit. Synodum Romæ Episcoporum Italiæ habuit, cui S. Mellitus Episcopus Londoniensis affuit. Cum annos 8. Ecclesiam ritè administrasset, 8. Kal. Iunij migrauit ad Dominum. An. D. 614. *Ex Platina in eius vita, & Baronij Annal. Eccl.*

ANNOTATIO.

Platina Bonifacio annos duntaxat 6. & menses 8. tribuit vnà cum Panuinio, sed Baron. 8. annos, & 6. menses, qui scribit illum die 8. Maij migrasse, quod & Plat. habet. Cum Martyrol. Rom. hac die natalem illius recolat.

DE S. GREGORIO PAPA VII. HVIVS NOMINIS.

Gregorius cōtra Simoniacos.

Henricus Imperator à fidelium communione arcetur.

Gregorius VII. patria Suanensis antea Ildebrandus ex Diacono Pontifex post Alexandrum II. summo omnium consensu An. sal. 1073. creatur, Principio Pontificatus Henricum Imp. ne Episcopatus, & aliæ prælaturæ pretio conferrentur, admonuit, sed frustrà: quapropter Gregorius Simoniacè promotos excōmunicauit. Quod Gilbertus Episcopus Rauennas indignè ferens, facta contra Pontificem conspiratione, vt Cincius ciuis Rom. potens manus in illum iniceret, effecit. Sed cum à populo carcere ereptus fuisset, Henricus autem ob victoriam contra saxones in superbiam elatus Vuormaciæ in publico Episcoporum conuentu præcipit, ne quis Gregorio obedientiam præstaret. Qui

tantam

tantam iniuriam, vt par erat, non ferens Henricum communione Fidelium, & Imperio priuat (licet id plurium malorum occasio fuerit) donec intercessione multorum in Germaniam profectus Augustæ Henricum iureiurando pollicitū, se Pontifici de cætero non fore impedimento, restituit. Verum cum Henricus promissis non staret Germani Principes, Rodulphum Ducem Saxoniæ Henrico rursus excommunicato, & abdicato subrogant. Cùm itaque inter Imperatores legitimum, & abdicatum bellum esset, Gilbertus Episcopus Rauennas ab Henrico, & cæteris eius factionis contra Gregorium Pseudopapa eligitur, & capta Roma, Pontificeque in arce Hadriani obsesso, in Lateranensi ecclesia coronatur. Sed breui à Guiscardo Normanno, qui Pontifici cum exercitu auxilio venerat, liberatus Salernum perducitur. Vbi cum Ecclesiæ annos 12. in summa, & difficili temporum varietate, assiduis calamitatibus ob ecclesiasticam libertatem, cuius acerrimus defensor fuit, afflictus demum sancto fine quieuit, non sine bonorum mœrore, ob eius eximias virtutes, & assiduam viduarum, pupillorum, & pauperum curam. *Ex eius vita apud Plat.*

Gilbertus Rauennas Pōtifex coronatur.

ANNOTATIO.

GRegorius VII. Salerni, vbi conditus est, colitur, & Suana quoque, vbi natus fuit, venerationem habet.

DE S. DIONYSIO EPISCOPO MEDIOLANENSI.

DIonysius Mediolanensis ex antiqua Marianorum familia post S. Eustorgium Ecclesiam Mediolanensem Liberio, & Damaso Pontificibus annos 13. multis calamitatibus afflictus administrauit. Erat omni virtutum genere, & doctrina excultus, vitæque innocentia conspicuus. Coacta Mediolani Synodo, cum Arianis consentire noller, causamque S. Athanasij defenderet, in longinquas partes iussu Constantij Augusti Arianorum fautoris cogitur exulare. In exilio multis incommodis, & ærumnis affectus quasi martyr excessit. Cuius corpus ab Aurelio Episcopo Armenopiam operam Basilio Magno in re hac quoque præstante, apud Mediolanum ad S. Ambrosium delatum est; qui illud primum Cassani oppido iuxta Adduam flumen honorificè sepelijt. Postea Mediolanum translatum in propria ecclesia, quam fratres Seruitæ tenēt, collocatū est. *Ex Breu. & Tab. Epp. Mediolanen.*

Dionysius ob S. Athanasij defensionem in exilium mittitur.

ANNOTATIO.

SAnctus Dionysius sub Iulio I. Pont. Max. ordinatus inter primum, & secundum annum Liberij ex Cronol. Eccl. decessit; non ergo tempora Damasi attigit. Baron. in Annal. Eccl. eum anno 10. Pontificatus Iulij I. Episcopum creatum scribit 4. verò Liberij in exilium cum Eusebio Vercellen. eiectum. Si igitur vixit in Episcopatu ann. 13. vel vt alij scribunt 14. mors illius in 8. annū Liberij inciderit oportet.

Quod si ita est, Acta Eccles. Mediolanen. in eo quod Dionysium sub Damaso Papa vixisse asserunt, corrigenda essent.

DE S. ZENOBIO EPISCOPO FLORENT. AC PATRONO.

ZEnobius Luciano patre, & Sophia matre nobilibus parētibus Florentiæ an. sal. 335. sub S. Syluestro Papa an. 17. vt eius vita habet, nascitur. A teneris liberalibus disciplinis instructus oēs ingenij bonitate, morū elegantia, & gratia anteibat. Annum natus 18. Cathecumenus B. Theodoro Episcopo Florentino traditus animum ad rerū diuinarū contemplationem appulit. Vigesimū ætatis annum

annum agenti parentes virginem eximia forma, & natalibus claram magna cũ dote in matrimonium dare constituunt. Verùm Zenobius ab huiuscemodi cogitatione alienus sacro lauacro expiari ab Episcopo quam primùm efflagitat. Parentes vbi baptizatum filium accipiunt, multis stipati Episcopum adeunt, conuicijsque,& contumelijs onerant,Zenobius autem tanta vi eloquentiæ animos parentum percutit,vt illi omni ira deposita mox ad Antistitis pedes prostrati,& ipsi non sine lacrymis petunt,quod in filio culpatant.Mox factus clericus, non multò post Cathedralis Ecclesiȩ Canonicus fit,ac demum Subdiaconus ab eodem B.Theodoto ordinatur. Cum religione autem in Deum, & in homines charitate cresceret, Archidiacono Florentino vita functo subrogatur anno ætatis 32. Quo tempore cum Ariani (eis Constantio Imp. fauente) multos inficerent,Zenobius prædicationibus, & disputationibus illis fortiter obsistere cœpit,Catholicos non minus exemplo quàm doctrina confirmans: nam victu tenui contentus,quicquid ex redditibus superasset, in subleuandis pauperibus erogabat. Interea defuncto Constantio,& paulo post Iuliano Apostata,S.Ambrosius factus Episcopus Mediolanensis Florentiam Zenobij (cuius fama sanctitatis peruagabatur) visendi causa diuertit, cum ad Damasum Papam pergeret,accidit autem,& Zenobium à Damaso Romam acciri. Quare cum Ambrosio eò profectus,& talis agnitus,qualem fama effecerat, Diaconus S. Romanæ Ecclesiæ creatur. Vbi Præfecti vrbis filium paralyticum, dum cum Damaso Papa ad S.Mariam Transtyberim contenderet facta oratione liberauit.Constãtinopolim ad nouam hæresim extinguendam missus, disputatione, ac miraculorum virtute, (duos enim miserè à dæmone oppressos præsente populo liberauit) illam penitus extinxit. Reuersus Romam,defuncto Florentiæ Theodoro Episcopo illi ciuibus instantissimè petentibus subrogatur totius Hetruriȩ factus metropolita. (erat aũt an.sal.376.& Damasi IV.) Vbi Florentiæ sũma lætitia exceptus fuisset,se ipsum tamen deprimens,corpus longa inedia, vigilijs, assiduis orationibus, hyrsutisque cilicijs macerabat; Ecclesiæ prouentus totos ferè in pauperes distribuebat.A publicis curis interdum vacuus,in parua ecclesia quasi eremiticam agebat, vbi non semel animam S.Ambrosij (qui obierat) pro Florentinis preces porrigentem vidit. Eo tempore Gentilis mulier à filijs nimia indulgentia educatis verberata, illis malum imprecata est,inuocatis furijs, qui statim à dæmone arrepti, vt rabidi canes inuicem se dentibus lacerant. Mater imprecationis pœnitens,& si adhuc pagana Zenobij pedibus prouoluta opem lacrymis implorat. Qui basilicam Saluatoris, in quam filij deducti fuerant,ingressus,illos expleta oratione signo crucis liberat,sacroque lauacro vnà cũ matre regenerat. Filium quoque vnicum mulieris Gallicæ nobilissimæ,quæ Romam pergebat, qui in via ægrotans Florentiæ decesserat,à matre precibus, & lacrymis exoratus, ad vitam mirabiliter oratione sua reuocauit. Alium quoque viduæ Florentinæ vnicum à prætereunte curru oppressum excitauit.His,alijsq; operibus clarus ætate iam deuexa anno ætatis 90. salutis verò 424. in cœlos euolauit 8.Kal.Iunij. Corpus in Ambrosiana ecclesia conditum,ab Andrea successore,cum in dies miraculis clarescere, in Cathedralem translatum est. In qua translatione mirares accidit. Nam vlmus arida valdèque antiqua sacri corporis tactu protinus refrondere visa est.Accidit, & aliud mirum.Puer ex febre ingenti fessa siti exagitatus poculum sæpius à matre postulabat, quæ somnoque oppressa cum imprecatione poculum ei porrexit dicens *bibe cum hoc diabolum.* Qui statim illum ingressus ita agitabat, vt nullis vinculis cohiberi posset, donec ad sepulchrũ S.Zenobij ductus liberatus est. *Ex vita per Io.Presbyterum Aretinum scripta à Sur.tom.3.rel.*

Zenobius Arianis aduersatur.

Paralyticus sanatur.

Binos à dæmonibus oppressos Zenobius liberat.

S.Ambrosius pro Florentinis orat.

Arreptos propter Matris imprecationes signo crucis sanos restituit.

Mortuus filius reuiuiscit.

Curru oppressus excitatur.

Vlmus arida tactu corporis S.Zenobij reuirescere visa est.

Matris imprecatio in filium subsecuta.

AN-

ANNOTATIO.

Anno D. 370. & Damasi IV. ex Annalib. Eccles. Baron. Zenobius Constantinopolim mittitur. Non ergo Episcopus creatus est an. D. 376. & Damasi IV. vt habet eius vita.

DE S. SENTIO PRESBYTERO, ET CONFESSORE Spoletij.

Sentius, siue Sensius, qui & Sensias dicitur, in Africam cum multis alijs captiuis ex Italia à Geinserico Rege Vuandalorum abductus est. Postea inde dimissus in Sardiniam cum Mammilliano Episcopo, & socijs, ac in M. Iouis Insulam (quæ nunc M. Christi nominatur) venit. Vbi Mamillianus multis editis miraculis defunctus est. Cuius corpus Sentius vnà cum tribus monachis in Ægilium Insulam detulit, ibique sepelijt: mortuis autem, & monachis, & ad B. Mamillianum appositis solus centumcellas appulit. Vbi Incolis aquæ inopia laborantibus, effosa terra, fontem aquæ dulcis impetrauit. Ex eo loco Spoletium venit multis ægrotis, impositione manuum per viam curatis: extructoque tuguriolo in colle, qui Ciciconus dicitur, vt sibi, & egenis subueniret, calceatoriam artem exercuit, nec tamen à vigilijs, orationibus consuetis, neque ab horarum Canonicarum (erat enim Sacerdos) persolutione vacabat. Multis ibi miraculis effulsit. nam præter assiduas morborum curationes: draconem etiam noxio flatu ciuitatem, & agrum inficientem, indicto ieiunio triduano ex crypta extractum, & velut asellum vinctum in mare iuxta Minionis ostia demersit. Fonteque iuxta speluncam benedicto multos ex Gentilibus expiauit. Quæ aqua adhuc febricitantibus prodesse narratur. Illud etiam fertur, quod agnũ, quem à pastore petierat, & non obtinuerat, lupus rapuit, & ad S. Viri præceptũ dimisit; quo pastori restituto, ille erubuit, & veniam petijt. Claruit Honorio, & Arcadio Imperatoribus. Corpus Spoletij in ecclesia monialium ordinis Seruorum magna religione asseruatur, & colitur. *Ex monum. Eccles. Spoletina, ac M. S. antiquo penes moniales.*

S. Sentius draconem demergit.

ANNOTATIO.

Correctione indigent hæc acta; cum ab Actis S. Mamilliani discrepent. Quod autem dicitur Sentium Spoletium venisse, ibique habitantem draconem extinxisse potius id Bleræ factum putandum est. Nam apud Bleranos Minio Fl. decurrit, nec Blera à centum cellis adeò distat, vt Spoletium. idque eo verisimilius esse videtur, quòd Bleræ colitur. quod si etiam Spoletij venerationem habet, id ratione corporis eò delati sicuti, & Lucæ ob reliquias euenire dicendum est.

DE S. GERIO CONFESSORE IN PICENO APVD M. Sanctum.

Gerius Lunelli in Gallia Narbonensi ex Comitibus eius oppidi natus, à teneris castitate, abstinentia, & pietate præditus, vt Deo liberius inseruiret, cum Efermundo fratre in spelunca apud pontem miræ structuræ habitauit, vbi cum ex nimia aquarum exundatione ad eleemosynam petendam exire nõ possent à serpentibus natantibus panem, quem ore gestabant, accipiebant. fama autem sanctitatis peruulgata, inde nauigio conscenso in Italiam tẽpestate horribili

bili orationibus suis sedata ad Hetruriæ littora appulere. Romam per sylvas, & loca inuia vrso ducatum præbente profecti, ibique locis sanctis inuisis, in Picenum fama sanctitatis S. Liberij Anconæ commorantis attracti, vt in Palæstinam tenderent, cum illo perueniunt. Verum Gerius apud Tollentinum ægrotans, vix Columbariam eo die à fratre perduci potuit. Ibi morbo ingrauescente se Deo precibus commendat, tantaque de cœlo lux super illum descendit, vt domus, in qua decumbebat, tota ardere videretur. Mane capillis aliquot ex capite pectine exceptis, ibique reconditis à fratre adiutus ad Vrsi castrum iuxta Potentiam flumen venit. quo in loco consistere coactus fratrem ad castrum misit, vt opem aliquam inde afferret. Is rediens Gerium diem obijsse campanis ecclesiæ S. Stephani sponte sua sonantibus comperit. Cuius corpus suauissimum odorem mittens, inde nunquam potuit dimoueri, donec ad pueri vocem plaustro impositum à duobus iuuencis indomitis Columbariam apud M. Sanctum deductum est. ibique (ecclesia postea extructa, in qua Seruitæ fratres sunt) conditum multis miraculis coruscauit. In quibus illud, quod, casa memorata igne prorsus absumpta, locus tamen, in quo capilli Gerij repositi fuerant, inuiolatus cum illis permansit. *Ex Annalib. M. Sancti ad nos fideliter transmissis.*

Serpentes panem Gerio deferunt.

Ingens de cœlo lux.

ANNOTATIO.

Acta huius S. viri in aliquibus, vti minus verisimilibus censura egent. Eius memoria apud ciues M. Sancti (quod oppidum Laureto, & Potentiæ fluuio proximum, & præclarum est) celebris est, nulla tamen fratris facta mentione: Cuius exitus vitæ ignoratur.

DE S. IEIVNIO MONACHO, ET CONFESSORE apud Hieracium.

Ieiunius monachus ordinis S. Basilij apud Hieracium (quæ ciuitas Locris in Magna Græcia successit) in ora Calabriæ vlterioris mira vitæ sanctimonia effulsit. Ibique hac die apud Hieracienses magnam habet venerationem. Acta nondum vidimus, patria tamen Locrensis fuit, ac circa SS. Nili, Fantini, & aliorum tempora floruisse videtur. *Ex Cron. Calab. lib. 2. auctore F. Hieron. Polistinen. Ord. Min. & ex Paulo Reg. ac Dauid. Rom. in Cat. SS. Regni Neapolit.*

ANNOTATIO.

Et si in nullo reperitur Martyrol. descriptus: magnam tamen habet vti Sanctus apud Locrenses venerationem: qui illius hac die piè memoriam recolunt.

Maij die 26.

DE S. ELEVTHERIO PAPA, ET MARTYRE.

Eleutherius Nicopoli in Epiro natus, Romæque ab Aniceto Diaconus ordinatus, post Soterem Commodo Imp. Pontificatum tenuit. A Lucio Britannorum Rege per litteras rogatus, vt se, & suos, missis eò, qui in fide erudirēt, in Christianorum numerum reciperet. Fuganum, & Damianum doctos & pios viros, qui Regem, & populos baptizarent, in Britanniam misit. Eo Pontifice Irenæus Polycarpi discipulus Romam venit, ab illoque benignè susceptus Lugdunensis Episcopus ordinatur. Quo tempore Ecclesia summa pace, & quiete fruebatur, ac per totum orbem terrarum, Romæ præsertim fides maximè propaga

pagabatur. Scripsit epistolam ad Episcopos Galliæ de escis non irrationabiliter vitandis (quidam enim quosdam cibos quasi sua natura immundos vitabāt) in qua epistola illud agit, vt nulla esca humana, & vsitata immunda habeatur. Vixit in Pontificatu annos 15. creauitque ordinatione habita ter mense Decēbri Presbyteros 12. Diaconos 8. Episcopos 15. Sepultusque est in Vaticano. *Ex Breu. Rom. Damaso in Pontif. Baron. in Annal. Eccl. & Plat.*

Nullam esse escam vetitā declarat S Eleutherius.

ANNOTATIO.

Illud mirabitur quispiam, quo pacto hic S. Pont. martyr ab Eccl. celebretur. Cum neque Damasus, neque Euseb. neque alij Scriptores illum martyrio coronatum asserant. quod ex eo magis confirmatur, cum Commodus Imp. licet esset omnium flagitiosissimus, pacem tamen Ecclesiæ nulla illata Christianis molestia concesserit. Rem hanc Baronius indiscussam relinquit.

Ambigitur an Eleutherius sit martyr.

Secundò dubitationem habet, quomodo Britannia sub Eleutherio ad fidem peruenit, si S. Gregorius Papa eam Insulam per Augustinum, & alios ad Christum conuertit: Sed facilè responderi potest sub Eleutherio Britannos, sub Greg. verò Anglos qui eiectis Britannis Insula potiti erant, ad Christianam fidem perductos fuisse.

DE S. SIMITRIO PRESBYTERO, ET ALIIS XXII. martyribus Romæ.

SImitrius, siue vt alij scribunt Symmetrius Presbyter, quo tempore sub Antonino Imp. magna in Christianos persecutio excitata est, Romæ præsertim, in ædibus S. Praxedis virginis cum alijs multis Christianis latitabat, ac in titulo pastoris, qui, à Pio Papa dedicatus fuerat, sacra faciebat. Quod cum Antoninus accepisset, illicò eò misit, qui Christianos caperent, & interficerent. Comprehensum itaque Simitrium cum alijs 22. eos inauditos capite truncarunt 7. Kal. Iunij. Quorum corpora S. virgo in cœmeterio Priscillæ sepeliuit. *Ex Actis S. Praxedis à quib. Pet. in Cat. lib. 5. c. 58. accepit.*

ANNOTATIO.

ANtoninus, sub quo S. Simitrius passus est, non ille Pius, sed M. Aurelius fuisse videtur, qui & persecutionem in Christianos commouit, licet postea Christianos deferri vetuerit, mirari tamen quis possit, qui S. Praxedes V. tandiu viuere potuerit.

Corpus S. Simitrij à S. Baboleno Episcopo Leodien. Landernacum delatum ibi quiescere asseritur. ex Indic. SS. Belgij.

DE SS. FELICISSIMO, HERACLIO, ET PAVLINO martyribus Tudertinis.

FElicissimus, Heraclius, & Paulinus ciues Tudertini sub Diocletiano, & Maximiano martyrio coronati sunt. Cum enim persecutione feruescēte, Christū prædicare, hi non desisterent, comprehensi sunt, ac post diuersa tormentorum genera, tandem martyrij palmam consecuti sunt. Quorum corpora extra vrbem in ecclesia S. Stephani protomartyris sepulta ex antiqua traditione creduntur. *Ex off. Eccl. Tudertina Roma approb.*

AN-

ANNOTATIO.

De ijs Beda, Vsuard. Ado, & alij Martyrolog. scriptores.

Maij die 27.

DE S. IOANNE PAPA, ET MARTYRE RAVENNÆ.

Ioannes I. huius nominis natione Hetruscus post Hormisdam Iustino I. Imp. Pontificatum gessit. Tria cœmeteria refecit hoc est SS. Nerei, & Achillei via Ardeatina, SS. Felicis, & Adaucti, & S. Priscillæ. Basilicas Apostolorum Petri, & Pauli vasis sacris ex auro, & argento ornauit. Hic cum Theodoricus Rex Hæreticus Italiam diuexaret, quòd Iustinus Arianis ecclesias in oriente ademerat Constantinopolim auxilij causa profectus, miracula in itinere edidit. Nam equus cuiusdam nobilis Corinthij, quo vxor illius mansuetissimo vtebatur, cũ in eo S. Pontifex in vrbis illius egressum sedisset, remissus domino, ita ferox euasit, vt cum dominam non ferret Pontifici donatus fuerit. Cum Clerus Constãtinopolitanus ad 12. M.P. obuiam Pontifici exisset, quòd oriens nullum Rom. Pontificem à multo tempore viderat, & ad portam vrb. Imp. ipse honoris causa populo frequentissimo insequente ei occurrisset, & ad pedes prostratus illum veneratus esset, in aditu ipsius portæ cæco lumen restituit. Rebus cum Imp. compositis redijt in Italiam, statimque ad omnes Italiæ Episcopos epistolam dedit, vt ecclesias Arianorum ad ritum catholicum consecrarent, inquiens se Constantinopolim pro Religione, & causa Theodorici Regis profectum, omnes quascunque potuisset in illis partibus catholicas consecrasse, prout & pijssimo ac orthodoxo Imp. placuerat. Id Theodoricus Rex indignissimè ferens, S. Pontificem Rauennam dolo accersitum, in carcerem coniecit, in quo squalore, & inedia afflictus breui cessit è vita, cum annos duos, menses nouem, dies quatuordecim sedisset. Non multò post moritur Theodoricus, quem S. Calogerus eremita, vt S. Gregorius Papa scribit, inter Ioannem Pont. & Symmachum patricium in ignem Liparitanum demergi vidit, vt quibus ille mortem attulerat, ab ijs post mortem iudicaretur. Corpus S. Ioannis Rauenna Romam delatum in basilica S. Petri conditum est. *Ex Breu. Rom. & Annal. Eccl. Baron.*

Equus mansuetissimus à Ioanne conscensus ferox redditur.

Cæco lumen restituitur.

ANNOTATIO.

Plerique, qui vitam Io. Papæ scribunt, illum Constantinopolim à Theodorico missum, vt cum Imp. ageret, quo ecclesiæ Arianis restituerentur, illique ad propria reuocarentur. Sin minus se catholicos persecuturum, & ipsorum ecclesias demoliturum, atque Pontificem tandem ab Imp. impetrasse, vt Ariani, vt antea permitterentur. Verùm epistola eiusd. Io. quam S. ad Episcopos Italiæ scripsit, cuius mem. Breu. Rom. oppositum docet. Idcirco enim Io. ad Imp. profectus est, vt aduersus Theodoricum euersionem Catholicorum minantem opem ferret. Censura itaque egent Plat. in vita huius Pont. & Pet. in Cat. lib. 5. c. 51.

DE S. RESTITVTA VIRGINE, ET MARTYRE SORÆ.

Cyrillo, & alijs.

Restituta virgo Romana, nobilis genere, at fide Christiana nobilior. Hæc in paternæ domus penetralibus habitans, ac in publicum nunquam procedens, Christo Domino cui virginitatem vouerat, orationibus, vigilijs, pijsque medi-

meditationibus deseruiebat. Quæ cum iam nubilis esset, à multisque nobilibus in matrimonium ob generis nobilitatem, & formæ pulchritudinem expeteretur, nulla parentum persuasione adduci potuit, vt alicui nuberet. At qui Angelica visitatione corroborata, facilè Diabolum, qui minabundus, & teribili vultu sibi apparuerat, minas illius haud verita signo crucis fugauit. Cũ verò Christus Dominus, qui sponsam suam solari dignatus est, vt se Soram reciperet, ei iussisset, vrbe egressa apud Lateranum Angelum inuenit, qui illam Soram vsq; comitatus est. Ibi domum viduæ ingressa filium illius vnicum nomine Cyrillũ lepra infestum, assidueque decumbentem in Christi nomine sanauit, totamque eius domum conuertit. Quo miraculo perulgato, Agathius Proconsul virginẽ ad se adduci iubet: illamque longa oratione, vt Deos veneretur, suadet, in matrimonium se eam ducturum pollicetur. At vbi virginem neque promissis, neque minis commoueri videt, eam ad omnia sapientissimè respondentem, scorpionibus primùm cædi imperat canentem, Deoque gratias agẽrem, deinde vinculis ferreis constrictam carceri 7. dies, & noctes absque vllo cibo, & potu includi. Vbi Angelica loquutione, & cœlesti splendore, qui carcerem illustrauit cõfortata est vinculis, vt cera, resolutis. Quæ cum carceris custodes cernerent, cõuersi ad Christum ad pedesque virginis prostrati ad Cyrillum baptizandi mittuntur: quos Proconsul decollari, Cyrillo custodiæ tradito, præcepit: Posthæc Restitutam, & Cyrillum lampadibus accensis aduri: sed mox lampades extinguuntur, & tortores excæcantur: quibus in Christum credentibus virgo lumen signo crucis restituit, Cumque Christum Deum verum vnicum esse exclamarẽt, & ipsi iussu Proconsulis capite plexi sunt. Cum verò Agathius omnes suos conatus, vt virginem mart. suam sententiam traheret inanes cerneret, ne plures in Christum crederent. Illam, & Cyrillum cum alijs extra vrbem apud Febrenum Fluuium, qui Carnellus nominatur, capite truncari, capitaque in flumen demergi iubet. 6. Kal. Iunij circa An. sal. 275. Aureliano Imp. Quorum corpora à Christianis ibidem, vbi postea ecclesia Restitutæ nomini constructa fuit, condita sunt, capita verò ab Amasio Episcopo in somnis à Restituta admonito post dies 7. inuenta corporibus consepulta fuere. *Ex monum. Eccles. Sorana in qua Acta à Gregorio Episcopo Tarracinen. conscripta asseruantur.*

Restituta Angelum ducẽ habet leprosum sanat.

Custodes carceris conuersi decollantur.

Tortores excæcantur.

ANNOTATIO.

HAec ab ea, quæ Neapoli colitur diuersa est. Illa enim Africana in Africa passa est: hæc Romana Soræ. Illius natalis die 17. Maij celebratur: huius hac die. Est autem Restituta præcipua Soranorum patrona.

DE S. IVLIO MARTYRE FÆSVLANO.

IVlius Fæsulis in Hetruria adolescens in persecutione Christianorum ob fidem Christi comprehensus, martyrio coronatus est, atque ibidem sepultus; Cuius corpus in Abbatia Fæsulana quiescit. Cætera hoc est genus martyrij, & sub quo Imp. ignorantur. *Ex Franc. Diaceto Episcopo Fæsulano libr. de SS. eiusd. Eccles.*

ANNOTATIO.

HIc ab eo qui Dorostori in Mysia sub Alex. Imp. passus fuit, hac die, planè diuersus est: Cum ille miles veteranus fuisse; hic adolescens esse referantur.

DE

DE S. LIBERIO CONFESSORE, ET PATRONO Anconitano.

Liberius Ioanne Armeniæ maioris Rege natus, patre à Saracenis prælio superato, eo inscio peregrini habitu indutus Hierosolymam loca sancta inuisurus venit: vbi aliquandiu commoratus, cum ijs, quos pater ad eum requirendum miserat, ignotus tamen illis in Italiam nauigans apud Anconam habitu cruciferorum suscepto vitam eremiticam degit, Vbi breui cum è vita cessisset, plurimis post mortem miraculis coruscauit. Nam & mortuos ad vitam reuocasse, Dæmones ab obsessis corporibus eiecisse, leprosos mundasse, cæcis visum restituisse, & alios alijs morbis laborantes sanasse traditur. Quod vbi Armeni quidam ex vrbe Roma in patriam reuersi nunciassent, is statim arcam ex pretioso marmore in quo corpus filij cōditum in Armeniam referretur, Anconam misit. Sed Anconitanis repugnantibus, res ad Gregorium Magnum Pont. defertur. Quem vt Liberius ibi quiesceret vbi elegisset, decreuisse ferunt. Quare corpus apud ciuitatis mœnia vbi ille vitam egerat eremiticam templo, ei insigni dicato reconditum mansit. *Ex monum. Eccles. Anconitanæ cuius S. Liberius præcipuus tutelaris, & patronus est.*

Liberius miraculorum insignis effector.

ANNOTATIO.

Dubitabit hic quispiam qui tempore S. Gregorij Papæ essent Sarraceni, cum Mammethes Pseudopropheta sub Heraclio, qui post S. Greg. mortem Imperauit, sectam instituisse dicatur. Fortè pro Persis, à quibus Io. Armeniæ Regem victum ob vicinitatem verisimile est, Sarraceni scripti sunt; vel Sarracenos Maumethen præcessisse dicendum est.

DE B. THEOBALDO CONFESS. ALBÆ POMPEIÆ.

Theobaldus apud M. Vici humili loco natus à teneris pietatem coluit. Hic Albam Pompeiam profectus cerdonis artem didicit. Sed mortuo magistro, qui illi filiam, quam vt in matrimonium duceret hortabatur, cum tota domo fidei suæ commendarat, voti causa Compostellam peregrinatus est. Albam reuersus, cum sibi castitatem colendam proposuisset, vitam quasi eremiticam, & à voluptatibus alienam instituit, orationibus, vigilijs, & ieiunijs exercitam. Quo magis autem carnem domaret, relicta calceatoria arte, onera humeris deferre cœpit, ex lucro duas ex tribus partes pauperibus distribuens. Cum autem farinam, quam ferebat, pauperibus in summa egestate diuisisset, diuino quodam consilio, saccum arena pro farina replerū ante fores illius, cuius erat, deposuit: quæ arena in optimam farinam conuersa deprehensa fuit. Posthæc in morbū incidens nunquam adduci potuit, vt in lecto decumberet; Sed super nuda humo, vt consueuerat, iacens, paulò post sacris refectus, cum inter ecclesiā S. Laurentij quam semper verrere scopis solitus erat, & S. Syluestri humari postulasset, animam Deo reddidit Anno sal. 1250. sponte omnibus vrbis campanis sonantibus: quæ non ante cessarunt, quàm sepulturæ traditus est. Cuius corpus in ecclesiam S. Laurentij, vt ibi decenter conderetur, delatum Episcopo, clero, & populo præsentibus ita immobile factum est, vt non nisi in locum à se designatum, in quo nouum ex marmore sepulchrum cum luminibus apparuit, inferri potuerit. Tantus autem propter miracula ad tumulum populorum concursus factus

Arenam in farinam conuertit. Campanæ in eius morte spontè sonant. Corpus eius immobile. Sepulchrum nouum cum luminib.

factus est, vt ex eleemosynis non modo ecclesia cum turri, sed etiam xenodochium constructum fuerit. *Ex eius vita M.S.* in qua ad 59. miracula leguntur: in ijs, tres pueri defuncti ad vitam reuocati, & quamplurimi ab insanabilibus morbis curati.

Miracula 59. Tres pueri resuscitati.

ANNOTATIO.

QVadam huic B. tribui animaduertimus, quæ S. Theobaldo Eremita, & Abbati congruunt, veluti illud de cœnobio monach. Benedictinorum, & de mortuo apud vesuntionem in Burgundia suscitato.

Maij die 28.

DE SS. ÆMILIO, FELICE, PRIAMO, ET LVCIANO martyribus Calari.

AEmilius siue Æmilianus, Priamus, Lucianus, & Felix mulier Calarijs in Sardinia, vt antiqua habet traditio martyrio affecti sunt. Quorum sepulchrũ crebris miraculis claruit. Quamuis autem acta ipsorum disperierint, & quo tẽpore martyrium subierint, ignoretur, in primis tamen persecutionibus coronati putantur. Illorum autem omnia Martyrologia meminere. *Ex Martyrol. Rom. & alijs.*

ANNOTATIO.

FAra lib. 1. de Reb. Sardois hos non martyres, sed confessores facit. ait enim eos sanctitate excelluisse, & 5. Kal. Iunij miraculis claros migrasse in cælum. Vsuardus item nullam martyrij mentionem facit, Corrigi autem debent Martyrologia quæ pro Aemiliano habet Aemilium. In Sardinia enim Aemilianus non Aemilius appellatur.

DE S. IVVENALE EPISCOPO CARALITANO.

IVuenalis Episcopus Caralitanus seu Calaritanus, vtrumq; .n. dicitur Diocletiano Imp. in cuius persecutione in montibus Caralitanis delituit, multaq; passus est. Is post S. Ephysi passionem remissa aliquantisper persecutione Calarim redijt, populum multum ad fidẽ conuersum sacro fonte regenerauit, Flauiani Præsidis iussu comprehensus, catenisque vinctus in carcerem detruditur, extremo, immanique supplicio perimendus. Sed Angelus Domini affuit, qui illum vinculis resolutis eductum in excelsum montem in locum, qui caput Pasferis dicebatur; deduxit. Vbi regionis Accolas sacrum Euangelium docuit. Ordinatisque illis Presbyteris, & Diaconis mortuo Flauiano (qui populo Calaritano inuisus Romam ad Imp. nauigans submersus interijt) Calarim redijt, ac Ecclesia aliquandiu sanctè administrata ibi in pace quieuit. *Ex Ioanne Arca lib. de SS. Sard. & Io. Franc. Fara lib. 1. de Reb. Sardois.*

ANNOTATIO.

F. Dimas Serpius in Cron. SS. Sard. S. Iuuenalem ab Angelo in Siciliam in locum, qui Caput Pasferis nominatur (hoc est Pachynus Prom. apud Veteres) deductum scribit. Sed nulla Iuuenalis apud Siculos extat memoria, & Fara loco citato Caput Pasferis, ad quod Iuuenalis asportatus fuit, in Sardinia esse indicat.

DE S. SENATORE EPISCOPO MEDIOLANENSI.

SEnator Mediolani ex nobili (vt ferunt) Septara familia siue Vilania, vt habent Acta ortus, moribus, & doctrina ac eloquentia sub Leone I. Pontifice Max. floruit, à quo Constantinopolim missus, legationeque ex sententia perfunctus Romam rediјt: ac Episcopus Mediolanensis post S. Benignum creatus ei Ecclesiæ annos 4. magna cum laude, & populi vtilitate præfuit. Cuius corpus, cum is diem obijsset, 4. Kal. Iunij in ecclesia S. Euphemiæ tumulatum fuit. Illum S. Ennodius Episcopus Ticinensis versibus celebrat, & Anastasius II. Pont. Max. in SS. numerum retulisse fertur. *Ex Tab. Eccl. Mediolanen. & vita à Besutio scripta.*

ANNOTATIO.

BEsutius in Tab. Epp. Mediolanens. Senatorem Episcopum anno D.493. ordinatum scribit. quo tempore Gelasius I. præerat Eccles. Vt etiam in Actis Eccl. Mediolanen. continetur. Leo autem I. an. 461. excesserat. Panuin. in Cronol. Eccl. illum Hilario Pont. an. 466. creatum annos 4. sedisse adnotauit.

Præclarum habes illius apud S. Ennodium Ep. Papien. Encomium.

„ *Qui modo trabeas, solium, cinctumque gabinum*
„ *Consulibus præstans ecce Senator adest;*
„ *Ingenium velox, sermonis cura rotundi*
„ *Virtutum pretium forma pudicitiæ.*
„ *Abdita librorum mysteria clausa prophetæ,*
„ *Qui dedit in lucem stemmate quæ voluit.*
„ *Orbis ad extremi missus secreta verendis.*
„ *Curauit studijs, quod fuerat lacerum.*
„ *Tunc oriens victum peregrino lumine fassus*
„ *Hæsit ad aspectum lampadis alterius.*

DE S. ANASTASIO EPISCOPO TICINENSI.

ANastasius Episcopus X. post S. Crispinum Ecclesiam Ticinensem administrauit. Fuit in pauperes misericors, & liberalis, in afflictos benignus, erga omnes pius pater, in Deumque religiosissimus. De quo illud memoriæ proditum est, quod interrogatus, cur peccantes se soleant excusare, illos belluæ marinæ, quæ apparens mox se in aquas demergens abscondit, persimiles esse respondit. Non posse autem quenquam à peccatis excusari, cum scriptum sit septies in die cadit iustus. Vixit Episcopatu ad annos 23. ac sub Syluestro Pôt. Max. & Constantino Magno diem obijsse putatur. Corpus iuxta B. Syri corpus sepultum fuit. *Ex Anton. M. Spelta de vit. Epp. Papien. post Guallam, & Breuentanum.*

Peccator similis belluæ marinæ.

ANNOTATIO.

BAron. in Annotat. ad Martyrol. quæ de Anastasio II. huius nominis dicuntur, per errorem huic tribuit: qui longè Rotharis Regis tempora præcessit. Quanquam

quam si sub Constantino Magno vixerit, immediateque S. Crispino successerit, non ita certum est, vt aliqui affirmant.

DE S. PODIO EPISCOPO FLORENTINO.

PODius Vberti Ducis, siue vt alij scribunt Marchionis Hetruriæ filius Colmellæ circa An. sal. 990. Vgone Arelatense Rege nascitur. Is in liberalibus disciplinis instructus, ac postea in diuinis litteris eruditus, factus Canonicus collegio Canonicorum Abbatiam S. Andreæ pro communi illorum victu largitus est. Sichelmo autem Episcopo Florentino defuncto in demortui locum ob eius vitæ, & morum integritatem sufficitur, ac Ecclesiam Florentinam, quam bonorum applicatione, castellis etiam aliquot adiunctis maximè auxit, insigni prudentia, & pietate, annos 12. administrauit. Cœtera illius Acta desiderantur. Corpus in maiore basilica asseruatur. Eius verò natalis 5. Kal. Iunij, qua die ex hac vita migrauit, ab Ecclesia Florentina celebratur. *Ex Vincentio Borghinio lib. de Eccl. & Epp. Florentinis.*

ANNOTATIO.

HIc, si vera scripsit Io. Archipresbyter Aret. in vita S. Zenobij, Ioanni Episcopo Florent. An. D. 1003. Non ergo Sichelmo vt scribit Borghinius, successor fuit nisi (idem sit Io. & Sichelmus) neque ann. 990. natus fuit, sed ante aliquot annos. Tametsi Borghinius accuratissimus autor fuit.

Borghinius.

DE S. VBALDESCA VIRGINE PISANA.

VBaldesca virgo in agro Pisano humilibus parentibus orta, ac à teneris Deo deuota. Cum annum 15. nata panem sola coqueret ab Angelo (qui sibi apparuit) Pisas se recipere ac cum alijs fœminis religiosis in xenodochio Sancti Ioannis ægrotis inseruire iubetur. Cum illa sibi dotem (sine qua ingressus in illud non patebat) non esse diceret, quòd absque dote reciperetur, Angelus respondit. Pisas itaque profecta à fœminarum Abbatissa recipitur, panisque ab ea in furno relictus non combustus, at probè coctus à parentibus domum reuersis inuenitur. Vbaldesca autem orationibus, vigilijs, & ieiunijs intenta, in diesque proficiens magnæ erat omnibus admirationi. Cum verò moniales annonæ inopia laborarent, ipsa ad quęstum exeundi licentia impetrata, dum iret, lapide è sublimi delapso in capite grauiter vulnerata est, quam plagam, patiendi causa, cum curari noluisset, vsque ad extremum vitæ, quæ ad annos 70. producta est, pertulit. Eius sanctitas aliquot miraculis dum viueret declarata est. Nā cum aquam à se signo crucis benedictam, mulieribus quibusdam ab ecclesia S. Petri in Gradu remeantibus porrexisset, illa in pretiosum vinum conuersa est. (Is dies erat Parasceues, quo mulieres illæ in pane, & aqua ieiunabant.) Cum autem ad mortem ægrotaret, quidam Religiosus, qui ad eam visitandam venerat, discedens secretò sororibus astantibus dixit, vt se ad illius transitum vocarent. Cui Vbaldesca ait, quod non opportunè venturus esset. Nam statim post illius Religiosi discessum, migrauit è vita 5. Kal. Iunij An. sal. 1206. & miraculis fulsit. *Ex vita M.S. quæ apud Moniales cœnobij S. Ioannis seruatur.*

Panis, diu in clybano manens, non est adustus.

Aqua in pretiosum vinū conuertitur.

ANNOTATIO.

Nondum, quod sciam, in SS. relata est; illius tamen Natalis hac die ab Eccl. Pisana de sed. Apost. permissione celebratur.

Maij die 29.

DE S. RESTITVTO MARTYRE ROMÆ.

Restitutus ciuis Rom. in persecutione sub Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus apud Hermogenianum Præfectum, quòd Christianus esset, & Deos irrideret accusatus, iussu illius comprehenditur, ac Dijs sacrificare iubetur. Cumque is diceret, se paratum esse Deo viuo, & verò seipsum in sacrificium offerre, primùm lapidibus circa maxillas contunditur; deinde cum in Christi confessione constantior appareret, plumbatis, & neruis vsque ad lacerationem cæditur, carcerique ferro vinctus includitur: quo orante alij 20. captiui catenis ferreis soluti, & ostijs mirabiliter reseratis aufugiunt. Mane carceris custos illum apertum, & in eo solum Restitutum inueniens rem Præfecto defert: qui statim martyrem quasi maleficum Deorumque contemptorem ad Capitolium duci, si forte Deos Christo renuncians veneraretur, sin minus decollari, & canibus deuorandum proijci iubet. Quem Iusta matrona noctu sublatum in prædio suo via Nomentana 16. ab vrbe milliario aromatibus conditum sepeliendum curauit Stephano Episcopo, Presbyteris, & diaconis comitãtibus 4. Kal. Iunij: quo in loco miracula aliquot patrata sunt. *Ex antiquo M. S. S. M. Maioris.*

ANNOTATIO.

Citatum M. S. pro Hermogeniano habet Hermonem, & pro Præfecto habet Præsidem. Sed nos Baronium secuti sic scripsimus.

DE S. MAXIMO EPISCOPO ÆMONIENSI, & martyre.

Maximus Episcopus Æmoniæ (quæ ciuitas est Histriæ) cum impia Diocletiani, & Maximiani Imperatorum in Christianos edicta promulgata fuissent, antequam accusaretur, aut comprehenderetur, vltrò optimum Histriæ Præsidem adijt, seque Christianum confessus pro Christi nomine mortem subire paratum dixit. Quare Dianæ sacra facere recusans iussu Præsidis carceri mancipatur, eductusque cum in sententia persisteret, primùm fustibus cæditur; deinde cum minas Iudicis haud trepidaret, in equuleo suspensus vngulis, excarnificatur, donec cum sanguine carnes diffluerent, ferrisque candentibus exuritur. Sed cum omnes cruciatus fortiter superasset, tandem irati Præsidis iussu lapidibus obrutus gloriosum certamen consumauit, 4. Kal. Iunij. Corpus ibidem à Christianis tumulatum, postea Venetias translatum in æde Sancti Cantiani reconditum fuit, miraculis clarum. *Ex eod. antiquo, & M. S. eiusdem Eccl.*

Maximus variè, ac dirè tortus fortiter tolerat.

ANNOTATIO.

Hac die Æmoniæ (quæ nunc C. noua appellatur) & Aquileiæ natalis eius celebratur. Venetijs verò Transl. die 10. Octob. recolitur.

DE

DE SS. MILLE QVINGENTIS, ET VIGINTIQVINQVE martyribus Camerini.

POst S. Venantij inclyti martyris passionem, cum plurimi ob miracula ab eo perpetrata ad Christum conuersi, in confessione acceptæ fidei perseuerarent, Antiochus Præfectus eos conquiri, & comprehendi iussit. Capti sunt itaque ex ijs mille quingenti, & vigintiquinque: quos omnes pro Christi fide capite truncari mandauit 4. Kal. Iunij, sub Diocletiano eodem anno, & mense, quo S. Venantius passus est. *Ex Gestis eiusdem S. Venantij.*

ANNOTATIO.

HI 1525. mart. alij ab ijs, qui vnà cum S. Venantio decollati sunt eadem die censeri debent. Et licet in S. Venantij passione Antiochum aufugisse mortemque turpissimam obijsse legatur, id post horum SS. martyrum necem accidisse credendum est.

DE S. MAXIMO EPISCOPO VERONENSI.

MAximus Episcopus XVIII. post S. Lucillum Ecclesiam Veronensem administrauit circa annum sal. 352. Vir fuit eximia doctrina, spectataque virtute præditus, quem magis conspicuum morum probitas, apud omnes reddebat. Cum itaque aliquot annos Ecclesiæ suæ laudabiliter præfuisset, 4. Kal. Iunij relicto corpore abijt in Cœlum. Cui extra vrbem non procul à mœnibus templum suo nomini extructum fuit. Monasterium quoque virginum propè portam ciuitatis ædificatum est; quòd cum vico, & portu de S. Maximi nomine dicitur. *Ex monu. Eccl. Veronen. ac ex lib sæpius memorato de SS. Veronens.*

ANNOTATIO.

COrpus S. Maximi vbi quiescat hoc tempore ignoratur: licet reliquiæ ipsius in consecratione altaris S. Helenæ in basilica SS. Apostol. adhibita sint.

DE S. EXVPERANTIO EPISCOPO, ET PATRONO Cingulano. *Vide ad diem 24. Ianuarij.*

DE S. ELEVTHERIO CONFESSORE ARCANI apud Aquinum.

ELeutherius natione Anglus SS. Grimoaldi, & Fulci frater vnà cum illis ex Anglia in Italiam peregrinationis ergo venit: cum autem Romæ loca sancta multa cum deuotione visitasset, ac Aquinum cũ fratribus peruenisset, apud Arcanum Op. Latij subsedit, vbi clarus miraculis sancto fine quieuit. Extat ibi ecclesia suo nomini dicata, ad quam plures infirmi confluere, & sanitatum gratias referre solent. *Ex monum. Eccl. Aquin.*

ANNOTATIO.

ACta propria S. Eleutherij nondum vidimus; licet ea ab Episcopo Aquinate non semel per alios tamen flagitauerimus. Quæ autem diximus, ex Incolarum relatione accepimus.

Maij die 30.

DE S. FELICE I. PAPA, ET MARTYRE.

Felix tres scribit epistolas.

FElix Romanus S. Dionysio, Aureliano Imp. in Pontificatu successit. Constituit, vt Missa supra memorias martyrum, aut sepulchra eorundem celebraretur. Ex quo factum est, vt non absque reliquijs martyrum altaria consecrentur. Tres scripsit epistolas vnam ad Paternum Episcopum; alteram ad Galliæ Episcopos; tertiam ad Magnum Episcopum. Scripsit & ad Maximum Episcopum Alexandrinum aduersus Sabellij, & Pauli Hæresim. Vixit in Pontificatu ann. duos, menses quatuor, dies vigintinouem. Habuit ordinationes mense Decembri, duas: quibus creauit Presbyteros 9. Diaconos 5. Episcopos per diuersa loca 5. Martyrio coronatus 3. Kal. Iunij anno 5. Aureliani Imp. (qui octauam, siue nouam persecutionem mouit in Christianos) in basilica à se via Aurelia ædificata, & dedicata 2. ab vrbe milliario sepelitur. *Ex Breu. Rom. & Baron. in Annal. ad ann. D. 275. & Damaso.*

ANNOTATIO.

MAxima inter scriptores de tempore Felicis hoc est sub quo Imp. & quanto tempore præfuerit, dissensio est. Beda secutus Damasum enim illum sub Claudio passum scribit, quem sequitur Vsuard. & Pet. in Cat. lib. 5. c. 68. Euseb. lib. 7. Hist. Eccl. c. 27. Felicem annos quinque sedisse ait. Damasus annos 4. mens. 4. fere. Panuin. in sua Cronol. addit mensem vnum. Marian. Scot. Plat. & alij omnes plures quam Baron. Quod nisi obstaret Breu. Rom. autoritas, cum pluribus sentiendum esse dicerē.

DE SS. GABINO, ET CRISPVLO MARTYRIBVS Turritanis.

GAbinus, & Crispulus ciues Turritani (quæ ciuitas olim in Sardinia celebris fuit, cui Sassaris successit) post S. Antiochum sub Hadriano Imp. passi sunt. Cum enim ad Christum conuersi Turribus alijs fidem prædicarēt, comprehensi in carcerem conijciuntur, ac excruciantur. Verùm illis superatis, cum in Christi confessione constantiores euaderent, martyrio coronantur 3. Kal. Iunij. *Ex Fara lib. 1. de Reb. Sard. & F. Dima Serpio in Cron. SS. Sard.*

ANNOTATIO.

FAra leco cit. hos ante S. Antiochum martyrio affectos scribere videtur. F. verò Dimas illos in passione S. Antiochi conuersos post eum passos asserit. Vterque ipsos insigniter coli apud Turritanos affirmat. Baron. in suis Annotat. Horum natalem die 25. Oct. præcipuè celebrari ait, eumque mensem à Sardis Gabinum appellari, hac verò die translationem recoli. Qua in re similitudine vocis deceptus videtur. Nam qui die 25. Oct. coluntur non Gabinus, & Crispulus sunt, sed Gauinus cum Prapto, & Ianuario, & mensis Octobris, mensis S. Gauini appellatur. Vt Fara lib. memorato ad an. 30. pluribus adnotat.

DE S. EXVPERANTIO EPISCOPO RAVENNATE.

EXuperantius XIX. Episcopus Rauennatū S. Vrso successit, Honorio Imp. Vir fuit grauis, magnaque prœditus charitate, simplex tamen, & sincerus.

tranquillam degens vitam, Ecclesiæque, & populo Rauennati valde vtilis. Hic Argentam oppidum minime contemnendum ædificauit, ita dictum, quod Ecclesiæ Rauennati argentum penderet (sicuti & Auteolum, & Ferrariam sic dicta putant, quod illud aurum, hęc Ferrum eidem Ecclesiæ soluerent) Nec verò eidem populo minus in spiritualibus rebus vtilis fuit: cum animarum saluti semper inuigilaret. Cum autem annos 20. Ecclesiæ suæ præfuisset bonis cumulatus operibus cathedra S. Ioanni Angelioptæ relicta ad præmium euolauit in cœlum in æde S. Agnetis sepultus. 3. Kal. Iunij Zosimo Pont. Max. an. sal. 419. *Ex monum. Eccl. Rauenn. & Hieron. Rub. lib. 2. Hist. Rauenn.*

ANNOTATIO.

B*Aronius in Annot. in Martyrol. hac die alium Exuperantium, siue Superantiū in Lucania insignem sanctitate floruisse. Cuius in vita S. Paulini Episcopi Nolani fit mentio, adnotat. Nullum tamen Episcopum in Lucania huius nominis pro sancto haberi intelleximus.*

DE S. SILAO EPISCOPO HIBERNO LVCÆ.

SIlaus Hibernus nobili loco ortus, omnibus venditis, & pretio pauperibus distributo, in monasterio S. Brandani fit monachus, mortuoque Abbate illi ob sanctitatem subrogaretur, & à S. Patricio Diaconus creatur. Non multo post primariæ vrbis electus Episcopus inuitus tamen, Romam venit. Vbi à S. Gregorio Papa consecratus, in Hiberniā ad Ecclesiam sibi commissam regendam reuertitur. Multis miraculis enituit. Cum coacta Synodo Episcoporum sub S. Patricio Silaus missam cantaret, hostiamque vt moris est, in tres partes diuisisset, Angelus vnam ex illis acceptam ad Abbatissam quandam ægrotam detulit: quæ illicò ea sumpta sanata est. Cum in itinere ad Abbatem quendam diuertisset, iisque ligna viridia cum porco quasi in contemptum S. Episcopo misisset, ea tamen ab ipso benedicta non secus, ac si arida fuissent arserunt; porcus verò coctus, & diuisus ad S. Episcopi benedictionē in pisces conuersus est (erat autem feria sexta) Ferunt etiam illum fœmineam Regis prolem in virilem orando conuertisse, Rex enim sibi ex clero exitium minatus fuerat, nisi id fieret. Cum ad fratrem intra Insulam habitantem visendum iret, nec nauiculam habere posset, qua traijceret, lapide ingenti benedicto super eo lacum mirabiliter cum clero traiecisse fertur. Cum autem Regulus quidam bona Ecclesiæ suæ occupasset, ad Romanum Pont. proficiscens opem ab eo imploraturus, Lucam, vt sororem quæ ibi relicta viro prædiuiti nupserat, inuiseret, diuertit. vbi cum defunctam accepisset, pro ea sacrificium Deo obtulit, ac iter Romam prosecutus, dum à Romano Pont. benignè exceptus, & multis priuilegijs affectus in patriam regreditur, Lucæ vbi aliquot dies demoratus ægrotos multos curauit, in morbum incidit; ac paulò post moritur in eademque ecclesia Sanctæ Iustinæ; in qua soror, sepelitur multis clarus etiam post mortem miraculis, ob quæ multæ fiebant oblationes: quarum cum partem cognatus pro hospitio postulasset, statim illæ cessarunt. Corpus autem cum diu ignotum vsque ad an. sal. 1180. fuisset, repertum, & loco decentiore reconditum rursus miraculis coruscare cœpit. *Ex vet. lib. M.S. Monasterij S. Iustinæ, quod expurgatione eget. Continet enim plura apocrypha, ac inuerisimilia, quæ magna ex parte resecauimus.*

Abbatissa præficitur ab Angelo partem hostiæ ei ferente.

Porcus coct⁹ in pisces conuertitur fœminea proles in virilem mutatur.

S. Silaus sup ingenti saxo mare traijcit.

ANNOTATIO.

Licet hac die S. Vir decesserit. Festiuitas tamen illius ab Eccl. Lucen. in Dominica intra octauam Ascensionis Domini celebrari consueuit, quod ea die Dominica obierit.

Maij die 31.

DE S. PETRONILLA VIRGINE ROM.

Petronilla è lecto surgens ministrat, ac deinde ægrotat.

PEtronilla virgo B. Petri Apostoli filia, cum eximia corporis forma præstaret, ac ægrotaret, & ab ipso Apostolo quæsitum esset cur cum alios ægrotos sanaret, propriæ filiæ sanitatem non restitueret, ferunt illum respondisse, quia sic expediret. Ne autem quis de potestate dubitaret, eam à lecto surgere iussit, & conuiuis ministrare. quo facto in eundem recidit morbum: ex quo cum conualuisset, à Flacco Comite adamata in matrimonium postulatur. Petronilla, vt interim sibi cōsuleret, quomodo virginitatem Christo dicatam seruaret, triduum ad deliberandum poposcit. Quod tempus totum in ieiunijs, & orationibus insumpsit, assiduè à sponso cœlesti petens, ne vim sancto suo proposito afferri pateretur, quare cum die tertia sacram sumpsisset Eucharistiam, mox ad cœlestes nuptias euolauit Prid. Kal. Iunij. Cuius corpus via Ardeatina tumulatum, à Paulo I. Pont. Max. in basilicam Principis Apostolorum translatum est. *Ex Breu. Rom. antiq. & Martyrol. Rom.*

ANNOTATIO.

Vix credibile est Petronillam filiam B. Petri carnalem fuisse.

NOn modica inter scriptores de Petronilla est contentio an filia S. Petri Apost. carnalis, vel spiritualis fuerit. & an viuente Petro, vel eo defuncto obierit. Qua in re illud tantum dicam nulla ratione dici posse Petronillā ex B. Petro S. carnem natam fuisse. eo pracipuè argumento, quod Petronilla S. Felicula V. erat collectanea, sicuti acta ipsius Felicula apud omnes testantur, Felicula autem cum eidem Flacco comitis in nuptias assentiri nollet, sub Domitiano martyrio coronata est, sicuti & S. Nicomides Presbyter: qui illam sepeliit, vti ex Actis ipsorū habetur. Si igitur collactanea fuit Felicula, Roma natam esse oportet, & non ex Petro. Quod si quis illam natam ex Petro antequam Romam venisset peruicaciter dicat, quomodo adolescentula, aut virgo nubilis esse potuit sub Domitiano, vt illam Flaccus in matrimonium expeteret? Sed & Epitaphium ipsius quod sic habet A. PETRONILLAE F. DVLCISSIMAE. satis eam virginem Rom. esse ostendit. quis enim non videt, illud Epitaph. haud a S. Petro, qui prius obijt, & quem minus ea verba dicebant, positum fuisse.

DE SS. CANTIO CANTIANO, ET CANTIANILLA fratribus martyribus Aquileiensibus.

CAntius, Cantianus, & Cantianillas fratres ex nobili, & antiqua Aniciorum familia Aquileiæ (quò facultatibus pauperibus erogatis se receperant) apud Dulcidium Præfectum, seu Præsidem Christianæ religionis accusati comprehenduntur. quos primùm Præses blandè monet, vt abiecta noua Christianorum superstitione Deos immortales venerentur, & honores apud Imperatores consequantur, sed frustrà: nam se omnia potiùs pati paratos esse, quam a Christo deficere responderunt. Quamobrem illos carceri inclusos custodiri iubet, donec Maximianum Imp. quid agendum esset, per litteras consuleret. (erant enim nobiles Rom. in quos inconsulto Imp. animaduerti non poterat)

cum

cum autem Imperator, eos capite plectendos esse, si Deos colere recusarent, rescripsisset, illi fuga sibi consulentes, haud longè ab vrbe à satellitibus capti vnà cum Protho eorum pedagogo cruciantur, ac cum in sententia persisterent, iuxta Imperatoris mandatum capite truncantur Pridie Kal. Iunij. Quorum corpora à Christianis condita, postea Mediolanum translata sunt. Ferunt autem ex vulnere pro Sanguine lac emanasse. *Ex Breu. Mediolanen. Aquileien. ac ex Pet. in Cat. lib. 5. c. 70.*

ANNOTATIO.

Hic sanè mirandum, quòd Mediolanen. tam asseueranter corpora horum SS. martyrum se habere affirment, cum Tab. Eccl. Aquileien. ea Aquileia asseruari dicant, in eaque Eccl. Transl. ipsorum celebretur. Forte Mediolanum non integra corpora, sed reliquia aliquot insignes, quæ per synedoche corpora appellentur, aduecta sunt.

Mem. Venant. Fortun. horum SS. Mart. lib. 4. Vit. D. Martini.

„ *Aut Aquileiensen si forte accesseris vrbem*
„ *Cantianos Domini nimium venereris amicos.*

DE S. CRESCENTIANO MART. TVRRITANO.

Crescentianus vnà cum Gabino, & Crispulo Christianam amplexatus religionem cum Tunibus sanctitate, & miraculis resplendesceret, apud Fidei persecutores accusatus, & comprehensus, & ipse paulò post prædictorum SS. martyrum certamen, Prid. Kal. Iunij martyr occubuit. Isque in Ecclesia Turritana Summo in honore habetur. *Ex Vsuardo, & Fara lib. 1. de Reb. Sard.*

ANNOTATIO.

Alij fuere huius nominis martyres. Fuit enim Crescentianus mart. Aquileien. de quo die 5. Septemb. Crescentianus mart. Rom. de quo die 24. Nouemb.

DE S. VITALE EREMITA APVD ASSISIVM.

Vitalis Eremita apud Assisium vitam in summa austeritate duxit. Nam ex quo eremita factus est, nunquam ignem, aut lumen accendisse fertur. Vinum, aut obsonium, aut quicquam sale conditum nunquam gustauit. Cuius sanctitas miraculis aliquot declarata fuit. Etenim Scholastico cuidam memoriam, & loquellam, quas amiserat, mirabiliter restituit. Puer defunctus ad eius sepulchrum delatus ad vitam reuocatus est: ac per aliquot annos obsessi omnes & di srupti, ad tumulum illius curabantur. Quidam Tudertinus morti adiudicatus cum se S. Vitali commendasset, carcere, vinculisque diuinitus reseratis aufugit. Vixit in eremo annos 20. ac Prid. Kal. Iunij obdormiuit in Domino. Cuius corpus in ecclesia suo nomini dicata piè asseruatur, & colitur. *Ex monum. Eccles. Assisinatis.*

Vitalis sine igne degit.
Scholastico eloquium, & memoria restituuntur.
Puer defunctus excitatur.
Morti damnatus vinculis solutus aufugit.

ANNOTATIO.

Tempus quo vixit nondum scire contigit. Miracula quæ enarrauimus in pariete propria ecclesia depicta leguntur.

DE

DE B. IACOBO VENETO CONFESS. ORD. PRÆD. Foroliuij.

IAcobus Venetijs natus, puer parentibus orbatus ab auia in litteris, & motibus educatur. Adolescens religionis desiderio captus, institutum Fratrum Prædicatorum suscepit. In quo miros fecit obseruantiæ sanctæ progressus, erat enim humilitate, patientia, obedientia, abstinentiaque singulari. Forumliuij missus, ibi cœpit virtutibus, & miraculis clarescere. Nam multis ægrotis sanitatem impetrasse, leprosos mundasse, corpore vitiatos integritati restituisse, mortuos & suscitasse legitur. Illud etiam Rauennæ eum rosam 15. Kal. Decemb. decerpsisse ex rosario, & oleum mulieri pauperculæ mirabiliter auxisse prodidere. Quadriennio ante obitum vlceratus in pectore, morbum illum, quo paulatim consumptus est, patientissimo animo per id tempus tolerauit. Cum vitæ terminus aduenisset, non modo diem, sed & horam mortis suæ prædixit. Cum enim iam migraturus videretur, Fratresque ad animæ commendationem de more conuenissent, ait illis: *Nimis cito venistis, cum nondum hora mea aduenerit.* Cum autē illi vesperas decantassent, ipseque Litanias deuotè recitasset, placidè obdormiuit in Domino Prid. Kal. Iunij An. sal. 1314. ætatis verò 83. *Ex Cron. Ord. Præd.*

Relig. Præd. ingreditur. Clarus miraculis.

Diem, & horam mortis suæ prędixit.

ANNOTATIO.

EXtat officium de B. Iacobo Typis excusum: quo Fratres eiusdem Ord. Foroliuij ante Breuiarij correctionem vtebantur: in qua vita illius continetur.

Hymnus B. Iacobi ex eius officio.

SVmmè felix Ecclesia
Lætare nouo gaudio:
Per quod cœlestis curia
Nouo relucet radio.
Ad Iacobi corpusculum
Columba sancti spiritus,
Et gratiarum vasculum
Saluator mittit cœlitus.
Nouum sentitur gaudium
Noua promunt miracula;
Dant Ægris ossa præmium:
Exultat mens in sæcula.

DE S. IVVENTIO MARTYRE ROMÆ.

IVuentium martyrio affectum Romæ præter Martyrologium Rom. Beda, Ado, & alij habent; In qua tamen persecutione, & quo martyrij genere passus sit, apud aliquem reperire non potui. *Ex Martyrol. Rom.*

ANNOTATIO.

APud Pet. Gales. variè nominatur. Nam & Viuentius, & Vincentius legitur. Antiquiora tamen Martyrol. M. S. Iuuentius habent, sicuti, & Io. Molanus.

DE SS. FELINO, ET GRATINANVS MARTYRIBVS Perusinis Aronæ.

FElinus, & Gratinianus (qui & Gratianus) milites Perusiæ Decio Imp. Christianorum in perferendis cruciatibus constantiam demirati, visisque miraculis

sæculis martyrum ad Christum conuertuntur, & à Florentio Episcopo baptizātur. Cum autem Christi milites effecti fidem ab ipsis ante impugnatam audacter prædicarent, à Valeriano Præfecto capti obscuro carceri includuntur: qui mox cœlesti lumine collustratus est. Postridie educti, cum frustrà, vt propositū mutarent, tentarentur diris supplicijs afficiuntur; ac primum excarnificantur; deinde pelle exusta in prunis voluntantur. Quibus illicò sanatis, eò miraculo plurimi fidem D. N. I. C. suscepere. Id Præfectus indignissimè ferens, SS. martyres gladio subito iubet animaduerti. Quorum corpora à Christianis cōdita, cum postea Romam delata fuissent, inde Arenam oppidum haud ignobile ad Verbanum lacum Mediolanensis diœcesis, vbi loci tutelares sunt, Othone I. Imp. translata sunt. *Ex Breu. Mediolanen. & eorum Gest. M. S.*

ANNOTATIO.

Mirares est, quod Perusiæ nulla extet horum mart. memoria. Cum tamen Baron. in Annot. ad Martyrol. Acta M. S. Eccles. Perus. citet hac die.

DE S. SECVNDO MARTYRE AMERINO.

Secundus Christianus nobilissimo genere ortus, originē ab Aureliano Imp. ducens, in immani Diocletiani, & Maximiani persecutione Spoletij apud Eudoxiam piam fœminam latitabat. A Deo autem confortatus non amplius latere, sed se prodere decreuit. Quare venditis omnibus, pauperibusque erogatis in Idolorum cultores inuehi cœpit. Delatus verò apud Dionysium Procōsulem, & ad eum Ameriam adductus, cum frustrà suaderetur, vt Herculi sacrificaret, in equuleo torquetur; & depositus ad templum Herculis, vt eum veneraretur, deducitur. Sed illud orante Secundo subito terræmotu contremuit, & concidit. Quapropter Iratus Proconsul Secundum saxo ad collum alligato in Tyberim apud Ameriam præcipitari iubet. Ministri autem iussa executi ferè omnes ab vrsis redeuntes discerpti sunt, paucis exceptis, qui ea re commoti, & intus compuncti ad Eutitium Presbyterum latitantem venere ei, quæ acta erāt, narrantes. Corpus autem martyris apud ripam fluminis ab Eudoxia inuentum in suo prædio non longè ab vrbe Ameria conditum est; Vbi templo postea ab Amerinis excitato, Secundus vrbis illius tutelaris ab eis præcipuo honore colitur. *Ex M. S. Eccles. Amerinæ. & ex monum. Eccles. Eugubinæ paulò ab Amerina diuersis in quibus S. M. Eugubiæ, quæ Iulia dicebatur, ab Eudoxia sepultus traditur.*

Terræmotus.

ANNOTATIO.

Corpus S. Secundi in Eccles. Eugubina modò asseruari traditur, à qua cum Secundiano, & Agapito mart. die 10. Maij colitur.

DE S. CRESCENTINO MARTYRE TIPHERNI, patrono Vrbinate.

Crescentinus (qui & Crescentianus) Romanus miles Christianus, orbatus parentibus rem omnem venditam pauperibus distribuit, & persecutionis Diocletiani declinandæ causa Tiphernum venit: vbi draconem ingentem homines noxio flatu inficientem signo crucis munitus inspectante populo interfecit, multis ex populo ad Christum conuersis. Extructa autem apud ciuitatem

Crescentinus draconem interficit.

ædicula, ibi ægrotos, qui ad eum confluebant, & deferebantur, à morbis, & insanabilibus diuinitus curans habitabat. Quod cum Flaccus Præfectus rescivisset, Crescentianum ad se perduci curat, illumque, vt finem Christi fidei prædicandæ faciat, & grauia minarus monet. Cum verò Præfecti minas haud veritus, à prædicatione non desisteret, iratus Flaccus illũ comprehensum in ignem inijci & ab igne nil læsum, diuinasque laudes canentem extra vrbem duci, ac decollari iubet An. sal. 287. Corpus à Christianis ibi conditum tandiu fuit, donec à Fulcone Episcopo Tiphernate Mainardo Episcopo Vrbinati concessum Vrbinum Henrico IV. Imp. translatum est, & in Cathedrali basilica honorificentissimè collocatum. Illum multis miraculis coruscantem Vrbinates vti patronum suum præcipuum venerantur. *Ex monum. Eccl. Vrbin. M.S. & vita eiusdem Vrbini Versibus edita An. D.* 1601.

Coniectus in ignem illæsus exit.

ANNOTATIO.

EX quo corpus S. Crescentini Vrbinum translatum est, illius natalem Tiphernates celebrare cessarunt. Extat tamen ecclesia suo nomini in agro Tiphernate dicata, in via, qua ad lacum Trasimenum ducit, à Tipherno ad B. M. P. distans.

DE S. PROCVLO MARTYRE BONONIENSE.

PRoculus miles clam Christũ colens Diocletiano, & Maximiano Imp. quo tẽpore Marinus ab Imp. Bononiam ad puniendos Christianos missus est, isq; nimia crudelitate pro potestate vteretur, rei indignitate, & grauitate cõmotus recondita sub veste securi noctu domũ Marini ingressus illum securi in caput eius adacta interfecit, fugaque sibi consuluit. Sed nece protinus Præfecti euulgata, Proculus inditio Hebræi cuiusdam proditus comprehenditur, ac de cęde interrogatus, se illius authorem fassus gloriabatur. Quare mox gladio animaduersus obtruncatus est. Qua in re mirum contigit: Martyr enim surgens caput suum manibus à terra sublatum vsque ad eum locum, vbi postea insignis basilica ei excitata est, non sine maxima adstantium admiratione gestauit. Passus est autem eodem anno: quo Hermes, Aggæus, & Caius, ac Vitalis, & Agricola ciues & martyres Bononienses Kal. Iunij. Illum Bononienses maxime hac die venerantur. *Ex Paulino Episcopo Nolano, & Carol. Sigon. lib. 1. de Epp. Bononien.*

Marinum in Christianos atrocem persecutorem Proculus interficit.

Proculus caput suum manibus è terra sublatum gestat.

ANNOTATIO.

MArtyrol. Rom. hac die Proculum Episcopum sub Maximiano Episcopo passum commemorat: sed Ecclesia Bononien. illum militem non Episcopum fuisse affirmat. qui verò Episcopus fuit, non sub Maximiano; sed sub Totila, vt mox dicetur passus est.

S. Proculi, & aliorum mem. S. Paulin. Ep. Nolanus in his versibus.

„ *Vitalem, Agricolam, Proculumque Bononia condit,*
„ *Quos iurata fides pietatis in arma vocauit.*

DE SS. FLORENTIO, ET SOCIIS MARTYRIBVS Perusinis.

FLorentius Togatus Valeriani vrbis Præfecti consiliarius Decio Imp. Christianorum Constantiam in tolerandis supplicijs miratus ad Christum conuersus

uersus est, Iulianumque Cyriacum, Marcellinum, & Faustinum cũ alijs ab Idolorum cultu ad fidem perduxit: & cum illis à Timotheo Presbytero in fide Christiana eruditus baptizatus est: Vt autem ad Christum expeditiores peruenirent facultates suas pauperibus distribuere. Quæ omnia vbi Præfectus resciuisset, Florentium per litteras accersit, illumque cum socijs eum secutis, vt coronæ participes fierent, in carcerem conijcit. Paulo post Florentius Dec. Imp. sistitur: qui illi necem minatur, nisi hanc Christianorum, vt ipse aiebat, dementiam dimitteret. Cum verò Florentius eos dementes diceret, qui mortuos, vti Deos adorarent, iratus Cæsar illos catenis vinctos mittit, & Promoto Tusciæ Præfecto mandat, vt eos, nisi Dijs sacra facerent, diuersis supplicijs affectos interficiat. Promotus itaque Saturni simulachrum cum tripode afferri, eique ab illis thus offerri iubet. Sed illud, in ipsum SS. martyribus conspuentibus, mox in terram cadens confractum est. Ea propter ira incensus Iudex eos in equuleo suspendi, vngulisque caprarum excarnificari, & ardentes faces ad eorum latera admoueri præcipit. Quæ dum fiunt, ministrorum vnus concidit mortuus, alius à dæmone arreptus, & agitatus clamabat, *Vt quid nos torquetis SS. Dei Omnipotentis?* His Promotus in rabiem versus statim martyres capite truncari, corporaque in Tyberim proijci imperat Kal. Iunij. Sed ab Exuperantio inuenta iussu Decentij Episcopi Perusini, apud Pagum Funestum, qui nunc Sanctæ Mariæ dicitur, vbi decollati fuerunt, sepeliuntur. Postea verò Perusiam delata in propria ecclesia, quæ Fratrum Seruorum est, honorificè condita sunt. *Ex vet. M. S. dictæ eccles.*

Carnifex vnus mortuus concidit, alius à dæmone vexatur.

A N N O T A T I O.

IN Martyrolog. Rom. Horum natalis Nonis Iunij adnotatur. Sed Perusina Eccles. illos hac die celebrat, quòd ex actis Kal. Iunij mortem pro Christo oppetierint.

DE S. PROCVLO EPISCOPO INTERAMNENSI, & mart. Bononiæ.

PRoculus ex Syria in Italiam Iustiniano Imp. veniens, S. Valentino Episcopo Interamnensi successit. Cum autem is Catholicam fidem aduersus Arianos tueretur, illique hostes, qui Spoletij agebant, manus inijcere cogitarent, per visum à Deo admonitus Bononiã contendit; ibique à Theodoro ciue Bononiensi hospitio acceptus filium vnicum illius aridam manum habentem sanat, Bononiensesque ad Catholicam fidem sua prædicatione perduxit. Quod Totila Gothorum Rex iniquo animo ferens, Bononiam venit, ac Sanctum Episcopum perquisitum, ad seque perductum decollari iussit. Cuius corpus à pijs viris aromatibus delibutum extra vrbem sepultum est, postea verò in æde S. Proculi martyris conditum. eius memoria eadem die, qua Natalis S. Proculi martyris, hoc est Kal. Iunij recolitur. *Ex S. Anton. Episcopo Florentin. in Historia parte. Vbi illum Kal. Ianuarij obtruncatum scribit: sed forte errore librariorum pro Iunij, Ianuarij scriptum fuit.*

Proculus aridam cuiusdã manũ sanat.

A N N O T A T I O.

REs aliter in monum Eccl. Interamnen. narratur. Nam illum ab Arianis apud Interamnam occisum, ibidem apud vrbis mænia sepultum tradunt die 14. Aprilis; huncque Proculum II. vocant. Qui verò Bononiæ martyrio affectus est, fuit, vt inquiunt, Proculus I. Episcopus Interamnen. S. Proculi militis, & mart. patruus: qui cum nepote Bononiæ sub Maximiano passus est. Quain re S. Antonino magis assentiendum censeo, licet illum ab Idolatris, Gothis, pro Arianis occisum dicat, eique eadem tribuat, quæ de S. Herculano Episcopo Perusino legũtur, de illo nimirũ puero à putre-

putrefacto ad vitam reuocato, & de capite S. Episcopi corpori eius ita copulato, ac si nunquam abscissum fuisset.

DE SS. EPISCOPIS FLORENTIO, ET VINDEMIALI Taruisij.

FLorentius,& Vindemialis Episcopi Africani in Vuãdalica persecutione exilio damnati in Corsicam Insulam maris Tyrheni veniunt; ibique prædicantes populos illius insulæ ad Christianam fidem perducunt: cumque Florentius sancto fine quieuisset, Vindemialis cũ Eugenio Episcopo ad Castrũ Faunẽse,& Vadense peruenit: vbi populũ à cultu draconis illo in mari demerso,ad christianam religionem perductum, & lauacro salutari expiatum in fide confirmauit: defuncto autem ibi Eugenio, & in Castro Vadensi sepulto, vbi puteus in mari defossus aquam dulcẽ emittens extare fertur. Vindemialis in Corsicam rediens paulò post,& ipse obdormiens, apud S.Florentium sepultus. Quorum corpora Corsica à Sarracenis deuastata à Titiano Episcopo Taruisino, Taruisium delata in æde S. Ioannis Baptistæ, deinde à Rothario eius successore in ecclesia maiore condita sunt. *Ex monum. Eccl. Taruis. & Pet in Cat. lib. 4. c. 116.*

ANNOTATIO.

DE Vindemiali, & Eugenio ac Longino Epp. agitur in Martyrol. Rom. 5. Non. Maij: qui sub Hunerico Rege Vuandal. ob fidem Catholicam capite truncati sunt. De Vindemiali. qui Epp. Capsen fuit, agit Victor Vticen. in Append. ad 3. libr. Vuandal. persecut. ac de illius martyrio Greg. Turon. lib. 2. c. 1. Hist. Franc. Sed dubium est, an Vindemialis, de quo in Martyrol. dicta die agitur, idem sit cum eo de quo Pet. in Cat. loco citato, & qui Taruisij cum Florentio colitur. Si enim idem est, errat Pet. qui illum in pace decessisse scribit in Corsica, & errat Eccl. Taruisina, quæ illum vt Confess. non vt mart. colit. neque conciliari possunt Martyrol. & Pet. in Cat. cum Vict. Vticen si dicamus eundem S. in exilio decedentem, posse & martyrem, & confessorem appellari, Nam S. Vindemialis non in exilio, & in Corsica cum Eugenio vitam finiuit. Sed in Africa capite cum soc. prædictis truncatus est. Fortè diuersus fuit Vindemialis hic de quo agimus ab illo, de quo Martyrol. Rom Vict. Vticen. & Greg. Turon. loquuntur. Et licet Pet. in Cat. illum cum Eugenio inuoluat, (ex quo apparet eundem esse cum illo, de quo in Martyrol.) nihilominus cum eum à S. Appiano Episcopo edoctum ad Presbyteratum deinde ad Episcopatum peruenisse, & vnà cum Eugenio multis editis miraculis multum populum conuertisse, videri potest non idem esse. Vtcunque sit. S. Florentij non solum Taruisij, sed & in Corsica, vbi oppidum de eius nomine dictum, in quo sedes est Nebien. Episcopi, memoria celebris est.

Inter Martyrol. Rom. & Petri in Catalogo dissidium.

DE S ROMEDIO CONFESSORE TRIDENTINO. Cuius dies Festus agitur die 15. mens. Ianuarij.

ROmedius Hallæ apud ænipontem honesto loco natus, vbi primùm rerum humanarum inconstantiam cœpit animo reuoluere, Euangelica amplexatus consilia omnia sua pauperibus distribuit, ac vnà cum Dauide, & Habrahamo nobilibus, & copiosis adolescentibus, qui Romedium imitati, idipsum fecerant Romam peregrinari instituit. Qui aliquot dies Tridenti apud S. Vigiliũ Episcopum commorati, ac pijs doctisque eius sermonibus confirmati, iter suũ Romam prosequuntur. Cumque loca vrbis sancta singulari deuotione visitassent,

Romedius cũ duob. soc. omnia sua pauperibus distribuit. Apud S Vigiliũ hospitat. Romæ loca sãcta inuisit.

sent, ad partes Tridentinas remeantes, in locum vallis Ananniæ solitanū apud S. Zenonis plebem se recipiunt, rupemque altissimam, quam montes vndique circundāt, conscendentes, ibi ædicula, in qua orarent, extructa, Deo orationibus, ieiunijs, & pijs meditationibus vacarunt. Ferunt autem Romedium, cum vrsus iumentum, quo is ob senium vtebatur, deuorasset, ipso vrso, quoties opus esset, vsum fuisse, cum Dauid illum fræno etiam ori imposito, ita Romedio iubente, ad senem tanquam agnum adduxisset. Cum is Tridentum ad S. Vigilium Episcopum visitandum pergeret, in via adolescentulam à Dæmonio vexatam Christi nomine inuocato liberauit, nec inde procul ægroto, cui nulla poterat ars opitulari, sanitatem restituit. Illi autem aduentanti S. Vigilius Sisinnium, Martyrium, & Alexandrum obuium misit, eumque perhumaniter excepit. Romedius ad solitudinem reuersurus, Vigilium orat, vt cum campanulam sponte sonantem audiret, Romedium migrare intelligens, illius transitum suis precibus adiuuaret. Ad suos itaque reuersus, cū obitum, qui sibi instaret, prædixisset, discipulos ad perseuerantiam hortatus breui migrauit ad Christum Idibus Ianuarij anno sal. reparatæ 400. Ad quem S. Vigilius cum ter campanulam vltrò sonantem audisset accurrit; iustaque persoluit. Cum autem ædiculam S. Romedij consecrare vellet, Angelum illam cōsecrantem per quietem vidit. Claruit autem Romedius multis post mortem miraculis. Nam plures solo vestimentorum illius tactu, ab insanabilibus morbis curati, multi à Dæmonibus obsessi liberati, & lepra plures mundati feruntur. Sed & illud non prætereundum. Cum enim faber ædiculæ tectum instauraturus præceps ex altissimo loco in profundissimam vallem decidisset, S. Romedio commēdatus absq; nulla læsione omnibus stupentibus viuus repertus est. *Ex eius vita Tridentini An. D. 1605 edita.* Dominica prima mensis huius ecclesiæ ipsius Dedicatio celebratur.

In altissimā rupem vallis Ananniæ ascendit. Mirum de vrso mansuefacto. Iuuenculam à Dæmonio, & ægrotum à morbo sanat. SS. Sisinnius, Martyrius, & Alexander obuij S. Romedio. Obitum suū prædicit. Campanula S. Vigilij spōte sonat. Angelus ædiculam S. Romedij consecrat. Claret miraculis post mortem.

ANNOTATIO.

Vita, ex qua hæc decerpsimus, nonnulla egere videtur censura præsertim circa vrsum, quo S. Romedius equitando vsus traditur etiam Tridenti, cum S. Vigilius adesset: quod minus verisimile videtur: ac circa tempus si enim S. Vigilius annos tantum 20. vixit in Episcopatu, mirum videri potest, quo pacto S. Romedius ad extremā peruenerit senectutem.

Vita S. Romedij edita censura indiget.

DE S. THEOBALDO EREMITA, ET ABBATE Vuangaditiæ.

THeobaldus natione Gallus, Prouini (quod oppidum est insigne Trecassinę diœcesis) nobilissimis parentibus ortus est (pater Arnulphus, & mater Guilla dicebatur) Hic ab infantia terrena despiciens, adolescens relictis parentibus vitam eremiticam egit, miraque sanctitate Henrico III. Imp. floruit. Vt verò liberius Deo inseruiret, patrium solum deserēs in Italiam venit, & monachus Camaldulensis apud Vincentiam factus. intra colles illius vitam asperam degens habitauit, quoad Vangaditiam (quod pagi, & Abbatiæ in Hadriensis diœcesis finibus à Rodigio oppido X.M. P. dissitæ nomen est) veniens multis ad eum confluentibus Abbas efficitur, eique monasterio aliquandiu multa cū laude, & sanctitate præfuit. Denique pijs operibus & ætate confectus in eodē monasterio migrauit ad Chrisium. Cuius corpus ibidem tumulatum in magna habetur veneratione. Agitur autem dies illius festus maxima celebritate incolis vndique affluentibus. *Ex monum. eiusd. Abb. ac ex Cron.* Camaldulens.

A N-

ANNOTATIO.

Theobaldus panem, & vinũ in summa penuria reperit.

PEt. in Catal. lib. 6. c. 36. de Theobaldo hoc refert miraculum, quòd cum in via panis, & vinum deficeret, & socij fame, sitique laborarent, ad orationem confugiens panem in via, & vinum in vasculo inuenit; ex quo ipse cum socijs refectus est, & peregrini plurimi ex vrbe Mediolanen. qui ad eum fama sanctitatis commoti confluebant, reliquia verò ad tres hebdomadas perdurarunt. Alij Natalem Theobaldi in Kal. Iulij referunt.

Iunij die 2.

DE SS. MARCELLINO PRESBYTERO, ET PETRO Exorcista martyribus Romæ.

PEtrus Exorcista, cũ Romæ Diocletiano Imp. à Sereno Iudice in carcere ob fidem Christi detineretur; Paulinam Artemij, qui carceri præerat, filiam à Dæmone agitatam liberauit. Quo miraculo parentes puellæ cum tota familia, & vicinis, qui ad rei nouitatem concurrerent ad Christum conuersi à Marcellino Presbytero baptizati sunt. Quod vbi Serenus resciuit, Marcellinum, & Petrum ad se vocatos asperius increpat, & ad verborum asperitatem minas adiungit, nisi Christo renuncient. Sed Marcellinus Christiana libertate respondẽs, pugnis contunditur, à Petroque seiunctus carcere vitri fragmentis strato sine cibo, & lumine nudus includitur: Petrus verò arctissimis vinculis constringitur. Affuit autem Angelus, qui eos solutos in domum, in qua per eos ad fidem conuersi, & baptizati erant, perduxit, vt illos in fide magis instruerent, & confirmarent. Aduenientibus verò eò satellitibus, Marcellinus, & Petrus capiuntur, ac iussu Sereni ad syluam Nigrã (quæ postea sylua Candida appellata est, & Episcopali Sede decorata fuit) via Portuensi ducti, constanti animo abscisso capite illustre martyrium compleuere. An. sal. 302. Marcellino Pont. Max. Corpora à Christianis ibi condita, postea à Lucilla matrona in viam Lauicanam 3. ab vrbe milliario translata sunt. 4. Nonas Iunij, quo in loco Constantinus Magnus ecclesiam eorum nomini excitauit, muneribus, & prædijs locupletatam. *Ex Breu. Rom. & eorum pass. à Dorotheo, qui caput martyribus amputauit ad Christũ conuerso, & postea in bona senectute defuncto scripta, & à Damaso lectore excepta; quam Sur. tom. 7. & Mombrit. tom. 2. referunt.*

Angelus SS. è vinculis eripit.

ANNOTATIO.

HOrum corpora in Gallias translata feruntur circa an. D. 826. vt apud Sigeb. in Cron. & apud Hamon. de Gest. Franc. lib. 4. c. 125. Quæ tamen Cremonæ in Cathed. eccl. asseruari affirmantur, vt ex Tab. eiusd. Eccl. quæ illos maxima solemnitate, vti præcipuos patronos colit, & vrbis Annalib. apparet. Quæ de transl. in Gallias Aquisgranum plura apud Baron. in Annalib. ad an. D. 827. habentur. Romæ etiam in propria ecclesia quiescere feruntur.

DE S. ERASMO EPISCOPO FORMIANO, ET MART.

Erasmus cõpluribꝰ, ijsq; dirissimis cruciatibus torquetur.

ERasmus Episcopus in Campania Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus ob id, quod Christi fidem disseminaret, comprehensus, multis, & diris tormentis afficitur. Nam plumbatis, & fustibus cæsus, resina, sulphure, plumbo liquefacto, pice feruenti, ceta, oleoque perfunditur; vnde diuina virtute cum inuiolatus exisset, multos eo miraculo conuertit ad fidem. Iterum autem in car-

carcerem detrusus, ferreisque, & grauissimis vinculis constrictus ab Angelo mirabiliter eripitur. Sed fama prædicationis, & miraculorũ eius, quibus multitudo hominum ad Christum conuertebatur, ad Maximianum perlata, iussu illius denuo comprehenditur, & Formijs varijs affectus supplicijs, tunicaque æ-rea candenti indutus illa etiam tormenta cœlesti virtute roboratus superauit. Cumque plurimos in fide confirmasset, & alios plures ad eam perduxisset; denique insignem martyrij palmam adeptus. Corpus à Fidelibus Formijs sepultum est. Formiana autem ciuitate euersa, Caietam, vbi maximam habet venerationem, translatum fuit. *Ex Breu. Rom. & Martyrol. Adonis.*

ANNOTATIO.

Acta M.S. & apud Pet. in Cat. lib. 5. c. 75. censura indigent. Confunduntur enim cum actis alterius Erasmi, qui apud Antiochiam passus est.

Geminus Erasmus.

An verò S. Erasmus naturali morte, seu violenta decesserit dubium est. Ex Breu. Rom. videtur martyrio obijsse: Ex Martyrol. verò Vsuardi, Adon. ac Rom. naturaliter, sic enim Vsuardus habet, Tandem vocante Domino sancto fine quieuit. *quod & Pet. loco citato asserit. Quod ergo in Breu. legitur eum palmam martyrij adeptum esse, non sic accipiendum est, vt denuò tentus ab Idolatris ab eisque necatus martyrium consumarit, vt Autor Floris SS. ait, sed quòd naturali morte decedens martyrij, quod ante passus fuit, palmam obtinuit.*

Erasmus haud martyrio moritur.

DE S. EVGENIO PAPA I. HVIVS NOMINIS.

Evgenius Romanus Rufiniani filius ex regione Celij montis S. Martino primo eius nominis, Constante Imp. Hæretico, in Pontificatu successit (cum Martino relegato vt Vicarius illum aliquandiu administrasset) noua electione subrogatus Anno à Christo nato 654. Vir fuit insigni pietate, religione, & humanitate præditus. Quem castitatem perpetuam Presbyteris Diaconis, & Subdiaconis præcepisse seu potius præceptam castitatis innouasse statuit, vt Sacerdotes propè ecclesias habitarent, vt Episcopi ad clericorum malefacta coercenda carcerem haberent. Ne monachi sine Abbatis licentia exirent, ferũt. Cum Ecclesiæ menses 6. dies 23. præfuisset, S. Pontifex in cœlestia Regna Vitaliano succedente translatus est, 4. Nonas Iunij. *Ex Plat. & lib. de Rom. Pontif. ac ex Baron. in Annal. ad ann. 655.*

ANNOTATIO.

Plat. in vit. huius S. Pont. illum an. 2. & mense 9. Pontif. decessisse scribit, quod & Panuin. in Cronol. Eccl. confirmat, contra quam Baron. loco cit. habet. Sed Baron. tempus, quo Eugenius post mortem Martini vixit computauit, Alij tempus, ex quo Martino in exilium abducto à clero tanquam Vicarius electus est.

DE S. GVIDONE EPISCOPO AQVENSI, & patrono.

Gvido in Liguria parentibus nobilibus, Meladij oppidi Aquensis diœcesis dominis nascitur An. D. 1018. Bononiam studiorum causa missus, breui ita doctrina, & religione profecit, vt in patriã reuersus ab Episcopo Aquẽsi ecclesiæ Cathedralis canonicus fieret. Quo in munere Guido inter alios veluti sol inter sidera emicabat. Defuncto aũt Ep̃o, miro oĩum Canonicorũ, quorũ id mun⁹

intererat, consensu, licet inuitus, illi sufficitur. Ordinatus itaque Episcopus orationibus, vigilijs, ieiunijs, eleemosynis, & alijs pijs exercitationibus addictus, pietatis opera maiore studio colere cœpit. Erant in eo ardens in Deum charitas, humilitas insignis, singularis erga subditos benignitas, in pauperes, ad mirabilis benignitas, & misericordia. Ecclesiam in qua nunc sedes Episcopalis est, in honorem Deiparæ virginis ædificauit. Cœnobium virginum Instituti S. Benedicti extruxit, eique prædia attribuit. Cum ex difficili, & diuino morbo conualuisset, alias duas sacras ædes excitauit. Ecclesiæque Aquensi patrimonium suum, quod oppidis, castris, & pagis aliquot constabat, ex quibus adhuc Meladium, Bistanium, Setebrium, & Castelletum extant, perpetuò applicuit. Cum autem Ecclesiam Aquensem annos 36. administrasset, pijs laboribus confectus ad cœlestem patriam euolauit 4. Non. Iunij An. post Christum natum 1070. Alexandro II. Summo Pont. Corpus in arca marmorea in æde B.M.V. quam ipse ædificauerat, conditum est. Multa ad illius tumulum miracula subsecuta sunt, morbis insanabilibus laborantibus ex omni genere, mirabiliter sanatis, & aliquot e carceribus vinculis ferreis resolutis diuinitus extractis. Viget adhuc memoria illius, qui linteum, quo S. Guidonis tumulus tegebatur, furatus, portis, licet apertis, nunquam potuit egredi, nisi post crimen detectum, & linteum restitutum. Vrbis Aquensis Tutelaris est, agiturque dies illius festus summa celebritate. *Ex quodam M. S & antiquis lectionibus Eccles. Aquen. quæ emendatione egent.*

Ad tumulũ S. Guidonis morbi insanabiles curãtur.

ANNOTATIO.

Cum S. Guido An. D. 1070. obierit, fieri non potest, vt an. 1028. natus sit, & an. nos 36. in Episcopatu vixerit: Sed vel annos tantum 16. Ecclesiæ Aquensi præfuit) vel multò ante an. 1028. in lucem editus fuit, ita, vt ad Episcopatum assumptus annos 30. vel saltem 26. haberet ætatis.

DE S. NICOLAO PEREGRINO CONFESSORE BARII.

Nicolaus, qui & Nicetas, cognomento Peregrinus, natione Græcus defuncta vxore, Institutum monachorum S. Basilij in Insula Scyro suscepit Vrbano II. Pont. Max. Is licentia ab Abbate impetrata collo cruce appensa siue humeris imposita peregrinari cœpit. Vbi Tranium in Apuliam venisset, ibi collecta puerorum multitudine, eos per vias ciuitatis Kyrieleeyson, & Litanias præcantantes ducebat. Reprehensus autem ab Episcopo, quòd à populis amẽs haberetur, respondit, sic in Euangelio scriptum esse, *qui non baiulat crucem suam, non potest meus esse discipulus.* Ex quo non modò ab Episcopo permissus, sed & hospitio exceptus est. Crucem itaque ligneam in humeris gestans, cum pueris ciuitatem de more canens circumibat, quoad ægrotans, postquam pueros benedixisset, illisque crucem suam reliquisset, migrauit ex hac vita 4. Non. Iunij. an. post Christum natum 1091. Cuius corpus Tranij tumulatum aliquot miraculis claruit; ob quæ Aletij, & Hydrunti nomini eius ecclesiæ constructæ sunt. Ei autẽ, quæ in agro Aletino ædificata est, Gulielmus Rex vtriusque Siciliæ, quòd Nicolaus sibi in somno apparens se à graui infirmitate liberasset, pagum dono concessit. *Ex M. S. quod Tranij in Eccl. S. M. vbi corpus illius quiescit, asseruatur, & ex Pet. in Cat. lib. 5. c. 78.* vbi vitam pluribus prosequitur.

Gulielmus vtriusque Siciliæ Rex gra ui infirmita te à S. Nicolao leuatur.

AN-

ANNOTATIO.

Mem. Sancti Nicolai Peregrini David Romhaus in suo de SS. Regni Neapolit. catal.

DE SS. NICOLAO, ET TRANO EREMITIS IN Sardinia.

Nicolaus,& Tranus eremitæ in Gallurensi regione Sardiniæ mira vitæ sanctitate fulserunt. Ædicula enim intra montes inter Longonem, & templum Terranouanæ Diœcesis loca extructa, vitam in ieiunijs, & alijs corporis afflictionibus austerissimam duxerunt, Deiparæ Virgini templum ædificarunt; quod ad hæc vsque tempora in maxima apud incolas, & finitimos populos veneratione habetur multis ex tota Insula ad illud ob crebra miracula, quæ ibi fiunt confluentibus: quæ ecclesia Dominæ nostræ loci Sancti appellatur. Ad eos autem fama sanctitatis peruulgata multi in dies accedebant, maximè verò morbo aliquo insanabili laborantes: quos illi orationibus curabant. Cum verò vniuersæ carnis debitum persoluissent, ac in ea ecclesia conditi fuissent, adeò miraculis claruere, vt illis templa, quæ adhuc extant, licet tempestatibus labefactata, ab incolis fuerint excitata. Horum corpora An. sal. 1227. inuenta in decentem locum translata recondita fuere. *Ex Franc. Farra lib. de Reb. Sard. & Chron. Sard. F. Dyma Serpi lib. 4. ac ex lib. antiquo à Lud. Episcopo Terranouano, seu ciuitatem adito.*

ANNOTATIO.

Hi post S. Eusebij Vercellen. Episcopi tempora vixisse videntur, vti apud Farram legimus. Natalis verò ipsorum diem apud aliquem reperire minimè potuimus. Idcirco eos hoc in loco commemorare libuit.

Iunij die 3.

DE SS. PERGENTINO, ET LAVRENTINO martyribus Aretinis.

Pergentinus, & Laurentinis fratres nobiles Aretini Decio Imp. apud Tiburtium Præfectum Christianæ religionis accusati, ab eo blande ob generis nobilitatem monentur, vt intra spatium sibi præfixum relicta Christianorum superstitione, & Deorum cultum reuertantur. Verùm illi in Christi fide magis firmati, illam alijs prædicare signis confirmatam haud reformidant. Quare à Tiburtio vocati, ab eo grauius obiurgantur. Cumque eo præsente Christum prædicare, & Deos contemnere minimè vererentur, fustibus diu cædi iubentur, donec SS. orantibus, tortores obrigentibus sibi brachijs deficerent: qui opem à martyribus implorantes, seque in Christum credituros si liberarentur, polliciti, sanctorum oratione sanantur, ad Christumque vna cum multis alijs, qui aderant, conuertuntur. Tiburtius furore percitus illos in carcerem triduo sine cibo, & potu recludi iubet, quo tempore ab Angelo cibo cœlitus delato reficiuntur, carcereque diuinitus reserato, ne optatissima martyrij palma frustrarentur, noluerunt, aufugere, cum possent; sed conuersos ad Cornelium Presbyterum aqua salutari expiandos miserunt. Post triduum educti, cum nullo mo-

SS. cœlesti cibo ab Angelo reficiūtur.

do, vt Deos colerent, adduci possent, super ardentes carbones incedere coguntur, à quibus nil læsi, & Iouis statua, quæ, vt adoraretur, allata fuerat, instar ceræ resoluta cum multi propterea ex populo in Christum crederent, & contra Tiburtium clamarent, diu cæsi, & fustibus mactati demum capitalem sententiam excipientes, extra ciuitatem à militibus decollati sunt. 3. Non. Iunij. Quorum corpora à Christianis noctu primo ab vrbe milliario tumulata sunt. *Ex M. S. Eccles. Aretina à quo Sur. accepit.*

Iouis statua instar ceræ resoluitur.

A N N O T A T I O.

SVr. tom. 3. vbi horum SS. mart. agonem refert, inter eos qui in Christum credidere, Pergentinam illorum sororem enumerat: quæ fratrum corpora ab alijs adiuta sepeliuit.

DE SS. TERCENTVM, ET TRIGINTA martyribus Formijs.

EX plurimis, qui in Sancti Erasmi passione ad fidem conuersi sunt, tercentum & triginta fuere: qui ab hostibus fidei comprehensi, cum fortes in Christi confessione perseuerarent, post multos cruciatus, Formijs 3. Non. Iunij paulò post S. Erasmi Episcopi obitum martyrio coronati sunt. *Ex Gest. S. Erasmi Episcopi, & mart.*

DE S. DAVINO CONFESSORE LVCENSI.

DAuinus nobilis Armenus rebus omnibus suis venditis, datisque pauperibus peregrinari cœpit: ac vbi Sanctum Domini sepulchrum, & alia loca sancta visitasset, in Italiam veniens Romæ sacras ædes omnes inuisit. Inde in Hispaniam ad corpus S. Iacobi Apostoli venerandum profecturus, vbi Lucam peruenisset, ibi ab Atha nobili matrona hospitio acceptus apud ædem S. Michaelis aliquot dies orationibus, vigilijs, & ieiunijs, (ter nanque in hebdomada in pane, & aqua, vt loquuntur, ieiunare consueuerat) operam dedit, donec morbo correptus, obitum suum ei matronæ prædixit. Ingrauescente itaque infirmitate, 3. Nonis Iunij, vti prædixerat, animam Deo reddidit, humatusque fuit in dicta Sancti Michaelis ecclesia. Vbi aliquot miraculis coruscauit. Nam mulier sanguinis fluxum patiens, & altera à dæmone obsessa, ad illius tumulum liberatæ sunt. Iuuenis quoque, & puella lumen oculorum amissum ad eius sepulchrum orantes recuperant. His, & alijs miraculis Alexander III. Pont. Max. qui Lucensis Episcopus fuerat, permotus Dauinum in SS. retulisse fertur. *Ex lib. M. S. Eccles. prædicta S. Michaelis.*

Mulierē fluxu sanguinis laborantē; atq; alteram à dæmone obsessam S. Dauinus curat cæcis duobus lumē restituit.

A N N O T A T I O.

QVo tempore vixerit obieritue hic S. vir, acta citata non indicant. Asseruatur in memorata Ecclesia Dauini pileus, qui capiti ægrotantium impositus, vel leuare, vel malum auferre solet.

DE SS. CONO, ET CONELLO MARTYRIBVS ACERRIS.

Conus, seu Conon, & Conellus filius martyres Acerris in Campania hac die coluntur. Passi Aureliano Imp. feruntur, primùm in equuleo suspensi, deinde lampadibus accensis lateribus eorum admotis adustitum in sublimi appensis pedibus, capite deorsum verso, os illis fumo ex subiecto igne obstruitur. Demum cum in fide constantiores semper apparerent, capitis abscissione martyrium compleuerunt. *Ex monum. Eccles. propria, in qua passio ipsorum depicta adhuc legitur.*

ANNOTATIO.

Arbitror hos esse, de quibus in Martyrol. Rom. die 29. Maij agitur, Iconij passos, quorum corpora, aut reliquia Acerras delata fuerint; illisque ecclesia dicata.

DE S. CONO ABBATE APVD PANORMVM.

Vide die 28. Mart.

DE S. ADALBERTO EPISCOPO COMENSI XV.

Adalbertus, siue Adelbertus Sisciæ in Valeria natus S. Rubiano eiusdem patriæ in Episcopatu Comensi successit. Hic falsò apud Summum Pont. criminis delatus, Romam profectus obiectum crimen propulsauit, ac sanctitatis signa aliquot coram Pontifice dedit. Pontifici autem ab eo, quo tempore moriturus esset, flagitanti respondisse ferunt, tunc se obiturum, cum ipse vtroque oculo cerneret, (erat enim Pontifex luscus alteroque oculo læsus) Vaticinium euentus comprobauit. Nam Adelberto Comum reuerso, pauloque post vita functo, Pontifex visum æquè recepit. *Ex monum. Eccl. Comen. & ex Bened. Iouio lib. de Epp. Comen.*

Adalbertus Pōtifici mortem prędicit.

ANNOTATIO.

Obijt S. Adelbertus Kal. Iulij, vt habent citata loca, nisi pro Iunij per errorem Iulij scriptum sit. Miror autem nullam temporis, quo is vixit, mentionem fieri.

DE S. OLIVA VIRGINE ANAGNINA.

Oliua virgo Anagniæ Christianis parentibus orta, cum persecutionis procella cessasset, ac in Christiana religione enutrita, cum illam parentes desponsare vellent, ad ecclesiam confugit, ac ab Episcopo inter sacras virgines recipi vehementer orat. Facta itaque monialis, se se in orationibus, ieiunijs, & vigilijs exercens, cilicioque corpus domans, in diuinis laudibus, & vitæ sanctitate perseuerans, falsò accusata, illatas sibi contumelias, & calumnias pertulit nunquam conquesta. Cum à dæmone acriter ad libidinem tentaretur, vt eam tentationem superaret, aculeos ferreos mammillis suis infixit. Cum è cella, in qua post preces laborabat, ad ecclesiam pergeret, ac mulierem gemebundā obuiā sibi factam solaretur, cœlū sibi aperiri, ingentéq; splendore demitti videt; quo perterrita in terrā cecidit, erectaq; in cellā redijt. Cui sequenti nocte Christus visus est dicens, *Surge propera amica mea*. Deniq; in extasim (in qua aliqñ

Oliua ad carnis tentationem superandam aculeos ferreos mammillis suis infigit.

Christus Oliuam ad paradisum vocat.

in aere eleuata incedere à monialibus visa est) acta, visaque cœlesti luce obdormiuit in Domino 3. Non. Iunij. *Ex monum. Eccles. Anagnina M. S.*

ANNOTATIO.

Corpus S. Oliua V. Anagnia asseruatur, ibique venerationem habet, sicuti Oliua V. apud Panormitanos. Acta tamen, quo tempore vixerit, minimè docent.

Iunij die 4.

DE SS. ARETIO, ET DACIANO MARTYRIBVS ROMÆ.

Aretius, & Dacianus cum Camario Romæ pro Christo martyrio affecti sunt, ex Beda, & aliorum Martyrologiorum scriptoribus. Martyrij tamen tempus, & eorum cruciatus ignorantur. Cum sola nomina ipsorum legamus.

DE S. QVIRINO MARTYRE TYBVRE.

Sanctus Quirinus martyr Tybure colitur à S. Quirino Episcopo Siscitano, & martyre diuersus, vt Baronius in Annotationibus in Martyrologiũ hac die monet. Corpus ipsius Tybure in ecclesia S. Saluatoris asseruari fertur. Cæterum quando, vbi, & quo genere martyrij coronatus fuerit, nullus docet. *Ex Martyrol. Rom.*

ANNOTATIO.

In indice, siue tabula SS. qui Tybure coluntur, ad nos inde transmissa Quirinus non mart. sed Confess. adnotatur, ad diem 5. Iunij. Cuius corpus aliunde asportatum (non enim Tyburtinus fuit) in Cathedrali ecclesia sub titulo Saluatoris conditum est.

DE S. CLATEO EPISCOPO, ET MART. BRIXIENSI.

Clateus S. Anatalonis Episcopi II. Mediolanensis discipulus, ab eoque Brixiæ ordinatus Episcopus, assiduis prædicationibus populum Brixianũ magna ex parte ad Christum conuertit, doctrinam vitæ exemplo, & signis confirmans. Cum autem Viatorem sibi subrogasset, ipse Mediolanum ad Caium Episcopum Mediolanensem condiscipulum suum visendum profectus, ibi iussu Anolini Præfecti tentus post multa verbera, cum Christo renunciare nollet, capite truncatus est, Nerone Imp. Prid. Non. Iunij. Cuius corpus Mediolani asseruatur. *Ex monum. Eccles. vtriusque.*

ANNOTATIO.

Clateus Secundus Brixiæ Episcopus solusque ex tot Epp. SS. mart. numeratur. cum primus Anatalo S. Barnabæ Apostoli discipulus Ecclesiã Brixien. rexerit.

DE S. GVALTERIO ABBATE IN PICENO.

Nascitur S. Gualterius cum signo stellæ in humero.

Gvalterius, quem parentes steriles voto, quòd ecclesiam ædificarent, emisso, à Deo impetrarunt, patre patricio natus Romano ob generis nobilitatem à Summo Pont. baptizatur stellæ signo, quod futuræ sanctitatis inditium fuit, in humero apparente. A puero litteris humanioribus instructus, non tàm ætate, quam moribus crescebat. Is ad Sacerdotis, qui Armenus dicebatur, exhortatio-

tationem, cum elegantissimus esset aspectu Deo castitatem vouit. Contigit autem, vt vrbis Præfecti filia oculos in illum defigeret, ac inter parentes de illorũ coniugio tractaretur. Sed Gualterius à parentibus quibus votum suum aperuit, nullis blanditijs, aut verbis, quibus etiam verbera accesserunt, adduci potuit, vt propositum mutaret. At qui ab eodem Sacerdote roboratus, cum facta oratione vocem cœlitus audisset: Fuge, cum illo Presbytero in Picenum venit, in eum locum, qui vallis Marani dicebatur. Ibi, qui in sericis dormire, & delicatioribus vesci cibis consueuerat, pane, & aqua tantùm refici, & super stramine cubare cœpit. Populi horum vitam admirati ecclesiam illis construxere, possessionibus Territorij (quod nunc Plana S. Gualterij nominatur) condonatis. Quæ ecclesia ex eremo in monasterium, cui Gualterius Abbas præfuit, celebre creuit. Cum autem parentes illum diu conquisitum tandem reperissent, vixque ex nimia vitæ austeritate immutatum agnouissent, ab eo, vt omnia venderent, & pauperibus erogarẽt, quò Deo liberius possent inseruire, persuasi sunt. Qui aliquandiu apud illum conuersati sancto fine, quieuerunt. Ipse verò post aliquot annos, obitus sui præscius vbi discipulos ad vitæ monasticæ obseruantiam hortatus fuisset, obdormiuit in Domino miraculis clarus. Cuius corpus Seruiliani Firmanæ diœcesis castro asseruatur, & colitur. *Ex vet. M.S. in Baroniana bibliotheca reperto.*

Multa patitur ob votũ castitatis.

Patriam ob castitatem deserit.

Parentes ad vitam solitariã cõuertit.

ANNOTATIO.

T*Empus, quo hic S. Ab. floruit in memor. M.S. non apparet. Fortè, vbi corpus eius requiescit, Acta accuratiora habentur.*

DE S. ALEXANDRO EPISCOPO VERONENSI.

ALexander XX. Episcopus Veronensis S. Maximo in Episcopatu successit. Is assiduè die noctuque in diuinæ legis meditatione versabatur, ac de acceptis à Deo beneficijs non tam pro se, quàm pro alijs iugiter gratias agebat. In omni virtutum genere proficiens, quo pacto melior in dies euaderet, summopere laborabat. Dicere enim solitus erat, ***Non esse bonum existimandum, qui se meliorem in dies effici non studeret?*** Tandem cum in suo pascendo grege plurimum laborasset, ex hac vita mortali ad immortalem demigrauit, Prid. Non. Iunij, circa an. sal. 788. Corpus in æde S. Stephani tumulatum est: vbi sibi, & S. Blasio sacellum siue capella, vt vocant, extructa fuit. ***Ex lib. de SS. Epp. Veronens. Aug. Valer. Episcopi Veron. & Card.***

Dictum insigne S. Alexãdri.

ANNOTATIO.

V*Ixit Sanctus Alexander sub Hadriano I. Pontif. Max. & Karolo Magno Imp.*

Iunij die 5.

DE SS. IVSTO EPISCOPO VOLATERRANO, AC Clemente Presbytero patronis eiusdem vrbis.

IVstus, & Clemens germani ex Africa in persecutione Vuandalica eiecti cum Octauiano Presbytero alijsque in Hetruriam S. Regulum Episcopum secuti adnauigarunt. Cum verò Regulus, & Cerbonius Populoniæ constitissent, Iustus, Clemens, & Octauianus Volaterras aduentantes, extra vrbem aliquandiu in sylua commorati Volaterranos paulatim ad fidem Catholicã præ-

dicatione,& miraculis pertraxere,cum miræ magnitudi nes serpentem,qui homines,& pecora deuorabat, inde fugassent. Iustus autem Volaterrarum factus Episcopus eam ciuitatem à Clemente Presbytero adiutus, in fide Catholica, & moribus Christianis egregiè instruxit. Cum autem Gothi Totila Rege vrbem obsidione valde premerent, Iustus,& Clemens acceptum panem ab ipsisque benedictum in hostes pro iaculis proijci iubent; qui mox pane degustato ægrotantes breuique pereuntes obsidionem soluere coacti sunt. His, alijsque signis effecti celebres,morbos insanabiles diuinitus curátes,ac multos ab obsessis corporibus humanis spiritus immundos expellentes. Demum Ecclesia Volaterrana sanctissimè administrata, optimeque constituta, ad cœlestes sedes demigrarunt. Qui etsi non eadem die decessetunt, Nonis tamen Iunij præcipui eius vrbis tutelares celebrantur. *Ex monum. Eccl.Volaterr. ac ex Comment. Raphaelis Volaterrani.*

Iustus,& Clemens panem benedictum in hostes pro iaculis proijciunt.

Morbi insanabiles curant; ac immundos spiritus ab obsessis expellunt.

ANNOTATIO.

VAriè horum SS. acta referuntur. nam alij eos ciuitatem Volaterranam à Vuandalis non à Gothis obsessam proiectis panibus benedictis, de quibus hostes fame perciti inter se pugnantes se se mutuò interficiebant liberasse narrant. idque alij Iustino Imp. alij Iustiniano: alij Leone III. accidisse putant. Sed si cum S. Regulo in Hetruriam venere, isque sub Totila passus est: Volaterras à Gothis obsessam Iustiniano Imp. eoque miraculo à SS. Iusto, & Clem. liberatam esse oportet, nullo autem pacto id sub Leone III. factum dici potest, vt Leander in sua Italia scribit.

Pulchræ difficultatis elucidatio.

DE S. EVTYCHIO EPISCOPO COMENSI VIII.

EVtychius ciuis Comensis in Vico extra vrbem natus (qui locus Vici etiam Burgus appellatur,vrbique adiunctus est) ob eius singulares virtutes S.Eusebio in Episcopatu subrogatus est. Is solitudine mirè delectatus quoties per officij pastoralis occupationes licebat,in specum vicini montis (quæ etiamnum saxum Eutychij nominatur) se recipere solitus erat,ibique orationi,& meditationi liberiùs vacare. Cum autem S. vir debitum vniuersæ carnis persoluisset, Nonis Iunij,deque eius corpore accolæ disceptarent. illud communi consensu plaustro impositum à duobus iuuencis indomitis citato cursu ad ædem D. Georgij delatum est, ibique honorificè tumulatum. *Ex monum. Ecclesf. Comen. & lib. Bened. Iouij de Epp. Comens.*

ANNOTATIO.

TEmpus, quo S.Eutychius vixit, ignoratur,coniici tamen potest eum,circa an. D. 500. in humanis fuisse: cum quartus à S. Abundio,qui sub Leone I.Pont. Max. floruit,Episcopus Comen. fuerit.

DE S. FRANCO EREMITA APVD FORCONIVM.

FRancus Roio castro apud Forconium in Vestinis ortus adhuc puer spretis opibus, quibus affluebat, clam in S. Ioannis collis Manti monasterium fugiens ibi habitum induit monasticum. Sic autem in disciplinæ regularis obseruantia profecit, vt cum multa in eo sanctitatis signa prælucerent, in Abbatem, quanuis iuuenis eligitur. Qua dignitate constanter recusata, de Superiorum licentia, monasterio egressus solitudinem petijt, seque in speluncam, pœnitentiæ ergò abdidit: Vbi fauo mellis sibi ab vrso ostenso recreatus, cum aqua

Spernit opes.

Fit monach.

Præsulatu recusato petit solitudinem.

Fontem diuinitus excitat.

aqua in eo loco non esset, fontem mox facta oratione diuinitùs excitauit: qui diu multis morbis sanandis profuit. Plura patrauit miracula: ex quibus hæc libet referre. Cum is Assericum op. proximum pergeret, puerum, quem lupus dentibus arreptum deuorandum ferebat, ab eius faucibus extractum eripuit, incolumemque parentibus restituit. A Deoque precibus obtinuit, ne hominibus deinceps hæ feræ nocerent. Cuidam, qui iam annos 15. incedere nequiuerat, gradiendi facultatem reddidit. Alij quoque, qui diu surdus fuerat, auditum restituit, & leprosum à morbo signis, quæ iam in illius vultu apparebant, deletis liberauit. Denique omni sanctitate conspicuus Friderico Normando Rege. Hadrianoque Pont. Max. migrauit è vita cāpanis sponte sonantibus, odoreq; ex eo suauissimo exhalante. Cuius corpus in prædicto monasterio conditum est. *Ex monum. Eccles. Aquilane M.S.*

Multis miraculis claret.

Eo mortuo cāpanæ spontè sonant.

ANNOTATIO.

Acta hac circa tempus correctione egent. Nullus enim Fridericus nomine Normandus genere regnasse Neapoli legitur. Sed is Federicus Sueuus Imp. II. fuisse videtur, qui Regnum Neapolit. Hadriano V. Pont. Max. tenuit, ex Chron.

DE B. PLACITO CONFESSORE RECINETI.

Placitus Ricineti in Piceno natus, vitæ sanctitate floruit, ac ante annos 200. circiter migrauit è vita. Cuius corpus in æde D. Ioannis Apostoli, & Euangelistæ conditum, integrum in hunc vsque diem conspicitur, & miraculis fulget. Cum pedem ludi magister quidam, vt in patriam suam deferret, abstulisset, ferunt illum referre coactum fuisse: Cum etiam Episcopus Ricinetensis corpus prædictum in ecclesiam Cathedralem transferendum curasset, illud in propriam ædem diuinitus relatum repertum esse. Ad eius tumulum tabella, in qua plura ipsius miracula descripta leguntur, appensa cernitur. *Ex monum. Eccles. Ricineten.*

Furatus pedē illū restituere cogitur.

Corpus in ecclesiam Cathed transla tum in priorem locū diuinitus relatū reperitur.

ANNOTATIO.

Et si officio Ecclesiastico natalis huius B. viri nondum colitur: non mediocrem tamen habet apud Ricinetenses venerationem. De quo in Tab. Eccles. prædicta hac habentur verba: In qua conditum est corpus B. Placiti ciuis nostri: cuius inuocatione diuinum à febricitantibus ferè nunquā frustrà imploratur auxiliū.

Auxiliū eius à febricitantibus nūquā frustrà imploratur.

Iunij die 6.

DE SS. MARTYRIBVS ARTEMIO, CANDIDA, ET Paulina Rom.

Artemius carceris (in quo SS. Marcellinus Presbyter, & Petrus Exorcista iussu Sereni iudicis Diocletiano Imp. detinebantur) custos cum Paulinam filiam à dæmone obsessam quereretur. Petroque, vt *si filiam liberari vellet, in Christum crederet*, hortante, is *quo pacto filia mea salutem afferre poterit Christus, qui te ex vinculis, & carcere non educit?* respondit. Cum autem vincula Petro ingeminasset, seque in Christum crediturum polliceretur, si ijs solueretur: dum carcere diligenter ad auso cum Candida vxore de his rebus loquitur, ecce Petrum veste candida indutum noctu crucem manu gestantem domum Artemij ingredi: ad cuius pedes Paulina primum prostrata statimque à dæmone liberatur, inde Artemius, & Candida cum tota familia baptizari postulantes, quos omnes Marcellianus Presbyter baptizault. Cum verò Serenus Artemium

Artemium accessisset, vt postridie SS. Marcellinum, & Petrum ad Tribunal sisteret: isque, quæ facta fuissent, narrasset, iracundia exardescens, maximè quòd Christiani in carceribus detenti minimè reperirentur, mox Artemium, Candidam, & Paulinam ad se perduci imperat, quos vbi frustra ad Idolorum cultum reducere conatus fuisset plumbatis cæsos, & extra vrbem ductos decollari præcepit: ac Artemius quidem decollatus in cryptam proiectus est, at Candida, & Paulina ab eisdem satellitibus in crypta eadem saxis, & ruderibus obrutæ sunt. 8. Idus Iunij. An. sal. circiter 302. *Ex Gest. SS. Marcellini, & Petri.*

ANNOTATIO.

Corpora SS. Artemij, & Paulinæ à Sergio II. Papa in ædem S. Martini de Montibus dictam translata, ibique quiescere feruntur, vt tabella eiusd. eccl. indicat. Tametsi Ecclesia Placentina horum trium SS. mart. corpora in Cathedrali basilica se habere in off. nuper Romæ approbatis affirmat.

DE S. ALEXANDRO EPISCOPO, ET MART. FÆSVLANO.

Alexander Fæsulis natus, & enutritus, in clericorumque numerum adscriptus, cum inter cæteros virtutibus præluceret, B. Læto Episcopo Fæsulano vita functo circa An. post Christum natum 582. subrogatur. Is cum bona Ecclesiæ vsurpari videret, Ticinum ad Autharem Longobardorum Regem se contulit. A quo benignè exceptus bonorum restitutionem impetrauit. Quod Senator Fæsulanus iniquius ferens misit aliquot, qui S. Episcopum in itinere interficerent. Cum itaque Alexander Rhenum flumen apud Bononiam traijceret, ab impijs satellitibus, qui se illi comites in via adiunxerant, in fluuium præcipitatus martyr migrauit ad Christum. Cuius corpus à clericis suis conquisitum, & inuentum Fæsulas relatum est: dum autem in ecclesiam Cathedralem sepeliendum inferretur, ita immobile effectum est, vt in ecclesia S. Petri vicina illud condere coacti sint. *Ex monum. Eccles. Fæsulanæ, & Franc. Diaceto Episcopo Fæsul. lib. de SS. eiusd. Eccles.*

ANNOTATIO.

Error circa tempus, quo S. Alex. ad Autharem Regem profectus fuit, corrigendus est: siquidem Authares ad Regnum an. D. 585. euectus fertur ex Paul. Diac. lib. 3. c. 8. & Baron. in Annal. ad an. prædictum.

DE S. VINCENTIO EPISCOPO MEVANIENSI, ET MART.

Vincentius Meuaniæ Episcopus à S. Britio ordinatus, cum Christi Domini fidem libere prædicaret, Capitolini Tusciæ Præfecti iussu vnà cum Benigno fratre Diacono comprehensus, Perusiam perducitur. Vbi ad templum Martis ductus, vt illi immolaret, cum, eo orante, Idola omnia exeuntibus dæmonijs corruissent, pluresque eo miraculo, (in quibus Comes quidam fuit antea in Christianos immanissimus) ad Christum conuersi essent, iubente Præfecto in carcerem reducitur; Benignus verò cum aliquot alijs gladio percussus ab Eustasio Christiano Kal. Maij apud Portulum sepelitur. Post aliquot dies eductus Vincentius, cum frustra, vt Deos adoraret, suaderetur, lapidibus contusus iubente Præfecto in equuleo suspenditur, ac flammis exustus rursus in carcerem conijcitur. qui cum ei fores diuinitus reseratæ fuissent, loco lumine cœlesti illustrato, in mare demergitur. Sed ab Angelo ereptus, vnà cum ministris

Comes antea immanissim. ad Idolorum casum cõuertitur.

Vincẽtius in mari demersus ab Angelo eripitur.

eo miraculo conuersis Meuaniam rediit. Vbi mortuo Capitolino, à Porphyrio illius successore feris obijcitur, & nil læsus in altissimam foueam aquis plenam præcipitatur. Vnde eductus,& ad cellam suam reuersus, sequenti die sacris mysterijs peractis animam Deo reddidit 8. Idus Iunij. Corpus à Luceria matrona inter Meuaniam,& Portulium tumulatum est. Caput vero ipsius, & S. Benigni postea Lucam delatum fuit, ibique in basilica maiore asseruatur. *Ex monum. Eccles. Meuanien.*

ANNOTATIO.

Passus est S. Vincentius Diocletiano, & Maximiano Impp. circa idem tempus creatus Episcopus Meuania, quo Herculanus I. huius nomin. Perusiæ, Chrispolytus Bittony, & Ioannes Spoletij. De qua re plura apud F. Io. Baptistam Bracceschum Florent. Ord. Præd.

DE SS. LVCIO, ET AMANTIO MARTYRIBVS apud Cornelium op.

Lucius,& Amantius martyres, quo tempore passi sint, incompertum est. Corpora tamen ipsorum Cornelij oppido agri Parmensis (quod intra M. Apēnini radices ad 25. M. P. abest a Parma) apud Parmam flumen reperta sunt. Cū enim Cornelienses de loco ædificandæ ecclesiæ dissiderent, tandem ijs visum est, vt ibi ædificaretur, vbi duo iuuenci indomiti simul iuncti substitissent. Substitere autem in proximo monte, vbi corpora SS. latebant, sed & volucres certatim eò aduolantes, quasi ibi effodiendum indicabant. Vbi itaque effodi cœptum est, loculus cum inscriptione latentium corporum reperitur. Quæ sacra æde illis exædificata, decentiore loco recondita fuere. SS. verò martyres, cum miraculis in dies magis clarescerent, in patronos à Corneliensibus accepti in maximo honore Nonis Iunij, qua die ipsorum inuenta sunt corpora, haberi cœperunt. *Ex Sanctuario Eccles. Parmen.*

ANNOTATIO.

Martyrio coronati apud op. memoratum ex antiqua Cornelienf. tradit. putantur, locus enim, in quo SS. mart. flumen traijcere, adhuc indicatur.

DE S. EVSTORGIO EPISCOPO MEDIOLANENSI II. huius nominis.

Evstorgius natione Græcus S. Ioannis Damasceni discipulus Romā veniēs Gelasio Summo Pont. ibi vsque ad Felicem IV. commoratus est. A quo ob eius præclaras virtutes Mediolanensis Episcopus creatur. Is Florianum, qui in extremis Pannoniæ finibus parentibus Gentilibus ortus Mediolanum venerat, domi suæ excepit, priuatisque colloquijs ad Christum conuertit, vndaque salutari expiauit, ac in fide, & moribus eruditum Diaconum fecit. Qui postea Hispalensis Episcopus factus, sanctitate, & doctrina præcelluit. Eustorgius tanquam Sedis Apostolicæ delegatus Augustanum Episcopum proditionis reum dignitate priuauit. Baptisterium vetustate collapsum miro opere restaurauit. Oppida,& prædia, quæ Mediolanensis Ecclesia in Sicilia habebat, defendit. His, alijsque præclarè gestis 8. Episcopatus anno in Cœlum euolauit. Prid. Non. Iunij. In æde S. Laurentij conditus. *Ex Breu. Mediolanen. ac ex vita ipsius à Besutio scripta: ex Actisque Eccl. Mediolanen.*

A N-

ANNOTATIO.

HIc trium magorum corpora Constantinopoli Mediolanum transtulit, eisque postea templum augustum extructum fuit teste Pet. Galesi. in suo Martyrol.

Sed maxima hic suboritur dubitatio, qui potuerit S. Eustorgius Ioannis Damasceni discipulus esse (Qui floruit Greg. II. Pont. Max. & Leone Isaurico Imp. circa an. sal. 730.) Et à Felice IV. Papa (qui an. 526. ad Pontif. assumptus ad 5. annos prafuit) Episcopus fieri. Hæc certè stare non possunt, cum supra 200. anni inter Io. Damascenum, & Felicem IV. intercedant. Panuin. in Cronol. Eccl. Eustorgium sub Symmacho Papa an. 513. creatum refert. Illud certum. Eustorgium sub Theodorico Rege Goth. floruisse; extat enim Regis huius ad eum epistola apud Caff. libr. 1. ep. 9. & eiusd. meminit virum beatissimum vocans in epist. ad Agilam Com. lib. 2. epist. 29.

Luculenta dubitatio.

DE S. IOANNE EPISCOPO VERONENSI.

IOannes X. Episcopus Veronæ S. Mauro successit. Vir fuit sanctissimis prædictis moribus: qui in pascendis ouibus totus erat, ijs virtutibus, quæ in optimo pastore desiderari solent, excultus. Quapropter perpetuam sui hominibus memoriam dereliquit. Curauit, vt corpus S. Mauri prædecessoris sui in basilica S. Stephani sepeliretur. In qua & ipse, cum diem suum obijsset 8. Idus Iunij conditus est. *Ex lib. de SS. Epp. Veronens. Aug. Valer. toties memor.*

ANNOTATIO.

ET si tempus, quo SS. Maurus, & Ioannes vixerunt, minime in monum. Eccles. Veronen. proditur. Ex quo tamen post S. Zenonem fidem tenuerunt, possumus S. Ioannem circa extrema Diocletiani, & Maximiani tempora floruisse, saltim leuiter conijcere.

DE B. BERTRANDO EPISCOPO AQVILEIENSI, & martyre.

Ex Auditore sacri Palatij fit Patriarch.

Diligentia, & pietas.

Sępè ad pop. sermonem habebat.

Liberalitas in pauperes, & loca pia.

Ecclesias refecit, & Canonicos auxit.

Duodecim pauperes quotidie ad suā mensam adhibebat.

BErtrandus claro genere ortus à teneris in litteris eruditus, cū iuris vtriusq; Doctor celeberrimus euasisset, Sacri Palatij annos 17. auditor fuit. Factus deinde post Paganum Aquileiensis Patriarcha anno hum. sal. 1223. tanta in Episcopalem curam incubuit vigilantia, vt nihil quod ad boni pastoris officiū pertineret, omittere videretur. Erat enim horis canonicis assiduè intentus, in Diœcesis visitatione frequens; frequens in orationibus, & ieiunijs, cùm sæpius noctem orando insumere, & in ecclesiam nudis pedibus ad orandum pergere à familia, & canonicis deprehenderetur: quos iuramento adigebat, ne cui ista patefacerent. Curam quoque gregis sibi commissi sollicitus gerebat, sæpissimè .n. ad populum in sollemnitatibus maximè sermonem habebat. Synodum coegit prouincialium Episcoporum: in qua multa pro Ecclesiasticæ disciplinæ restitutione constituit. Is tanquam verus pauperum pater, in illos, & in loca pia liberalis, & munificus fuit: nam multas ecclesias suis refecit sumptibus, & muneribus exornauit, præsertim Vtini S. Mariæ Maioris, cœnobia, duo vnum virorū, alterum virginum construxit, & reddiribus donauit. Numerum Canonicorū auxit, auctis etiam ex suo distributionibus, Fratribus Prædicatoribus bibliothecam largitus est. Cum fames maximam vigeret, omnes opes alendis pauperibus insumpsit; ex quibus toto tempore, quo vixit in Pontificatu, duodecim ex propria mensa pauit. Cum Bohemorum Rex cum 70. Equitum millibus in Itali de-

descendisset S. Episcopus ei obuiam factus adeò vi sanctitatis, & eloquentiæ effecit, vt illi in Germaniam rediret. Ecclesiæ iurium fuit acerrimus defensor. Cum enim Goritiæ Comes, & alij ecclesiastica bona inuasisset, ipse coacto milite ad eos arcendos profectus est. Cumque ex Concilio Patauij celebrato sacellum rediisset ad suos, tempusque munium in sua metropolitana Ecclesia obeundorum instaret, auertentibus illum suis dixisse fertur, *se pro Ecclesia sua mori paratum esse*. quare iter aggressus ab hostibus captus est, suis fugam capiētibus, & vulneribus confossus, cum illis veniam precatus fuisset, eaque verba pronunciasset; *In manus tuas Domine commendo spiritum meum*, expirauit 8. Idus Iunij Ann. D. 1350. apud Spilimbergum. Cuius corpus Vtini in ecclesia maiore sub pedibus celebrantium, vt ipse viuens mandauerat sepultus est. *Ex eius vita M. S. ad nos Vtino transmissa*.

Pro Iurium eccl. defensio ne mori non dubitauit.

ANNOTATIO.

ET si in SS. numerum minimè relatus est: in multa tamen apud Vtinenses ob crebra miracula, (quæ post mortem ab eo perpetrata sunt in morbis præsertim insanabilibus curandis) habetur veneratione.

Iunij die 8.

DE S. SEVERINO EPISCOPO SEPTEMPEDANO.

SEuerinus vnà cum fratre Victorino in loco, qui Ploracum dicitur, apud Camerinum Vigilio Sum. Pont. & Iustiniano Imp. vitam egit Eremiticam. Is fratri arctissimam agenti ob lapsum carnis pœnitentiam ministrauit. Post cuius gloriosum excessum è vita, ob eius vitæ sanctitatem ad Septempedanam regendam Ecclesiam vocatur. Quam cum aliquot annos sanctissimè administrasset, miraculis, & meritis clarus 6. Idus Iunij migrauit in Cœlum. Cuius corpus ante aliquot annos repertum, honorificentius reconditum fuit. Hic corpus S. Philumenæ virginis inuentum honestiore loco reposuit. Quantam autē habuerit, & habeat apud Septempedanos venerationem, hinc conijci potest, quòd cum eorum ciuitas à Longobardis euersa esset, postea ab eis restaurata non amplius Septempeda; sed de S. Seuerini Episcopi nomine, quem illi Tutelarem suum venerantur, dicta est. *Ex monum. Eccl. Sanctoseuerinatis. Vitam scripsit L. Francus Septemped. doctor eleganter quidem; at nimis prolixè.*

S Philumenæ corpus.

ANNOTATIO.

QVo tempore obierit, quotque annis Eccles. Septempedanæ præfuerit, ex eius vita non apparet. Patria Rom. fuit.

DE S. VICTORINO EREMITA, ET CONFESSORE apud Camerinum.

VIctorinus cum Seuerino fratre Romæ in suburbio natus, & educatus, vitæ eremiticæ cupidus, re familiari vendita, pauperibusq; erogata, cū fratre in eremū apud Camerinū se recepit, ac ipse à fratre paulisper digressus in specu rupis præcelsæ, quæ hominem tantùm caperet, habitauit, vigilijs, orationibus, & ieiunijs Domino seruiens. Ad quē Diabolus mulieris specie, quæ se à via aberrasse simulabat noctē intēpesta venit; cui cum Victorinus præ misericordia aperuisset, faces ad libidinē diabolo per elegantē simulatæ mulieris aspectum ardentes ministrante, infelix in tentationem superatus consensit. Cuius peccati, cùm mulier ficta disparuisset, mox adeo Victorinum pœnituit, vt ferro arbore scissa, intra scissuram immissam manum non sine maximo dolore triennium tenuerit: neque à fratre, neque ab Episcopo Camerinensi adduci potuit, vt ante illud tempus manum extraheret, ad dolorem victus parcitate,

Diabol⁹ sub eleganti mulieris aspectu Victorinum ad libidinem prouocat.

Victorinus manum intra scissuram arboris pœnitētiæ causa triēnio tenet.

tate,& austeritate adiuncta. Siquidem à Seuerino fratre panem tantùm, & aquam idque die Dominico duntaxat accipiebat. Transacto triennio Episcopo Camerinensi iubente manum extraxit, Vitæ tamen asperitatem prosecutus, donec à Deo vocatus 4. Idus Iunij obdormiuit. *Ex vit. S. Seuerini Episcopi, & ex monum. Eccl. Camerinen.*

ANNOTATIO.

Hic Ado cautè legendus: qui acta Victorini Confess. cum actis Victorini mart. confundens, aliumque Seuerinum Episcopum Neapolit. Victorini mart. fratrē referens alijs errandi ansam præbuit.

DE S. FORTVNATO EPISCOPO, ET PATRONO Fanensi.

Fortunatus Episcopus Fanensis multa præfulsit sanctitate, eximiaque in pauperes, & captiuos charitate præditus fuit, vt cum non haberet, vnde eos redimeret, etiam sacra vasa frangeret, & venderet, pretioque captiuos liberaret. Quod vt securius faceret, S. Gregorium Papam (cuius tempore vixit) per litteras consuluit. Qui rescribens licentiam libenter ei concedit, sacra vasa distrahendi, quo pecunia ad redimendos captiuos mutuò accepta, creditoribus solueretur. Corpus illius in arca marmorea sub ara maiore maioris ecclesiæ asseruatur. Obijt autem 6. Idus Iunij. Qua die eius Natalis celebratur. *Ex Tab. & monum. Eccl. Fanen. Extat S. Greg. Papæ epist. lib. 6. Reg. c. 177.*

Fortunatus in redimēdis captiuis sacra etiam vasa frangit.

ANNOTATIO.

Acta ipsius propria videre nondum contigit: ea tamen in morem sermonum in Cod. antiq. M. S. in Eccl. Fanensi asseruari intelleximus.

DE S. SALLVSTIANO CONFESSORE IN SARDINIA.

Sallustianus, qui & Iustinianus, Calari, vt quibusdam videtur in Sardinia eadem tempestate, qua SS. Gabinus, & Crispulus Turribus, mira sanctitate vixit, & miraculis aliquot fulsit. Is cum eam temporum calamitatem pertulisset, Tandem ab cœlestem requiem vocatus euolauit 6. Idus Iunij. *Ex Martyrol. Fara, & Cron. SS. Sardiniæ lib. 1.*

ANNOTATIO.

Fara lib. 1. de reb. Sard. Sallustianum quidem miraculis claram ex Vsuard. commemorat; haud tamen patriam exprimit, vt F. Dimas in Cron. qui illum Calaritanum amore forsan patriæ ductus facit.

Iunij die 9.

DE SS. PRIMO, ET FELICIANO MARTYRIBVS ROM.

Primus, & Felicianus fratres Romæ Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus à Pontificibus Idolorum accusati, quod Dij se responsa daturos negarent, nisi hi duo viri, qui Christum colebant, illo abiurato, se colerent. Comprehensi in carcerem, & vincula conijciuntur. A quibus sequenti nocte ab Angelo soluti, post aliquot dies rursus capti ad Herculis templum, vt illi thus offerrent, pertrahuntur. Quam impietatem detestantes virgis immaniter cæsi rursus

carcere

carcere includuntur Promoto Nomentanæ ciuitatis Pręfecto traditi,qui eos ferro vinctos 13. ab vrbe milliario via Nomentana diutina custodia macerauit. Cum verò eductos eadem qua prius constantia armatos Præfectus repperisset, alterum ab altero,quo faciliùs eos ad impietatem impelleret, seperari iubet, ac primùm Felicianum aggreditur,quem,quod blanditias eius,& minas contemneret plumbatis cæsum interrogat, *velit ne potius noua subire supplicia, an dijs immolare,& iucundos dies ducere?* Cui ille. *Quos tu mihi iucundos dies commemoras? cum octoginta iam annos ætatis habeam, ex quibus triginta plus minus Christo Deo meo seruio. Quid mihi caduca, & vana mundi huius oblectamenta proponis?* Hæc, & his similia dicentem stipiti affixis manibus,& pedibus,inde triduò sine cibo, & potu pendentem reliquit. Postridie eius diei Præfectus, seu Prætor Primum ad se perductum sic affatur, *Vides, quanto prudentior te sit frater tuus, qui obsecutus Imperatoribus,ab ipsis est honoratus: cuius honoris,& gratiæ tu quoque, si eum imitari volueris, particeps erit.* At Primus; *Quid factum sit fratri meo, cognoui ex Angelo. Vtinam, quemadmodum sum cum eo voluntate coniunctissimus, sic nec ab eo martyrio disiungar.* Quare iratus Prætor Primum cæteris cruciatibus,quibus Felicianum affecerat ipso Feliciano præsente affectum,nouo supplicio excruciat, liquato plumbo in os eius infuso. Mox vtrumque in theatro leonibus obijcit: qui impetu accurrentes quasi martyres deuoraturi, ad eorum pedes prostrati cauda,& capite ipsis blandiebātur.quod & vrsi ferocissimi in SS. immissi similiter fecere. Eo miraculo ex duodecim millibus hominum, & eo amplius, qui ad id spectaculi conuenerant, quingenti cum suis familijs Christianam religionem suscepere. Quibus rebus permotus prætor SS. martyres securi percuti iussit. 5. Idus Iunij an. sal. 302. Quorum corpora canibus proiecta,ab illis,& ab auibus, muscisque intacta, noctu à Fidelibus condita sunt 13. ab vrbe milliario,quo in loco cum persecutio deferbuisset,ac multa populis ob martyres beneficia præstarentur ecclesia illis fuit extructa. *Ex Breu. Rom. Adone,& Sur. tom. 3. Mombrit. tom. 2. & Pet. lib. 5. c. 99.*

Egregia Feliciani responsio.

Mira leonū, & vrsorum mansuetudo.

ANNOTATIO.

VBi Horum mart. corpora quiescant non vna est sententia. Baron. in Annot. ad Martyrol. hac à Theodoro Pont. Max. ex via Nomentana Romam in basilicam S. Stephani Protomart. Translata ibique recondita fuisse ait. Pet. Gales. in suis pariter Annot. scribit illa Sergij Papæ Secundi permissu an. 806. Roma legianā op. Medsolanen. diac. translata, ibi ab Angilberto Archiepiscopo collocata fuisse. Ticini in cænobio monialium S. Agatæ hæc eadem corpora extare putantur, vt habēt antiqua inscript. & antiqua traditio. Quadringenti pago agri Alexandrini in arca marmorea illa asseruari firmissime creditur. Nec dici potest,propterea hæc loca corpora SS. horum habere affirmari, quòd partem ipsorum habeant; nam quadringenti corpora integra haberi dicuntur.

DE S. MAXIMIANO EPISCOPO SYRACVSANO.

MAximianus monachus in monasterio S. Gregorij Papæ. & Presbyter, vt ipse in Homelia 34. scribit, Constantinopolim cum aliquot monachis ad S. Gregorium,qui eò à Pelagio Pontifice legatus missus fuerat,visendū profectus, in reditu naufragium passus,incolumis tamen in Magnam Græciam ad Cotronis littora cum socijs appulsus est, In mari enim Hadriatico nauis tot ventorum ictibus percussa est,vt compage resoluta, non tam ipsa in vndis esse, quam

Naufragium Maximiani præsentia nauis non est passa.

quam vndæ in illa vsque ad superiora intus, & foris dici possent. Cũ verò Deo gubernante ad littus memoratum peruenisset, Maximianusque sociorum vltimus exisset, illicò maris fluctibus absorpta fuit. Factus Episcopus Syracusanus, adeo prudens, & diligens in administrando munere pastorali fuit, vt S. Gregorius Papa illi curam omnium ecclesiarum Siciliæ perpetuò commendaret. Quem 5. Idus Iunij, An. sal. 594. & 6. S. Gregorij Papæ vita defunctum idem Gregorius deplorat, libro 4. epistola 19. quòd similis illi, qui ecclesiæ Syracusanæ præficeretur haud reperiri posset. Illum Syracusani non mediocriter colũt hac ipsa die. *Ex monum. Eccles. Syracus.* & S. Greg. Papæ locis cit.

ANNOTATIO.

Fvere huius nominis SS. Episcopi, 3. vnus Rauennæ de quo in Martyrol. Rom. die 21. Febr. alter Nolæ qui & Maximus, de quo die 15. Ianuar. reliquus in Africa, de quo in eod. Martyrol. die 3. Oct.

Non modò Presbyter, sed & Ab. fuit cœnobij S. Gregorij, eiusdem educator in monastica disciplina. Qua de re etiam Baron. in Annal. ad an. D. 594. nonnulla habet.

DE S. FORTVNATO EPISCOPO NEAPOLITANO.

FOrtunatus Episcopus Ecclesiam Neapolitanam Gregorio Magno Pont. & Mauritio Imp. cum S. Agnellus Abbas viueret, sanctissimè rexit. Ipse S. Agnelli, (cum is diem obijsset) funus curauit, missa ab eo in die depositionis celebrata, & vitam scripsit. Dies, qua ex hac vita Fortunatus migrauit, ignoratur. Sed tamen in ecclesia, in qua corpus eius conditum est, (illam nunc tenent Capucini) (Quod diu ignotum An. sal. 1589. repertum fuit, ac vnà cum S. Maximi Episcopi corpore in arca plumbea collocatum) hac die, qua solemnis ad eam ecclesiam processio ciuitatis habetur, Natalis illius celebratur. *Ex Paul. Reg. in vita S. Euphebij.*

ANNOTATIO.

EXtant S. Greg. Papæ epistolæ 2. lib. 7. Reg. hoc est 25. in qua illi Ecclesia Messanen. visitationem committit. & 35. In qua zelum ipsius circa mancipia christiana commendat.

DE S. RICARDO EPISCOPO, ET PATRONO Andriensi.

RIcardus in Anglia honestis parentibus natus, adolescensque primùm liberalibus disciplinis, deinde sacris litteris eruditus fit clericus. Ordinatus Sacerdos sacros libros interpretatur. Erat in oratione frequens, in ieiunijs, vigilijs, alijsque corporis macerationibus, & pijs operibus in pauperes assiduus. Is, quo tempore ab Attila Italia vexabatur, à S. Petro in somnis admonitus Romam venit Gelasio summo Pont. à quo benignè exceptus Episcopus Andriensis creatur. Andriam profectus in aditu portæ lumen cæco restituit; & mulierẽ paralyticam sanat. Ingressus vrbem, cum prædicare cœpisset, Idola comminuit. Clerum dispersum restituit; populumque sacro fonte regeneratum Christo conciliat. Tanta autem erat sanctitatis illius fama, vt finitimæ eum ciuitates ad se instruendas inuitarent. Cum S. Michael Archangelus in M. Gargano apparuisset, eò iussu Pontificis profectus vnà cum Laurentio Episcopo Sipentino, Sabino

Cæcus lumẽ recuperat.

Paralyticaq; mulier sanatur.

Sabino Episcopo Canusino, & Rugerio Cannensi aras templi recens conditi consecrauit. Reuersus Andriam, in eadem vitæ austeritate perseuerans, de qua nihil licet senex remittebat, in morbum incidit: ex quo finem sibi adesse præsentiens clerum, & populum ad se vocatum ad fidem Catholicam tuendã hortatur, sacrisque munitus, in illis verbis *in manus tuas Domine commendo spiritum meum* animam exhalauit. 5. Idus Iunij. Cuius sepulchrum miraculis multis illustratum fuit. Corpus inde à Ioanna Regina, ne à militibus diriperetur, sublatum aliquandiu delituit: donec An. sal. 1438. Eugenio IV. Pontifice Max. repertum in pristinum locum restitutum fuit. *Ex off. Eccles. Andrien. cuius vita in tres est lectiones distributa.*

S. Ricardus cum tribus alij Episcopis ad montē Garganum proficiscitur.

ANNOTATIO.

Franciscus Baucius Dux Andriæ historiam Inuentionis corporis S. Ricardi multis scripsit, illudque inter cætera suauissimum odorem misisse ait.

DE S. LVPO CONFESSORE BERGOMENSI.

Lvpus Crotatij Bergomensis, & Veneti Ducis optimi filius eo mortuo non solùm facultatum paternarum; sed & virtutum hæres fuit. Qui cum ob vitæ integritatem omnibus charus esset, à Grata filia, quæ Christum colebat, ad Christianam religionem ita perductus est: Cum enim illa flores ex solo, in quo S. Alexander martyr sanguinem fuderat, diuinitus natos decerpsisset, & patri obtulisset, multa in martyris laudem effata, ille veritatis cognoscendæ cupidus ad Euangelij, & sacrarum litterarum lectionem se contulit. ex qua lectione tantum profecit, vt fidei desiderio incensus, statim in sacro lauacro regenerari voluerit. Dato itaque nomine Christo Domino, illi ecclesiam in summo colle extruendam, dicandamque curauit. In qua ipse, & Bergomates plurimi exemplo illius commoti salutaribus aquis summa cum lætitia expiati sunt. Qui vitam in pietatis operibus traducens, magnum virtutis specimen ciuibus suis, quibus ad annos 15. magna cum laude præfuit, ac Christianæ pietatis exempla reliquit. Denique post multos pro Christo susceptos labores breui morbo correptus sanctitate celebris migrauit in Cœlum 5. Idus Iunij Anno post Christum natum 300. in ecclesia, quam ipse construxerat, non sine multorum lacrymis sepultus. *Ex off. Eccl. Bergom. & ex lib. qui vinea Bergom. inscribitur.*

Grata S. Lupi filia flores ex solo S. Alex. sanguine asperso decerpit.

ANNOTATIO.

Qvod S. Lupus Veneti Ducis filius dicitur, non sic accipi debet, quasi Venetia vrbs clarissima eo tempore extarent, sed quod Dux esset in Veneta regione.

Iunij die 10.

DE SS. GETVLIO, CÆREALI, AMANTIO, & Primitiuo martyribus Rom.

Getulius, qui & Zoticus, in Christiana religione eruditissimus Tibure Hadriano Imp. illam propagare studebat, multosque ex Italia, & Græcia cōuocabat: quos nō solùm ad christianam pietatem erudiebat, sed et omnibus ad vitā necessarijs sustentabat. Quibus ab Hadriano cognitis, Cærealis Vicarius eò

confestim mittitur. Qui Getulij cubiculum vbi is cum magna audientium voluptate de diuinis rebus disserebat, ingressus: *Audisti ne*, inquit, *Getuli Principum nostrorum edicta?* Cui Getulius. *Edicito quæso, cui æquius optemperare sit, mortali, ne homini, breui in putredinem abituro, an præpotentis Dei filio? qui virtutem diuinam in rebus omnibus declarauit.* Vt autem Cærealem ad veritatis agnitionẽ perduceret, Amantium fratrem Triburnum metu Imp. latitantem aduocat Cærealis amicissimum. Breui itaque vtriusque sermonibus, & hortationibus Cærealis Christianæ fidei desiderio incensus, post Triduanum Ieiunium, & preces à B. Sixto Papa aduocato baptizatur, quod dum fieret Spiritum sanctum luminis sole splendidioris specie supra se descendentem vidit. Quibus Hadriano delatis, protinus ille Licino viro consulari mandat. vt ad vrbem Sabinorum veniens Cærealem, & alios Dijs sacrificare nolentes ignibus cõcremaret. Licinius itaque eò profectus Cærealem, Getulium, Amantium, & Primitiuum diuinis rebus intentos inuenit. Quos statim vinculis constringi, & in carcerem abduci iubet. paulò post eductos, cum Deos venerari renuerent cæsos atrociter rursus in carcerem trudit: in quo cum 27. diebus fuissent, nec à proposito vllo modo deterreri possent, ad Tyberim fluuium 13. ab vrbe lapide ducti manibus, pedibusque colligatis in rogum igne accenso inijciuntur. E, quibus Getulius, qui in medijs flammis solutus, & illæsus alios ad constantiam hortabatur, & ipse post alios fustibus crudeliter mactatus martyrium consumauit. Quorum corpora Symphorosa Getulis vxor in arenario prædij sui honorificè sepeliuit 4. Id. Iunij. *Ex eorum Pass. quam Sur. tom. 3. refert hac die.*

Diuina Getulij vox.

Cerealis Hadriani Imp. Vicarius baptizatur.

Spiritus sancti lumen sole splẽdidius emicat.

Getulius in medijs flammis illæsus.

ANNOTATIO.

Passi sunt An. sal. 123. at ex Abbreuiatore Sur. loco cit. an. 138. hoc est anno Imperij Adriani 19. & Sixti Papæ VII. quod etiam Baron. in Annal. Ecclef. ad annum 138. habet.

Corpus S. Getulij Romæ in templo S. Michaelis Archangeli cum reliq. SS. Symph. & filiorum ex lamina plumbea, & epitaphio, ac Tibure in æde S. Petri Apost. ex inscript. veteri nequiescere fertur. Quod non secundum totum; sed secundum partem intelligendum est.

DE SS. BASILIDE, TRIPODE, MANDALE, ET ALIIS XX. martyribus Rom.

BAsilides Christianus ex Aurelia vrbe (ex qua via Aurelia dicta est, & licet his tẽporibus non extet,) cum cuidã Præsidi in oriente diu fideliterque inseruisset, suos videndi cupidus licentiam abeundi obtinuit. Cum itaque cum socijs incolumis ad portum Romanum appulisset, indeque Aureliam venisset à propinquis hospitio exceptus, Aureliano Imp. siue Platoni vrbis Præfecto, quòd Christianus esset delatus accersitur. Cumque se Christianum libera voce fateretur, Tyrannus illi diros cruciatus, & necem nisi Christo renunciet, minatur. Verum Basilides in confessione fidei constans, *se Deos, qui homines scelestissimè fuere, venerari non posse respondit*. Quare Præfectus illum carcere includit, in quo Tripos, & Mandàles Christiani pro fide vincti catenis ferreis detinebãtur. Qui post triduum educti, cum Iudici se *Deum verum, qui cuncta creauit adorare non manes Deos, qui nec sibi nec alijs prodesse valeat*, audenter dicerent, cruciantur, Basilides verò, qui illos ad fortiter pro Christo dimicandum hortabatur, plumbatis cædi iubetur. Cum verò Tyranno impietatem exprobraret, is ira incensus illum vnà cum socijs capitalem subire sententiam iussit. Ducti in extra vrbẽ via Aurelia capitis obtruncatione palmam martyrij adepti sunt 4. Idus Iunij. Quorum

rum corpora ibidem à Christianis sepulta sunt; vbi postea ecclesia constructa fuit, cum miraculis coruscarent. *Ex antiquo M. S. Sancta M. Maioris.*

ANNOTATIO.

De illis pluribus agunt Pet. in Cat. lib. 5. c. 103. & Mombrit. tom. 1. Sed plura in eorum vita ab his scripta continentur inuerisimilia: & fabulosa, ac Martyrol. Rom. aduersantia. Cum inter caetera illos in pace quieuisse narrent. Horum corpora in eccles. S. Mariae in Transpontina asseruantur.

DE S. MODESTINO EPISCOPO, ET SOCIIS martyribus Abellini.

Modestinus Episcopus quo tempore Diocletianus in Christianos Antiochiae saeuiebat, in montem secedens 7. annos vitam duxit in eremo, mirabilia faciens: nam & cum Angelis frequenter loquebatur, & bestiae feritatis oblitae illi manus, & pedes lingentes obtemperabant. Monitus è coelo, vt Antiochiā pergeret, dum iret, plurimos ab immundis spiritibus obsessos liberauit, & ad Christum conuertit. Ob id à Diocletiano accersitus, & interrogatus, se Christi seruum esse respondit. Iussu autem sacrificare Dijs, *ego inquit, Deo vero, qui fecit Caelum, & Terram, & quae in eis sunt sacrifico, non lapidibus.* Tum plumbatis caesus, cum Imperator diceret, *Consule Modestine iuuentuti tuae, sacrifica Dijs, & honores, atque diuitias habebis,* ille subsannans respondit, *munera tua da alteri, me enim loricam fidei indutum nihil poterit à Christi charitate separare.* Extensus, & diris verberibus affectus cum populus miraretur, quòd verberum signa nulla in eo apparerent, Imperatore id magiae tribuente, ferreis vngulis excarnificatur, ac liquato plumbo, pice, resina, sulphure, oleoque feruētibus perfunditur. Quo tempore cum S. Episcopus *ea tormenta sibi refrigeria esse* diceret, ingens terraemotus factus est, coeloque coruscante tonitruis, & fulgore magna pars populi interijt, & Imp. fugit, Modestino in arctam custodiam detruso, ferro manibus, pedibusque, & collo reuinctis, vt ibi fame periret. Sed nocte ab Angelo ereptus in Campaniam deducitur. Vbi multis sanatis aegrotis, vnà cum Florentio Presbytero, & Flauiano Diacono Primani filium defunctum ad vitam reuocauit. Quo miraculo tota Primani domus cum magna vtriusque sexus turba ad Christum conuersa est. Id vbi Maximiano nunciatum fuit, Modestinum cum socijs comprehendi iubet, ac in maxillis contusos Dijs sacrificare iubet. Ductus autē in tēplum Iouis, eo orante, Iouis statua ab Angelo percussa statim corruit, indeque ingēs erupit draco, qui multos ex Idolatris interfecit: qui à B. Modestino iussus abire, disparuit, ac ad quadringētos ex populo nomē Christo dederūt. Post haec Tyranno in rabiē conuerso, Modestinus tunica aerea candenti induitur; & ab ea nihil laesus cum socijs in ardentem, & copiosum ignem inijcitur: à quo inuiolatus egressus in carcere recluditur. At noctu ab Angelo cum socijs eductus in fines Abellinensium venit in locū, qui Praetorium dicebatur. Ibique animas suas Deo reddiderunt. 16. Kal. Martij, & à fidelibus tumulati sunt. Quorum corpora a Guilelmo II. Rege à Guidone Episcopo Abellinēsi inuenta Abellinū translata sunt, & honorificè recondita, innumeris subsecutis miraculis. *Ex antiquis lectionib. Eccl. Abellinen.*

> Modestinus cum Angelis loquitur.
>
> Cicatrices verberum in Modestini corpore minimè apparent.
>
> Ingens terraemotus.
>
> Primani filius ad vitam reuocatur.
>
> Iouis statua ab Angelo percussa corruit, ex eaque draco ingēs erumpit.
>
> Modestinus in ardenti, & copioso igne inuiolatus egreditur.

ANNOTATIO.

Hic dies translationis est, non natalis. Historia haec à Reuerendissimo D. Scipione Cobellutio Pauli V. Pont. Max. secretario transmissa, maxima castigatione indiget. Est enim omnino similis, ei quae S. Erasmi Episcopi, & mart. nomine circum-

fertur, actaq; vtrinsque confusa fuisse videntur. Multa ex ea tanquam parum verisimilia omisimus.

DE S. OLIVA VIRGINE, ET MART. PANORMITANA.

Claudius cæcus credens visum recipit.

Alter verò blasphemans cæcus repentè efficitur.

Oliua à venatoribus de pudicitia tētatur.

Oliua atrociter maceratur.

OLiua virgo Panormi in Sicilia nobili genere orta annos 13. nata apud Siciliæ Præsidem, quòd Christiana esset, accusatur, captaque cum à fidei proposito abduci non posset, ob generis nobilitatem mittitur in exiliū: in quo multa diuinitus patrauit. Nam claudum, qui etiam cæcus erat, se in Christum crediturum esse, si sanaretur, pollicitum, oratione sanauit; qui mox *non alium Deum esse, nisi quem coleret, Oliua*, clamare cœpit, socius autem, quem is, vt in Christum credere suadere conabatur, cum Christum contemnēs illum à Iudæis tanquam maleficum crucifixum diceret, repentè cæcus factus est: Sed pœnitēs, & credens Oliuæ intercessione visum recuperauit, ac vterque paulò post martyrium propter Christum constanter subijt, Oliua, quod puella esset, tantūmodo flagellis cæsa, in syluasque ablegata: In quibus cum feris, ab ea mansuefactis septennio habitauit. Cum autem quidam nobiles inter venandum in eum locum penetrassent, ac virginis capti pulchritudine, eam tentarent; *Cauete*, inquit, *illa, ne qui me spatio 7. annorum à feris defendit, vos percutiat, & perdat.* Quibus verbis perterriti veniam ab ea postulantes, illam quid sibi faciendū sit, rogant. Illa verò, vt credant in Christum, & vndis salutaribus expientur consulit; quod cum fecissent, ad martyrij palmā peruenere. His ad Præsidem relatis, Oliua comprehendi iubetur, & in carcerem detrudi, inediaque macerari, ministris, quos ipsa conuerterat, ob fidem interfectis. Educta post aliquot dies, cum longum circa fidem cum Præside disceptationem habuisset, tandiu flagellis cędi iubetur, & in equuleo suspensa pectinibus laniari donec costæ nudarentur. deinde in feruentis olei dolium immitti, oleoque perfusam comburi: à quibus omnibus liberata, demùm capite truncata migrauit in cœlum. *Ex eius vita typis excusa Panorm.*

ANNOTATIO.

HAec S. in magna habetur apud Panormitanos veneratione sicuti Nympha, & Christina. Sed miror in vita illius nullam fieri temporis, quo vixerit, mentionē.

Iunij die 11.

DE S. BARNABA APOSTOLO, ET I. EPISCOPO Mediolanensi.

Barnabas discip. Gamalielis.

Fit discip. Christi.

Cum Paulo Apost. electꝰ Antiochiæ cōmoratur.

Iussu spiritus sancti discedit ab Antiochia.

BArnabas genere Cyprus Hierosolymæ sacris litteris Gamaliele præceptore operam dedit. Qui Christi Domini Nostri factus discipulus omnia sua vendidit, pauperibusque distribuit, & cum Paulo Gentium Apostolus ordinatus Antiochiam prædicationis causa missus est. vbi cum multos Christianos cōperisset, ijs sua cohortatione plurimum profuit, cum ab omnibus vir bonus, & spiritu sancto plenus haberetur. Inde Tarsum profectus vbi Paulus erat, cum eo Antiochiam redijt, ibique annum commorati Christianæ fidei, vitæque illis hominibus præcepta dedere, ita vt in ea vrbe primùm Christicolæ Christiani cognominarentur; & discipuli Pauli, & Barnabæ Christianos, qui in Iudæa etāt, suis facultatibus missa per eos pecunia sustētarent. Quo charitatis officio perfuncti vnà cū Marco Antiochiā reuersi sunt. Sed cū illi Antiochiæ Dn̄o in ieiunio, oratione disseruirent. iussit eos spiritus sanctus separari dicens: *Segregate mihi Paulū, & Barnabā in opus, ad quod assumpsi eos.* Quare ab ecclesia Antiochena cū manus impositione post ieiunia, & orationes dimissi, Seleuciā venerunt, deinde in Cyprū, multasq; alias vrbes Euangeliū summo cū audientiū profectu prædicantes

cantes peragrarunt. Denique Barnabas discedens à Paulo propter Marcum (quem Paulus vti hominem meticulosum, nec satis firmum in fide socium nolebat suæ peregrinationis) in Italiam venit, ac Christi D. fide in Insubria disseminata Ecclesiam Mediolanensium, quorum I. fuit Episcopus cum Brixiensi, & Bergomensi instituit. Cui Anathalone discipulo præfecto, in Cyprum rediit: vbi à Iudæis ingressus Synagogam, & Christum liberè prædicans suppliciis affectus tandem circa 7. Neronis annum 3. Idus Iunij lapidibus obrutus est, & combustus. Cuius corpus Zenone Imp. in ea Insula repertum est cum Euangelio Matthæi ad eius pectus manu ipsius Barnabæ conscripto: cum ipse Apostolus Anthemio Salaminæ Episcopo in somnis apparens, vbi corpus suum lateret, indicasset, Quo in loco templum S. Apostolo ab eodem Imp. excitatum est. *Ex ea qua apud Sur. tom. 2. vita legitur, ex Breu. Rom. & Mediolanen.*

Discedit à Paulo, & venit in Insubriam. Fit I. Episcopus Mediolanen. Redit in Cyprum. Ibi à Iudæis lapidatur. Corpus eius reperitur.

ANNOTATIO.

ET si ex Actis Apost. & SS. authorum, qui in prima Eccl. floruere Barnabam Mediolanum venisse, eamque Eccles. fundasse non apparet; Cum tamen antiquissima Ecclesia Mediolanen. id affirmet, illud in dubium reuocari non debet. Corpus nunc Mediolani asseruari fertur, caput Ticini.

Traditio antiq. Eccles. Mediolanen. Caput Barnabæ Papiæ.

DE S. PARISIO MONACHO CAMALDVLENSI.

PArisius Bononiæ honestis ortus parentibus in ipsa infantia sanctitatis specimen dedit: nam cum cyathum sibi ab ancilla ad potandum porrectum fregisset, illaque ob poculi pulchritudinem fleret, vasis illius fragmenta collecta signo crucis integritati restituit; ex quo sacras ædes magis frequentare cœpit, à sæcularibusque colloquijs, & aliorum consuetudine abhorrere. Duodennis Camaldulensium Institutum ingreditur, seque corporis macerationi, orationibus, & meditationibus addixit, quoad annos natus 30. Taruisium, vt ibi monialium cœnobij S. Christinæ (quod hodie S. Parisij nominatur) curam sustineret, à Superioribus mittitur. Spiritu Prophetico præditus, & cœnobij illius excidium, & alias clades, quæ postea acciderunt, Populo Taruisino prædixit. Episcopo Taruisino ab impositis sibi apud Romanum Pont. criminibus liberationē prænunciauit. Multa viuens patrauit miracula. Famuli enim eiusdem Episcopi, qui ex alto ceciderat, crus confractum oratione sua mirabiliter sanauit. Monialem pedibus, manibusque contractam crucis signo sanam effecit. Cum autem ei monasterio annos 77. præfuisset, annumque ætatis 7. supra centesimū ageret, senio confectus, in febrim incidit, ex qua breui migrauit in Cœlum 3. Idus Iunij. Antequam autem corpus sepulturæ traderetur, cùm multi illius manus tanquam Sancti exoscularentur, quidam Hæreticus dixit, *si hic sanctus est, ardeat, vt candela hæc manus mea*. Vix finierat (mirandum) cum repente ignis manum eius inuasit. Sed cum pœnitens veniam prostratus deprecatus esset, cunctis pro eo orantibus, liberatus est. Obijt anno sal. 1267. in memorato cœnobio sepultus, multis post mortem clarus miraculis. *Ex vita illius typis excusa, & ex Cron. Camaldulens. ac Sur. tom. 7.*

Parisius vas confractū signo ✠ suæ integritati restituit. Parisius prophetico spiritu illustris. Crus confractum oratione sua sanat. Monialem contractam precibus curat. Hæretici manū ignis inuadit.

ANNOTATIO.

IN SS. nondum relatus est solemni ritu quod legerim, licet Karol. Sigon. lib. 3. de Epp. Bononiens. ad an. 1267. illum pro S. cultum asserat.

In vita illius annos 116. vixisse narratur; Sed si annorum 30. Taruisium ad monialium curam missus est, eisque monast. annis 77. præfuit, liquet eum obijsse annorū 107.

Iunij die 12.

DE SS. BASILIDE, NABORE, CYRINO, ET NAZARIO martyribus Rom.

BAsilides, Nabor, Cyrinus, & Nazarius milites Romani, nobiles genere, & virtute illustres, cum Christiana religione suscepta Diocletiano Imp. Christum prædicarent ab Aurelio vrbis Præfecto tenti, & dijs sacra facere iussi, iussa illius contemnentes in carcerem mittuntur. Quibus orantibus, cum lux clarissima subito omnium oculis, qui illic essent oborta, carcerem collustrasset, illo cœlesti splendore commotus Marcellus custodiæ præpositus cum alijs multis in Christum credidit. Postea emissi, Maximiano Imp. Cuius neglecto etiam imperio vnum Christum Deum, & Dominum palam prædicare haud formidabant, iubente eo comprehensi, scorpionibus cruciati conijciuntur in vincula. Septimo die educti, & ante Imp. pedes constituti, cum in Inanium Deorum irrisione persisterent, & Iesum Christum constantissimè Deum confiterentur, iussu illius securi feriuntur. Quorum corpora feris obiecta, ab illis intacta à Christianis honorificè condita sunt Prid. Idus Iunij. *Ex Breu. Rom.*

Lux clarissima carcerem illustrat.

ANNOTATIO.

NAbor, & Nazarius, de quibus hic agitur, ab illis qui Mediolani coluntur longè diuersi sunt: illi enim Mediolani sub Nerone passi sunt, hi Romæ sub Maximiano. Corpus S. Basilidis in Abbatia Cauanen. agri Parmen. asseruari perhibetur, vt in Tab. Eccl. Parmen.

DE S. LEONE III. PAPA.

LEo Rom. cum ab ineunte ætate Ecclesiæ seruitio addictus in Patriarchio educatus magna virtutum laude floreret. Hadriano I. Pont. Max. rebus humanis subtracto An. post Christum natum 795. ei suffectus est. Is initio Pontificatus missa ad Karolum Magnum Gallorum Regem legatione munera amplissima sibi à Karolo elargita in Ecclesiarum ornamenta, & clericorum necessitates erogauit, multis sacris locis instauratis. In his, & alijs pijs operibus S. Pontifex occupatus IV. Pontificatus anno ab Hadriani Prædecessoris nepotibus primus in clero inuidia stimulatis comprehenditur; eique dispoliato, & cæso (pro scelus) oculi eruuntur, & lingua radicitus præceditur. Quem etiam in ecclesia raptatum, iuxtaque confessionem semiuiuum relictum in suo sanguine reuolutum in arctissimam custodiam tradunt. Verùm noctu Princeps Apostolorum illi visum, & linguam restituit. A custodia autem ab Albino cubiculario, & alijs pijs viris abductus in ecclesiã S. Petri ab omnibus tanto miraculo stupentibus summa gratulatione excipitur, & ab Vuinigiso Duce Spoletano, qui Pontifici cum exercitu auxilio venerat, Spoletium deducitur. Interea scelerati carnifices incensa Albini domo, crimina S. Pontifici apud Karolum Meg. intentant. At ille summo in honore a Karolo habitus, ingenti comitatu Ecclesiasticorum, & Procerum Romam tota vrbe ad Pontem Miluium ei occurrente reuertitur; Karolo Magno non multò post adueniente, cumque accusatores pro tanto facinore pœna capitis damnati fuissent. Leone pro ipsis intercedente in Galliam amandati sunt in exilium. Cum Leo ascenso ombone se coram Karolo, & Episcopis tactis sacris Euangelijs purgasset, die Natali D.N.I.C. Ipsum

Karolum

Karolum Imp. Augustum in basilica S.Petri declaratum coronauit. Interim rebus in oriente afflictis Nicephoro Imp. Catholicos persequente à S.Theodoro studita viro sanctissimo Leo litteris ad opem ferendam excitatur. Qui cum fidem Catholicam modis omnibus defendisset, denique post Karoli Magni excessum è vita, & ipse 21. Pontificatus anno salutis verò 816. plenus dierum, & sanctitatis obdormiuit in Domino. Pridie Idus Iunij. Sepultus apud S.Petrum. *Ex Plat. & Annal. Baron.*

ANNOTATIO.

P*Et. in Cat. lib. 6. c. 19. De Leone agit. Sed ad diem 28. Iunij. Quod Annalib. & Cronol. Pontt. repugnat.*

DE S. GVIDONE CONFESSORE CORTONENSI Ord. Minorum.

GVido Cortonæ in Hetruria pijs parentibus natus à puero pietatem, & castitatem coluit. Cum S.Franciscus in eam ciuitatem venisset, sic eius prædicatione commotus est, vt relictis omnibus in illius societatem adscribi voluerit, seque in locum solitarium, qui celle dicitur, se receperit, vbi humili domicilio piorum eleemosynis extructo cũ aliquot alijs, ieiunijs, orationibus, alijsq, pijs exercitationibus vitam duxit. Sacris initiatus ordinibus Assisij prædicationis officium à B.Francisco sibi iniunctum exercere cœpit. Porrò in vrbe Cortonensi doctrina, sanctitateque, & miraculis præcipuè claruit: quoad sexagenarius die mortis triduò ante præuiso, sacris munitus migrauit ad Christum, magno populi concursu ibidem tumulatus. Cum autem Aretinis Cortonam inuadentibus, & diripientibus sacrista caput B. Guidonis linteo inuolutum in puteũ occultandi gratia demisisset, triennio post cum ciuitas, & ecclesiæ ab Aretinis vastatæ, reficerentur, ingens è puteo illo splendor egrediebatur, quod cũ triduo perdurasset, clerum, & populum ad inquirendum quid hoc esset impulit. Quare indicta solemni processione, ad puteum accedentes, aquamque hauriẽtes, cum illa caput Guidonis inuolutum minimè madefactum cum scripto sui nominis extrahunt. Cuius Inuentionis festiuitas Prid. Idus Iunij magna populi deuotione celebratur. *Ex off. Eccles. Cortonen. & Cron. Minor.*

Ingens splendor è puteo, vbi S.Guidonis caput latebat, egrediebatur.

ANNOTATIO.

N*Ondum SS. Catalogo adscriptus est. Gregorij tamen XIII. Pont. Max. concessione de illo officium Ecclesiast. recitatur.*

Iunij die 13.

DE S. ANTONIO DE PADVA CONFESSORE Ord. Minorum.

ANtonius Vlyssipone in Lusitania honesto loco natus, adolescens institutũ Canonicorum Regulatium suscepit: Sed cum corpora beatorum quinque martyrum Ordinis Minorum, qui pro Christo apud Marolium passi erant, Conimbricam transferrentur, martyrij desiderio incensus ad ordinem illorum transiuit, moxque ad Sarracenos se conferens aduersa valetudine afflictus redire cogitur, ventorum vi in Siciliam delatus. E Sicilia Assisium ad Capitulum generalem venit. Inde in Æmiliam in eremum M. Pauli, vbi diuinis contem-

Antonius martyrij cupidus.

Antonius à Pont. arca testamenti appellatur. Antoni⁹ perpetuus hæreticorum malleus.

plationibus,ieiunijs,& vigilijs diutius vacauit. Sacris autē initiatus, & ad prædicandum Euangelium missus,tantum dicendi copia,& sapientia profecit,tantamque sui admirationem commouit,vt eum Summus Pontifex cum concionantem audisset,arcam Testamenti appellarit. In primis verò Hæreses profligauit,ideoque perpetuus Hæreticorum malleus vocatus fuit. Primus ex suo ordine ob doctrinæ præstantiam Bononiæ, & alibi sacras litteras interpretatus est; Fratrumque suorum studijs præfuit. Multis peragratis Prouincijs anno ante obitum Patauium venit. vbi præclara sanctitatis suæ monimenta reliquit. Denique magnis laboribus pro gloria Dei perfunctus,meritis, & miraculis clarus obdormiuit in Domino Idibus Iunij Anno sal.1231. Quem Gregorius IX. Pont.Max.anno sequenti SS.Confessorum numero adscripsit. *Ex Breu. Rom.*

ANNOTATIO.

Mirac. 1.

Iumentum sanctissimam Eucharistiā adorat.

*EX plurimis S. Antonij miraculis duo hic referre libet. Cum is aliquando apud Tolosam cum Hæresiarcha quodam,qui Eucharistiam negabat disputaret,isque diceret,*si iumentum dimisso populo Sacramentum tuum adorauerit, Catholicæ fidei colla submittam, *conditione accepta vir S. in magna populi frequentia Catholicorum,et Hæreticorum peracto Missæ sacrificio,cum Domini corpore foras,vbi Hæresiarcha iumentum triduo inedia maceratum in conspectum populi adduxerat,egressus,silentioque indicto,ait ad iumentum conuersus.* In virtute, & nomine Creatoris tui,quem manibus ego indignus teneo, tibi præcipio, vt dimisso pabulo (*quod illi tunc appositum fuerat*) confestim huc accedas illique, vt par est, reuerentiam exhibeas. *Vix dicendi finem fecerat,cum iumentum illud demisso capite accessit, & coram Sanctissimi Corporis Dominici Sacramento genua curuauit non sine maximo omnium stupore, omnibus Hæreticis eo miraculo ad Catholicam fidem perductis. Alterum non minore admiratione dignum est. Cum duo ciues Vlyssipone (viro Dei Patauij commorante) odio capitali se mutuò prosequentes necem alter alteri machinaretur,vnus alterius filium per summam crudelitatem (clam tamen ingilauit, eiūq; noctu in horto parentum S. Antonij sepeliuit mane corpus inuentum incerto cædis patratore à Iudice visitatur, ac Martinus (id erat nomen patri viri Dei) cum tota familia in vincula conijcitur, vti cædis reus. Cuius rei per spiritum factus certior Antonius eadem nocte Vlyssiponem in Lusitaniam diuinitus delatus mane Iudicem adit, cadauerque pueri interempti afferri petijt: quo allato in Dei nomine, vt ediceret,si Martinus aliquisve ex eius familia se interfecisset omnibus audientibus iussit; statimque (Res admiranda) puer corpore se erigens illos cædis conscios non esse testatus est. Quo miraculi pater cum suis liber dimissus est; Antonius verò Angelico ministerio Patauium restitutus.*

Puer iugulatus exurgens Parentes S. Antonij necis conscios minime esse testatur. Antoni⁹ Angelico ministerio Patauium restituitur.

Ex hymno S. Antonij tria eius miracula continente.

HIc Nautis in naufragio
Signo salutis affuit:
Quibus sub lucis radio
Vitæ ducatum præbuit.
Hæreticum lux fidei
Signo purgat; dum iacitur
Ab alto vasis vitrei
Fragilitas non frangitur.
Irrisor lucis gratiæ
Signorum languet clericus,
Post votum surgens gloriæ
Sancti fit testis publicus.

DE

DE S. PEREGRINO EPISCOPO, ET MARTYRE in Pelignis.

PEregrinus, antea Cetheus Episcopus Aternensis, cum Alais, & Vmblo Tyranni ex genere Longobardorum ei ciuitati dominarentur, S. Episcopus illorũ Tyrannidem non ferens Romam ad S. Gregorium Papam confugit: Sed & populus cum mala augeri in dies videret, quibus Episcopi præsentia mederi posse sperabant, ad vrbem accedens Episcopum suum deposcit. Qui à Pontifice iussus populo prius iureiurando, quod bona Ecclesiæ nõ distraheret, sed distracta redimeret, adstricto, Aternum cum suis rediit, ac ciues ad pœnitentiam adducere prædicatione cœpit. Cum verò inter Tyrannos orta esset dissensio, & Alais, vt Vmbloni resistere posset, Vitalianum Comitem in vrbem introduxisset, ciues oratione Cethei ad vrbis defensionem animati, arma capientes in hostes insurgunt, captumque Alaim vti proditorem patriæ Vmbloni occidendum tradunt; pro quo cum Cetheus Episcopus, ne sanguis effunderetur, intercessisset, ab Vmblone ingratissimo tanquam cum Alai conspirasset, detinetur, ac Alai decollato, catenis vinctus in medio foro capite truncari iubetur, & cum tantus spiculatorem tremor inuasisset, vt nullo pacto eum percutere posset, iussu Vmblonis in carcere truditur: Vnde post aliquot dies eductus in Aternum flumen ex ponte vinctus præcipitatur; cum verò postridie illæsus exisset, saxo quingentarum librarum collo eius alligato Vmblone nequissimo iubente rursus in eundem fluuium ex alto deijcitur, statimque emisso spiritu corpus cum saxo super aquas mirabiliter natare cœpit. Ad quod prodigium cũ & ipse Vmblo accurreret à Dæmone arreptus expirauit. Corpus autem martyris cum saxo in mare delatum ad littus Atrianensis vrbis appulit: Vbi sine honore conditum, cum singulis noctibus lumen super tumulum cœleste cerneretur, ac cæcus quidam ex vrbe eò deductus visum recepisset, ab Episcopo Atrianensi, & clero milliario ab vrbe honorifice sepelitur Peregrini nomine (cum proprium ignoraretur) indito. Cuius Festiuitas Idibus Iunij, qua die (quemadmodum postea compertum est) is passus fuit, summo honore Atriæ celebratur. *Ex Actis eius M. S. apud Eccl. Atrianen. Ex quib. Pet. in Cat. lib. 5. c. 113.*

Cetheus in flumen præcipitatus illæsus exit iterũ proiectus, cũ saxo super aquas mirabiliter natat.

Vmblo scelestissimus à Dæmone arripitur.

Lumen cæleste super tumulum Cethei.

Cæcus visum recipit.

ANNOTATIO.

NOnnulla eget censura vita à Pet. loco citato narrata, præsertim circa locum ab eo perperam nominatum.

DE S. VICTORINO EPISCOPO, ET MART. ASSISII.

VIctorinus nobili genere natus ex Assyria Romam ad Apostolorũ Limina Fabiano Pontifice, & Gordiano Imp. cum aliquot alijs venit. Vbi ob vitæ probitatem, & doctrinam Presbyter factus, deinde Assisinatum Episcopus ab eodẽ Pont. ordinatur. Assisium pergens apud Hispellum puero quinquenni loquelæ vsum, quem amiserat, restituit, & cæcum sic natum ad fidem, quam prædicabat, comprobationem illuminauit. Quapropter Hispellenses ad Christum cõuersi illum Assisium vsque comitantur. Vbi Victorinus vrbis Præfectum adiẽs, & causam aduentus sui exponens. Cum Deos nisi Dæmonum simulacra esse diceret, ab ipso Præfecto tentus cum socijs in carcerem mittitur, in quo multos ægrotos, qui ad ipsum deferebantur, sanauit, & ad fidem conuertit. Octauo die eductus, variéq; à Præfecto tẽtatus, vt Deos veneraretur: sed frustrà, in fornacẽ ardentẽ iniicitur, in qua S. Epus nullam sentiens læsionẽ diuinas laudes decãtabat. Socij interim, & ipsi variè torti, plũbatis cęsi, & vngulis excarnificati in altũ

Victorinus loquelã puero, & lumen cæco nato restituit.

In fornacem ardentem iniectus, diuinas laudes canens inuiolatus exit.

puteum

puteum demerguntur: quorum corpora extracta noctu S. Victorinus sepeliuit. Cum verò Præfecto delatum esset, Victorinum in Assisinatum finibus Christi fidem disseminare, multosque in dies ad illam perducere, misit milites, qui illũ iuxta fluuium prædicantem, & baptizantem populos comprehendunt, & ad Præfectum pertrahunt. Cum autem vitæ vel mortis optio sibi proponeretur, *nihil sibi antiquius, ait, accidere posse, quam vt pro eo, qui totius mundi salute passus erat, moreretur: Deos autem, in quibus nulla esse salus nulla se ratione posse venerari.* Quare ductus ad Martis templum, cum illi immolare noluisset apud flumẽ sub Montem Iouis in villa Macerata capite plexus est, Idibus Iunij. *Ex antiquis lectionib. Eccl. Assisinatis.*

ANNOTATIO.

FVit, & Victorinus Amiternina Eccl. Episcopus mart. Sed hic sub Traiano, Nonis Sept. passus est. de quo in Martyrol. Rom. ea die.

DE S. FELICVLA VIRGINE, ET MART. ROMANA.

FElicula virgo Romana Petronillæ collactanea, à Flacco Comite post S. Petronillæ transitum adamata, (erat enim forma egregia) cum neque Deos venerari, neque Comiti nubere vellet. Vicario illius traditur; à quo sine cibo, & potu in carcere 7. diebus detinetur, si fortè fœminis illam suadentibus, vt Flacci viri clarissimi, & Imperatoris amicissimi nuptias non respueret, propositum mutaret. Elapso eo termino inter virgines vestales iussu Vicarij septem dies fuit, quibus cum escis illarum pollui noluisset, cibo abstinuit diuinitus sustentata. Septimo die Vicario sistitur, ac in proposito perseuerans in equuleo suspenditur, & torquetur, tortaque dicebat, *En Christum sponsum video, qui tanta pro me passus sustinuit.* Quibus verbis Iudex ira magis accensus, illam tandiu cruciari in equuleo iussit, donec expiraret, depositamque in cloacam proijci; vnde noctu à Nicomede Presbytero extracta via Ardeatina sepulta est Idibus Iunij. *Ex Actis SS. Nerei, & Achillei, & S. Petronillæ. ac ex lib. virgg. Rom. Sur. Pet. & al.*

Felicula 7. dies haud comedens diuinitus sustentatur.

ANNOTATIO.

HAec Pisis, & Parmæ colitur. Parmæ enim corpus in æde S. Pauli asseruari Tab. Eccl. testantur.

DE S. GERARDO CONFESSORE MODOETIENSI.

GErardus Modoetiæ (oppidum clarissimum est Insubriæ ad lambrum amnem à Mediolano X. M. P. distans) ex Tinctoria familia An. sal. Humanæ 1134. Friderico I. Imp. nascitur, in litterisque, & pietate educatur. Orbatus parentibus; incassum ab amicis, & propinquis, vt familiæ stirpem penè extinctam coniugio excitaret, iam vitæ cœlibis tramitem ingressus, suadetur, sed à sæculari conuersatione abhorrens licet adolescẽs esset assiduis precationibus, vigilijs, pietatisque operibus addictus Nosocomium fundat, in quo, cum fames vniuersam propè Italiam vexaret, passimque mortuorum, & morientium cadauera mixtim strata cernerentur in vijs, Gerardus frumentum, & vinum omnibus petentibus distribui iussit. cum verò ea ministri breui defectura dicerent, à distributione tamen cessari noluit, cumque post paucos dies minister iam exhaustũ horreum, iam cellam vinariam exhaustam diceret, morasque necteret, quo minus

Gerardus Nosocomiũ. fundat.

nus pauperibus subueniretur. S. vir quasi iratus ex horreo frumentũ, & ex cella vinaria vinum proferri præcipit. Dum autem ille iret, & Gerardus preces Deo funderet, Horreum tritico refertum, & dolia vinaria vino exundantia reperiuntur. Quo miraculo minister attonitus, ad Gerardi pedes prouolutus rem narrat prorsus admirandam, Quare in tanta annonæ caritate Modoetiensium necessitati S. viri precibus diuinitus prouisum est. Posthæc mira quoque res haud prætereunda accidit. Gerardus mane de more in templo S. Ioannis Baptistæ orationibus instabat, cũ Lambrus repentinis aquarum incrementis intumescẽs vastitatem oppido minabatur, iam multis ædificijs ex fundamentorum corrosione disiectis. Quapropter Gerardus ægrotantium saluti timens ad Nosocomium, quod in altera fluuij ripa conditum erat accurrens pontem aquarum impetu disiectum inuenit: nec nauigium, quo traijceret, vllum aderat, Fide itaque munitus pallio super aquis strato omnibus stupentibus sicco vestigio ad alterã fluminis ripam peruenit. Iam Lambrus Nosocomium occupare cœperat, nec dubium, quin breui corrosis fundamentis casurum esset. Sed Gerardus nihil territus aquis in Dei nomine ne fores ingrederentur imperat: quæ statim diuertẽtes recessere: Solebat vir Dei summo mane templum memoratum ingredi, ibique suas preces ad multam horam fundere. Cum verò aliquando ante quam à custodibus fores aperirentur accessisset, illis sibi diuinitus apertis, ab eisdem custodibus in templo orans repertus est. Demum multis laboribus pijs exantlatis, cum ex diuina reuelatione diem obitus sui præsciuisset, suos allocutus, quibus salutis monita reliquit, annum agens ætatis 73. Idibus Iunij Innocentio III. Pont. Max. Othone IV. Imp. migrauit è vita. in æde S. Ambrosij, quæ postea S. Gerardi, mutato nomine dicta est, tumulatus: multisque post mortem clarus miraculis; Etenim vir nob. desperata à medicis salute ope Gerardi sanatur. Quidam à curtus rota obtritus, in ædem B. Gerardi animam agens delatus ita conualuit, vt sequenti die nihil passus videretur. Mulier, Oliua nomine, iã moritura, voto à viro eius nuncupato D. Gerardo, confestim è lecto surrexit. Honoria fœmina in proximo pagò, vtroque capta lumine, cum à S. Gerardo opem implorasset, pristinam oculorum aciem recuperauit. Dum in bello hostes ecclesiam illius extra mænia aggrediuntur, muros conscendunt, præcipites cadunt.

Ex vita illius à Bartholomæo Zucchio eleganti stylo conscripta.

Horreum tritico refertũ, & dolia vinaria vino exũdantia diuinitùs reperiuntur.

Gerardus pallio sup aquis strato Lambrũ traijcit.

Imperat aqs, ne fores Nosocomij ingrediantur. Fores templi vltrò Gerardo aperiunt.

Miracula post mortẽ. Vir desperata à medicis salute curat.

Quidam à currus rota obtritus sanatur mulier moritura statim è lecto surgit.

Honoria cæca oculorum aciem recuperat.

Hostes muros conscendentes præcipites cadũt.

ANNOTATIO.

Ondum in SS. relatus est. Opera tamen B. Karoli Borrhomæi, Sanctissimi Episcopi Mediolanen. & Card. à Greg. XIII. Pont. Max. vt officium de illo Ecclesiast. recitetur in Ecclesia Modoetien. cõcessum esse, à Modoetiensib. accepimus.

Iunij die 14.

DE S. MARCIANO EPISCOPO I. SYRACVSANO, & martyre.

MArcianus Petri Apostoli discipulus ab eo Syracusanus Episcopus ordinatus cum Pancratio Episcopo Taurominitano Antiochia in Siciliam destinatur. Cum Syracusas peruenisset, ibi iuxta mare Christi Domini fidem annunciare cœpit, multis Iudæorum, qui populum maleficijs à veritate auertebãt, petitus insidijs; verberibusque affectus. Cum Apollinis statuam in Hippodromo oratione deiectam contriuisset, reà Iudæis ad vrbis Præfectos delata, comprehensus in concilium pertrahitur, vbi iurgijs, probrisque oneratus, nauiculæ comburendus viuus imponitur. Sed ignis in eam iniectus in proiectores diuinitus

Ignis in proiectores diuinitus retorquetur.

nitus

nitus retortus illos omnes combussit. Quo miraculo Seleucus, & Gordianus Præfecti, cum sex millibus, ex ijs, qui ad id spectaculi conuenerant, permoti ad Christum conuertuntur, moxque à Marciano petentes veniam aqua expiantur baptismali: qui in alia vrbe (Syracusana enim ciuitas tetrapolis erat) ab ijs, qui in sua perfidia perstitere diuisi habitarunt. Cum autem Idolatræ Dianæ templo excitato, virgine monilibus ornata, pretiosisque vestibus induta, viua in fundamento sepulta, illi sacra facerent, Fideles id indigne ferentes, Marcianum rogant, vt quemadmodum Apollinis statuam contriuerat, sic Dianæ templũ precibus demoliretur. Qui facta oratione, vt illud illicò corrueret, obtinuit. Hostibus itaque fidei confusis, illos tandem crebris concionibus, & hortationibus Christo Domino conciliat. Quibus peractis tantam in se Iudæorum concitauit inuidiam, vt ab illis tandem post Euangelij prædicationem occisus sit 15. Kal. Iulij. Corpus ibi conditum, Agarenis Siciliam inuadentibus, Patras delatum traditur. *Ex M.S. Eccl. Syracus. & ex Menol. Græc.*

Virgo quędã in fundamento tẽpli Dianæ viua sepelitur.

ANNOTATIO.

EMendatione egent Acta S. Marciani in prædicto M.S. contenta, in quo in pace decessisse narratur, cum à Iudæis occisus in Menol. & in Martyrol. Rom. referatur. De corpore etiam Patras translato haud veritati consonum videtur; cum reliquiæ illius Caietæ habeantur, ex Sicilia ad Sarracenorum aduentum eò, asportatæ.

DE S. PROTO MARTYRE AQVILEIENSI.

PRotus SS. Cantij, Cantiani, & Cantianillæ fratrum nobilium adolescẽtium Romanorum institutor, cum illis in Diocletiani, & Maximiani Imperatorum persecutione Aquileiam, vbi cum eis eadem passus incommoda; à fuga, quã adornarat, conscenso vehiculo retractus, cum Iouithura offerre noluisset, seque nunquã Dæmonibus sacrificaturum diceret, apud Aquas Gradatus post SS. fratres iussu Dulcidij Præsidis, & Sisinnij Comitis capitis abscissione martyrium compleuit. *Ex passione SS. Cantij, Cantiani, & Cantianillæ.*

ANNOTATIO.

IN Martyrol. Rom. eadem die cum supradictis martyribus hoc est Pridie Kal. Iunij passus refertur; sed in Tab. Eccles. Aquileien. hac die Natalis illius adnotatus est.

DE S. MARCO EPISCOPO BOVINI.

MArcus Episcopus Bouini (ciuitas est Apuliæ in Prouincia Beneuentana) præcipuè colitur hac die. Acta tamen illius nondum vidimus. Meminit illius Dauid Rhom. in suo de SS. Regni Neapolit. Catalogo. Agitur de eodem in Ecclesia Beneuentana, vt in Tab. illius legitur.

ANNOTATIO.

SAnctus Marcus non modò in Ecclesia Bouinensi, sed etiam in Metropolitana Beneuenti colitur, vti illius Eccl. Kalend. testatur, fortè quod ibi reliquiæ ipsius habentur.

Iunij die 15.

DE SS. VITO, MODESTO, ATQVE CRESCENTIA martyribus in Lucania.

Vitus in Sicilia adhuc puer, Hila patre nobilissimo inscio, baptizatus, & Dæmones ab obsessis expellens variè à patre, & à Valeriano Præside tentatur, vt ad Idolorum cultum reduceretur. Nam Valerianus propterea fustibus illum mactari, catemerijsq; cædi iussit, & patri quo vel ab hac mēte deduceret, vel puniret, habita nobilitatis suæ ratione, reddidit. Qui varijs illecebris piam pueri mentem emollire conatus, post epulas, cymbala, puellarum elegantium blandimenta, cubiculi ornatum pretiosissimum, in quo ille luxuriaretur, nihil prætermisit, quo filium à suscepta Christi religione reuocaret. Sed Vitus omnibus spretis, ad orationis præsidium confugit, Christi numen ne se à diabolo vinci sineret, sine intermissione precatus. Quo tempore mira odoris fragrantia totum cubiculum impleuit. Re ad patrem delata, accurrens, vt nouitatis causam exquireret vtroq; lumine orbatus est. Qui etiam dolores aculeo afflictus à filio opem postulabat addens se in Christum, si lumen reciperet, crediturum. Vitus, & si patrem simulare sciebat, ne tamen de Christi virtute dubitandi daretur occasio, admotis oculis illius manibus lumen restituit. A quo pro tanto beneficio cum Vitus puniendus esset, ab Angelo cum Modesto, & Crescentia suis educatoribus in nauicula in Lucaniam ad Silarum fluuium deducitur. Vbi cum cælestium rerum meditatione Angelicam æmularentur vitam, cibo mirabiliter illis ab aquila ministrato innumeros in dies eò confluentes à spiritibus immundis Vitus liberabat. Fama ad Diocletianum perlata Romam cum socijs adducitur, vt Imperatoris filiam à Dæmone vexatam eriperet. Quod cum factum fuisset Diocletianus pueri virtute, & elegantia delectatus, opes ingentes, & honores eximios si Deos coleret pollicetur. At cū Vitus responderet, *Ego Regnū diuitias, & honores flocci facio, totusq; ex vno Christo solo Deo, & immortali dependeo.* Illum cum Modesto, & Crescentia ferro onustum teterrimo carcere concludi iubet. Cū verò subito terræmotu carceris quassatis fundamentis, vinculis ferreis instar cineris dissipatis Angelorū concentus exaudiretur, re à custodibus Diocletiano nunciata, ille Vitum in clibanum plumbo, resina, piceque feruentem immitti imperat, verum Angelus mox affuit, qui flamma extincta puerum illæsū eduxit. Imp. in rabiem versus ferocissimo leoni Vitum obijcit: qui signo crucis ita domitus est, vt ad pedes illius prouolutus plantas lamberet. Eo miraculo Vito Imperatorem alloquente, *Nondum agnoscis creatorem tuum, quem bruta animalia venerantur?* mille ferè homines permoti Christi fidem suscepere. At Diocletianus indignum se superari existimans Vitum cum Modesto, & Crescentia in catasta atrociter torqueri iubet. quod cum fieret, Vito auxilium supernum implorante, terræmotus, coruscationes, fulgura, tonitruaque statim exorta deiectis Idolis, ingentique strage in populo edita omnes in fugam conuerterunt. Sancti verò martyres ab Angelo soluti ad Silarum fluuium restituti sunt: vbi apud Ebolum op. præclarum spiritum reddiderunt. Ibidem à Florentia matrona honorificè tumulati. Quorum corpora alio translata feruntur. Nam corpus S. Viti in Galliam *Ludouico Pio Imp.* translatum, postea in Germaniam ad Corbeiam saxonicam delatū est. Corpus S. Crescentiæ Mazzaræ in Sicilia asseruari dicitur. Tametsi apud Polinianum (vrbs est Apuliæ) reliquiæ horum martyrum quiescere in templo ipsorum nomini augustissimè dicato feruntur. *Ex pass. apud Sur. tom. 3. Ex Breu. Rom. & alijs.*

Pater Viti post miram odoris fragrātiam vtroq; lumine orbatus est, deinde à filio lumen restituitur.

Cibus ab Aquila ministratur.

Imperatoris filia obsessa liberatur.

In terræmotu, vincula ad instar cineris dissoluta cælestesq; concentus exaudiūtur.

Leo Viti plātas lambit.

Terræmotus.

A N-

ANNOTATIO.

NOnnulla in actis apud Sur. quæ Breu. Rom. aduersabantur, præsertim illud de Modesto, & Crescentia, quos Roma conuersos acta prædicta habent cum ex Breu. educatores, & Comites essent Viti, emendatione egent. Paul. Regius in lib. de SS. Regni Neapol. hos Lucanos fuisse contendit; sed id nimis erga suos affectus dicit.

Baron. in Annal. scribit corpus S. Viti prius Roma in Gallias sub Pipino translatū ad eccl. S. Dionysij, An. D. 836, sub Lud. Pio in Saxonia Corbeiam non sine ingenti miraculorum copia traductum fuisse.

DE S. BERNARDO AVGVSTANO CONFESSORE Ord. Canonicorum Regul.

BErnardus Augustæ Prætoriæ in Salassis ortus, pièque educatus, habitum Canonicorum, quos Regulares vocant, in Canonica S. Vrsi Episcopi suscepit, vitam potius Angelicam, quàm humanam degens. Litteris sacris probè instructus per vrbes finitimas, castella, & pagos prædicans magna fecit animarum lucra. Ad M. Ioui consecratum, profectus, ea loca à Dæmonum, qui accolas, & transeuntes vexabāt multitudine liberauit, cœnobio ibi extructo: quod etiamnum manet, omnes ex Italia in Galliam, & ex Gallia in Italiam aduenientes excipiens; & S. Bernardi vnà cum monte vocatur. Vitia in quibus Alpini populi mersi erant sua prædicatione extirpauit. Diuitem, qui multos vsuris ad inopiā redegerat, sic corripuit, vt igne in eius domo accenso, substantiaque fere omni consumpta, quantum potuit, restituerit, in alterumque mutatus virum, miram egerit pœnitentiam. Inde vir Sanctus Nouariam venit, atque in monasterio S. Laurentij correptus febri breui migrauit è vita cum nunquam ab oratione, & colloquijs diuinis ad vltimum vsque vitæ spiritum cessasset. Mortem plura subsecuta sunt miracula. Corpus in eo monasterio conditum est. Caput autem post aliquot annos in montem prædictum delatum, in ecclesia sui nominis decenti honore repositum in maxima habetur veneratione. Obijt diem circa An. sal. 1174. Gregorio VII. Pont. Max. *Ex Breu. Canonic. Regul.*

Bernardinus in pellendis dæmonibus excellit.

Fæneratoris domus igne absumitur.

ANNOTATIO.

SAnctus Bernardus Archidiaconus fuit Ecclesiæ Cathedralis Augustæ. Cuius Natalis alicubi die 16. Maij celebratur.

Iunij die 16.

DE S. CECHARDO EPISCOPO LVNENSI, ET MART.

CEchardus Episcopus Lunensis in Hetruria, cum per diœcesim suam inter visitandum prædicaret, ac perditos mores illius gentis vehementius obiurgaret, quo illam ad pœnitentiam prouocaret, potius illius in se odium concitauit. Quare ab illis efferatis hominibus cōprehensus tandem fustibus cæsus est, donec animam exhalaret. Passus est. An. sal. 600. Gregorio I. Pontifice Max. cuius corpus Carrariæ in mausoleo marmoreo in maiore ecclesia conditum est cum eiusmodi inscriptione. *Hic iacet corpus B. Cechardi Episcopi Lunensis, qui passus est martyrium An. 600.* Durat fons in loco passionis cum ædicula: cuius aqua febre, capitisque dolore laborantibus vsque in hodiernum diem prodesse fertur: diciturque fons S. Cechardi. *Ex lect. & off. Eccles. Lunen. & ex Cath. SS. Lunens. Hippolyti Landinelli.*

Fons saluberrimus.

ANNOTATIO.

L*Vnae ciuitati apud ostia Macra amnis à Longob. euersa successit Sarzana ad D. M. P. plus minus à Luna ruinis distans: quam Genuenses possident.*

DE SS. ACTINEA, ET GRÆCIANA VIRGINIBVS, & martyribus Volaterranis.

ACtinea, & Græciana virgines Volaterranæ in Diocletiani, & Maximiani persecutione propter fidei Christianæ confessionem comprehensæ tortæ sunt; cumque fortes in confessione persisterent, ad extremum Actineæ caput amputatum est, Græcianæ verò transfixum. Quarum corpora à Christianis sepulta, cum diu latuissent, nec illatũ extaret memoria vlla, An. sal. 200. supra M. Innocentio III. Summo Pont. à monachis Camaldulensibus corpora SS. Iusti, & Clementis perquirentibus inditio spiritus immundi, qui se in illas Gentiles concitasse, easque vt supra narratũ est, martyrio affectas reuelauit, inuenta sunt, vnà cum abscissionis, & transfixionis signis, in sacramque Saluatoris ædem translata. Cum verò dies obitus, seu cædis ignoraretur, Pontifex prædictus, vt 16. Kal. Iulij, quæ dies translationis est, illarum celebraretur Festiuitas decreuit. *Ex monum. Eccl. Volaterr.* ac ex Comment. Raphaelis Volaterr.

ANNOTATIO.

E*T si Dæmones mali mendaces sunt: quandoque tamen, vel coacti, vel intentione fallendi, vera dicunt: quibus fides adhibetur, si aliunde comprobentur.*

DE SS. MAVRO, ET FELICE CONFESSORIBVS apud Spoletium.

MAurus vnus ex illis 300. viris, qui ex Syria Iustiniano Imp. in Italiam venere, cum alij in alias partes migrassent, post sacrorum locorum Romæ visitationem in vallem Narci territorij Spoletini, cum Felice filio, & illius nutrice secedens, ibi Tugurio iuxta fluuium extructo, orationibus, & ieiunijs intentus habitauit. Quo tempore Incolæ, qui ob noxium venenati serpentis flatum infecti frequentes in dies interibant, perspecta Mauri sanctitate (quod vitam immaculatam degeret) ad eum, vt opem ferret, orantes confugiunt. Qui effusis Deo precibus, cum baculo, ferreoque instrumento ad locũ serpentis iuxta fluuium populo sequente pergit, & saxum, in quo is latebat, frangere aggreditur. Interim nutricem Mauro prandium afferentem Felix puer (ipsa inscia) insequitur, cui amnis aquæ diuisæ diuinitus feruntur, quo illum sicco vestigio traijceret. Maurus saxo tandem perfracto serpentem quinque pedes longum ignem ex ore tetrum proferentem vidit: quem signo crucis munitus ferro agressus interfecit. Felix verò adolescentiæ annos ingressus cum ætate sanctitate quoque vitæ proficiens miraculis fulgere cœpit: in quibus viduæ filium suscitasse legitur. Tandem à Domino per somnium ad cœlestem requiem vocatus, biduo post 16. Kal. Iulij vnà cum nutrice sua obdormiuit. à patre (qui & ipse postea sancto fine quieuit) sepultus. quo in loco, cum miraculis coruscaret, ecclesia sub eius nomine dicata est. *Ex monum. Eccles. Spoletina.*

Felix puer amnem sicco vestigio transit.

Maurus serpentem interfecit.

Felix viduæ filium exsuscitat.

ANNOTATIO.

QVa die pater Felicis obierit, ignoratur. Ipse autem Felix magnam habet apud Vallis Narci incolas venerationem.

Iunij die 17.

DE DVCENTIS, ET SEXAGINTA DVOBVS martyribus Rom.

DVcenti sexagintaduo Romæ in Diocletiani, & Maximiani Imperatorum persecutione, quòd Christiani essent tenti, via salaria pro Christi fide necati sunt, ibique ad Cliuum Cucumeris, vbi cœmiterium erat, sepulti. Quorum nomina ignorantur. *Ex Beda, Vsuardo, & Adone; à quibus Martyrolog. Rom. accepit.*

ANNOTATIO.

VIa Salaria, in qua SS. martyres humati referuntur in Sabinos ducebat; Cuius, Romæ porta adhuc extat Salaria, quæ & collina dicta est inter Pincianam, & Viminalem, seu Quirinalem, sic dicta, quod Sabini Sal ab vrbe Roma per eam portā, & vinum accipiebant. In qua via templum erat Veneri sacrum: cuius mem. Ouid. in lib. de Fastis.

„ *Templa frequentari collinæ proxima portæ*
„ *Nunc decet, à Siculo nomina Rege tenet.*

DE S. MONTANO MARTYRE TARRACINÆ.

MOntanus Romanus miles, Romam ex militia reuersus cum à Christiana religione esset alienus, ac martyres fortiter supplicia perferre, mortemq; pro Christo subire vidisset, ea re commotus ad Christum conuertitur. Quapropter Octauiani Præsidis iussu Hadriano Imp. comprehensus Dijs sacra facere iubetur. Cui id facere recusanti Christique laudes prosequenti lingua præscinditur, moxque dentes conuulsi sunt. Sed Octauianus statim à nefario spiritu arreptus, agitatusque lumen amittit oculorum: qui à Montano curatus est, postquam in Christum pœnitens credidisset. Montanus à Præside demissus, cum publicè Christum prædicaret, apud Hadrianum Imper. accusatus, & tentus, multis afficitur tormentis, vt Christo renuncians Deos coleret, tandemque, equuleum, vngularum excarnificationem, adustionem lampadarum perpessus in Pontiam Insulam relegatur: Vbi mortuo Præside, qui sibi necessaria suppeditaret, inuenit, multaque edidit miracula. Quibus cognitis Leontius vir Consularis Montanum ad se Tarracinam perduci, nollentemque à Christo deficere plagis affectum in troclea extendi, ac demum sententia in eũ pronunciata, saxo collo illius alligato in profundum mare demergi iubet. Qui semiuiuus ad Pontiam Insulam diuinitus delatus cum prius mortuum ad vitam reuocasset, animam Deo reddidit. Corpus ibi sepultum, postea Tarracinam translatum est. *Ex antiq. lectionib. Eccl. Tarracinen. & monum. Eccl. Caietanæ.*

Octauianus Præses à nefario spiritu arreptus lumen oculorũ amittit qui à Montano curatus, & conuersus.

Varia, & atrocia supplicia perfert.

Montanus mortuum ad vitam reuocat.

ANNOTATIO.

NOnnulla inter acta M.S. diuersitas reperitur. Nam in aliquibus Apost. discip. fuisse scribitur; i[illegible]ys verò in aliorum martyrum passione conuersum esse.

DE

DE SS. NICANDRO, ET MARCIANO MARTYRIBVS apud Venafrum, & Atinam.

NIcander, & Marcianus milites Africani, cum in Sarmatia, & Dacia militassent, tandem relicta militari vita, Christo, cui iam pridem in Africa nomẽ dederant, inseruire cœperunt in Campaniæ, & Samnij finibus fidem prædicantes. Cum autem Atinæ multos à falso Deorũ cultu ad Christum conuertissent, ab Idolorum Sacerdotibus apud Maximum Præfectum accusati eius iussu comprehensi in carcerem post longam de Dijs, & de Christo cum Præside disceptationem traduntur, cumque ad negationem adigi minimè possent, ferreis vngulis lacerantur; in excelsisque trabibus suspensi cruciantur; Indeque detracti super carbones ignis accensos extenduntur: virgis insuper verberantur; saleque, & aceto plagis perfusis, testis acutis perfricantur. Denique cum illis ora lapidibus contusa, faciesque confractæ fuissent, & lingua gladio excisæ, gladio percussi migrauerunt ad Christum inter Atinam, & Venafrum 15. Kal. Iulij. Aderant Zoticus, & Papinianus martyrum socij, qui eos in eo loco, in quo postea ecclesia extructa est, condidere. Passus est, & Passicrates Papiniani frater, qui Atinæ à fratre tumulatus est. *Ex Actis, quæ S. Fulgentius Episcopus Atinas S. Marci successor scripsisse fertur. Ex monum. Eccl. Venafranæ, & Menol. Græc. plurib. certamen Paul. Reg. lib. de SS. Regni Neapolit. exponit.*

Nicander, & Marcianus atrociter, ac variè torquẽtur.

Passicrates martyrio coronatur.

ANNOTATIO.

GRæci hos mart. 6. Idus Iunij passos in Menol. referunt. Pet. in Cat. lib. 5. c. 90. passionem illorum Nonis Iunij narrat. Alij illos sub Maximiano Imp. coronatos tradunt. Cum pleraque M.S. eos sub Domitiano passos habeant. Sed cum Martyrol. Rom. Et Græci eos in persecutione Maximiani martyrio affectos asserant, illis standũ est, nisi fortè per Maximianum, non Imp. sed Præses (qui Maximus in Actis appellatur) intelligendus sit.

DE S. NICANDRO MARTYRE RAVENNATE cum sex fratribus.

NIcander martyr Rauennæ cum sex fratribus passus refertur à Hieronymo Rubeo in Hist. Rauenn. haud tamen docet, quo tempore, quoue martyrij genere mortem obierit. Eosdem Ecclesia Rauennas tanquam suos colit hac die post SS. Nicandrum, & Marcianum, vt Tab. Eccl. ad vsum sacrum compositæ habent.

ANNOTATIO.

NIcandrum, & Marcianum eos esse, qui Atinæ, seu Venafri, vt habet Martyrol. Rom. passi sunt, videtur, qui Rauennæ ob Ecclesiam Parochialem illis dicatam hac die coluntur. Si enim Rauennates fuissent, eos Ecclesia Rauennas maiori cultu veneraretur, Tametsi Hieron. Rub. in Hist. Rauenn. aliter sentit.

DE SS. CYRIACA, ET MVSCA VIRGINIBVS, & martyribus apud Aquileiam.

CYriaca seu Cyrica, & Musca sorores, & virgines Aquileienses, quarũ prior contemplationi, altera actioni magis erat addicta, à teneris Mundi spre-

tis illecebris Christo Domino, cui virginitatem suam consecrarant inseruierũt, in persecutione Christianorũ delatæ, & comprehensæ, cum nulla ratione ad Idola colẽda adduci possent, multis cruciatibus affectæ demum ad virginitatis honorem, martyrij palmam addiderunt. Passæ sunt Aquileiæ 15. Kal. Iulias. Quarum corpora ibidem à Christianis tumulata quiescunt. *Ex Breu. antiquo Eccl. Aquileien.*

ANNOTATIO.

IN *Tabulis Cyrica, & Musca, in Breu. verò Cyria, seu Ciria, & Musca legitur. Tempus, quo illæ passæ sunt, ex earum Lection. non apparet.*

DE S. AGRIPPINO EPISCOPO COMENSI.

AGrippinus Episcopus Comensis XIII. S. Ioanni Episcopo successit. Hic cum diœcesim visitaret, apud Stabium Vicum (locus ad lacum Larium situs ab vrbe Comensi ad 18. M. P. abest) ægrotans in cœnobio Aquæ frigidæ 15. Kal. Iulij, ex hac vita decessit. *Ex Tab. Eccl. Comen. & ex Bened. Iouio lib. de Epp. Comens.*

ANNOTATIO.

ACta *huius S. Episcopi desiderantur. Illum tamen Ecclesia Comen. Iandudum sanctum agnoscit, & colit.*

DE S. HYMERIO EPISCOPO AMERINO, ET PATRONO Cremonensi.

HYmerius, siue Himerius natione Brutius à puero pietatis, & litterarum studio deditus fuit. Is parentibus, patriaque relictis in Insulam desertam secedens vitam eremiticam duxit, diuinis laudibus, ac precibus, ieiunijsque, & alijs corporis macerationibus intentus, herbis, herbarumque radicibus, pomis agrestibus, & aqua in victum duntaxat arboribus pro tecto, nuda humo pro lecto vsus. Receptus in cœnobio monachorum, omnes abstinentia, orandi assiduitate, contemptu sui, alijsque virtutibus superabat; nec tamen à studio litterarum, rerumque cœlestium contemplatione abhorrebat. Interea Ameria pastore destituta, ciues post fusas Deo preces diuinitus inspirati Himerium, quem nunquam viderant, in Episcopum deligunt, illumque Romam profecti à Pont. Max. deposcunt. Nec mora. Romam accersitus statim Episcopus ordinatur. Suscepto autem pastorali munere totus erat in curandis rebus Ecclesiæ, in religione, & diuino cultu restituendo. Prælucebant in eo virtutes omnes; præcipuè verò charitas, mansuetudo, & misericordia. Domus sua commune domicilium erat peregrinis, & egentibus semper aperta. Vitæ austeritatem secutus, ad panem, & aquam, vuas, quandoque, & ficus paucas adhibebat. Sanctitas illius multis miraculis declarata est. Nam & multos à Dæmonibus obsessos liberauit, & varijs morbis laborantibus sanitatem diuinitus impertiuit. Denique multis cumulatus meritis, cum diem discessus sui prædixisset, migrauit ad Dominum 20. Kal. Iulij. Cuius corpus Anno sal. 965. Othone I. Imp. à Loyza Episcopo Cremonensi populo Amerino ob Principis reuerentiam, & timorem non auso resistere, Cremonam translatum est, ibique honorificè conditum. *Ex monum. vtriusque Eccl. Amerinæ, & Cremonen.*

Hymerius asperrimam vitam degit.

Hymerius in obsessis à Dæmonibus liberandis ac ægrotis sublenandis prælucet.

AN-

ANNOTATIO.

Tempus quo vixit, aut obijt S. Himerius desideratur. Is Cremonæ vti vrbis Tutelaris die 19. Octob. præcipue colitur: qui dies transl. non natalitius est.

DE S. RAINERIO CONFESSORE PISANO.

Rainerius Pisis nobili loco genitus Paschali II. Pont. Henrico IV. Imp. primum voluptatibus corporis deditus fuit; postea Alberti viri sanctissimi opera ad bonam frugem conuersus est. Cum peccatum præ verecundia in confessione reticeret, vocem audiuit; *Raineri, peccatum tacuisti*, illudque statim cõfessus, & sine pœnitentia à Sacerdote (illam sibi à Deo imponendam dicente) absolutus, tristis, & in alterum mutatus domum recessit. parentibus causam tãtæ mœstitiæ, & fletus rogantibus, non aliam quam peccata respondit, nec se à lacrymis temperaturum, donec illa sibi à Deo dimissa sciret. Cum itaque assiduè fleret, nec cibum caperet, ex continuo fletu lumen amisit oculorum: quod patribus maximi doloris causa fuit (vnicè enim illum vnicum diligebant) & nisi Deum precatus ad illorum solatium, visum recuperasset, pater mortem sibi cõsciturus videbatur. Hoc conuersionis fuit initium. Inde verò ecclesias frequentare; egentibus subuenire; peccatores ad pœnitentiam exemplo sui inuitare; atque cœlestis vitæ genus colere cœpit. Post 4. annos Hierosolymam profectus, locisque sacris peragratis domum redijt, ingentem, insolitumque in ea fœtorẽ sentiens. Cui Dominus in visu apparens fœtoris causam pecunias, & alia, quæ in domo haberet, esse dixit. Quare omnibus relictis Hierosolymam repetens in die Dominicæ passionis vestem pœnitentium indutus cum libro psalmorum in solitudinem se recepit, vbi diuinitus edoctus officia diuina Græca, & Syriaca lingua recitabat. Cum quadam die cibum apud religiosum quendam sumeret, puncta sibi ab animalculo lingua, deinceps solo pane, & aqua contentus fuit. Vitam itaque degens angelicam Dominum, & Dominam se alloquentes aspicere meruit. Cum panem tantùm haberet, ex eo tamen se, & pauperes diu pauit, semperque integer remanebat. Demum rediens in patriam reliquum vitæ in S. Viti cœnobio egit: multosque dæmoniacos, paralyticos cæcos, aliosque corpore vitiatos crucis signo curauit. A ciue rogatus, vt filiæ suæ animam agenti subueniret, *Vade*, inquit, *non enim mortua est, sed viuit*: quam licet obijsset, rediuiuam inuenit. Multa spiritu prophetico super Ecclesia Rom. & Pisana ciuitate prædixit, quæ sic, vt vaticinatus est, euenere. Denique clarus miraculis, & sanctitate 7. annò postquam ex Hierosolymis reuersus fuerat abijt in cœlum 15. Kal. Iulij, An. à Christo nato 1161. *Ex vita ipsius M. S. apud Eccles. Pisan. quam Syluanus Raz. lib. de SS. Hetruriæ refert.*

Rainerus peccatũ in confessione reticet.

Ex continuo fletu lumen oculorum amittit.

Rainer. Deũ virginem matrem se alloquentes aspicere meretur.

Mira signo crucis efficit.

Mortuam, vt viuam patri reddit.

Rayneri. spiritu prophetico insignis.

ANNOTATIO.

Circa tempus historia S. Rainerij castigatione eget. Ipsum enim an. sal. 1116. Paschali II. Pont. qui anno 1118. creatus est, & Henrico V. cum is IV. esset, natum continet.

Iunij die 18.

DE SS. MARCO, ET MARCELLIANO FRATRIBVS Rom. martyribus.

Marcus, & Marcellianus fratres Trãquillini ciuis Romani filij Romæ Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus à Fabiano Iudice comprehensi

 diu

diu carcere vinculisque constricti, si forte propositum mutarent, macerantur, cum verò constantes in fidei confessione permanerent, lacrymis autem vxorũ, & filiorum suspirijs emollescerent, S. Sebastiani oratione ita confirmantur, vt nulla reformidantes supplicia inducias sibi ad deliberandum concessas, iam finitas cuperent, quo citiùs ad martyrij palmam perueniret. Elapso itaque termino ad stipitem alligari, pedibusque clauis confixis, cum index eos ita alloqueretur, *Resipiscite miseri, & vos ipsos ab his cruciatibus eripite* responderunt, *Nunquam tam iucundè epulati sumus, quàm libenter hac Iesu Christi causa perferimus: In cuius amore nunc fixi esse capimus. Vtinam tandiu nos has pati sinat, quandiu hoc corruptibili corpore vestiti erimus.* Cumque diem, & noctem in tormentis diuinas laudes canentes consumpsissent, denique ambo telis confixi, illustre martyrium consumarunt 14. Kal. Iulij. Quorum corpora via Ardeatina secundo ab vrbe milliario sepulta sunt. *Ex Breu. Rom. & Gest. S. Sebastiani.*

ANNOTATIO.

HOrum SS. martyrum corpora, seu reliquia apud Frequentum Hirpinorum vrbem asseruari, & pracipuè coli feruntur.

DE S. CALOGERO EREMITA APVD SACCAM.

CAlogerus patria Constantinopolitanus, inde adolescens sacras literas Iustiniano edoctus Imp. cum prius Romæ accepta à Pont. benedictione habitum monasticum induisset. in Siciliam veniens primùm in Liparitana Insula vitam egit herbarum radicibus sustentatus eremiticam: deinde in antro montis, qui propterea mõs S. Calogeri dicitur, apud Thermas (quam vrbem siculi hoc tempore Saccam vocant) reliquum vitæ in summa austeritate confecit, multis; fulgens miraculis in expellendis præsertim immundis spiritibus, & sanãdis ægrotis. Is cum in Lipara degeret Theodoricum Regem medium inter Ioannẽ Papam, & Symmachum Patricium, quos ille insontes occiderat, in vicinum Vulcani ignem iactari vidit, quod cum nautis narrasset, illi in Italiam reuersi Regẽ ea die extinctum inuenere, quem incolumem reliquerant, vt S. Gregorius Papa in Dialogis scribit, licet Calogeri nomen taceat. Cum itaque S. eremita in eo monte aliquandiu vixisset 14. Kal. Iulij. Obdormiuit in Domino genibus flexis, & erecta ceruice, manibusque in cœlum expansis exanimis inuentus, ibidemq; sepultus: quo in loco ecclesia suo nomini extructa fuit; ad quam hac die non modò finitimi populi, sed ex tota ferè Sicilia confluunt, ob crebra miracula, quæ super morbis fiunt. Ibi enim balnea sunt salutaria, quæ S. Calogeri dicuntur. ad quæ infirmi accedentes, sæpe incolumes redeunt. Quapropter ibi nosocomium ad excipiendos ægrotos ædificatum fuit. *Ex off. illius à Clem. Octauo Pont. Max. approbato: quod in tota Sicilia recitatur.*

ANNOTATIO.

CAuendus est error Thoma Fazelli, qui lib. 6. pri. dec. c. 3. hunc à S. Petro Apost. in Siciliam ad expellendos damones directum fuisse affirmat, cum circa an. sal. 330. Iustiniano Imp. paulo ante S. Greg. Papam floruerit sanctitate.

DE S. SPECIOSA VIRGINE TICINENSI.

SPeciosa virgo S. Epiphanij Episcopi Ticinensis soror corporis quidem specie pulcherrima; at animi virtutibus clarior, ab infantia virginitatem suam Christo

Christo dedicauit. Sed cum parentes illam cuidam nobili adolescenti inuitam despondissent,& nuptiarumque tempus ad esset; Speciosa sponsum ad castitatem sæpius inuitauit, sed frustrà. Quapropter illa ad orationes, & ieiunia confugiens Deum precabatur, vt quoquomodo virginitati suæ consuleret. Non irritæ preces fuere. Nam sponsus paulò ante nuptias moritur, miranti autem Epiphanio, quòd de sponsi morte, vt fieri solet, non tristaretur, sed lætissima appareret, causam lætitiæ exposuit: vitamque asperam herbis, & leguminibus agens, in rerum diuinarum contemplatione iucundabatur: nec tamen ob ieiunia assidua, & alias carnis macerationes, species eius immutata est. Infirmis, quos frequens visebat, proprijs manibus ministrabat. Consilio omnes accedentes iuuabat. Illam sæpius S. Epiphanius consulebat: cuius etiam orationibus Constantinopolim profecturus seipsum, & Ecclesiam suam commendauit. Vitam hanc, cum ad annos 80. porogasset, decedens cum æterna commutauit 14. Kal. Iulij. Cuius corpus odorem suauissimum mittens in æde S. Vincentij martyris conditum, fuit, Nunc in ecclesia S. Epiphanij vnà cum corporibus SS. Luminosæ, & Liberatæ sororum asseruatur apud Canonicos Regulares. *Ex vita M. S. apud moniales S. Mariæ Capularum.*

S. Speciosam quanti fecerit S. Epiphanius vt illi ecclesiam suam cōmendarit.

ANNOTATIO.

NOnnulla correctione videntur indigere circa tempus. Nam cum fuit Speciosa, à parentibus desponsata, nondum fuerat ab Herulis ciuitas euersa, vt in vita illius legitur.

DE S. OSANNA VIRGINE MANTVANA ORD. PRÆD.

OSanna Mantuana virgo ex nobili Andreasiorum familia orta, ab infantia Christo virginitatem vouit; qui orantis crucem humeris imposuisse fertur: quod in causa fuit, vt illa postea in Dominica passionis meditatione assiduè versaretur, Annos 14. nata habitum Ord. Prædicatorum, vt vocant tertium, suscepit, cilicio, vilique veste induta. Orbata parentibus domus curam sustinuit, fratresque in Dei timore educauit. Dici non potest, quam tribulationes, quæ illi multæ acciderent, patienter tulerit: non minore humilitate, & charitate prædita fuit. Afflictos solabatur, & orationibus adiuuabat. Singulis Dominicis diebus sacra communione reficiebatur, frequentius confessa. Ieiunans se ipsam flagellabat, & sæpe in oratione pernoctans humi cubabat, vbi somnus eam occupasset. Christum, & Deiparam aliquando se alloquentes cernere meruit, ac litteras, cum nesciret legere, ab ea traditur didicisse. Illud etiam ferunt, ei ante crucifixum Bicarelli Vico vehementius oranti, stigmata, ex quibus dolorem non mediocrem Feria sexta perciperet, impressa fuisse. Mantuæ pestilentia laboranti subuenit, orationibusque liberationem impetrauit. Tanta erat apud omnes opinio sanctitatis illius, vt se Principes, & alij plurimi precibus eius commendarent. Multas habuit reuelationes; pluraque prophetico spiritu diuinauit. Denique assiduis vigilijs, & pijs laboribus confecta, morboque oppresso migrauit ad sponsum 14. Kal. Iulij, An. post Christum natum 1505. In æde Prædicatorum sepulta. sanctitate multis miraculis declarata. *Ex vita Mantuæ typis excusa, an. 1590.*

Christus, & Deipara Osannam alloquuntur.

Osanna stigmatum dolorem sensit.

Mantuæ pestilentia laboranti opitulatur.

Prophetico spiritu insignis multa præsagit.

ANNOTATIO.

MAgnam habet apud Mantuanos venerationem hac die qua ex Leonis X. Pont. Max. concessu ibidem diuinum off. recitatur.

Iunij die 19.

DE B. IVLIANA VIRGINE FLORENTINA ORD. SERV.

IVliana virgo ex nobili Falconeria familia Florentiæ nata iam ab incunabilis sanctissimæ Dei genitricis cultui addicta, B. Alexium patruum vnum ex primis ordinis huius fundatoribus imitata in eo adscribi voluit, sicque vitam instituit, vt tribus cuiusque hebdomadæ diebus perpetuò ieiunans, sacram sumeret non sine lacrymis Eucharistiam. Feria enim 4. & 6. in passionis Dominicæ memoriam nil prorsus cibi capiebat. Sabbato verò solum pane, & aqua contenta in B. M.V. honorem ieiunabat. Sic autem in Dominicæ passionis meditatione exardebat, vt crucifixi imaginem carni illius iuxta cor impressam ab ijs, qui corpus defunctæ curauerunt repertam, scriptis prisci patres prodiderint. Cum autem ex assidua ieiunandi consuetudine assiduisque vigilijs difficillimum stomachi morbum contraxisset, vt iam acceptum cibum retinere non posset, læta tamen erga omnes, & ad Paradisi gaudia aspirans querula nulla promebat verba; Illud tantùm maximopere dolens, quod alijs sacrosanctis misterijs munitæ cælesti refici viatico non daretur, cumque moritura sibi Sanctissimam Eucharistiam, vt illam veneraretur, offerri postulasset, eaque pectori suo, vt ipsa petierat, post humillimam, & non absque singultibus adorationem à Sacerdoti fuisset admota (miranda res) & ipsa mox ridens expirauit, & simul Eucharistia Sanctissima disparuit. Migrauit ex hac vita 13 Kal. Iulij An. virginei partus 1341. Cuius corpus in æde D. Annunciatæ honorificè conditum fuit, multis subsecutis miraculis. Caput in vase ex auro in eius sacello asseruatur, magnamque habet apud Florentinos cum in die eius festo exponitur, venerationem. *Ex monum. cænobij D. Annunciatæ, Ex Cron. Ord. Seru. ac ex peruetusto illius epitaphio.*

Iulianæ V. vita admirabilis.

Imago crucifixi cordi illius imprimitur.

Eucharistia disparuit.

Multa miracula mortem subsequútur.

ANNOTATIO.

PLura de Iuliana in origine sodalitij B. M.V. apud F. Archangelum Fanium Florent. Sac. Theol. Doct. Nam ea prima soror tertij, vt vocant Ord. Seruorū extitit.

DE SS. GERVASIO, ET PROTASIO MARTYRIBVS Mediolani.

GEruasius, & Protasius fratres SS. Vitalis, & Valeriæ filij, quorum pater Rauennæ, mater Mediolani pro Christo martyrium subijt, cum Rauennam Mediolanum profecti fuissent, post matris necem distributo pauperibus matrimonio (patrimonium enim Rauennæ illis fuerat) domesticos seruos libertate donarunt. Cum verò orationi, & rerum diuinarum lectioni ieiunantes vacarent, immane in se odium Sacerdotum Idolorum concitarunt; Qui Astasio Comiti in bellum aduersus Barbaros proficiscenti persuadent, se à Dijs admonitos nullo modo eum victorem in bello futurum, nisi Geruasio, & Protasio Christum negare, & sacra Dijs facere coactis. Itaque Astasius SS. fratres comprehensos Dijs immolare iubet, illis verò rem maximè hanc detestantibus Geruasium tandiu cædi imperat, donec inter verbera expiraret: Protasium verò fustibus contusum securi percuti mandat. Quorum corpora Philippus Dei seruus clam sublata in suis ædibus sepeliuit; quæ postea S. Ambrosius inuenta Dei admonitu, in loco sacro, & insigni collocauit. Passi sunt Mediolani 13. Kal. Iulij, sub Nerone, circa an. sal. 70. *Ex Breu. Rom. & pass. S. Vitalis mart. à Sur. rel. tom. 2.*

Philippus Dei seruus.

ANNOTATIO.

Græci in Menol. et Anthol. Symeonem Metaphr. de his pridie Id. Oct. simul cum SS. Celso, & Nazario agunt. Metaphr enim illos simul Mediolani passos fuisse scribit. Sed licet eodem anno, quo Celsus, & Nazarius, ac sub eod. Imp. coronati fuerint; non tamen eodem die.

Baron. in Annal. Eccl. ad an. 172. Hos sub M. Aur. & L. vero Impp. passos opinatur, quod minus verisimile est, cum Vitalis horum pater à S. Apollinare conuersus sit, hi verò in iuuentute coronatos ex actis appareat.

DE S. VRSICINO MARTYRE RAVENNATE.

VRsicinus Medicus genere Ligur, Rauennæ à S. Apollinare, cum alijsque Christi Domini fidem perductus, Nerone Imp. apud Paulinum consularem, quòd Christianus esset, accusatur: à quo post multa tormenta fortiter superata, damnatus ad mortem, cum ad supplicium duceretur, nonnihil mortem reformidans titubare videbatur; Sed Vitalis militis prætoriani, qui clam Christũ colebat, cohortatione roboratus, intrepidè capitalem pœnam excepit 13. Kal. Quinctilis capite truncatus. Cuius cadauer erectum caput manibus sublatum, ad locum vsque sepulturæ gestasse ferunt. Illud etiam memoriæ proditum est ab aliquibus, tres palmæ ramos ex eius collo exortos, sicque à S. Vrsicino Episcopo cum capite in manibus, ac tribus ramis ex collo orientibus, prout viderat, depictum fuisse. *Ex Hieron. Rub. lib. 1. Histor. Rauenn. qui ex eiusd. Eccl. monum. accepit. Petr. in Cat. lib. 5. c. 127.*

Vrsicinus mortem reformidabat. Cadauer Vrsicini caput gestasse fertur. Tres palmæ ramos ex eius collo exortos memoriæ proditum est.

ANNOTATIO.

SVnt, qui Vrsicinum scribunt 5 Kal. Maij decollatum à S. Vitali tumulatum fuisse. Postea verò An. Domini 900. Othone Imp. ab Honesto Episcopo in ædem Vrsinã translatum; huncque diem esse non natalis, sed translationis.

DE SS. GAVDENTIO EPISCOPO, ET COLVMATO diacono martyribus Aretij.

GAudentius Episcopus Aretinus, cum Decentio Presbytero, & Columato Diacono ob Marcellini Præsidis in Christianos persecutionem sub Iuliano Apostata latitabat. Cum autem ex Paganis plurimi ob miracula à Gaudentio facta ad Christum in dies conuerterentur, S. Episcopus inter sacra mysteria cum Columato Diacono iussu Marcellini comprehenditur, grauiterque obiurgatus, ac monitus, vt ab incœpto desisteret; dimittitur. Veniens autem ad villam, quæ Zuta dicebatur, vbi à Sauino viro religioso exceptus est, populum ad veri Dei cultum perducere, lymphisque sacris tingere non cessabat. Quod vbi Marcellinus resciuisset, rursus Gaudentium, & Columatũ ad se perduci iubet; & quare homines à Deorum cultu auerterent, eos interrogat: qui illũ quoque, si sanæ mentis esset, idem facturum esse, & Christum verum Deum adoraturum respondent. Iratus Præses illos plumbaris cædi, & in carcerem obscurum sine cibo, & potu, detrudi præcipit. Sed Angelus affuit, qui eos cœlesti luce, & cibo, percussis custodibus recreauit. Postera die educti, quo maleficio custodes interret fecissent, interrogantur: custodes, qui cœlesti lumine viso haud Deo, vt par erat, gloriam dedissent ab Angelo percussos respondit. Sed si vos quoque inquit,

SS Gaudentiũ, & Columatum luce, ac cibo recreat Angelus.

quit, in Christum credere volueritis, salui eritis, mortuique rediuiui resurgent. Conditio accipitur, ipsique ad carcerem, vbi iacebant custodes, reducũtur, qui facta oratione dum à Paganis deriderentur, mortuos ad vitam illicò reuocant. Eo miraculo multis præsentibus ad Christum conuersis, Gaudentius apud Andream, qui Quadratiani Vicarius fuerat, aliquot dies commoratus, alios Christo conciliare non cessabat. Quibus cognitis Marcellinus noctu milites, qui Andream cum suis interficerent, Gaudentium verò, & Columatum ad Theatrum ductos tandiu cæderent, donec animas exhalarent, misit. Denique capite truncati martyrium 13. Kal. Iulij Valentiniano Imp. consumarunt. Quorum corpora à Decentio Presbytero, qui S. Gaudentio mortuo Præside in Episcopatu successit, iuxta balnea apud Aretium sepulta sunt, ecclesia ibi in SS. martyrum memoriam extructa. *Ex antiquis lectionib. M.S. Eccles. Aretina.*

Mortuos custodes ad vitam reuocãt SS. martyres.

ANNOTATIO.

Rom. Martyrol. pro Columato, vt in Tab. Eccl. Aretina, Culmatium habet. Mirum cuipiam forte videri poterit, qui sub Imp. Christiano qualis erat Valentinianus, Præsides Gentiles, qui Christianos prosequerentur, permissi fuerint. Sed cum Marcellinus iam sub Iuliano Apost. Præses esset, mortuoque Iuliano modico tempore Iouinianus religiosissimus Imp. successerit; cui Valentinianus suffectus haud potuit Præsides, & Præfectos ipso Imperij initio alijs Christianis substitutis, reuocare. Credendum autem videtur cædem horum SS. martyrum principio Imperij Valentiniani accidisse.

Iouinianus religiosissim. Imperator.

DE S. NAZARIO EPISCOPO, ET PATRONO Iustinopolitano.

Nazarius Episcopus Iustinopolitanus (est autem Iustinopolis ciuitas Histriæ primaria) cum post Ecclesiam sanctè administratam diem obijsset, ac in æde S. Mariæ tumulatus diu ignotus fuisset, mirabiliter detectus est. Nam custodi illius ecclesiæ (Martinus ei nomen erat) noctu oranti vbi sacrum corpus iacebat sub scala lapidea, clarissima quædam lumina è cœlo demissa instar radiorum solarium, accensis lampadibus non semel visa sunt. Sed cum talia narranti ob viri simplicitatem haud fides haberetur, ciuis quidam Peregrinus nomine spectatæ probitatis ab Angelo vbi corpus prædictum requiesceret, in somnis admonetur. Qui cum multis ex clero ad locum sibi ab Angelo demostratum pergens, cum terra effossa haud sacrum corpus appareret, rursus post preces denuò porrecta effossa terra tumulum reperit cũ huiusce modi inscriptione, *Nazarius Præsul migrauit in Domino 13. Kal. Iuly.* Quo aperto corpus illius, tota ciuitate confluente, ingentique, lætitia perfusa visum est. Ad cuius contactum plurimi ex morbis insanabilibus conualuerunt; & à Dæmonibus obsessi liberari sunt, cumque in dies beneficia multis præstarentur, ab Ecclesia vrbeque Iustinopolitana in Tutelarem haberi & venerari cœpit. *Ex quodam vet. M.S. Eccles. prædicta in quo Inuentio hæc pluribus, pluraque miracula fusius narrantur.*

Ad corpus S. Nazarij nitidissima lumina conspiciuntur.

Ad sacri corporis Nazarij contactũ mira sanè patrantur.

ANNOTATIO.

Quo tempore hic S. Episcopus vixerit, quaque viuens gesserit, latent, temporum fortassis iniuria.

DE

DE S. ROMVALDO ABBATE CAMALDVLENSIVM

Autore. Vide die 7. Febr.

DE S. MICHELINA VIDVA, ET PATRONA PISAVRENSI.

Michelina Pisauri haud obscuro loco nata, cum mortuo viro, quodam die in ecclesia Franciscanorum cum Syriana muliere peregrina tertij ordinis S. Francisci (vt vocant) moniali, quam domi suæ hospitio exceperat, oraret, & quod ob curam filij, quem tamen vnice diligebat, se totam diuino seruitio mancipare non posset quereretur, vocem à crucifixo egressam hanc audiuit: *Te hac quoque cura, & amore leuabo*. Quæ domum reuersa filium mortuum inuenit. Eo sepulto, facultatibus, contra propinquorum voluntatem pauperibus distributis, vitam planè cœlestem aggreditur. Nam vilem tertij ordinis habitũ Minorum induta assiduè ieiunans corpus ferro, cilicioque internis præcincta catenis ferreis affligebat; humi cubabat, orationi verò sic vacabat, vt ex apertis, & vlceratis genibus vermes scaturirent. Ægrotos per xenodochia frequens visitans, quadam die cum leprosum osculata sanum tantum, ea in parte reddidisset, exosculari tandiu illum perseuerauit, donec totus mundaretur. Mulierē quoque leprosum oratione curauit. Tandem pijs laboribus confecta ad Christum migrauit 13. Kal. Iulij, An. à partu virginis 1356. in eadem ecclesia sepulta. *Ex vita illius impressa. Ex Cron. Minorum lib. 9.*

Crucifixus loquitur.

Leprosum osculo sanum Michelina addit.

ANNOTATIO.

Dies Festus huius S. viduæ Pisauri, vti Festa ex præcepto Ecclesiæ seruatur, officiumque Ecclesiast. de ea hac die sed Apost. permissu recitatur.

Iunij die 20.

DE S. SILVERIO PAPA, ET MARTYRE.

Siluerius Frusinone in Campania seu potius in Latio natus Hormisda Papæ filius (ante Pontificatum ex matrimonio genitus) Agapito Theodati Regis Gothorum opera successit, qui licet à clero reiectus fuisset, nitente tamē Rege in Sede collocatus optimus euasit Pontifex. Cuius doctrina, & sanctitas in insectandis Hæreticis illuxit; & animi magnitudo intuendo, Agapiti iudicio perspecta est. Nam Agapitus Anthimum Eurychianum hæresim defendentem ab Episcopatu Constantinopolitano deposuit. quem Siluerius sæpissimè a Theodora Augusta Iustiniani Imp. vxore rogatus numquam restituere voluit. Quamobrem irata mulier Bellisario mandat, vt Siluerium Vigilio substituto mittat in exilium. Qui in Pontiam insulam deportatus: his verbis ad Amatorē Episcopum scribit; *Sustentor pane tribulationis, & aqua angustiæ; nec tamen dimisi, aut dimitto officium meum*. Quod re ipsa præstitit: Nam coacto ibi multorum Episcoporum concilio, quædam constituit pro fidei Catholicæ integritate, & disciplina Ecclesiastica restituenda. Quin etiam Vigilium sedis vsurpatorem anathemate ferijt. Cum autem tres annos, & amplius præfuisset creatis mense Decembre Presbyteris 13. Diaconis V. Episcopis per diuersa loca XIX. incommodis ærumnisque confectus obdormiuit in Domino 12. Kalend. Iulij. An. à partu virginis 540. Vigilio denuò illi subrogato clero, & populo ad schismatis, & aliorum malorum deuitationem consen-

Siluerius Papa Hormisdę Papæ filius.

Theodora Augusta impia mulier.

Siluerius Vigilium anatemate dānat

Vigilius Siluerio subrogatur.

consentientibus (qui in alterum mutatus iudicium Agapiti, & Siluerij contra Anthimum secutus est) sepulchrum illius miraculis claruit, languentibus multis ad illud mirabiliter sanatis. *Ex Breu. Rom. Baron. in Annal. Eccles. qui ab Anastasio Biblioth. & alijs accepit.*

ANNOTATIO.

PLat. in vita Siluerij, illum menses quinque, & dies 12. supra annum Pontificatum tenuisse tradit. Quam inte tempus quo is fuit in exilio exclusisse videtur, cum tamen nunquam officium dimitteret, nec Vigilius legitimus Pont. haberetur, sed intrusus, ac simoniacus.

DE S. DARIA MARTYRE ATINÆ.

DAria S. Nicandri martyris coniunx, quæ simul cum viro comprehensa in carcere aliquandiu detenta fuit, à carcere dimissa illum ad supplicium deductum sequebatur, ad illudque fortiter subeundum hortabatur. Cum autem ad martyrij palmam vehementer aspiraret, seque martyris vxorem esse gloriaretur, quod ex animo optabat, assecuta est. Nam post triduum, & ipsa ab hostibus fidei capta capitis obtruncatione martyrij optati 12. Kal. Iulij consors effecta est. *Ex pass. SS. Nicandri, & Marciani.*

ANNOTATIO.

HVius natalis vnà cum SS. Nicandri, & Marciani natali celebratur, vti accepimus.

DE S. NOVATO PRESBYTERO ROM.

NOuatus S. Pudentis Senatoris filius S. Timothei Presbyteri, SS. Pudentianæ, & Praxedis virginum frater ab Apostolis Petro, & Paulo in fide erudi tus fuit. Is in pauperes præcipuè liberalis, eos suis facultatibus sustentabat, & Christianos ad se aduenientes, cum esset Presbyter, sacro Dominici corporis cibo reficiebat. Sub Nerone floruit, Senecæ, cuius tres libri de ira ad eum scripti extant, amicitia delectatus. Cum in morbum incidisset, ad eumque visendū Pius Papa Praxedes soror, & Timotheus frater venissent, die 13. migrauit ad Dominum 12. Kal. Iulij. in titulo Pastoris hoc est in paterna domo tumulatus. Cuius acta à Pastore Presbytero scripta feruntur. Extabant Thermæ Nouati apud portam Viminalem, in quibus olim Christiani sacras synaxes faciebant. *Ex Gestis SS. Pudentianæ, & Praxedis.*

Senecæ tres de ira libri ad Nouatū.

ANNOTATIO.

FVit & Nouatus Episcopus Afer, à quo Nouatiani Heretici dicti sunt: qui circa an. D. 254. aduersus S. Cyprianum Episcopum Carthaginen. schisma excitauit. De quo Baron. ad dictum an. in Annal.

Iunij die 21.

DE S. DEMETRIA VIRGINE ET MART. ROM.

DEmetria SS. Flauiani, & Dafrosæ filia, ac S. Bibianæ virginis soror sub Iuliano Apostata martyrio coronata est. Cum enim post S. Flauiani in exilio

decessum

decessum Apronianus Præfectus Dafrosam nolentem Deos venerari relegatam non multos post dies capite plecti iussisset, Demetriam, & Bibianam sorores ad se adduci imperat; quæ cum neque blanditijs, neque minis deterreri possent, sed in fidei confessione constantissimæ reperirentur, in ipsa fidei confessione Demetria responsura spiritum Deo reddidit 12. Kal. Iulij. Cuius corpus apud matrem à Io. Presbytero sepultum est. *Ex pass. S. Bibianæ, quæ post Demetrium passa est.*

ANNOTATIO.

V Suardus Demetriam ante Iulianum Apost. ductam in confessione fidei expirasse scribit; quod sub Aproniano Iuliani Præfecto factum est, ipsi Iuliano attribuit.

DE SS. RVFINO, ET MARTIA MARTYRIBVS Syracusanis.

RVfinus, & Martia Syracusæ in Sicilia 11. Kal. Iulij martyrio coronati sunt, vti Vsuard. Vuandelbertus, & alij testantur. Sic enim Vuandelbertus habent. *Martyr Rufinusque Vndeno, & Martia pollent.* Nullus tamen genus passionis, & tempus exprimit. *Ex Tab. Eccl. Syracus. post Martyrol. Rom. Mem. illorum, & Pet. in Cat. lib. 11. c. 177.*

ANNOTATIO.

HOrum SS. martyrum, & si Acta desiderantur, eorum tamen omnes Martyrologiorum scriptores meminere; in quibus etiam Vuandelb. Cuius extat versus.

„ *Martyr Rufinusque Vndeno, & Martia pollent.*

DE S. VRSICENO EPISCOPO PAPIENSI VI.

VRsicenus Ticini ortus, & educatus, Obediano in Episcopatu successit. Is natura mitissimus in omnes fuit, omni virtutum genere excultus, maximèque pietatis operibus addictus, ac erga pauperes, quibus benefaciebat, liberalis. Diuites pauperiores & Dominos magis subiectos appellare solitus erat; iisque, qui quietam vitam degere vellent, pro honoribus, humilitatem amplectendam suadebat. Cum Ecclesiam Ticinensem annos 33. in misera illa temporum conditione ob persecutionis acerbitatem sanctè administrasset, tandem ad præmium in cœlum euolauit 11. Kal. Iulij An. post Christum natum 214. Zepherino Pont. Max. non sine populi Ticinensis mœrore sepultus. Cuius corpus postea in æde S. Ioannis in Burgo reconditum fuit. *Ex Gualla in Sanct. Breuent. in Hist. & Ant. M. Spelta in vit. Epp. Papiens.*

Diuites pauperiores Vrsicenus appellabat.

ANNOTATIO.

HAud circa tempus huius S. Episcopi scriptores consentiunt. Steph. enim Breuent. lib. 2. c. 5. Vrsicenum S. Inuentij successorem facit, illumque an. D. 175. Aniceto Pont. Max. obijsse asserit, quod & Gualla affirmat, licet circa annos quib. vixit in Episcopatu discrepet. Spelta verò quod probabilius est. an. 214. sub Zepher. Papa, & Septimio Seuero Imp. qui tamen multò ante obierat ex Panu. Cronol. Ecclesiast. & Baron. in Annal. Eccles. Anno enim D. 214. Antonin. Caracalla clauum regebat Imp. secundum eosd. autores, non Seuerus.

De

De S. Vrciſceno extat Ode hæc Gulielmi Epiſcopi Papien.

, *Vreiſcenus aſſumitur*
, *Ad veritatis ſemitam*,
, *Quam etiam exequitur*
, *Per præceſſores proditam*.

DE S. HATTONE EPISCOPO PISTORIENSI.

Ord. Vall. Vmbr. *Vide die 22. Maij*.

DE S. SIMPLICIO SVBDIACONO BRONIS.

SAnctus Simplicius Subdiaconus in æde ſacra parochiali Bronis (quod oppidulum agri Ticinenſis eſt, apud Padum à Ticinenſi vrbe ad 8. M. P. diſtans diœceſis tamen Placentinæ) conditus eſt, vt antiqua inſcriptio marmorea indicat; quæ ſic habet; HIC REQVIESCIT S. SIMPLICIVS SVBDIACONVS: QVI VIXIT ANNOS XXV. MENSES X. DIES XI. DISCESSIT SVB DIE XI. KAL. IVLIAS. INDICT. I. Ex præd. Epitaphio.

ANNOTATIO.

DE hoc S. Confeſſ. nihil aliud præterea potui intelligere; licet perquiſiuerim: Sed neque quo tempore vixerit, & vbi, ſciri potuit.

Iunij die 22.

DE S. PAVLINO EPISCOPO NOLANO.

Paulinus doctiſſimus, præclariſq; moribus excultus, Auſonijque amiciſſimus.

Paulinus ex opulantiſſimo diuite, voluntate pauperimus extitit.

Paulini mira charitas, vt pro alio captiuus eſſe velit.

Paulinus prophetiæ dono excultus Regis mortem vaticinatur.

PAulinus ciuis Burdegalenſis Theraſiam coniugem pari nobilitate in matrimonium duxit, cum quadam die ea verba ex Euangelio audita perpenderet. *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus*, ſtatim Chriſto Domino obtemperandum duxit. Quare omnibus venditis pecunijsq; in pauperes erogatis, cum coniuge peregrinatus eſt. Verum à ciuibus, quibus ob eius eximias virtutes (erat enim doctiſſimus, probatiſſimisque moribus excultus, ac Auſonij Galli viri clariſſimi amiciſſimus) requiſitus, in patriam regredi coactus eſt. Interea Nolanæ vrbis Epiſcopo defuncto, in illius locum ſufficitur, quod diuinarum, & humanarum rerum cognitione egregiè inſtructus, et dicendi facultate præpolleret. Eius charitas præcipue celebratur, quod Campania à Gothis vaſtata, omnem facultatem ne relictis quidem ad vitam neceſſarijs in alendos pauperes, & redimendos captiuos contulerit. Quo tempore ex opulentiſſimo diuite, vt ſcribit S. Auguſtinus voluntate pauperrimus, & copioſiſſimè ſanctus, à Barbaris captus ſic Deum precabatur; *Domine ne excrucier propter aurum, & argentum; vbi enim ſint omnia mea tu ſcis*. Vuandalis eaſdem regiones infeſtantibus, à vidua rogatus, vt filium ſibi redimeret, ſeipſum pro illo in ſeruitutem tradidit. In Africam ductus Domini ſui, qui Regis gener erat, hortum colendum ſuſcepit. Cum autem prophetiæ dono Regis mortem ipſi Domino prædixiſſet, Rexque in ſomnis Paulinum inter duos iudices medium ſedentem, ſibique de manibus eripientem flagellum vidiſſet, tantus vir cognitus honorificentiſſime dimiſſus Nolam ad officium Epiſcopale reuerſus eſt.

Cumque

Cumque omnes verbo,& exemplo ad pietatem Christianam inflammaret, laterum dolore correptus, cùm cubiculum terræmotu contremuisset, paulo post animam Deo reddidit 10.Kal.Iulij. An. à partu virg. 431. ætatis verò duo de octogesimo. Theodosio,& Valentiniano Impp. *Ex Breu. Rom. & vita ab Vranio Presbytero scripta, ac à Sur. tom. 3.rel. Nec non ex Baron.in Annalib. ad ann. prad.*

ANNOTATIO.

Hinc error manifestatur eorum, qui Paulinum vita S. Ambrosij scriptorem, Paulinum Episcopum Nolanum fuisse credunt. Cum Nolanus ante S. Ambrosium adhuc viuente Theodosio decesserit.

Corpus S. Paulini Romam delatum in Ins. Lycaonia apud corpus S. Bartholomai Apostoli conditum est ex Martyrol. Rom.

Elogium S.Paulini apud Venant. Fortun. in Vita S. Martini.

„ *Qui pater illustris Paulini gesta beabat:*
„ *Floruit Italiæ quo post Antistite Nola.*
„ *Qua regio Campana sedet rectore supremo*
„ *Diues agris opulans famulis, locuples & aceruis*
„ *Vir censu vastus, lare celsus, & ore rotundus,*
„ *Ditior ipse fide pro Christo fit sibi pauper*
„ *Et dedit innumeros redimentes crimina nummos*
„ *Cuius sparsa solo migrauit ad astra facultas.*
„ *Fecit, & in calum pigras ascendere Terras.*
„ *Ergo Euangelicum Paulino implente relatum,*
„ *Martinus monitat cunctis talem esse sequendum*
„ *Tramite difficili, potuit qui pergere diues.*

DE S. IVLIANO MARTYRE, ET PATRONO Ariminensi.

IVlianus In Histria natus, adolescens annum 18. agens apud Marcianum consularem Christianæ religionis delatus Flauiade in Cilicia cæditur, & in vincula conijcitur, ab Asclepiodota matre, quæ ad illum à fidei proposito remouendum missa fuerat, ad cruciatus pro Christo perferendos magis inflammatus: cum qua à Iudice in obscurissimum carcerem truditur. Post triduum ad Marcianum adductus cum constantior in Christi confessione videretur post diros cruciatus sacco inclusus cum serpentibus,& saxo in mare apud Anazarbũ demergitur 17. Kal. Aprilis Sixto Pont.Max. Valeriano, & Galieno Imperatoribus. Cuius corpus ab vndis Proconnessum Insulam Propentidis delatum ibi in arca marmorea à Christianis conditum, postea Orhone I. Imp. in eadem arca super vndas Ariminum mirabiliter appulit, ibiq; honorificè collocatum est. Cumque miraculis præfulgeret, Ariminenses Iulianum sibi in præcipuum vrbis suæ patronum deligunt. *Ex monum. Eccles. Ariminen. &*

A N-

ANNOTATIO.

De Iuliano Anazarbi passo sub Marciano Praside agit Martyrol. Rom. ad diem 16. Martij. qua die etiam a Græcis in Menologio recolitur. Quare hac die forte transl. eiusdem, siue aduentus Ariminum celebratur.

DE S. IOANNE EPISCOPO NEAPOLITANO.

IOannes Episcopus Neapolitanus 44. licet humili natus loco, sic tamen doctrina, & moribus excelluit, vt Tiberio Episcopo Gregorio Pont. Max. & Michaele Imp. inuitus successerit. Is multa Ecclesiæ Neapolitanæ beneficia præstitit, eamque rebus pluribus exornauit. Illi triduo ante obitum Sanctus Paulinus Episcopus Nolanus, qui paulo ante obierat per visum apparuit, & ad cœlestem patriam inuitauit. Quare S. Episcopus cum suis visionem narrasset, missamque licet ægrotus in die Iouis *in Cœna Domini* sancto celebrasset, sequenti die Parasceues largas pauperibus eleemosynas distribuit; Sabbato verò sancto peracta missa, in Episcopali Sede locatus, cum populo, quem astantibus clericis ad diuinum timorem, & præceptorum obseruantiam hortatus est, benedixisset, 10. Kal. Iulij, anno Episcopatus 8. animam Deo reddidit. Cuius corpus in ecclesia Cathedrali sub ara S. Restitutæ asseruari fertur. *Ex vita S. Paulini Episcopi Nol. per Vranium Presbyterum scripta à Sur. tom. 3. rel.*

Ioannes in Sede Episcopali post benedictionem animam Deo reddit.

ANNOTATIO.

Non potuimus non mirari, quod cùm hic S. Episcopus in Martyrol. Rom. descriptus sit, nulla tamen in Tab. Eccl. Neapolitanæ eius mentio fuit, neque natalis illius celebretur, vti cum essemus Neapoli, vidimus, & intelleximus.

DE S. BLASIO EPISCOPO VERONENSI.

BLasius Veronæ Episcopus post S. Alexandrum, vt videtur, eam Ecclesiam administrauit. Is omnibus virtutibus Episcopalibus excultus in egenorũ inopia subleuanda præcipuè studuit, ac elaborauit, vt nemini opem à se imploranti, quantum in ipso erat, deesset. Erant in eo eximia doctrina, vitæ singularis integritas, & summa erga omnes lenitas. Cum denique diem suum obijsset 10. Kal. Iulij, in æde S. Stephani apud S. Alexandrum conditus est. *Ex lib. toties memorato de SS. Epp. Veronens.*

ANNOTATIO.

Quotus fuerit Episcopus, quo tempore, quotque annis Eccles. Veronens. præfuerit, haud ex monum. illius Eccles. haberi potuit.

DE S. EXVPERANTIO EPISCOPO VI. COMENSI.

EXuperantius VI. in ordine Comensis Episcopus, natione Græcus, S. Consulem, qui S. Abundio successerat, in Episcopatu secutus est. Cùm enim ex Græcia in Italiam ac Comum venisset, Romæque ob doctrinæ præstantiam, vitæque probitatem agnitus fuisset, S. Consuli vita functo successor datus est. Cũ verò aliquot annos eam Ecclesiam piè, prudenterq; rexisset, in cœlum 10. Kal. Iulij

Iulij ad præmium euolauit. *Ex Tab. & monum. Eccl. Comen. De eo Benedictus Iou. in lib. de Epp. Comens.*

ANNOTATIO.

Circa annum sal. 490. floruisse putatur. Nam II. Episcopus fuit à S. Abundio, qui circa an. D. 440. vixit.

Iunij die 23.

DE S. IOANNE PRESBYTERO, ET MARTYRE ROM.

IOannes Presbyter Romæ Iuliano Imp. passus est. Is cum corpora SS. Fausti (quem baptizauerat) Dafrosæ, Demetriæ, & Bibianæ, sepelisset, atque in huiuscemodi pijs operibus versaretur, Aproniano Præfecto delatus, Dijs sacrificare iubetur, quod cum facere negligeret, extra vrbem ad solis simulachrum ductus via Salaria veteri, ibi pro fidei Christianæ confessione decollatus est. Cuius corpus à Concordio Presbytero iuxta martyrum Concilia (quo in loco multorum martyrum corpora quiescebant) sepultum est 9. Kal. Iulij. *Ex Adone, & alijs.*

ANNOTATIO.

QVod Vsuard & Ado iussu Iuliani Apostat. S. Ioannem inauditum ante solis statuam decollatum fuisse scribunt, id iussu Aproniani eius Præfecti factum accipiendum est, non Iuliani, qui Romæ numquam factus Imp. fuit.

DE S. FELICE PRESBYTERO, ET MART. SVTRII.

FElix Presbyter Rom. cum Mustiolam virginem in Christiana religione instructam sacro lauacro expiasset, & ad castitatem seruandam induxisset, cũ illa, & Irenæo Diacono Faleriam Faliscorum vrbẽ venit, ibique prædicans multos ad Christum perduxit, quos etiam ad perferenda pro Christo supplicia suadebat. Quibus cognitis Turgius Aureliani Imp. Vicarius, Felicem comprehensum, & ad se perductum multis conatur blanditijs, & minis à Christiana fide abducere: sed frustrà. Quem ad Sutrinam ciuitatem pertrahi, & tandiu os illi saxis contundi iussit, donec efflaret animam 19. Kal. Iulij. Cuius corpus ab Irenæo Diac. ad eius vrbis muros conditum est. *Ex pass. S. Mustiolæ V.*

ANNOTATIO.

PEtrus in Cat. lib. 5. c. vlt. pro Faleria c. Vernia scribit, & pro Aureliano Imp. Valeriano habet.

DE S. AGRIPPINA VIRGINE, ET MARTYRE ROM.

AGrippina virgo in vrbe Roma orta & in fide Christi educata virginitatem Deo vouit. Accusata autem, & tenta in persecutione sub Valeriano excitata, multos pro Christo cruciatus passa superauit, ad martyrij palmam ardenter anhelans. Nam, & virgis cæsa est, vinculisque constricta in carceribus diu macerata, cumque rursus torqueretur, in ipsis supplicijs animam Deo reddidit 9. Kal. Iulij. Anno sal 262. Dionysio Sum. Pont. Valeriano, & Galieno Imperatoribus. Cuius corpus à Bassa, Paula, & Agathonica pijs fœminis in Siciliam delatum in Menina ciuitate conditum est. Quæ vrbs ab Agarenis, qui in Siciliam irruperant, virginis huius intercessione repentino interitu pereuntibus liberata

Menina vrbs Siciliæ S. Agrippinæ intercessione liberatur.

berata est. Indeque leprosi, & alijs morbis laborantes ad eius tumulum accedentes sanitatem referre solent. *Ex Græcis in Menol.*

ANNOTATIO.

I*Idem Græci in Antholog. hac eadem die de Agrippina V. quam cum 9. millibus Christianorum à sapore Rege Persarum ex Bezala castro abductam, & martyrio affectam referunt, agunt, Quam ab hac de qua agimus, diuersam esse non dubium est.*

DE S. LANFRANCHO EPISCOPO PAPIENSI.

LAnfranchus ex Beccariorum familia Gropelli pago agri Papiensis ortus à prima ætate litteris, & moribus apprimè eruditus, factus grandior, & magister discipulos artibus, & moribus instruebat. Sic autem omnibus erat acceptus, vt Petro Episcopo Papiensi defuncto, a clero successor electus, à populo Episcopus deposceretur. Quare Romam profectus ab Alexandro III. Pont. Max. ordinatur. Papiam reuersus, ingentique ciuitatis lætitia exceptus pietatis opera inter alia colere cœpit. Nam duodecim quotidie egenos ad mensam adhibebat. Sed cum vrbis primoribus, illam prouentibus Ecclesiæ munire volentibus fortiter resisteret, aqua, & igne sibi interdictis, in proximas vrbes clero comitante discedit. Contumelijs verò affectus, clero Papiam reuerso, Romam ad eundem Pontificem contendit. A quo in patriam datis ad vrbis gubernatores obiurgatorijs litteris restituitur. Verùm ab eisdem sacrilegis rursus petitus, se in cœnobium S. Sepulchri Ord. Vallis Vmbrosæ extra vrbem, quod postea de nomine suo Lanfranchi dictum est, recepit, eoque clero conuocato, se Episcopali dignitate abdicat, &, vt alium loco sui pastorem elegant, vehementer rogat (licet id absque Rom. Pontificis autoritate fieri haud posse responsum esset) Nec multo post obitus sui die prædicto, Abbatem orat, vt sibi tumulum parari iubeat, quo facto eo deduci voluit, & tumulo benedicto, cum in cellam relatus ex infirmitate deficeret, sacris mysterijs munitus, migrauit è vita 9. Kal. Iulij. An. hum. sal. 1594. *Ex vita à S. Bernardo eius succ. scripta, & ex eius Epitaphio marmoreo Petrus errat in propria ecclesia existente.*

Lanfranchus XII. egenos quotidie cōmensales excipit.

Lanfranchus Episcopali dignitate se se abdicat.

ANNOTATIO.

Q*Vot annis in Episcopatu vixerit, non apparet, nisi quòd an. D. 1189. iam Episcopus erat. Petrus in Cat. lib. 6 c. 47. Lanfranchum Episcopum Papien. Cum Lanfranco Ab. Cantuarien. seu Cudomen. S. Anselmi Episcopi Cantuarien. magistro, qui aduersus Beregarium Hæreticum disputauit, quisque obijt an. D. 1090. confundit. Quem errorem alij quoque amplexati sunt.*

Iunij die 24.

DE S. IOANNE BAPTISTA PRÆCVRSORE.

IOannes Baptista Zacharia, & Elisabeth parentibus senibus, & sterilibus natus (cuius conceptus ab Archangelo Gabriele patri ante prænunciatus fuerat quando ait ei in templo apparens *Elisabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem; erit tibi gaudium, & exultatio, et multi in natiuitate eius gaudebunt: Erit enim magnus coram Domino: vinum & siceram non bibet; & Spiritu Sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ: multos filiorum Israel conuertet ad Dominum Deum, & præcedet ante illum in spiritu, & virtute Eliæ.* Quod cum Zacharias ob senectam

Luc. 1.

senectam non crederet, mutus effectus est vsque ad vxoris partū (vti idē Ange-
lus illi prædixit) à puero in desertis vitā duxit, & factus 30. annorū an. 15. Imp.
Tyberij Cæsaris cœpit baptismū pœnitentię prædicare in regione Iordanis ve-
stitus pilis cameli, & zona pellicea circa lumbos eius, locustas, & mel syluestre
ed ens, venientibus aūt ad eum ex omni Iudæa, & Hierusalem, & ex omni gene-
re ēt Pharisæis, Sadducæis, Scribis, & militibus, vt baptizarentur, dicebat, *Geni-
mina viperarum, quis ostendit vobis fugere à ventura ira? facite fructus dignos pœni-
tentiæ; iam enim securis ad radicem arboris posita est: omnis enim arbor non faciens
fructum bonū exciditur, et in ignem mittitur.* Sicq; omnibus dicebat, quid facerēt,
vt venturā irā euaderent. Tantæ aūt erat apud oēs existimationis, vt Christus
crederetur. Sed Ioānes apertè negauit se esse Christū, dicens *ego vox clamantis
in deserto; parate viā Domino, rectas facites semitas eius: ego quidē aqua baptizo vos;
veniet aūt fortior post me, cuius non sum dignus corrigiā calciamentorum soluere: ipse
vos baptizabit in spiritu sancto, et igne.* Cū aūt Christū accedentem, vt baptizaret,
vidisset, cœpit de eo dicere *Ecce Agnus Dei; ecce qui tollit peccata mundi.* & cū illū
baptizasset, testimoniū perhibuit, dicēs: *vidi spiritum sanctum descendentē quasi
columbā super eū.* Cū itaq; Ioānes tantus, & talis apud populū Iudæorū haberet,
præclarū Saluator de eo testimoniū dixit, qn̄ turbas alloquens ait. *Quid existis in
desertum videre arundinē vento agitatā? hominem mollibus vestitum? prophetam? et
dico vobis, et plusquam prophetā. Amen dico vobis nō surrexit maior inter natos mulie
ris Ioanne Baptista.* Ioannes aūt in deserto prædicans nō solùm priuatos corripie
bat, Sed & Regē Herodē liberè increpabat propter Herodiadē vxorē Philippi
fratris sui, dicēs; *Nō licet tibi habere vxorē fratris tui*, & de oībus malis, quæ fecit.
Propterea ab Herode missus est in carcerē, insidiante illi Herodiade, & eū occi-
dere quærente. Herodes aūt licet captiuum teneret, metuebat tn̄ sciēs eum virū
iustū, & sanctū, & audito eo multa faciebat, & libēter eū audiebat: sed cū dies
natalis Herodis aduenisset, & in cœna ab eo Principibus suis facta filia Herodia
dis saltasset. Rexq; se illi iureiurādo pollicitus fuisset, quicquid petijsset daturū,
illa matre consulta, petijt caput Ioannis. Quare Rex contristatus ꝓpter iusiuran
dū iussit amputari caput Ioannis, illudq; in disco dari puellæ: ꝙ illa dedit matri
suæ. Venientes aūt discipuli Ioannis tulerunt corpus Illius, & posuerūt in monu
mento. Cū aūt Saluator miracula edere cœpisset, Herodes illū Ioannem esse pu-
tauit dicēs: *Quem ego decollaui Ioannē, Ipse surrexit à mortuis & virtutes operantur
in eo.* Hactenus ex Euāgelio. Herodi, qui ab Angelo percussus tandē infeliciter
perijt, ex eo tēpore calamitates multas accidisse, filiāq; saltatricē miserè interijs
se tradunt. Nā cū amnē glacie constrictū trāsiret, glacie deficiente sub pedibus
decidit, & dū corpus ab vndis deorsum rapitur, caput à busto ab vrgēte glaciei
frusto sectū separatur. Corpus verò Ioānis aliqn̄ inuentum à Paganis sub Iulia-
no Apostata apud Sebastiā vrbē igne crematū est: cineresq; à pijs collecti. & ser
uati post multa tēpora inuenti Genuā translati sūt, vbi in arca argentea religio
sissimè asseruati, quoties mari intumescēte naues in portu periclitātur, eo delati
tēpestatē mirabiliter sedāt. Caput aūt, ꝙ Herodias tertę in palatio suo quā ꝓfun
dissimè defodi iusserat, aliqn̄ duobus à monachis Hierosolymā ꝓfectis ab ipso
Pręcursore reuelatū inuētū fertur: ꝙ in sacculo ex pilis cōfecto cōditū (Herodes
.n. illud in ꝓpria Ioānis veste inuolutū cōdi pceperat) & cuidā Figulo deferēdū
ad ꝓpria traditū ille ab ipso Pręcursore monachorū socordiā ęgre ferēte admo
nit⁹ in ꝓpriā domū arrepta fuga detulit: cœpitq; tāto thesauro aduecto ditesce
re, & ne tāto beneficio ingrat⁹ videret, capite in maiore sēp honore habito, gra
tū Deo noctu, diuq; famulatū exhibere cępit, illudq; arca affabrè facta inclusū so
rori pari pietate ꝓsequēdū è vita migraturus reliqt. Quę & ipsa morti ꝓpinqua

Luc. c. 3.
Marc. c. 1.
Matth. c. 3.
Io. c. 1.
Matth. c. 11.
Marc. c. 6.
Matth. c. 14.
Marc. c. 6.

sacrum pignus cuidam fide,& pietate conspicuo tradidit: is verò cuidam monacho sacerdoti;quo exilio mulctato;quòd hæreticus esset,nec sacras reliquias tractaret, vt par erat, in cœnobio apud Chalcedonem ignotum vsque ad Valentis Imp.tempora delituit. Quo Theodosius pijssimus Imp. Constantinopolim deferendum, & in basilica à se magnificentissimè extructa septimo ab ea vrbe lapide recondendum curauit: quo ad Romam translatum in æde S. Syluestri ad Campum Martium locatum est, ibique summa totius populi deuotione colitur, & asseruatur. *Ax Baron. in Annot. & Annal. ac ex Niceph. Call. lib. 1. Hist. c. 20. & alijs.*

ANNOTATIO.

SAnctus Ioannis Baptistæ mors circa paschalem sollemnitatem accidit: quæ tamen die 29. Augusti recolitur, quando eius sacratissimum caput primum repertũ est. De qua inuentione plura apud Sozom. lib. 9. Hist. Tripart. qui etiam lib. 6. de illius sepulchro ab Idolatris temerato, corporeque combusto verba facit.

Ex Hist. autem Inuentionis capitis S. Præcursoris quàm vera sint, quæ de eadem in vita S. Grati Episcopi Augustensis dicuntur, apparet. Baron. in Annot. ad diem 3. Aug. sanguinem S. Io. Bapt. in ampulla adhuc ebullire refert.

DE S. FAVSTO MARTYRE, ET ALIIS VIGINTI tribus Romæ.

FAustus martyr cum alijs viginti tribus Romæ passus ab Adone, & alijs refertur. Quo tempore, & quo Imp. ignoratur.

Hac die in Martyrol. Rom. plurimi martyrium passi sub Nerone ex falsa calumnia; quòd vrbem incendissent, diuerso mortis genere coronati sunt, qui cum essent Apostolorum discipuli, paulo ante ipsos Apostolos Petrum, & Paulum passi, meritò primitiæ martyrum appellantur.

ANNOTATIO.

BAron. recentiores de S. Fausto, & socijs mart. agentes citat. Quorum tamen neque Molanus, neque Gales. neque Maurolyc. meminere, Cum Soli Beda, & Ado. illorum mentionem fecisse videantur.

DE S. IOANNE THERESTO CONFESSORE APVD Stylum in Calabria. *Vide die 2. Martij.*

DE S. ROMVLA VIRGINE, ET MONIALI ROMANA.

ROmula virgo, & monialis vt, S. Gregorius scribit, S. Herundinis discipula, & postea S. Redemptæ, vnà cum illa, & alia condiscipula commanens, morum diuitijs quidem plenam, at rebus huius mundi pauperem vitam degebat, suamque sodalem magnis vitæ meritis anteibat. Erat enim mira patientia, summa obedientia prædita, silentij custos, & orationi intenta. Sed molestia corporis percussa, multisque annis omni membrorum officio destituta, assiduè decumbebat. Nec tamen illius mentem hæc ad impatientiam flagella aliquando pertraxerunt, at membrorum detrimenta ei virtutum incrementa fuere, & ad alia inutilis effecta tantò in oratione feruentior, & sollicitior fuit. Cum verò Redemptam magistram suam quadam nocte vocans, *Mater* veni, *mater* veni clamaret, illaque cum alia discipula adfuisset, ecce subitò lux cœlitus emissa, quæ splen-

Lux cœlestis cum mira odoris fragrantia.

ſplendore cellam, & pauore inæſtimabili corda illarum cõpleuit, Etenim quaſi magnæ multitudinis ingredientis, oſtiumque cellæ concutientis ſonitus exaudiri cœpit. Quem ſplendorem mira odoris fragrantia ſubſecuta eſt, ita, vt quas vis lucis terruerat, odoris ſuauitas recrearet. Ipſa autem Romula magiſtram perterritam ſolans, aiebat, ***noli timere mater, non moriar modò***, ſicque paulatim lux illa defecit, odore remanente ad tertium vſque diem. Quarta verò nocte, cum Romula rurſus Redemptam vocaſſet, illaque cum diſcipula accurriſſet, in platea ante oſtium cellæ canentium, & pſallentium chori, quaſi cœleſtes illi exequias facientes audiuntur, ac res mira contigit: Nam cum Rumulæ anima carne ſoluta fuiſſet, cœpit paulatim pſalmodia illa in altum cum odore, quaſi animam illam in cœlum deducens recedere, minusq; exaudiri. ***Ex S. Greg. Papa lib. 4. Dialog. c. 15.***

ANNOTATIO.

HAc die Martyrol. Monaſt. at Rom. ſimul de Herundine Redempta, & Romula die 23. Iulij agit.

Iunij die 25.

DE S. LVCIA VIRGINE, ET MARTYRE CVM ALIIS viginti duobus Romæ.

LVcia, quæ alijs Luceia dicitur, natione Romana ab Anceia Rege Barbaro capta, & in Regnum ſuum abducta, cum illi eam violare volenti dixiſſet, quod Deo cœli deſponſata eſſet, tantum Barbaro timoris incuſſit, vt non modò ab iniuria immunis ſeruata virginitate fuerit, ſed etiam illum, poſtquam ſæpius orationibus virginis de hoſtibus triumphaſſet, ad Chriſtum conuerterit. Qui virginem cum aliquot alijs Romam comitatus, vnà cum illa in Diocletiani, & Maximiani perſecutione comprehenſus, vterque cum ſocijs pro fidei confeſſione gladio martyrium conſumauit. 7. Kal. Iulij. ***Ex Pet. in Cat. lib. 6. c. 4. Licet Acta parum probabilia videantur.***

Lucia Barbarum Regem conuertit.

ANNOTATIO.

HAec virgo Vrbini, vbi corpus aſſeruari creditur, Sed nulla ipſius in Tab. Eccleſ. Vrbinatis mentio apparet.

DE S. MEDICO MARTYRE VTRICVLI.

MEdicus Antonino Imp. ad Sebaſtianum Præfectum, quòd Chriſtum coleſ, Deos dæmones appellans deteſtaretur, accuſatus, captus in carcerem mittitur: in quo 12. dies ſine cibo, & potu fuit. Eductus, cum ſe Dijs nunquam ſacra facturum, ſe mori pro Chriſto paratum eſſe diceret, Terentiano Conſiliario torquendus traditur; qui maxima illi, ſi Deos coleret, propoſuit præmia. At Medicus in ſententia perſiſtens, ad ſtipitem alligatis, manibus, pedibus clauis configitur, cumque ſæpius interpellaretur, vt Deos veneraretur, reſpondebat, ***Ego Deos ſurdos, mutos, & cæcos, ac manufactos non adoro.*** Inde depoſitus, & in equuleo extenſus lampadibus aduritur, vngulisque dilaniatur. In ignẽ poſthac iniectus, inuiolatus exiuit. Cum illum ſuperare non poſſent, in carcerem reducitur, poſtera luce extractus, Præfecto ſibi dicenti, ***vnde magiam didiciſſet***, reſpondit. ***Ego verò Magiam neſcio, ſed habeo D. I. C. in quem credens haud tua tormenta reformido.*** Denique Præfectus excandens, Medicum fuſtibus cæſum extra portam capite truncari iubet 7. Kal. Iulij. Cuius corpus noctu ſublatum à Chriſtianis in crypta ſepelitur. ***Ex vet. M.S. Eccl. Vtriculana.***

ANNOTATIO.

Corpus Vtriculi in Sabinis asseruatur, vbi passus creditur. Cum in Asia Sebastianus hic Christianos aliquot ob fidem morte affecerit.

DE S. PROSPERO EPISCOPO, ET PATRONO REGIENSI.

PRosper natione Aquitanus diuinis, & humanis litteris doctus, suis facultatibus in pauperes erogatis, Romam profectus Leoni I. Pont. Max. Notarius adhæsit, cuius nomine plures ad diuersas ecclesias epistolas scripsit: quibus Hæresis Eutychis, & Nestorij confutatur. Reuersurus in patriam à Leone diuinitus admonito, quòd Episcopus Regiensis breui decessurus esset, Episcopus licet inuitus ordinatur: cui in itinere Regienses, qui mortuo Episcopo, à quodã S. Presbytero de noui Episcopi aduentu, facti certiores fuerant, occurrunt, & in suam ciuitatem cum ingenti lætitia deducunt. Is verò cum multos annos gregem sibi commissum verbo, & exemplo pauisset, curamque pupillorum, viduarum, & egenorum præcipuam gessisset, ad præmiũ in cœlos euolauit 7. Kal. Iulij. An. sal. 465. Hilario Sum. Pont. in æde S. Apollinaris à se constructa sepultus. Multa scripsit, cum pro fidei Catholicæ defensione, tum ad mores excolendos. Sententias D. Augustini, cuius amicissimus fuit, versu, & prosa in vnum collectas explicauit. Tres de vita contemplatiua libros, totidem de prædicationibus, & promissionibus edidit. Cronica vsque ad an. 455. composuit, aliaque doctè ab eo disputata posteris monumenta reliquit. Miraculis sanctitas in morte declarata est. Nam ad funus illius plures ægroti, infirmique mirabiliter sanati sunt. *Ex off. Eccl. Regien.*

Prosper egregia opera scribit.

ANNOTATIO.

BAronius in Annal. Eccles. ad an. D. 466. eo anno S. Prosperum, cum Ecclesiæ Regien. annis ad minus 24. præfuisset (siquidem Concilio Vasionen. an. 442. interfuit) diem obijsse adnotat. Cui S. Maximus successit (Quo anno etiam S. Crispinum Episcopum Ticinen. migrasse, illique S. Epiphanium successisse ait.)

Verum in vita per Ant. Flamin. scripta illum annos 22. tantũ vixisse in Episcopatu apparet, quod probabilius est. Nam qui Concil. Vasionen. interfuit, non Prosper Regien. sed Aurelianen. Episcopus fuit, quod Baron. non aduertit.

Hymnus S. Prosperi.

HIc derelinquens Galliam
Romam pergit, vbi Leo
Cognoscens viri merita
Cogit ornari infula.
Cum nil timens Tyrannicas
Sincera fide præditus
Minas aduersus impios
Forti pugnaret pectore.
Electus præsul pessimam
Hæreticorum strenuè
Postquam damnasset rabiem,
Purgasset atque saniem.
Inde iussu Pontificis
Migrat in vrbem Lepidi:
Vbi magno cum gaudio
Susceptus est à populo.
Dies refulget nimius
In quo beato Præsuli
Cælorum patet aditus
Relicta pompa sæculi.
Ad cuius ægri funera
sanantur, & remedium
Suscipiunt, & prospera
Per reuerendum Prosperum.
O felix viri transitus,
Cuius nunc obsequio
Chorus exultat Cælitus
Translato sancto Prospero.

DE

DE S. MAXIMO EPISCOPO TAVRINENSI.

MAximus Episcopus Taurinensis vir diuinarum,& humanarum litterarum doctissimus,& egregius declamator,multa luculenter, & eleganter scripsit,quæ doctritam,& pietatem maximam redolent,præsertim Homilias,& Sermones, ac ea, quæ ad erudiendam plebem spectant composuit. Plura quoque in laudem SS. Apostolorum,S. Ioannis Baptistæ,& SS. martyrum ac SS. Confessorum de S. Eusebio Episcopo Vercellensi,de S. Cypriano Carthaginensi,præter varios tractatus conscripta reliquit. Floruit sub Honorio,& Theodosio iuniore Imperatoribus circa An. sal. 420. vitamque lógius produxit:interfuit enim Concilio Romano sub Hilario Papa; cui primus senij prærogatiua post Pontificem Romanum subscripsit. An. sal. 465. Doctrinæ, & eruditioni insignis probitas morum,& vitæ sanctitas respondit; quam miraculis etiam testatam fuisse dubium non est. Cum verò multos annos Ecclesiam Taurinensem egregiè administrasset, & populum non tam verbo, quàm vitæ innocentis exemplo instituisset, ad præmium vocatus senio confectus ex hac vita decessit. 7. Kal. Iulij. *Ex monum. Eccles. Taurinen. Gennadio de viris illustrib. & Pet. in Cat. lib. 2. c. 10.*

Maximus monumenta disertissimè cõscripta reliquit.

A N N O T A T I O.

BAron. in Annotat. in Martyrol. hac die Gennadio imponit, quòd S. Maximum scripserit obysse sub Honorio, & Theodosio Augg. cum sub illis Impp. floruisse dicat; F. Sixtus Senen. in Biblioth. illum obysse an. D. 420. asserit, cum post Concilium Rom. sub Hilario an. 465. celebratum obysse constet; quòd ei Concilio interfuerit.

DE S. GVLIELMO CONFESSORE ORDINIS MONTIS Virginis autore.

GVlielmus Vercellis natus honesto loco, orbatus parentibus annum 14. agens,relicto sæculo vitam solitariam aggreditur, ac ferro interius accintus,vnica & humili veste indutus,solo pane,& aqua contentus, humi cubãs,cũ aliquandiu peregrinatus loca sancta clebriora visitasset, Melphim in Apuliam peruenit,vbi litteras breui diuinitus,ita didicit,vt in veteri, & noua lege versatissimus videretur. Melphi in proximum oppidum recedẽs iuxta M. Solicolum cæco lumen restituit. Quo miraculo,vt nominis celebritatem vitaret, se ad peregrinationem Hierosolymitanam accingit. Cum in Salentinos apud Vriam venisset,à Ioãne eremita,vt secũ habitaret, summopere rogatus,cum acquiescere noller,à latronibus male habitus ad illum redire cogitur. Inde diuino admonitu Atripaltam,deinde Salernũ venit,vbi à milite loricam ferream,qua super carne nuda indutus est, impetrauit,vt aduersus carnis, & dæmonis tẽtationes munitior esset, sicq; ad montem Virginis perrexit, vbi eremitam inuenit nomine Ioannem cũ quo degens, cũ aquæ inopia laborarent, fontem è saxo manantem diuinitus reperit. Ibi oratorio,& tuguriolis extructis ordinis sui fundamenta iecit,alumnis in dies ad eum confluentibus,& tẽpli aggressus est ædificationẽ,brachio,quod obriguerat,vni ex ædificatoribus restituto. Vbi mirũ aliud contigit. Habebat asellum ex proximo nemore quotidie ligna ferentem: quem cum lupus deuorasset,is Gulielmi præceptis parẽs officiũ aselli non sine maxima omniũ admiratione cõpleuit. Extructo itaq; monasterio, illiq; sub S. Benedicti regula Alberto Abbate præfecto ad solitudinẽ apud Trisaricũ in monte cũ Ioanne eremita redijt. Vbi à Roberto Guiscardo Apuliæ Comite inuisitur, cuius pedagogus de S. Gulielmo oblocutus, diuinã protinus vltionẽ expertus est, cruribus sibi putrefactis,ex quo morbo breui miserè interijt, Quidã ẽt pagi proximi venator,cũ

Gulielmus cæco lumen restituit.

Fons è saxo erumpit.

Ædificatori cuidam brachij sanitatẽ restituit.

Lupus aselli deuorati officiũ perficit.

Oblocutor S. Gulielmi diuinam sensit vltionem.

Percussor Gulielmi malè à Dæmonio tractatur.

baculo inter venandum Gulielmi caput verberasset, à dæmone repente arreptus agitabatur, donec precib⁹ ipsius Gulielmi à Domino eius pagi enixè rogati (qui postea in eo loco cœnobium construxit) liberaretur. Inde per visum admonitus, inter Nuscum, & Fanum Angeli venit, ibique Ecclesia Saluatori cũ amplissimo cœnobio à Domino loci extructa Anatum, qui postea Nuscanus Episcopus fuit, & Ioannem ciues Nuscanos discipulos habuit, præcipuos. Ibi puellam Hortulani filiam cæcam ad lumen redire fecit, & apud Binettam castrum Apuliæ Peuceriç, cum monasterij extructoribus vinum defecisset, in illud aquã conuertit, cum ad virum Dei Rogerius Siciliæ Rex venisset, eumque maximo in honore haberet, meretrix impudentissima Gulielmum Hypocritã asserens Regi se illum sequenti nocte ad peccatum pertracturam pollicebatur. Ad Gulielmi itaque cellam veniens ad libidinem illum prouocabat, cui is assentiri simulans cellam aperuit, in qua carbones erant accensi, cum illa lectum peteret, vir S. carbones manibus in duo diuisit, cumque super vna eorum parte decubuisset, illam, vt in altera, cubaret, inuitauit, quo miraculo cum S. virum super accensis carbonibus iacentem haud comburi cerneret, impudica mulier perterrita, cum quod contigerat Regi narrasset, conuertitur, ac in monasterio Venusiæ à Rege ædificato vitam pœnitens egit. Inde à Rege Panormum inuitatus, ibidem impensis Regis monasterium sui ordinis extruxit. Reuersus ad cœnobium S. Saluatoris finem sibi adesse præsentiens pijs laboribus confectus 7. Kal. Iulij An. post Christum natum, 1142. ætatis verò 57. obdormiuit in Domino. Innocentio II. Pont. Max. multis etiam post mortem miraculis clarus. *Ex vita à Paulo Regio lib. de SS. Regni Neapolit.*

Puellam cæcam lumine donat.

Impudica meretrix, quæ Gulielmum de pudicitia deijcere voluit, miraculo ob stupefacta conuertitur.

A N N O T A T I O.

Corpus S. Gulielmi adhuc in S. Saluatoris cœnobio, in quo diem obijt, apud Nuscum asseruatur.

Iunij die 26.

DE SS. IOANNE, ET PAVLO MARTYRIBVS ROM.

Paulus, & Ioannes Romani fratres, qui Gallicanum virum clarissimum ad Christum conuerterant, eo miraculo quod facto voto ipsi Christo ipsis hortantibus insignem de Scythis victoriam reportauit, cum facultatibus sibi à Constantia Constantini Magni filia, cui fideliter seruierant, relictis Christi pauperes alerent, à Iuliano Apostata in familiarium suorum numerum inuitati, liberè se negauerunt apud eum esse velle, qui à Iesu Christo defecisset. Quibus ille dies 10. ad deliberandum præfinit, nece certa, nisi ei ad eam diem adhæsissent, Iouique sacrificassent, illis denunciata. Illi intra id tempus, bonis pauperibus distributis, quò expeditiores migrarent, pluresque iuuarent, à quibus in æterna tabernacula reciperentur. Terentiano, qui ad eos die decima cum allata Iouis statua, vt eam venerarentur, mandatum eis Imperatoris exponens venerat, *se pro Christo, quem Deum mente, & ore venerabantur, non dubitanter mortem subituros esse respondent.* Terentianus itaque populi à quo SS. fratres maximè diligebãtur, tumultum veritus, illos clam domi suæ capite plexos secretò sepeliendos curauit, sparso in vulgus rumore ipsos in exilium eiectos esse. Quorum tamen mors à spiritibus immundis corpora obsidentibus peruulgata est. Inter obsessos Terentiani filius, qui caput martyribus absciderat, summopere à dæmone agitabatur, qui ad ipsorum tumulum perductus, liberatus est, eoque miraculo ipse & Terentianus pater, qui vitam horum martyrum scripsit, ad fidem conuersi sunt. *Ex Breu. Rom. & vita apud Sur. tom. 3.*

Terentianus Iudex ad filij liberationẽ cum filio ad Christũ conuertitur.

A N-

ANNOTATIO.

Cum Iulianus ad Imp. euectus Romanunquam fuerit ex Amm. Marcellino, necem horum martyrum per litteras mandauerit, oportet. Extat illorum Romæ titulus.

DE S. VIGILIO EPISCOPO, ET MARTYRE, AC patrono Tridentino.

Vigilius Romanus claro genere natus, anno sal. humanæ 383. vnà cũ Maxentia matre, ac Claudiano, & Magoriano fratribus Tridentũ venit; Vbi Asterio Episcopo defuncto annos natus 20. ob eius eximias virtutes suffectus est. Qui suscepto munere pastorali ciuitatem primùm ab Heresi, quæ tunc late vigebat, assidua verbi prædicatione, & vigilantia purgauit: Deinde in pagos egressus, eos ab Idolorum cultu ad Christianam fidem perduxit, prædicationem vitæ integritate, & miraculorum præstantia confirmans. Nam, & cæcis lumen, & mutis loquelam crucis signaculo, Christique nomine inuocato reddebat, ac à Dæmonibus obsessos liberabat. In agrum item Veronensium. & Brixiensium digressus nefandos Dæmonum cultus euertit, & supra triginta ecclesias extruxit. Tridentum reuersus Sisinnium, Martyrium, & Alexandrum viros sanctitate, doctrinaque conspicuos secum duxit. Qui ab eo ad prædicandum missi, cum Ananiæ populos ad fidem Christi conuertissent, ab hostibus fidei comprehensi, dirèque excruciari martyrij palmam sunt adepti. Quò cum S. Episcopus aduolasset, ac eos hostes liberè increpatos ad saniora consilia persuasisset, ita ad pœnitentiam adduxit, vt abnegata impia superstitione, deiectis vbique delubris Dæmonum, crucis vexillum in tota ea valle erigerent. Sola restabat vallis Randenatin qua cultus inanium Deorum perseuerabat. Eò Vigilius profectus, cum in Sarcæ fluminis ripa Saturni simulachrum æriũ, cui Incolæ sacra faciebant, conspexisset, suspiciens in cœlum, & Christo gratias agens, quòd tandem, quod diu optauerat, inuenisset, zelo accensus in medios Idolatras prorupit, Idolumque percussit, & confractum mirabiliter in profluentem proiecit. Cumque marmoream statuæ basem conscendisset de veri Dei cultu concionẽ habiturus, gẽtilibus lapidibus appetitus, illis velut imbre densissimo obrutus est 6 Kal. Iulij, anno ætatis suæ 40. Episcopatus verò 20. Cuius corpus magna populi frequentia non sine multorum lacrymis Tridentum delatum, in basilica, quam ipse ædificarat, conditum est. *Ex eius off. quod in Eccl. Tridentina recitatur.*

Vigilius annorum 20. Episcopus ordinatur.

Prædicationem varijs miraculis confirmat.

In agro Veron. & Brixien Templa Deorum euertit, & Ecclesias multas erigit.

Interfectores SS. mart Sisinnij, Martyrij, & Alexandri conuertit.

In Randena valle statuã Saturni euertit, ac lapidibus obruit.

Corpus Tridentum defertur.

ANNOTATIO.

Hic longe diuersus est ab illo Vigilio, qui contra Eutychianam Hæresim scripsit Zenone, & Anastasio Impp. Cum huius Vigilij tempore nondum ea Hæresis pullulasset, Idcirco vita S. Vigilij à Sur. tom. 3. relata correctione eget in eo, quòd aduersus Eutychen scripsisse, & martyrem anno Domini 500. circiter occubuisse narratur. Cum in primo, aut secundo Stiliconis consulatu hoc est vel anno Domini 400. vel 405. martyrio affectum constet. Illud compertum, Vigilium S. Ambrosij Episcopi Mediolanensis tempestate vixisse, cum eiusdem Ambrosij ad Vigilium extet epistola 24. lib. 3. ac S. Simpliciani, qui S. Ambrosio successit, cum S. Vigilij libellus de SS. Sisinnij, Martyrij, & Alexandri passione ad Simplicianum scriptus reperiatur. Licet Pet. Gales. hallucinatus in suis ad Martyrol. annotat. hunc S. Vigilium diuersum ab eo, qui de memoratis Martyrib. scripsit, & ab eo, ad quem S. Ambrosius scripsit epistolam.

Plures Vigilij.

Error in vita S. Vigilij apud Sur.

Error Gales. circa S Vigil.

Iunij die 27.

DE S. MAIORINO EPISCOPO AQVENSI.

MAiorinus, qui & Meliorinus ab aliquibus appellatur, Episcopus Aquensis in Liguria eam Ecclesiam ante S. Guidonem administrauit: qui et si acta illius interciderunt, ab Ecclesia Aquensi hac die coli iandudum consueuit. Corpus eius ex ecclesia S. Petri, quæ olim Cathedralis erat in nouam Cathedralem translatum multis ab hinc annis quiescere antiqua scriptura docet, licet hoc tépore locus proprius reconditionis haud indicetur. *Ex Tab. & antiqua Eccles. Aquen. tradit.*

ANNOTATIO.

PLanè mirandum, nullam huius S. Episcopi præter nominis extare memoriam; ex quo eum valde antiquum esse licet conijcere.

DE S. DEODATO EPISCOPO NOLANO.

DEodatus S. Paulini Episcopi Nolani Presbyter eximia excelluit sanctitate, vt etiam multa spiritu prophetico prædiceret, & Dæmones ex humanis corporibus eijceret. Is ad Imperatorem accersitus, vt filiam ab immundo spiritu liberaret, cum id præstitisset, in patriam remeauit, contemptis diuitijs, quas sibi Imperator obtulerat. Post D. Paulini excessum vnanimi totius cleri, & populi consensu illi Episcopus suffectus Ecclesiam Nolanam annis 30. summa pietate administrauit. Demum multis pro Ecclesia sua exantlatis laboribus, clarisque virtutibus octogenarius migrauit ad Dominum, apud vrbem Nolanam sepultus 5. Kal. Iulij. Cuius sanctitas miraculis declarata fuit, Nam & cæcis visum restituit, leprosis, & paralyticis sanitatem impetrauit, ac ab obsessis corporibus Dæmones eiecit. Corpus post aliquot annos sub Sichardo religiosissimo Principe Beneuentum translatum est, ibique apud auream portam honorificé conditum miraculis fulsit. In quibus illud narratur, quod cùm ecclesia incendio concremaretur, æditui ad S. Deodati tumulum orante, ignis mirabiliter ad columbæ apparitionem extinctus est. Cum miles quidam (nomen illi Ricardus erat) ecclesiæ illius bona occupasset, ex S. Deodati minaci apparitione perterritus omnia restituit. *Ex monum. Eccl. Beneuentana.*

Deodatus Imp. filiam ab immundo spiritu liberat.

Deodatus miraculorũ gratia conspicuus.

Ædes incendio exardens ad columbæ apparitioné integræ constitit.

ANNOTATIO.

ET si à Sichardo Principe Longobardo corpus S. Deodati translatum fuit; multò tamen ante huius Principis tempora vixit, cùm Vuandali Italiam diuexarent.

DE S. FERDINANDO EPISCOPO CALATINO.

FErdinandus natione Hispanus, vt nomen ipsum testatur, cum in Italiam venisset, ac in Campaniæ vrbem Calatiam se recepisset, eam doctrinæ, & sanctitatis laudem assecutus est, vt mortuò Episcopo Calatino, illi subrogatus fuerit. Multis clarus miraculis apud Albinianum Calatinæ diœcesis oppidum obdormiuit 5. Kal. Iulij. Ibique honorificè conditum est. Vbi etiam ob eius super ægrotis signa virtutum magnam venerationem habet. Extat illi ecclesia campestris

campestris dicata apud op. prædictum, quæ inter Calaitam, & Aliphas occurrit. *Ex monum. Eccles. Albinianen.*

ANNOTATIO.

Tempus, quo hic Sanctus Episcopus vixit, haud hactenus sciri contigit.

DE S. ADLEIDA VIDVA BERGOMENSI.

Adleida S. Lupi Ducis Bergomensis vxor mortuo viro, totam se diuino seruitio mancipauit curis sæcularibus abdicatis. Orationibus enim, ieiunijs & alijs pijs operibus operã dabat, ab Ecclesia rarò quasi altera Anna recedens. Verum ob singularem eius prudentiam à ciuibus rogata, in demortui coniugis locum vrbis regimen capescere cogitur. Quo in munere illud maximè sibi curæ fuit, vt christiana religio augeretur. Maritum imitata, alteram in colle B. M. ecclesiam dedicauit, quæ postea S. Gratæ nomen accepit; alteram in foro veteri Sancti Michaeli excitauit, prædijs ad clericorum sustentationem attributis. Sed cum terrenarum rerum curis absolui cuperet, deque suis ciuibus optimè merita cum annum, & paulò amplius omnibus in sui amorem, & admirationem adductis, vrbem gubernasset, plena bonorum operum ad præmium viduitatis migrauit 5. Kal. Iulij. Corpus à Bergomensibus in æde Sanctæ Mariæ à se extructa tumulatum religiosè asseruatur. *Ex offic. Eccl. Bergomen.*

ANNOTATIO.

Adlheis etiam Augusta Othonis I. vxor Magdeburgi in Germ. colitur die 16. Decemb. & Alcidis siue Adlheis V. & Abbatissa Vilecen. in Germ. Infer. die 5. Februar.

Iunij die 28.

DE S. LEONE II. PAPA.

Leo Siculus huius nominis Secundus Agathoni in Pontificatu successit An. à partu virginis 682. Is humanis, & diuinis litteris Græcè, Latinèque doctus sacros hymnos, & psalmos ad meliorem concentum reduxit. Acta sextæ Synodi Constantinopoli Apostolicæ Sedis legatis præsidentibus, præsentibus Constantino V. Imp. Patriarchis Constantinopolitano, & Antiocheno vnà cum 170. Episcopis celebratæ probauit, & in Latinum conuertit. In quo Concilio Cyrus, Sergius, & Pyrrhus vnam tantummodò voluntatem, & operationem in Christo prædicantes condemnati sunt. Hic Antistitum Rauennatum, qui Exarchorum potentia freti, Romano Pontifici non obtemperabat, superbiam fregit; decreuitque, vt cleri Rauennatis electio irrita esset, nisi Rom. Pont. autoritate comprobaretur. Verè pater pauperum fuit, qui viduarum, & pupillorum inopiam, & ærumnas non solùm pecunia, sed etiam opera, labore, & consilijs subleuabat. Cum autem singulos ad piè, sanctèque viuendum non tam prædicatione, quàm vita adhortaretur. 10. sui Pontificatus mense, diebusque 17. obdormiuit in Domino in basilica S. Petri sepultus 4. Kal. Iulij, cum mense Iunio Presbyteros 9. Diaconos 3. Episcopos per diuersa loca 23. creasset. *Ex Brev. Rom. & vita eiusd.*

Leo cleri Rauennatis electionem irritam declarat sine Pont cõfirmatione.

AN-

ANNOTATIO.

Patria huius Sanctiss. Pont. ignoratur. De quo Plat. in vita,& Baron. (qui illum supra 10. menses dies tantum 8. vixiss scribit) in Annal. ad annum 682. quòd statuerit, vt Archiepiscopus nihil pro vsu pallij, aut diuersis officijs ecclesiæ solueret, referunt.

DE S. PAVLO I. HVIVS NOMINIS PAPA.

Paulus Romanus I. huius nominis Stephano III. fratri in Pontificatu An. sal. 757. subrogatur, vir pius, mitissimus, multaque præditus in egentes misericordia: qui noctu tribus tantùm comitatus cellas ægrotantium introibat, & carceres visitabat, opem egenis, & oppressis ferens, ac pro ære alieno detentos pecunia numerata liberans. Constantinum Copronymum ab impietate reuocare per litteras pluries tentauit. Corpus S. Petronillæ in basilicam Vaticanā transtulit. In paternis ædibus Ecclesiam cum monasterio in honorē SS. Stephani Papæ, & martyris, nec non & Syluestri Papæ, & Confessoris: quo tempore concilium Romæ habuit: multa SS. corpora ex cœmeterijs in vrbem transtulit. In via sacra iuxta templum Romæ in honorem SS. Petri, & Pauli ecclesiam construxit. Multas scripsit epistolas ad Pipinum Regem aduersus Longobardorum Regem, qui Ecclesiam vexabat. Cum in Pontificatu annos 10. & mensem vnum vixisset. 4. Kal. Iulij, migrauit in Cœlum, sepultus in Vaticano, *Ex Plat. & Baron. in Annal. ad an. 757. & 767.*

Eximia Pauli in pauperes charitas. Constantinū Copronymū ab impietate reuocare plu ries conatur.

ANNOTATIO.

Platina Paulo Stephano non III. vt scribit Baron. Sed II. successisse tradit. causa diuersitatis est, quia Stephanus II. die 24. Martij ann. 752. creatus cum 4. tantùm dies vixerit in Pontif. serie non ponitur à Platina.

Iunij die 29.

DE SS. APOSTOLIS PETRO, ET PAVLO.

Petrus, ante Simon, Galilæus Bethsaidæ iuxta Lacum Genæsaram natus, Apostolorum Princeps cùm Claudio Imp. anno post Christum natum 45. Romanam Ecclesiam Cathedra Romæ Pontificia erecta instituisset. Euodio Ecclesiæ Antiochenæ præfecto, in diuersas occidentis partes Episcopos destinauit, in Siciliam Pancratium Taurominij Marcianum, Syracusarum, & Berillum Catinæ: per Italiam Priscum Capuæ, Asprenem Neapolis, Epaphreditum Tarracinæ, Marcum Atinæ, Ptolemæum Nepitæ, Romulum Fæsularum, Paulinum Lucæ, Apollinarem Rauennæ, Euprepium Veronæ, Prosdocimum Patauij, Syrum Ticini, Hermagoram Aquileię: In Gallias Martialem Lemouicorum, Burdegalæ, & Tolosæ, Maternum, & Valerium Treuirorum, Tungrorum, & Coloniæ, Sixtum Rhemorum, Trophimum Arelatæ, Crescentem Viennæ, & Moguntiæ, Memmium Catalauni, Vrsinum Biturigum, Anstremonium Anuernorum, Eutropium Santonum, in Germaniam Aucharium Egistum, & Marcianum, in Hispanias Torquatum, Chesiphontem, Secundum, Indaletium, Cæcilium, Hesichium Euphrasium, & alios. Annos fere 5. Romæ moratus, cū Claudius Iudæos cū quibus Christiani censebantur, edicto eiecisset, Concilio Hierosolymitano 1. interfuit cum cæteris Apostolis, ac in diuersas prouincias profectus fidem disseminasse

Petrus varios in diuersas regiones Episcopos destinat.

minasse traditur. Quod & Paulus Apostolus, cum Romam biennio in vinculis detentus liber dimissus fuisset, fecisse à multis scripto proditum est. Cum autem Nero in Christianos incendij (cuius ipse autor fuerat) insimulatos persecutionē excitasset, ob quam Ecclesia Romana valdè afflicta est Petrus, & Paulus diuino, vt creditur, admonitu Romam, vt Ecclesiæ afflictæ subuenirent, aduenjant, cũque Nerone in coniuratione in ipsum detegenda occupato, persecutio Christianorum mitesceret, prædicantes denuò Euangelium priscos confirmant, & multo plures ad Christum conuertunt. Fuit is annus 24. Pontificatus Petri, erat tunc temporis in vrbe Romæ Simon magus Neroni per charus, quòd præstigijs Dæmonum, & magijs multa mirabilia facere videbatur. Is cum Petro ausus contendere, cum vnicus nobilissimæ matronæ filius obijsset, vt à populo Rom. gratiam iniret, vtque Petri famam obliteraret, illum ad certamen ea conditione prouocat, vt qui defunctum filium ad vitam excitare nō potuisset, occideretur. Petrus accepta conditione, Simoni, vt filium suscitaret, primas concessit. Qui cum suis magijs effecisset, vt puer caput moueret, iamque Petro, populo commoto, capitis periculum immineret, Petrus è contra puerum caput quidem mouere ex diabolica illusione, mortuum verò esse, quòd illicò amoto Simone omnes cernerent, aiebat. Quare Simone amoto, puer defunctus absque vllo motu, vt prius visus est: qui ad Petri eum in Christi nomine vocantis vocem rediuiuus surgens, omnibus videntibus, & stupentibus ambulare cœpit, & loqui, & cibum capere. Cumque Simon ad mortem iuxta conditionem deposceretur, Petro pro eo intercedente illam euasit. Vt autem ignominiam hanc aboleret, Petrũ rursus in palæstram vocat, populo pollicitus, se in Cœlum volaturum. Quod cum ex magia facere cœpisset, Petrus illum sua oratione de sublimi aere in terram præcipitem dedit, qui cruribus confractus, cum Ariciam secessisset, breui miserè interijt. Id Nerò indignissimè ferens, maximè verò, quòd nobilissimas matronas, & virgines, quas constuprare tentauerat, ad castitatem, & virginitatem seruandam, induxissent, Petrum, & Paulum comprehendi iussit. Cum verò Petrus Fidelium precibus coactus, vt persecutoris rabiem declinaret, aufugiens, Christo Domino occurrisset, isque ab eo interrogatus *Domine quo vadis*, respondisset; *Romam iterum crucifigi*, in vrbem redijt, captusque iussu Neronis crucifigitur capite deorsum inuerso. (ministros enim, vt ita illum cruci affigerent, orauerat, Paulus verò eadem die via Ostiensi ad aquas Saluias, (quæ modo tres fontes appellantur) capite truncatus est 3. Kal. Iulij, An. sal. hum. 69. Lacque pro sanguine mirabiliter fluxit, ex vulnere, & caput tribus saltibus, singulis singulos fonticulos produxit. *Ex vita apud Metaphr. et alios, atque* ex Annal. Baron.

Simō magus.

S. Petri, & Simonis de puero defuncto certamē.

Simon de sublimi præceps ruit.

Christus Petro aufugiēti occurrit.

ANNOTATIO.

POst Sacratissimorum Apostolorum necem, Nero in Christianos persecutionem redintegrans plures morte affecit, in ijs Torpetem, Euellium, Basilissam, & Anastasiam.

Sed & ante Petrum Perpetua coniunx illius martyrio affecta traditur ab Euseb. li. 3. c. 30. Hist. Eccles. quam S. Petrus his verbis cum illa ad supplicium raperetur compellasse fertur. O coniunx memento Domini.

De pass. SS. Apostolorum Petri, & Pauli ex Aut. Prud. in Peristeph.

,, *VNus vtrunque dies pleno tamen innouatus anno.*
, *Vidit superba morte laureatum.*
,, *Scit Tyberina palus, quæ flumine labitur propinquo*
, *Binis dicatum cespitem trophæis.*
,, *Et crucis, & gladij testis, quibus irrigans easdem.*
, *Bis fluxit imber, sanguinis per herbas.*
,, *Prima Petrum rapuit sententia legibus Neronis*
, *Pendere iussum præminente ligno.*
,, *Ille tamen veritus celsæ decus æmulando mortis*
, *Ambire tanti gloriam magistri.*
,, *Exigit, vt pedibus mersum caput imprimat supinis,*
, *Quo spectet imum stipitem cerebro.*
,, *Figitur ergò manus subterfola versus in cacumen*
, *Hoc mente maior, quo minor figura.*
,, *Euomit in iugulum Pauli Nero fruidum furorem,*
, *Iubet feriri Gentium magistrum.*
,, *Ipse sibimet finem citò dixerat futurum,*
, *Ad Christum eundem est, iam resoluet, inquit.*
,, *Nec mora protrahitur: pœnæ datur, immolatur ense,*
, *Non hora vatem, nec dies fefellit.*
,, *Diuidit ossa duùm Tybris sacer ex vtraque ripa,*
, *Inter sacrata dum fluit sepulchra.*
,, *Dextra Petrum regio tectis tenet aureis receptum*
, *Canens oliua, & murmurans fluento.*
,, *Parte alia Pauli titulum via seruat Ostiensis,*
, *Qua stringit amnis cespitem sinistrum.*
,, *Ecce duas fidei summo patre conferente dotes,*
, *Vrbi colendas quas dedit togatæ.*
,, *Aspice per bifidas plebs Romula funditus plateas,*
, *Lux in duobus feruet vna testis.*

DE S. SYRO PRIMO ARCHIEPISCOPO GENVENSI.

SYrus Æmilianæ Vico patre Æmiliano natus loco (qui nūc Struppa dicitur) à Genuensi vrbe ad 8. M. P. recedenti, ibique educatus ab infantia sanctæ meditationis virtutibus floruit. Quem pater S. Felici Episcopo obtulit: à quo in diuinis litteris instructus, ita doctrina, & moribus profecit, vt à cūctis in admiratione habitus, ad Sacerdotium promotus fuerit. Sed & miraculis etiam fulsit, Nam Gallionis Physici filiam à Dæmone obsessam liberauit; ab eoque Tabiam pagum recepit, cum Mututiana villa (quæ nunc ex S. Romulo nomen habet) finitima: vbi aliquandiu habitauit, donec à S. Felice accersitus serpentem homines flatu venenato inficientem oratione sua è puteo extraxit, & in

Syrus obsessam liberat.

Serpentem è puteo extrahit, & interficit.

mare

mare præcipitauit, aliaque populo præstitit beneficia. Cum vero S. Felix vita excessisset, summo omnium consensu Episcopus subrogatus. Vixit in Episcopatu ad 30. annos. Multis clarus miraculis, ecclesiéque villis, & prædijs aliquot, acquisitis, senio confectus migrauit ad Christum 3. Kal. Iulij. Cuius sudarium sanguine è naribus dum ad tumulum deferretur manante tinctum, in Libyam delatum Dæmoniacos, & languidos complures sanasse traditur. *Ex Monum. Eccles. Genuen. & Mombrit. tom. 2.*

Sudariũ sanguine S. Syri adspersum mira in Dæmoniacos, & languidos operatur.

Corpus eius Anno D. 1283. in eius Eccl. repertum est cum hac inscript. HIC REQVIESCIT CORPVS S. SYRI EP. IANVEN. OB. III. KAL. IVLII. FILIVS ÆMILIANI.

ANNOTATIO.

SYrus primus quidem Archiepiscopus fuisse traditur Episcopus autem 7. in ordine; non enim S. Felici Archiepiscopus, sed Episcopus successit, postea verò ob eius præclara merita, & vrbis nobilitatem pallio donatus fertur. Sed cum Genuen. Ecclesia ab Innocentio II. Papa, qui Sede pulsus à Genuensibus exceptus cum honore fuerat, circa An. D. 1133. in metropolim erecta fuerit, Syrus autem S. Felicis successor multo ante vixerit, haud I. Archiepiscopus esse potuit. Cum autem in Tab. Eccles. Genuen. I. Archiepiscopus inscribatur, res diligẽtius examinanda videtur, vt tollatur error; si enim S. Syrus 7. Episcopus Genuen. fuit, eique, S. Romulus 8. loco succ. vt apud August. Iustinianum in Hist. Genuen. legitur, etiam Romulum Archiepiscopum appellare oporteret. Qua de re infra suo loco.

DE S. CASSIO EPISCOPO NARNIENSI.

CAssius Episcopus Narniensis ex coniugio ad Episcopatum assumptus Totila Gothorum Rege vixit, & sanctitate enituit, Is Totilæ Narniam aduẽtanti occurrens, ab eo quòd facie rubesceret, quasi vini potator æstimatus despectus est. Verùm cum spatharium illius à dæmone oppressum liberasset; vti sanctus agnitus est, & honoratus. Quotidie sacrificium Deo offerre consueuerat; ita vt nulla penè dies præteriret, qua non omnipotenti Domino hostiam placationis offerret. Cui consuetudini concors etiam vita fuit. Etenim, quęcunque habere poterat, in pauperum eleemosynas erogabat, alijsque pijs operibus inhærebat. Quoties autem aduenisset hora sacrificij, totus in lacrymas resolutus, semet magna cordis contritione mactabat. Cum verò vitæ terminus appropinquasset (qui sibi à Presbytero ter diuinitus admonito denunciatus fuit) incidit in morbum, cumque in Festo SS. Apostolorum Petri, & Pauli (Qua die singulis annis Romam ad limina Apostolorum petere solebat) sacra vix facere potuisset, domum reuersus animam Deo reddidit, 3. Kal. Iulij. An. sal. 558. Pelagio Pont. Max. & Iustiniano Imp. In æde S. Iuuenalis tumulatus. Ad cuius sepulchrum plurima miracula perpetrata sunt. *Ex S. Greg. Papa lib. 3. c. 6. & lib. 4. c. 58. Dialog.*

Cassius spatharium Totilæ à Dæmone oppressũ liberat.

ANNOTATIO.

COrpus Lucæ in Hetruria asseruari traditur; Cuius translationis dies 13. Octob. ibi celebratur. Extat Narniæ Epitaphium S. Cassij in templo maiore. Eius mem. Baron. in Annal. ad an. D. 558. Natalis porrò S. Cassij solemniter Narniæ colitur die 4. Iulij, prout in Tab. illius Eccles.

De

Ad sepulchrum S. Cassij carmina insculpta ab eodem, vt videtur.

,, *Cassius immerito præsul de munere Christi,*
,, *Hic sua restituo Terræ michi credita membra.*
,, *Quem fato anticipans consors dulcissima vitæ,*
,, *Ante meum in pacem requiescit fausta sepulchrum.*
,, *Tu, rogo, quisquis ades prece nos memorare benigna,*
,, *Cuncta recepturum te noscens congrua factis.*

Iunij die 30.

DE SS. CAIO PRESBYTERO, ET LEONE SVBDIACONO martyribus Romæ.

CAius Presbyter, qui Corticus apud Vsuardum, & Galesinium appellatur, & Leo Subdiaconus, qui apud alios Diaconus nominatur, Romæ passi in antiquis Martyrologijs referuntur. Cætera prorsus ignorantur. neque ex Martyrol. Rom. ipsos Romæ coronatos esse certum est.

ANNOTATIO.

PEt. Gales. hos martyres Rom. facit, & pro Caio, Corsicum scribit, sicuti & apud Vsuard. legitur. Sed loci, & martyrij, neque Vsuard. neque Beda, neque Martyrol. Rom. mentionem faciunt. Præterea Gales. Leonem Diaconum facit, qui in Rom. Martyrol. Subdiaconus scribitur. Qua in re Martyrol. Rom. secuti sumus; licet Baron. in Annot. loco Caij, Corsici habent.

DE S. ÆMILIANA MARTYRE ROMANA.

AEmiliana quoque Romæ martyrium passa in Martyrologio Rom. refertur, cuius olim titulus siue ecclesia in vrbe Roma extabat; de quo in Cõcilio Rom. sub Symmacho Papa celebrato autore Baronio in suis Annotat. in Martyrol. fit mentio. Cæterùm an ea fuerit nupta, vel virgo, siue vidua, & sub quo coronata sit Imp. nescitur.

ANNOTATIO.

DE S. Æmiliana solum Rom. Martyrol. agit. Cuius præter Tit. Romæ existentem, vt ait Baron. nulla alia extat memoria; nisi quæ in primo Conc. Rom. sub Symmacho legitur.

DE S. LVCINA MATRONA ROMANA.

LVcina nobilis matrona Romana Apostolorum Petri, & Pauli, à quibus ad Christum conuersa, & in fide erudita est, discipula, hospitalitate, & pietate maximè insignis fuit. Nam facultates suas, in Christianorum maximè pauperum inopias subleuandas erogabat, in carceribus detentos visitabat, nullaque eis re deerat. Martyrum corpora diligenter conquisita, sepelienda curabat. Cũ SS. Processus, & Martinianus ad supplicium ducerentur, eos vsque ad aquæductum, vbi decollati sunt, secuta ad constantiam hortata est, corporaque ipsorũ canibus

Lucina omnibus pietatis operibus maximè insignis.

canibus obiecta, collegit, aromatibusque condita in suo prædio sepeliuit. Oratoria assiduè frequentabat. Sanctam Hierosolymorum ciuitatem inuisit, votaque nuncupata persoluit. Romam reuersa, cum non multò post diem obijsset, in crypta, quam humandis martyribus extruxerat, humata est, Prid. Kal. Iulij. *Ex Martyrol. Adon. Pet. in Cat. lib. 6. c. 27.*

ANNOTATIO.

P*Rater hanc Lucinam, & eam, qua Diocletiano, ac Maximiano, Maxentioque Impp. vixit, de qua in Actis S. Marcelli Papæ, & mart. nullam aliam neque in Italia, neque extra Italiam legimus.*

DE S. LVCINA ALTERA MATRONA ROM.

LVcina altera nob. matrona Rom. priori non absimilis sub Maximiano, & Diocletiano Imperatoribus floruit. Etenim & ipsa diues, Christianorum necessitatibus occurrebat; martyrum corpora à suis eunuchis adiuta tumulabat. In quibus SS. Cyriaci, & sociorum iussu Maximiani interfectorum corpora accepta, vnguentisque delibuta, in prædium suum via Ostiensi delata proprijs manibus sepeliuit. Domum suam S. Marcello Papæ obtulit, qui illam in ecclesiam dedicauit (quæ postea de S. Marcelli nomine dicta est) ac ecclesiam omnium bonorum fecit hæredem. Cum verò S. Marcellus bestiarum in eam ecclesiam iussu Imp. traductarum pædore confectus migrasset, corpus illius à Ioãne Presbytero adiuta vnguentis conditum in cœmeterio Priscillæ sepelijt. Ob hæc Imperatori delata, exilio multatur, ibique in pace quieuit. *Ex Gest. SS. Marcelli Papæ, & Sebast. mart.*

Lucina pari cum superiori omniũ virtutum genere cumulatissima.

ANNOTATIO.

P*Et. in Cat. lib. 6. c. 28. illam martyrem vocat, quod pro pietate relegata in exilio vitam finierit.*

DE S. THEOBALDO EREMITA, ET ABBATE Vangaditiæ. *Vide die 1. Iunij.*

DE S. HENRICO EREMITA BOCENENSI, Taruisij, & Veronæ.

HEnricus Boceni, seu Bauzani oppidum est, & emporium Tyrolensis Comitatus celebre) natus, adolescens ab Hæreticis odio habitus Taruisium habitatum venit. Vbi victum labore manuum quærens opera pietatis coluit. Illius ciues humilitatem, modestiam, miramque in tollerandis iniurijs patientiã admirabantur. Siquidem turbari nunquam visus est. Loca pia frequens muniens diuinis officijs aderat. Ex lucro sibi etiam necessaria subtrahens, eleemosynas faciens egenos sustentabat sacras conciones pœnitentiæ Sacramentum, sacramque Eucharistiam cum deuotione frequentabat cilicio, & vili amictu indutus funiculis, & scutica ferrea corpus suum flagellabat, saxoque pectus tundebat. Cum senio confectus, baculoque innixus ecclesias de more visitaret, accidit, vt pluuia repentina, & copiosa descenderet, ob quam cœteris sub porticus aufugientibus solus Henricus sub dio ante imagines quasdam sanctorum orans à pluuia neguta quidem tactus inuentus est. Denique cum vitæ finis adueniss-

Henricus eleemosynis egenos sustẽtat.

Henricũ sub dio manentem furente pluuiæ nimbo nec gutta quidem attingit.

set,

Ad Henrici transitum cāpanę vltro sonāt: in eiusq; exequijs mira perpetrantur.

set, animam Deo reddidit. An. à partu virginis 1315. Ecclesiæ Cathedralis, in qua conditus est, campanis hora transitus sponte sua sonantibus. Ad cuius corpus antequam sepulturæ inferretur, cæci, muti, varijs languoribus oppressi accurrentes salutem adepti sunt. Euius dies festus Taruisij non mediocri celebritate agitur. *Ex eius vita Typis excusa an. D. 1600.*

ANNOTATIO.

IN Tab. Ecclesiast. Taruisij natalis huius beati viri hactenus minimè adnotatus legitur; Sed in Tab. Eccl. Veronen. hac die positus inuenitur. Ibi corpus, quod hac die an. D. 1407. in loco S. Felicis in monte inuentum est, in Ecclesia S. Io. in fonte cum catenis ferreis, & scutica ferrea asseruatur.

Iulij die 1.

DE SS. CASTO, ET SECVNDINO EPISCOPIS, ET martyribus Synuessæ.

SS. in detrudendis Dæmonibus, & morbis curādis maximè insignes.

CAstus, & Secundinus Episcopi in expellendis à corporibus obsessis dæmonibus, & morbis curandis præcipui, cum quendam à spiritibus immundis maximè vexatum orantes liberassent, ac cum illo 24. qui miraculo interfuerant conuersos baptizassent, delati ab Idolorum Sacerdotibus iussu Præsidis Campaniæ tenti in custodiam sine cibo, & potu traduntur. Post dies 30. educti, ac primū blanditijs, & promissis frustrà tentati, vt Deos colerent, leonibus obijciuntur, quibus signo crucis mansuefactis, magnaque populi parte, ad fidē cōuersa in carcerem reducuntur, vbi de cœlo voce roborantur. Iterum educti, cū in sententia persisterent, in ignem inijciuntur, in quo sine læsione ambulantes, & psallentes, rursus dentibus lapidibus contusis, linguisque præcisis in obscurissimum carcerem detruduntur, in quo sani reperti fustibus grauiter cædūtur; quod dum fieret, obcæcatus Præses, cum in cassum medelam apud Apollinem quæsisset, aurum SS. martyribus, si lumen per ipsos reciperet, pollicetur. A quibus gratis curatus libenter eos dimisisset, nisi edicta Principum veritus esset. Multa autem habita de Dijs disputatione, SS. Episcopi se eos veneraturos pollicentur, si hydropicum sanassent. Accipitur conditio. Ducto itaque hydropico ad Apollinis templum, cum frustrà ipsi sanitatem Sacerdotes Apollinis à Deo suo postulassent, SS. martyres illum statim in Christi nomine sanarunt. Præses itaque populi Deum Casti, & Secundini verum acclamantis tumultum illos metuens, in Castrum Aquæuiuæ à Vicario: nisi Dijs sacrificarent, puniēdos mittit. Qui eos in catasta extendi iubet; sed tortoribus ob repentina fulgura fugientibus ab Angelo liberati filiam Vicarij paralyticam solo Christi nomine inuocato liberant, illeque cum tota familia conuersus salutaribus aquis ablutus est. Quibus cognitis Præses oēs ad se Sinuessam adduci, ac nolentes Dijs sacrificare in campo lapidibus obrui mandat, SS. absque vlla læsione ægressi, diuinamque Christi potentiam coram Præside extollentes, in vas plumbi liquati plenum immittuntur. Sed feruore diuinitus extincto, populoque clamante, & Iudici incendium minitante, nisi sanctos dimitteret, in carcere recluduntur, donec quid agendum Imperator rescriberet. Qui illos ad Apollinis templum ductos, si non ei immolassent, interficiendos scribit. Vbi cum ad ipsorum orationem templum corruens Præsidem cum suis oppressisset, gladio transuerberati martyrium compleuerunt Kal. Iulij. Corpora in loco, qui Zuti vocabatur, sepulta

Leones mitescunt.

Præses ipse obcæcatur, & sanatur.

Hydropicus sanitatem recipit.

Paralytico sanitas restituitur.

Lapidibus obruti illæsi euadunt.

Templum Apollinis corruit.

sepulta sunt. *Ex Actis M.S. quæ in Eccl. Caietana seruantur. Ex quibus plura: vti minus verisimilia, resecata sunt.*

ANNOTATIO.

C*Vm corpora horum mart. Suessa quiescere ferantur, ibique natalis ipsorum hac die celebretur pro Suessa in Martyrol. Rom. Sinuessa scriptum videtur, nisi fortè Sinuessæ passos quis dicat, corporaque vrbe euersa Suessam delata fuisse.*

Passi sunt in Diocletiani, & Maximiani persecutione, vt Paul. Reg. lib. de SS. Regni Neapolit. adnotat, licet in Actis id non appareat.

Iulij die 2.

DE SS. PROCESSO, ET MARTINIANO martyribus Rom.

PRocessus, & Martinianus carceris Mamertini sub M. Tarpeio custodes, quo tempore SS. Apostoli Petrus, & Paulus in ea custodia Neronis iussu detinebantur, cum virtutes & signa in dies ab ijs fieri admiranda in expellendis præsertim dæmonibus, & morbis insanabilibus curandis cernerent, non solum miraculis, sed & prædicatione eorum commoti conuertuntur ad Christum, & cum alijs 40. fonte è saxo repente diuinitus orto baptismo lustrantur, ac Apostolis, qui iam 9. menses in ea custodia egerant, abeundi potestatem faciunt. Quibus cognitis Paulinus militum Præfectus Processum, & Martinianum à suscepto cōsilio reuocare conatur. Cumque tempus frustra in suadendo contereret ora illis saxo contundi, & dentes comminui iubet, moxque ad Iouis statuam adductos, cum constanter eam, & alia Idola venerari recusarent, in equuleo suspēsi torquētur, admotisque ad eorum corpora luminibus candentibus aduruntur, & fustibus insuper cæduntur. Quibus in cruciatibus hæc tantùm illorum vox audiebatur, *sit nomen Domini benedictum*. Paulinus tunc altero orbatus oculo nimioque dolore affectus post tertium diem à Dæmone arreptus expirat. Cuius filius Pompinius, quasi paternam vlturus mortem martyres è custodia Mamertina eductos extra vrbem via Aurelia securi percuti iubet. Quorum corpora Lucina matrona sanctissima in suo prædio sepelienda curauit. 6. Non. Iulij. Quę postea in vrbem translata in basilica Principis Apostolorum condita sunt. *Ex Breu. Rom. & pass. eorum a Sur. tom. 4. rel.*

> Fōs è saxo diuinitus scatet.

> Paulinus Præfectus altero oculo orbatus, paulò post nimio dolore expirat.

ANNOTATIO.

E*Xtabat tempore S. Greg. Papæ ipsorum ecclesia, in qua idem S. Greg. Homiliam 32. ad pop. habuit, in eaque miracula, quæ ad eorum sepulchrum fiebant, recenses.*

DE SS. LONGINO, ACESTO, ET MEGISTO martyribus Rom.

LOnginus, Acestus, & Megistus ex eorum militum numero erant, qui S. Paulum Apostolum ad supplicium deducentes custodiebant. Qui cùm lac pro sanguine ex decollato profluere, & tres procreari fontes ex tribus capitis saltibus vidissent ad Christum cum alijs ad 35. conuersi sunt, à SS. Tito, & Luca ad Pauli tumulum orantibus, in quorum medio ipsum Paulum viderant, baptizati. Qui mox comprehensi, ac in fidei confessione constantes capitalem sententiam excipientes gladio percussi sunt 6. Non. Iulij. *Ex pass. SS. Petri, & Pauli. Pet. in Cat. lib. 6. c. 41.*

> Lac pro sanguine fluit, & tres fontes ex tribus saltibus capitis S. Pauli oriuntur.

A N N O T A T I O.

IN *Martyrol. Rom. ac apud Vsuard. & Ad. nomina minimè horum, qui tantum, tres referuntur, expressa sunt. Sed apud S. Io. Chrysost. in oratione de SS. Principib. Apost. 35. fuisse narrantur, quorum trium nomina in vet. M. S. teste Baron. in Annotat. exprimuntur.*

DE SS. ARISTONE, ET SOCIIS MARTYRIBVS SVESSÆ.

ARiston, Crescentianus, Eutychianus, Vrbanus, Vitalis, & Iustus ciues Romani SS. Marci, & Marcelliani martyrum amici, cum ad Christum cum multis alijs ob S. Sebastiani miracula conuersi nomen ei à S. Polycarpo Presbytero baptizati dedissent, quo tempore persecutio Christianorum in vrbe sub Diocletiano, & Maximiano valde efferuescebat, illius declinandæ causa, cum Chromatio vrbis Præfecto, qui & ipse Christianus effectus fuerat (ita S. Caio Papa suadente, vt qui persecutionem formidarent, secederent; Dominoque confessionis titulo deseruirent) in Campaniam apud Suessam vnà cum Felicissimo, Felice, Claudij Comentariensis filijs, Martia SS. Marci, & Marcelliani matre, & Symphorosa Claudij prædicti vxore, peruenete; ibique Deo aliquandiu pijs operibus vacantes in orationibus inseruiere. Sed apud Præsidem Campaniæ accusati, & comprehensi pro fidei cōfessione martyrio coronati sunt. 6. No. Iulij. *Ex Gestis S. Sebast. quæ à Sur. tom. 1. & à Mombr. tom. 2. refer.*

A N N O T A T I O.

HOrum *SS. martyrum Natalem Suessæ celebrari (vbi eorum reliquiæ) hac die Paul. Reg. & Dauid Rhom. in Cat. SS. Regni Neapol. asserunt.*

DE S. ADEODATO PRESBYTERO GALLIANI.

SAnctus Adeodatus Presbyter, qui Probo Iuniore IV. Conf. cùm annos 85. circiter vixisset, 9. Kal. Iulij migrauit è vita, vti illius Epitaphium monet, Is in ecclesia S. Vincentij Galliani apud Canturium pagum agri Mediolanensis Como proximum conditus, ibi 6. Non. Iulij colitur: qua die corpus eius in eadem ecclesia translatum fuit. *Ex monum. Ecclesf. prædictæ. Eius mem. Pet. Galesin. in suo Martyrol. ad diem 25. Iunij.*

A N N O T A T I O.

NIl *aliud de eo sciri potuit. Epitaphium illius sic habet:* HIC REQVIESCIT S. ADEODATVS PRESBITER: QVI VIXIT IN SÆCVLO AN. PLVS MINVS LXXXV. DEPOSITVS SVD. ARIO IX. KAL. IVLII. PROBO IVNIORE IV. CONS. PERPETVO INDICT. III. *Memoria verò Transl. ita.* VI. NON. IVLII TRANSL. S. ADEODATI, ET DEDICATIO ISTIVS ECCLES. ET IBI REQVIESCVNT IN PACE B. M. ELISIASTICVS, ET MANFREDVS PRESBYTERI, ET SAVINVS DIACONVS: QVI FVERVNT INVENTI IVXTA SEPVLCHRVM IPSIVS S. ADEODATI AN. M.LVI. INDICT. VI. TEMPORE D. ERIBERTI DE ANTIMIANO SVBDIACONI. MEDIOLAN. ECCLES. ET CVSTODIS ISTIVS ECCL. S. VINCENTII. SEV TEMPORE ENRICI REGIS.

Iulij

Iulij die 3.

DE SS. IRENÆO DIACONO, ET MVSTIOLA VIRGINE martyribus Clusij.

MVstiola virgo Romana Iocundino patre, & Arthemia matre ex Claudij Imp. genere nata, cum domum è schola cum alijs puellis rediret, contigit, vt eò, vbi S. Alexander Papa christianis de X. virginibus sermonem habebat, diuerteret, ac à S. Felice Presbytero ad christianam fidem, & virginitatem Deo seruandam suaderetur. Cum autem B. Petrus Apostolus sibi, & matri (quæ Christum clam colebat) in somnis apparuisset, veli habitu induta ad Felicem Presbyterum venit; à quo plenius instructa cum alijs puellis aquis salutaribus intingitur, ac orationibus, & ieiunijs vacare cœpit. A patre autem interrogata, cur sic se ieiunijs affligeret, se id Christi amore facere respondit. Quam ille post longam de fide christiana disceptationem Principum veritus edicta, cædi, & in carcerem recludi iubet, vt eam auerteret à fide. Mortuo autem Imp. maritoque absente Arthemia ecclesiam S. Petro Apostolo in suo prædio ædificat, & paulo post, suo patrimonio Mustiolæ relicto moritur. Patre interim interfecto, Aurelianus Imp. Mustiolam sibi ob formam, & generis nobilitatem copulare volens Turgio mandat, vt oppida, seu castra, & prædia, quæ Iocundini fuerant, occupet. Mustiola hæc audiens cum Felice Presbytero, & Irenæo Diacono Faleriam fugit. Quò Turgius profectus Mustiolam secum Clusium, vbi Irenæus apud Galerium virginis consobrinũ hospitabatur, deducit, hortatur que, vt Imperatoris nuptias non negligat. Felicem verò Presbyterum aliò ablegatum grauiter reprehendit, quòd suis consilijs Mustiolam ab Imp. connubio retraheret, Deosque non veneraretur. Cui is, non posse iam immortali sponso desponsam mortali copulari respondit: nec se posse Dijs; hoc est rebus insensatis, honorem habere, qui vni Deo viuo, & verò deberetur. Quibus verbis Turgius iratus tandiù illum cædi, osque contundi iussit, donec expiraret. Interim Galerius vita defungitur. Quare Turgius Clusium cum Irenæo ante rhedam nudis pedibus currere coacto aduentans Mustiolam in proposito colendæ castitatis permanentem flagellari præcipit. Veritus autem populi tumultum si publicè eam interfecisset, baculo caput illius percussit, ferrumque in cerebrum vsque defixit: cum paulò ante Irenæum equuleo, vngulis ferreis, & flammis cruciatum martyrio affecisset. Quo facto ipso protinus expirauit. *Ex monum. Eccles. Clusina, & alij M. S.* Paulò passionem diuersè referentibus.

Arthemia mater Mustiolæ ecclesiam S. Petro in suo prædio ædificat.

Aurelianus Imp. Mustiolam in vxoré habere expetit.

Irenæus ante rhedã nudis pedibus currere cogitur.

ANNOTATIO.

M*Artyrol. Rom. Mustiolam matronam facit, non virginem secutum Vsuard.; Sed M. S. aliquot, eam virginem habent: qualem Ecclesia Clusina, Senensis, & alibi vbi colitur illam venerantur.*

DE S. DATHO EPISCOPO RAVENNATE.

DAthus VII. Episcopus Rauennatum à S. Apollinare, columbæ signo electus S. Probo successit, in cuius facie diuinum quendam splendorem fulsisse ferunt. Nouem annis Pontificatum Rauennatem tenuit; quibus cum Ecclesia nulla apertè persecutione turbaretur, maxima nobilium præsertim Rauennæ facta est ad Christianam religionem accessio. Ipse in pace Eleutherio summo Pont. & Commodo Imp. 5. Non. Iulij decessit, in æde S. Probi sepultus: vnde à Petro

Ex vultu Dathi diuinus splendor effulget.

Archiepiscopo in ædem Vrsinam translatus est. *Ex monum. Eccles. Rauenn. ac ex Hieron. Rub. lib. 1. Hist. Rauennat.*

ANNOTATIO.

EX Cronol. Eccles. Panuin. Dæbus Episcopus VIII. Rauenn. numeratur. Qua in re nihil aliud dicendum est, nisi quod apud Rub. loco citato VII. dicitur Apollinare I. Episcopo, ab hac enumeratione excluso.

DE S. HELIODORO EPISCOPO ALTINATE TORCELLI.

HEliodorus Altinas doctrinæ, & sanctitatis laude clarus Honorio, & Arcadio Imperatoribus immatura adhuc ætate ad Sacerdotium promotus, populum necdum Christianum ab Idolorum cultu abductum ad Christum perducere conatur. Cumque prædicare cœpisset, Deorum templa demolitus, basilicam Deiparę virgini extructam dedicauit. Inde Aquileiam profectus aliquandiu apud Chromatium Patriarcham commoratus ab eo Episcopus Altinatum consecratur. Altinum reuersus, ac populo in fide Christi confirmato Hierosolymam petijt, Vbi S. Hieronymi, quem antea per litteras tantum allocutus fuerat, consuetudine aliquandiu fruitur. In patriam rediens postea Ambrosium discipulum Episcopum coadiutorem ordinat: Ipse verò in Insulam in eremū apud S. Marcellianum se recipit. quem non multò post 3. Non. Iulij defunctum in ecclesia ab eo extructa sepelijt. Heliodorus cum aliquot annos superuixisset, vrbis Altinensis excidio quod ei ab Attila Hunnorum Rege imminebat, prę dicto, 5. Non. Iulij cessit è vita. Cuius corpus Altinum ab Ambrosio Episcopo relatum, in ecclesia maiore conditum fuit, cum verò Altinum euersum fuisset, Paulus Episcopus corpora SS. Heliodori, Marcelliani, Theonesti, Tabræ, & Tabratæ Torcellum fugiens transtulit, corpusque Heliodori in cathedrali ecclesia honorificè condidit. *Ex Pet. in Cat. lib. 6. c.*

ANNOTATIO.

SAnctus Heliodorus conc. Aquileien. interfuit; in quo vnà cum S. Ambrosio Episcopo Mediolanen. aduersus Arianos strenuè decertauit.

DE S. LINGDANO ABBATE, ET CONFESSORE Setiæ patrono.

LIndanus seu Lingdanus Antinnæ (oppidum est Aprutinum) patre loci domino, & matre ex nobili Auellarum familia natus, anno 9. ætatis habitum monasticum in monasterio Casinensi induit. Mortuis parentibus, in syluas apud Setinam ciuitatem veniens de Episcopi diœcesani licentia cœnobium construxit. In quo cum aliquot monachis vitam asperam duxit; pane enim, & aqua contentus carnem suam sæpius flagellans domabat. Qua vitæ ratione vsque ad annos 72. Gelasio Summo Pontefice vsus est. Cum verò diem suum tandem obijsset, corpus ab Episcopo, & clero, populo insequente Setiam delatum, ibi conditum est. Multis claruit miraculis: ranas nimium obstrepentes baculo palude, in qua erāt, prope monasterium percussa ita compescuit, vt deinceps exau ditæ nunquam fuerint. Tres se inopes simulantes, vestes bonas reponentes laceras induunt, vt meliores à Lindano Abbate reciperent: qui loco vbi vestes illi absconderant, monacho indicato, afferri iussit, quas tribus illis donās, artem arte delusit. Cum Setia incendio conflagraret, ignisque ecclesiam, in qua corpus S. Lindani iacet, peruasisset; illud tamen cum capta cæteris combustis inuio-

Lindanus ranarū clamorem baculo compescit. Ars deluditur arte.

Corpus S. Lindani in maximo incēdio inuiolabile comperitur.

inuiolatum permansit. Mulier membrorum vsu, ex diutina infirmitate destituta, ad S. Lindani tumulum ducta sanitatem recuperauit; alia item à Dæmone obsessa ibidem liberationem impetrauit. *Ex quodam M. S. in Baroniana Bibliotb. In quo plura alia miracula recensentur.*

Obsessi à dæmonibus, ac languidi sanantur.

ANNOTATIO.

Alij natalem S. Lindani in præcedentem diem referunt: quòd ea die migrauerit, in præsentem verò reijcitur, fortè ob Visitationis Dei genitricis solemnitatē.

Iulij die 4.

DE S. ANTONINO MART. PATRONO PLACENTINO.

ANtoninus miles Thebęus, cum Maximianus Imp. in finibus Sedunorum in Thebææ legionis milites Christianos, qui impijs sacrificijs pollui recusabant, fæuiret, multique nimiam illius crudelitatem deuitantes in diuersas partes aufugerent; & ipse ex fuga Placentiam vrbem Galliæ Cisalpinæ nobilissimam se recepit. Vbi Christum annuncians plurimos ad illum conuertit. Cum autem fama sanctitatis illius peruulgata multi in dies ad eum cōfluerent, impius Iudex illum ad se accersitum à fide Christi conatur auertere; cumque id assequi non posset, ira percitus, satelliti, vt eum necaret, mandat. Qui districto gladio Antoninum Christi martyrem effecit. Cuius corpus cum diu latuisset, tandem à S Sauino Episcopo diuinitus admonito repertum in ædem S. Victoris martyris solemni pompa translatum est. Quo tempore illud mirandum contigit, vt dum corpus transferretur, gutta sanguinis ex eo, perinde, ac si recens effusus esset, effiueret. Duo alia mirabilia in eiusdem translatione narrantur. Vnū quidem quod cum solus S Sauinus Episcopus cum clero, & populo adesset, sex tamen alij Pontifices Episcopali amictu ornati corpus martyris cū Sauino deferre visi sunt. Alterum mirabilius quod cum illud in idem S. Victoris Episcopi se pulchrum inferretur, corpus S Episcopi se colligere, & martyri locum concedere visum fuit. Illum Placentini vt præcipuum vrbis suæ protectorem venerātur hac die. *Ex officijs Eccles. Placent. nuper Romæ approbatis.*

Gutta sanis veluti cens effluit

Sex Episcop visi sūt S. Antonini corp° deferre, cum tamen solus S. Sauinus adesset.

Corpus S. Victoris locum S. Antonino concedere visum fuit.

ANNOTATIO.

MArtyrologium Rom. natalem S. Antonini Pridie Kal. Oct. recolit, Eccles. verò Placent. hac die. Baron. in suis Annot. in Martyrol. Inuentionem die 30. Sept. celebrari tradit, quam tamen Eccles. Placent. die 13. Nouemb. celebrat. Pet. in Cat. lib. 8 c. 133. Illum Antoninum vocat, & patria Placentinum fuisse asserit. Alij aliter Historiam referunt acta illius cum actis alterius, qui Parmæ in Gallia passus est, vel cum eo Apamea, qui in Syria coronatus traditur, confundentes.

DE S. ALBERTO EPISCOPO, ET PATRONO Laudensi.

ALbertus Ripæ altæ (locus est Mediolanensis diœcesis) ex Quadrella familia ortus est. Quē Sacerdos quidā accersitus, vt orando matri in partu periclitanti opē ferret, magnum futurum prędixit. Rem exitus cōprobauit. In Christianis religione, & virtutibus educatus, vbi ad virilem ætatē peruenisset, paupe res ac opis indigi ad eū, vt apes ad alueum confluebāt. Ita fuit in omnes pius, &

misericors, vt victu, & vestitu humili contentus in aliorum sustentationem facultates suas expenderet. Factus Sacerdos, non multo post Episcopus III. Laudensis creatur. Quo in munere nihil prætermisit, quod ad boni pastoris officiũ pertineret. Primus consortium cleri Laudensis instituit; multis illi facultatibus attributis, pro subleuandis pauperum indigentijs, puellis in matrimonio collocandis, suffragijs Defunctis porrigendis, clericisque Cathedralis Ecclesiæ sustentandis. Cum copiosè pauperum turbæ eleemosynam ministraret; semper tamen quasi diuinitus ducta, idem præstandi aderat facultas. Quin etiam illud de eo memoriæ proditum est, quod cum omnem in eleemosynas pecuniã insumpsisset, post paucas horas, locum, quem vacuum reliquerat, pecunijs plenum reperit. Cum Ecclesiæ suæ annos 30. præfuisset, miraculis clarus ad cœlestem patriam euolauit 4. Non. Iulij circa an. sal. 1123. *Ex monum. Eccles. Lauden.*

Albertus mira ergà pauperes charitate.

ANNOTATIO.

CVm S. Albertus III. Episcopus Lauden. fuisse asseratur, illum multo ante id tempus vixisse, obijsseque oportet, vel eam Ecclesiam diu Episcopo caruisse. Nisi III. huius nominis dicatur.

DE S. MVSTIA VIRGINE, ET PATRONA PISAVRENSI.

MVstia virgo apud Pisaurenses maximam habet post S. Terentium primum vrbis illius Tutelarem, venerationem: cuius reliquiæ in æde S. Cassiani quiescere putantur. Quo tempore illa vixerit, sciri haud potuit; licet in ea re non parua adhibita fuerit diligentia, quòd acta illius iniuria temporum, vt multa alia exciderunt. *Ex Tab. Eccles. Pisauren.*

ANNOTATIO.

NOn desunt, qui Mustiam eandem cum Mustiola virgine Clusina esse autumant. Sed illa martyr fuit; hac virgo tantùm. Illius natalis die præcedenti celebratur, huius verò hac die.

DE B. IOANNE RAVELLO EPISCOPO FERRARIEN. Ord. Iesuatorum.

IOannes ex honesta familia Rauella Tussignani seu Tusignani, Corneliensis diœcesis castro natus, Bononiæ Legibus operam dedit, studio pietate, continentia, humilitate, cæterisque virtutibus adiunctis. Cum primùm Doctorum lauream suscepit (quod pridem animo decreuerat) ordinem Iesuatorum ingreditur: In quo Venetias missus Angelicam magis, quam humanã agebat vitam, Factus prior cœnobij Ferrariensis; ita virtutibus emicabat, vt mortuo Ferrariæ Episcopo, à Ferrariensi Principe suæ vrbis Episcopus vnà cum alijs postularetur. Cum autem Eugenius IV. Pont. Max. alium ex propositis à Principe eligere decreuisset, nocte præcedente intimis cruciatus doloribus, mutata sententia statim ab ijs liberatus est. Factus itaque Episcopus An. sal. 1431. & Apostolicis litteris onus Episcopale, quod detrectabat, subire coactus, summa vigilantia, & prudentia illud administrauit, pauperum præcipuè curam gerens. Cum enim domus suæ præfectus se iam non habere, quod pauperibus, quibus iubebatur eleemosynam dare, affirmaret, propriam cubiculi suppellectilem, & propria indumenta illis S. Episcopus distribuebat: in quibus D. Iesum,

B. Io. Tussignani natus. Ligibus studet.

Ord. Iesuatorum ingreditur.

Creatur Ep. Ferrarien.

Miraculis fulget.

D. Iesum pauperis vlceribus, pleni specie meruit induere. Inter miracula, quibus claruit, hæc memorare sufficiat. Cum Padus Flaggeres egressus, etiam vrbi vastitatem minaretur, illum oratione, & præcepto (quod scriptum in aquam proiecit) in locum suum redire statim coegit. Cum præfecto domus, vt cuidã pauperi mulierculæ panem, vinum, & alia necessaria deferens subueniret, præcepisset, isque se, vbi illa habitaret, nescire diceret, *tolle* inquit, *hoc orarium, ac ibi res deponito, vbi ante ostium illud exciderit*. Eo itaque eunte, strictimque orarium manu tenente, ante ostium illius paupercułæ illud sibi excidit. Cum sacra mysteria perficeret, igneus radius super caput eius ab astantibus omnibus visus est. Qua die verò ex hac vita migrauit, animam illius instar radiantis stellæ in cœlum ascendere à B. Catharina V. & moniali Ord. Min. Bononiæ visam ferũt. Cuius corpus Ferrariæ in cœnobio sui Ord. sepultum multis enituit miraculis. *Ex eius vita, quam author Flor. SS. refert.*

Padum exundantem cohibet.

Radius igne' super cap. celebrantis apparet.

Anima illius velut stella cœlum ascẽdit.

ANNOTATIO.

Epitaphium ab Eugen. IV. Pont. Max. compositum.

IO. *Tussignanus Ferrariæ Episcopus, vir & animi bonitate, & doctrina, & morum integritate in orbe clarus, in ecclesia militanti, vt sidus fulgentissimum micat.*

Hexastichon in laudem eiusd. B. Io.

„ *Doctor Ioannes Rauellæ gloria gentis*
„ *Pauisti innumeras tu bone Pastor oues.*
„ *Inualidis vires reddebas, lumina cæcis*
„ *Sanabas facili languida membra manu.*
„ *Vt quondam Eridani per te stetit vnda tumentis,*
„ *Sic stantes tacito fundimus ore preces.*

Iulij die 5.

DE SANTA ZOE MARTYRE ROM.

ZOe Nicostrati viri clarissimi primi Scrinij vxor cum ante sex annos ex graui morbo vocem effecta muta amisisset, illam S. Sebastiani oratione mirabiliter recuperauit, cum verba hæc ille protulisset, *si verus ego Christi Iesu seruus sum, redeant in nomine eius officia labiorum*, formatoque in ore illius crucis signo. Quamobrem Nicostratus ad Christum conuersus cum Zoe à Polycarpo baptizatus est. Cum autem Zoe in Natali die Apostolorum ad confessionem B. Petri oraret, à paganis capta, ductaque ad Martis Idolum, thus illi offerre cõpellitur. Quod cum facere recusatet, retro carceris sex dies, sine omni cibo, potu, & solatio includitur; deinde capillis in arbore suspenditur fumo, horribilissimo subiecto: in eoque cruciatu emisit spiritum. Cuius corpus grandi saxo alligatum in Tyberim proiectum est. Passa est 3. Non. Iulij sub Diocletiano Imp. *Ex Gestis S. Sebastiani mart. à Sur. tom. 1. relat.*

Zoe muta loquela recuperat.

ANNOTATIO.

VBi corpus S. Zoes quiescat cognoscere non potui. *Non enim ex actis S. Sebast. inquit quib. illius passio recitatur, vbi conditum fuerit, habetur.*

DE SS. AGATHONE, ET TRIPHINA MARTYRIBVS in Sicilia.

AGatho, & Triphina virgo in Sicilia pro Christianæ fidei confessione martyrio coronati sunt, vt Beda in suo scribit Martyrologio, licet locus, & tempus passionis ignorentur: nulla enim ipsorum in Sicilia extat memoria. Corpus Triphinæ, quę Triphomena appellatur, in Minorensi ciuitate apud Amalphim asseruatur, ibique maximo in honore habetur; est enim vrbis illius tutelaris, eiusque celebritas hac die maxima solemnitate peragitur. *Ex monum. Eccles. Minoren.*

ANNOTATIO.

QVando, & quomodo corpus S. Triphomena virg. & mart. Minorem translatũ sit, nondum compertum est.

DE S. STEPHANO I. EPISCOPO RHEGINO, & martyre.

STephanus ciuis Rheginus, à S. Paulo Apostolo, cum ex Syria Romã ductus Rhegium Brutiorum metropolim appulisset, ad Christum conuersus, & in fide instructus, primus Rheginorum Episcopus ab eodem Apostolo ordinatur. Qui post Apostoli discessum, dum munus Episcopale prædicando, impigrè exequeretur, multis iam ad fidem perductis, in Neroniana persecutione comprehenditur; cumque constanter in fidei confessione perseueraret, atque multis affectus supplicijs, cruciatus omnes superasset, demum capitis obtruncatione martyrium consumauit. *Ex Cronicis Calabriæ F. Hieron. Ord. Minor.*

ANNOTATIO.

ALij illum Nicanum fuisse, & Nonis Iulij passum esse scribunt, vt apud Dauidem Rhom. in Catal. SS. Regni Neapolit.

DE S. MARCELLIANO EREMITA ALTINATE.

MArcellianus Altinas, eadem tempestate, qua S. Heliodorus Episcopus, vixit. Hic in Insula proxima, quæ ex eo Marcelliana dicta est, vitam diù eremiticam duxit. Cuius sanctitatis fama commotus S. Heliodorus Ambrosio discipulo coadiutore, & successore Episcopo ordinato, in eam Insulam se recepit; in qua simul cum Marcelliano aliquandiu vixit, ecclesia, in qua diuina persoluebant, ibi extructa, donec Marcellianus senio, & assiduis macerationibus confectus Non. Iulij debitum vniuersæ carnis persoluit. Cuius corpus à S. Heliodoro ibidem tumulatum, postea Torcellum translatum est: ibique più asseruatur. *Ex vita S. Heliodori apud Pet. in Cat. lib. 6. c. 46.*

ANNOTATIO.

IN Tab. Eccles. Torcellana ad vsum sacrum confectis S. Marcellianum haud descriptum inueni; Forte illius mem. in ecclesia, in qua corpus conditum, tantummodo recolitur.

DE S. PHILVMENA VIRGINE SEPTEMPEDANA.

PHilumena virgo Septempedana in Piceno (quæ ciuitas nunc S. Seuerinus appellatur) ex nobili Clauellensi familia nata, ante S. Seuerinũ Episcopũ, vixit,

vixit,& eximia sanctitate floruit;magnamque habet apud Septempedanos venerationem. Cuius corpus à S.Seuerino, ne à Gothis inuentum, discerperetur, in ecclesiam Cathedralem translatum conditum fuit, vt ex ipsa tumuli inscriptione apparet;quę sic habet. *CORPVS S. PHILOMENÆ EX NOB. PROSAPIA CLAVELL. SEPT. TEMPORE GOTHORVM TRANSLATVM EST. IN ECCLESIA S. LAVRENTII POST ALTARE MAIVS. S. EPISCOPVS MAN. PROP. idest* Seuerinus Episcopus manu propria scripsit. *Ex vita S.Seuerini Episcopi.*

ANNOTATIO.

DE hac virgine; qua in Martyrol. Rom. Philumena appellatur, in dicta verò vita Philomena, nihil aliud sciri potuit.

Iulij die *6.*

DE S. TRANQVILLINO MARTYRE ROM.

TRanquillinus nobilis Romanus SS.Marci, & Marcelliani pater, cum à S. Sebastiano à chiragra,& podagra, liberatus esset ad Christum conuersus, & à S.Polycarpo Presbytero lustratus aquis salutaribus à S. Caio Papa Presbyter ordinatus est. Coram Chromatio vrbis Præfecto de Dijs differens,eos hominibus potius obfuisse quàm profuisse hominesque fuisse sceleſtos,crudeles, impios,iniustos, impudicos, fraudulentos, & flagitiosos ex scriptorum monumentis ostendit. Remissus in carcerem,cum rursus ad Præfectum adductus,& quomodo ex eo morbo conualuisset,interrogatus,magno auri pondere sibi proposito,& oblato,si modum docuisset,respondit, se annis 11. ita per omnes corporis iuncturas doloribus afflictum,vt neque cibum manu capere posset, nulla alia arte,quam Christi beneficio sanitatem consecutum fuisse. Tunc à Præfecto demissus, vt ad se,qui eum sanum effecerat, vocaret, confestim B.Polycarpum Presbyterum adduxit.qui Præfectum prius fidei, mysteria edoctum, indictoq; triduo ieiunio,S.Sebastiano præsente, aquis lustralibus expiauit vnà cum Tiburtio filio, Idolis omnibus quæ apud illum erant,confractis. Tranquillinus autem,cum S.Zoe in Tyberim præcipitata fuisset,diceretque fœminas ad coronas viros præcedere, & ipse ab Idolatris dum in octaua Apostolorum ad B.Pauli confessionem pergeret,captus lapidibus obrutus in Tyberim proiectus est.Nonis Iulij. *Ex Gestis S.Sebastiani & Adone.*

Qui fuerint Dij.

Tranquillin⁹ 11. annis eximiis dolorib⁹ afflictatus, à S.Sebastiano sanatur.

Chromatius Præfectus vnà cum filio Tiburtio ad Christi fidem conuertitur.

ANNOTATIO.

HVius S.martyris memoria hac die ab Eccles. Mediolanen. celebratur.

DE S. ROMVLO EPISCOPO FÆSVLANO, ET MART.

ROmulus Romæ nobili genere natus adolescens orbatus parentibus à S.Petro Apostolo baptizatus est: à quo plenius in fide instructus,prædicatione, vitæ exemplo, & miraculis plures Christo conciliare cœpit. Duos Carisij filios liberauit, vnum ab immundo spiritu, alterum vlceribus plenum ab ægritudine. Illum Sanctus Petrus Episcopum Fæsulanum ordinatum misit in Hetruriam vnà cum Iustino, Marchitiano, & charissimo. Quibus cum primum Sutrium venit: vbi cum Carisiæ viduæ loquelam restituisset, plurimos ad Christum perduxit. Inde à Præfecto eiectus Fæsulas pergens Volaterras diuertit, vbi Dulcissimum. & Crescentium discipulos,quos præmiserat flagellatos. &[illegible] montis [illegible] mam a- [illegible] ,ouersa, [illegible] dum

Romulus geminos Carisij filios liberat. Carisię viduę loquelam impetrat.

Semi mortuũ Iuuenem sanat.

dum iter Fæsulas prosequeretur diuino consilio aliò illud dirigens, Brixiam venit, ibique viduæ filio ad vitam reuocato magnam vtriusque sexus multitudinem Christo Domino lucratus est. Inde Bergomum profectus, multis ægrotis sanitatem restituit, duosque defunctos excitauit. Quibus miraculis ingentem Gentilium ad Christi fidem multitudinem pertraxit. Duodeuiginti menses Bergomi cum suis commoratus cœlesti nuncio accepto Fæsulas contendit. Vbi ab Hadriano nobili viro exceptus cũ à Celso puero dæmonem expulisset, illum cum tota familia breui Christianam fidem edoctum baptizauit. Quod Repettianus Prætor, seu Præses indignè ferens, Romulum cum socijs dirissimè cæsum vrbe eijcit. Cum autem noctu in vrbem, portis vltrò sibi apertis, reuersus, & apud Fidelem latens matronę nobilis filium defunctum vitæ restituisset, Prætor illum manibus pedibusque colligatum in reterrimum carcerem vnà cũ socijs sine cibo, & potu coniecit. Qui cœlitus sustentati post quatuor dies viui, diuinasque laudes canentes reperiuntur. Quare extracti, & per vrbem ducti variè cruciantur, Romulus autẽ pugione confossus animam Deo reddidit Prid. Non. Iulij. Nerone Imp. *Ex offic. Eccles. Bergomen. & Franc. Cattaneo Episcopo Fæsul. lib. de SS. Eccl. Fæsulana.*

Mortuo vitã iterũ donat.
Bergomi duos defunctos excitat.
Celsum puerũ obsessum à dæmone liberat.
Portæ urbis vltrò referantur.

ANNOTATIO.

PAssus S. Rom. cum soc. in eo lib. refertur an. D. 73. sub Nerone: quod stare non potest. Nam Nero anno post Christum natum 70. interfectus est. annoque 73. Vespasianus, Galba, & Othone occisis, Imperium tenebat, ex Baron. in Annalib. & Panuin. in Cron. Eccles.

DE S. DOMINICA VIRGINE, ET MARTYRE Tropeæ Tutelari.

DOminica virgo Christiana (quam Tropeanam patria fuisse quidam ferũt) cum Diocletiano Imp. Idola confregisset, accusata, ac comprehensa sub Campaniæ Præside diris ob fidei constantiam afficitur supplicijs. Nam primũ in fornacem ardentem immittitur; deinde cum inuiolata exisset, feris obijcitur: à quibus nil læsa, tota postea toto corpore dilacerata, cum nullo modo, vt Deos coleret, adduci posset; tandem tot cruciatibus superatis nõ sine maxima spectãtium admiratione, fortiter datis ceruicibus nobilissimum certamen feliciter cõsumauit Prid. Non. Iulij. Cuius corpus ex Campania Tropeam in Calabriam ab Angelis delatum ibi honorificè conditum est, maximamque habet in ea vrbe venerationem. *Ex monum. Eccl. Tropeiana Martyrolog. & Cron. Calabria.*

Dominica fornacem iniecta illæsa exit.

ANNOTATIO.

F. Hieronymus Polystinen. ex Ord. Minor. in Cron. Calabr. Dominicam Tropea natam scribit. Sed parum verisimile videtur, vt virgo ex Calabria in Campaniam ab illius Præside punienda duceretur, cum ea prouincia proprium Præsidem haberet: illud probabilius est, vt corpus ex Campania eò deportatum sit.

DE S. SEVERO EPISCOPO CÆSENATI, ET Protectore eiusd. vrbis.

SEuerus Cæsenæ natus Pelagio Summo Pont. & Iustino Imp. à prima ætate Ecclesiæ diu noctuque orationibus, & vigilijs inseruiens, factus grandior in cleri-

clericorum numerum recepitur, diuinisque litteris instructus, non multo post ab Episcopo, cui ob morum suauitatem, & probitatem charissimus erat, Diaconus ordinatur. Cum autem post aliquot annos Episcopus fato concessisset, populusque, & clerus in ædem S. Ioannis Baptistæ pro noui pastoris electione de more conuenissent, vbi preces ad Deum fudissent, columba (mirandum,) per ecclesiæ fenestras ingressa circumuolitare; ac demum super Seueri caput requiescere visa est. Quare is summo omnium consensu Episcopus eligitur, suoque tempore consecratur. Quo in pastorali munere se ipsum humilitatis, & charitatis exemplum præbens, orationibus, concionibus, alijsque pijs operibus vacans, & præcipuam pauperum curam gerens, commissum sibi gregem summa cum laude pietatis, & solertiæ pauit. Cuius vitæ sanctitas alijs etiam miraculis comprobata fuit, nam cum omnes ob diutinam terræ siccitatem in summo periculo versarentur, cunctique ad S. Episcopum, qui suis precibus, tantæ subueniret cladi, accurrent, ille cælo serenissimo subitam, & copiosam pluuiam oratione sua impetrauit. Cum verò diu ecclesiæ suæ sanctè præfuisset, ab Angelo de morte, quæ sibi instaret, admonitus populum vniuersum in ecclesiam conuocatum, morte sua ei denunciata, hortatur, vt in Dei timore perseuerans mandata illius custodiret, sacrisque munitus non sine ingenti omnium mœrore migrauit è vita. Prid. Non. Iulij. *Ex antiquis monum. Eccles. Cæsenatis.*

S. Seuerus Cæsenæ columbæ electione Episcopus acclamatur.

S. Seuerus cælo serenissimo copiosã impetrat pluuiam.

Angelus seu eo mortem prænunciat.

ANNOTATIO.

SVnt, qui Seuerum ex Vlma Germ. vrbe ortum duxisse, ac Benedicto I. Pont. Max. ab Eleutherio Episcopo Rauennate ordinatum Diaconum dicant.

Ex quodam Epitaphio sub tumulo eius S. Seueri in propria ecclesia, quæ parochialis est, apparet illum anno D. 568. vixisse sub Pelagio Papa. Quod tamen Cronolog. Eccles. & Baron. in Annal. aduersatur. Nam Pelagius II. (cuius tẽpore Seuerus floruit, Iustino Iuniore Imp.) Pontifex factus est an. 578. quare pro 568. reponi debet 578. Quod autem in eius vita natus legitur Pelagio Papa, & Iustino Imp. Id potius ad vitam, quam ad natiuitatem referendum est: siquidem ex alijs Cæsenæ monum. habetur, Seuerum ex Vlma vrbe profectum Diaconum ordinatum fuisse sub Benedicto I.

Illud quoque corrigendum est, quod dicitur Seuerum natum, quo tempore Narses Patricius Italiam administrabat. Id nanque multo ante sub Iustiniano I. contigit.

Carmen in æde S. Seueri marmori insculptum, licet incomptum.

„ *Spargitur è Cælo pluuiarum copia tanta.*
„ *Mille quadringentis quadragenis euntibus annis:*
„ *Qua Rubicon, Sapis se expandit in agros*
„ *Omnes, & Tellus sua pondera ferre recusat.*
„ *Id quod causa fuit, quod tecta excelsa ruerunt*
„ *Vrbibus atque locis, nec non & Templa Seueri*
„ *Præsulis, & sancti: Cæsenæ pastoris amenæ*
„ *Qui fuit, & viguit sub nati tempore Christi*
„ *Annis quingentis cum sexaginta duobus*
„ *Iunctis sex alijs Pelagij tempore Papæ.*

DE

DE S. SYRO EPISCOPO GENVENSI.

Vide ad diem 29. Iunij, ea enim die obijt: licet ob Festum Apost. in hanc eius festiuitas referatur.

Iulij die 7.

DE SS. CLAVDIO, NICOSTRATO, CASTORIO, Victorio, & Symphoriano martyribus Romanis.

NIcostratus primiscrinius, apud quem SS. Marcus & Marcellianus cum alijs Christianis in vinculis detinebantur, cum Zoen vxorem suam mutam loquelam ad orationem S. Sebastiani recuperasse vidisset, ad Christum vnà cum Castorio frater opera S. Sebastiani conuersus SS. martyres vinculis absolutos, dimisitque, quem Claudius Commentariensis secutus, vnà, cum filijs Victorio, & Symphoriano, S. à Polycarpo Presbytero baptizantur, moxque filij quorum alter hydropicus, alter vlceribus plenus erat, mundari sunt. Cum autem in ora Tyberis amnis corpora SS. Zoes, & Tranquillini in flumen proiecta, vt ea sepelirent, perquirerent, ab hostibus fidei comprehensi ad Fabianum Iudicem perducuntur, à quo per dies 10. minis, & blandirijs frustra tentati vt propositum mutarent, rursus cruciantur, ac demum ingentibus ponderibus cõstricti in mare præcipites dantur. Nonis Iulij, ante S. Sebastiani, ac SS. Tiburtij, & Castuli, necnon SS. Marci, & Marcelliani martyrium. *Ex Gest. S. Sebastiani.*

In Baptisma te alter hydropicus, alter vlceribus plenus mundantur.

ANNOTATIO.

Diuersi sunt ab illis, de quib. in Martyrol. Rom. 6. Idus Nou. cum quatuor coronatis agitur, licet eadem sint nomina, excepto vnius, illi enim sculptores erant, hi aliud profitebantur officium.

DE S. CRESCENTIO, DVLCISSIMO, CHARISSIMO, & Marchiriano martyribus apud Fæsulas.

CRescentius Dulcissimus, Charissimus, & Marchirianus seu Marcianus, Romani S. Romuli Episcopi Fæsulani discipuli, & Comites fuere: quorum priores Volaterras à magistro præmissi, ibi verbera experti sunt. Cum autem multis locis peragratis Brixiæ & Bergomi fuissent, tandem cum S. Romulo Fæsulas perueniunt. Vbi cum suo magistro cæsi à Prætore vrbe expelluntur, & cũ in eam redijssent, in carcerem coniecti, sine cibo, & potu post quatriduum educti, atque per vrbem tracti, & cruciati post S. Romulum, & ipsi martyrij palmá gladio percepere. Quorum corpora penes corpus magistri vno ab vrbe milliario condita sunt. *Ex passione S. Romuli Episcopi.*

ANNOTATIO.

IN lectionibus, quæ in Eccl. Bergomen. recitantur Iustini, Charissimi, & Marchitiani, qui Marcianus appellatur, tantum fit mentio: De Crescentio, & Dulcissimo ne verbum quidem. Quorum tamen in antiq. monum. Eccles. Fæsul. mem. extat, & celebratur hac die.

DE

DE SS. STEPHANO EPISCOPO I. RHEGINO SVERA Episcopo alterius vrbis, ac Agnetis, Felicitatis, & Perpetuæ martyrum Rhegij in Calabria.

STephanus I. Rheginorum Episcopus à S. Paulo Apostolo, cum Rhegium Romam proficiscens venisset, ordinatus, post Apostoli discessum, cum Christi fidem prædicaret, multosque in dies ad Christianam religionem conuerteret, iussu Hieracis Præsidis vnà cum Suera alterius vrbis Episcopo, ac Agnete, Felicitate, & Perpetua ab ipso S. Stephano ad fidem conuersis comprehensus, multis afficitur supplicijs, ac demum capitis obtruncatione martyrium compleuit simul cum Suera, Agnes verò cum socijs variè torta, oculis orbata, in ardentem fornacem immittitur, cumque inde illæsa exisset, gladio percussa ad martyrij palmam euolauit Non. Iulij, *Ex Cron. Calabriæ.*

A N N O T A T I O.

DE S. Stephano supra die 5. huius actum est. Sed Dauid Rhom. in suo de SS. Regni Neapolit. catal. hac die natalem S. Steph. cum alijs adnotauit.

DE S. APOLLONIO EPISCOPO BRIXIENSI.

APollonius V. Episcopus Brixiæ anno à partu virginis 119. Ecclesiam Brixiẽsem administrare cœpit. Qui cum Euangelium in vrbe maximo charitatis feruore annunciaret, maximam ciuium partem ad Christum perduxit; licet adhuc Traiani persecutio perduraret. Eo prædicante Faustinus, & Iouita ciues præclari Christianam religionem amplexi sunt: (pro qua postea sub Hadriano martyrium subire) quos etiam Sanctus Episcopus, vt eos coadiutores haberet, ordinauit, Faustinum quidem in Sacerdotem, Iouitam verò in Diaconũ eo loci, in quo nunc S. Floriani sacellum visitur. Ibi enim S. Apollonius latitans non quasi persecutores reformidans, sed ne oues nouellas desereret, sacra munia obibat. Cumque aquæ inopia Christiani eo in loco laborarent, fons in collis radicibus prodigiosus emanauit. Cum verò SS. Faustinus, & Iouita martyrio fuissent affecti S. Episcopus è monte descendens cum alijs christianis corpora SS. martyrum obtruncata noctu, qua decuit, & potuit reuerentia sepeliuit. Cum autem mortuo Hadriano, sub Antonino Pio Ecclesia respirare cœpisset, Apollonius relictis latebris montium in vrbis centrum se se recepit, vbi assiduis concionibus, priuatisque locutionibus, & veteres oues in fide confirmauit, & nouas complures Christo acquisiuit; ac vbi Valentini Hæresim Christum nihil de corpore virginis sumpsisse asserentis longius ab vrbe Brixia profligasset, senio confectus, mortis suæ præscius, populum ad se accersitum ad fidem Christo seruandam hortatus obdormiuit Non. Iulij. Cuius corpus in æde S. Andreæ dicata tunc conditum est, quo in loco postea suo nomine templum excitatũ fuit. *Ex monum. Eccl. Brixien. & Cron. Capreoli lib. 2.*

Fons in collis radicibus emanat.

Apollonius Valentini hæresim ab vrbe Brixia profligat.

A N N O T A T I O.

SI sub Traiano S. Apollonius Episcopus creatus est, atque sub Antonino Pio diem obijt, ad annos ferè 30. Ecclesiæ Brixien. præfuisse videtur. Corpus illius in eccl. Cathedrali asseruatur.

DE

DE S. CONSVLE EPISCOPO COMENSI V.

COnsul ex vrbe Nussia (quæ antiquis Nuesium siue Nouesium c. Germaniæ Inferioris ad Rhenum vltra Coloniam Agrippinam dicta videtur) ortus ea fuit eruditione, vitæq; probitate præditus, vt S. Abundio viro doctissimo, & sanctissimo in Episcopatu subrogari meruerit. Quo in munere adeo se pie & præclarè gessit, vt non modò apud homines laudem consequeretur, sed & cum diem suum obijsset (quod Nonis fuit Iulij) in SS. numero habitus, colique has die ab Ecclesia Comensi consueuit. *Ex Tab. & monum. Eccles. Comen.*

ANNOTATIO.

VIxit circa an. D. 550. Corpus cum corporibus aliquot aliorum SS. Epp. in maiore Eccl. asseruari fertur.

DE S. EVSANIO PRESBYTERO APVD FORCONIVM.

EVsanius Siponti in Apulia Christianis parentibus ortus, cum ad Sacerdotium peruenisset, in eremum pœnitentiæ causa secessit. Vbi viduæ filium defunctum ad vitam reuocauit, qui eius discipulus fuit. Inde Romam cum Theodoro fratre, Gratia sorore, & discipulo proficiscens apud Reate cæcæ mulieri 12. annorum visum restituit, & obsessam à Dæmone liberauit. Romæ cum sibi SS. Apostoli Petrus, & Paulus apparuissent, ac vt separarentur, præcepissent, Theodorus Caietam vbi Maximianus Imp. erat, ad Christi D. fidem in ea vrbe prædicandam iter arripuit: Eusanius verò cum discipulo Forconium, vbi sororem reliquerat, rediJt. Ibi paulò post sorore defuncta, cum asperam vitam duceret, & multos ob crebra miracula, quæ patrabat, ad Christum perduceret, à Sisinnio Præfecto ad Priscum Hamiensem Regulum trahitur: cuius iussu flagellis cæsus, vinctusque ib obscurum carcerem detruditur. Vnde eductus, cum publicè, ac liberè Christi D. fidem prædicaret, rursus Prisco iubente comprehenditur, & os lapidibus contusus carcere denuò includitur. Verùm ab Angelo solutus, & eductus, Prisco infelicem vitæ exitũ prædixit: qui postero die à quatuor Dæmonibus forma magnarum auium assumpta in M. excelsum deductus, inde præceps datus haud deinceps visus est. Quapropter plurimi ex populo Christianam fidem suscepere in ijs Sisinnius Præfectus, Prisci vxor, Quirillus filius, cum Eleutheria filia. Posthæc Eusanius de morte ab Angelo præmonitus Nonis Iulij animam Deo reddidit, à discipulo in æde monialium apud sororem conditus. Discipulus verò vnà cum multis virginibus illius cœnobij ex M. saxo collo singulis appenso iussu Cersonis qui Prisci amicus erat, præcipitatus martyr occubuit. *Ex monum. Eccles. Aquilana M. S.*

In eremo degit. Mortuum suscitat. Romam pergit. Reate cæcam illuminat. Separatur à Theodoro fratre. Multos conuertit. Flagellatur, & mittitur in carcerem. Fidem publicè prædicat. Lapidibus cõtusus rursus in carcerem mittitur. Priscus à quatuor Dæmonibus rapit. Sisinnius, & Prisci vxor cum filijs cõuertitur. S. Eusan obit.

ANNOTATIO.

HAmia, Forconium, & Amiternum antiqua vestinorum vrbes fuere: quibus euersis, ex earum ruinis in M. proximo Aquila c. praclara, ac Aprutij pracipua condita, siue potius aucta, iureque ciuitatis donata traditur.

Iulij die 8.

DE SS. QVINQVAGINTA MILITIBVS MARTYRIBVS in portu Romano.

QVinquaginta milites constantiam S. Bonosæ virginis mirari, & prudentiā maximè verò eo miraculo commoti, quod cùm tortores virginem iussu Iudicis (cui illam Aurelianus Imp. cruciandam tradiderat) verberibus afficere vellent, mox brachia illis ira obriguere, vt nullam in partem moueri possent, ad Christum conuersi sunt, & à S. Felice Papa baptizati, quos Iudex coram se adductos, cum à Christi fide abduci non possent, gladio animaduerti iussit. Educti itaque extra vrbem, capitis abscissione martyrij palmam adepti sunt. Quorum corpora à Christianis milliario ab vrbe Portuensi tumulata sunt 8. Id. Iulij. *Ex pass. S. Bonosæ virg.*

ANNOTATIO.

HOrum nomina ignorantur: Sed neque vbi eorum corpora quiescant, scire potui.

DE S. APOLLONIO EPISCOPO BENEVENTANO.

APollonius Episcopus Beneuenti, tertio loco post S. Ianuarium Beneuentanæ præfuit Ecclesiæ: multaque passus fuit ab hostibus fidei. Quorum cedens improbitati extra vrbem aliquandiu, extructa sibi ædicula, habitauit, ibique munus vt poterat Episcopale obibat, donec per confessionis viam 8. Idus Iulij migrauit ad Dominum. Corpus asseruari in Eccl. Beneuent. perhibetur. *Ex monum. eiusd. Eccl. Beneu. Agitur de eo in Synodo Beneu.*

ANNOTATIO.

FOrtè quispiam mirabitur, qui potuerit S. Apollonius persecutionis tempore vixisse, si post Dioclet. Ecclesia pace fruebatur. Si enim tertius fuit Episcopus à S. Ianuario, qui sub Diocletiano passus est, circa finem. hoc est an. D.305. Sed licet Imp. qui persecutionem commouerat, desiisset; non deerant Præsides, aut Præfecti fidei hostes, qui alicubi sub alio Imp. Christianos exagitabant.

DE S. ILLVMINATO EREMITA APVD TIPHERNVM Tyberinum.

ILluminatus Eremita in agro Tiphernate apud montem Albanum ab vrbe Tipherno ad 4. M. P. distante vitam asperam in ea montis excelsi solitudine duxit, Præcursoris normam imitatus, cum solis rebus aggrestibus vesceretur. Quo in loco ecclesia sub eius nomine olim extabat: ea autem cū prosimo pago diruta, dum corpus aliò deferretur, puella diu ab immundo spiritu agitata, vbi sacrum corpus attigisset, illicò liberata est. Clericus etiam toto corpore perfractus, cum decennio eam infirmitatem passus esset, ab auo suo ad Beatum Illuminatum ductus, sanitatem consecutus est. *Ex monum. Eccles. Tiphernatis.*

Illuminatus Præcursoris normam in cibis æmulatur.

Puella à Dæmone agitata liberatur.

Clericus post decennij infirmitatem sanitatem consequitur.

ANNOTATIO.

Q*Va tempestate vixerit, & vbi natus sit, haud legitur in citatis monum. M.S. Neque natalem illius in Tab. Eccles. adnotatum vidimus.*

Iulij die 9.

DE S. AMPELIO EPISCOPO MEDIOLANEN.

Vide die 8. Februarij.

DE SS. ZENONE, ET ALIIS DECEM MILLIBVS ducentis tribus martyribus Rom.

CVm in Christianos persecutio valde feruesceret, Zeno cum tot alijs ab hostibus fidei tenti, varijsque supplicijs torti, vt Christum abnegarent, extra vrbem apud locum, qui Gutta iugiter manans vocabatur (qui locus teste Baronio apud aquas Saluias erat) fortes in confessione fidei persistentes martyrio coronati sunt. Quorum reliquias adhuc asseruari in eo loco, idem Baronius in suis Annotat. affirmat. *Ex Beda, Vsuardo, Ad. & alijs. Pet. in Cat. lib. 6. c. 75.*

ANNOTATIO.

N*Vllus Imperatoris, sub quo tanta martyrum turba passa fuit, meminit. Crediderim tamen eos sub Dioclet. qui maximè omnium in Christianos desæuisse videtur, coronatos fuisse.*

DE S. PANCRATIO EPISCOPO I. TAVROMINITANO, & martyre.

Vide die 3. April.

DE S. PONTIANO EPISCOPO TVDERTINO, ET MART.

POntianus Episcopus Tudertinam regens Ecclesiam in sæuissima Diocletiani, & Maximiani Imperatorum persecutione in Christianos, in cisterna cuiusdam piæ matronæ Tudertinæ (cuius filium Seustium Ablauij Proconsulis nepotem vnà cum matre in Christiana religione erudiuit) latitabat: quando Ablauius in conciues sæuiens octuaginta vnà cum Seustio necem intulit, & ad domum illius venit, vt bona illius publicaret. Vbi inuentum S. Episcopum ex illa cisterna extraxit, illique antequam ad interrogationes, & quæstiones deueniret, quòd seustium nepotem paulo ante à se iugulatum ad Christum conuertisset, partem pellis instar zonæ à capite ad talos crudeliter detrahi iussit. Cum Pontianus interrogatus se Christianum libera voce respondisset, seque pro Christo, vt passionis illius & resurrectionis consors fieret, mori paratum, Romã vinctus abducitur, vbi iussu Imp. ferreis vinculis constrictus in carcerem conijcitur, Cassianique Ablauij filij custodiæ committitur; qui à Pontiano ad Christũ conuersus, Christianæque fidei præceptis instructus, postea illi in Episcopatu successit, illustreque martyrium pro Christo consumauit. Pontianus cum aliquot annos Ecclesiæ Tudertinæ præfuisset, multosque Christo sua prædicatione peperisset, post carceres, catenas, & alia tormenta, gloriosus tandem martyr migrauit ad Christum 7. Idus Iulij. *Ex offic. Eccles. Tudert.*

80. viri ab immani ciue Ablauio pro Christi fide necantur.

Crudele martyrium.

Cassianus Ablauij filius conuertitur.

A N-

ANNOTATIO.

DE Ablanio dub't ari potest. Quem sub Constantino Magno consulem, & Prætorio eff. functum; postquam Constantinus Christianæ fidei colla submisit, ac demum à Constantio filio Constantini, cum imperare capisset, obtruncatum fuisse Baron. in Annal. Eccles. refert. Nisi quis velit hunc ab illo diuersum esse, vel eundem sub Dioclet. & Constantino floruisse, vita in multos annos producta: quod minus tamen probabile videtur, cum nihil apud scriptores de re hac legatur.

DE SS. EVSANIO, ET SOCIIS MARTYRIBVS apud Forconium.

EVsanius Siponti Christianis parentibus natus, litterisque, & moribus excultus ad sacerdotium peruenit. Omnibusque spretis in antro extra vrbem, orationibus, ieiunijs, vigilijs, pijsque meditationibus vacans Domino 7. annis inseruijt. Cumque miraculis coruscare cœpisset, quòd nobilis fœminæ Sipontinæ filium mortuum ad vitam reuocasset, à Sipontinisque in Episcopum suum deposceretur, clam cum Theodoto fratre, Gratia sorore, & adolescente resuscitato discedens in agrum Reatinum secessit: vbi propè monticulum Theodoricę mulieri cæcæ visum restituit; Inde in Territorium Valuense veniens, maximam tempestatem, quòd Incolæ eum non excepissent, ortam sedauit, & lupo ouem sublatam deponere iussit. Mulieri quoque sterili filium impetrauit, quem illa Adeodatum nominauit, ecclesiæque cum oblationibus obtulit. Ex Valuis in Terram Forconiensem migrans, vbi Gratula, & Theodosia piæ fœminæ habitabant, rusticos muros, & immobiles effectos, quod SS. viros despexissent, pristinæ reddidit valetudini. Cum ad ecclesiam, quæ SS. Iustæ, & Felici, & Florētio extruebatur, transisset, filium vnicum viduæ paralyticum, mutum, surdūq; sanauit: atque apud vrbem Reatinam mulierem à Dæmone obsessam liberauit, Romam autem cum socijs profectus, multisque ob miracula conuersis ad fidē, apud ciuitatem Tyburtinam ab Apostolis Petro, & Paulo per visum iubentur separari. Theodotus itaque Caietam, vbi Maximianus Imp. cum Max mo filio eo tempore agebat, ad prædicandum pergit. Eusanius cum discipulo Forconiū redijt, vbi Gratia soror ægrotans migrauit ad Christum, ab Eusanio sepulta, ad cuius tumulum mulier cæca orans lumen recepit. Cum verò Eusanius multos in dies ex Paganis conuerteret, Priscus Hauiēsis Dominus, Sisinnium Forconij Præfectum mittit, qui ad se Eusanium pertrahat: quē fustibus cæsum, vinctūq; in carcerem trudit, & eductum ab Angelo vinculis, vt cæra resolutis, rursum à militibus captum, tandiu cædi, & tundi iubet, donec Iouis simulachrum adoraret: sed & simulachro ad Eusanij preces, corruente, contritoque, iterum grauiter percussum carcere includit. Sed eo à quatuor dæmonibus specie auium in montem sublato, indeque præcipitato, Sisinnius, Triphonia Prisci coniux cu Quetillo filio, & Eleutheria filia ad S. viri pedes prostrati cum tota deinde Hauiensi ciuitate baptizantur. Tandem B. Eusanius, cum à Deo precatus esset, vt quicunque ad suum sepulchrum oraret, misericordiam consequeretur, 7. Idus Iulij obdormiuit in Domino, ibique tumulatus multis effulsit miraculis Sipontinis, Valuensibus, & finitimis populis cum auro, & argento cōfluentibus. Cum autē Sipōtini corpus pretio redimere vellent, B. Eusanius Episcopis apparēs, se velle in ecclesia prope sepulchrū ædificanda quiescere monuit. Quā ecclesiā, cū

Eusani' mortuum ad vitā reuocat.

Mulieri cæcæ visum restituit.

Fœminæ in fœcundæ filiū impetrat.

Filius vnicus viduæ paralyticus, mutus ac surdus sanatur.

Gratia Eusanij soror emoritur: ac ad eius tumulū cæca mulier visum recipit.

Eusanius ab Angelo eripitur.

Iouis simulachrū corruit.

Priscus à Dæmonibus præcipitatur

Ac eius familia cum tota Hauiensi ciuitate baptizatur.

Dd Corso

Corso Tyrannus Prisci amicus, duabus pijs fœminis cum Eusanij discipulo saxo ad collum alligato in flumen præcipitatis destruxisset, augustius populi reædificarunt, corporaque SS. martyrum inuenta in ea condidere. *Ex quodam Antiq. M.S. Eccles. Aquilana.*

ANNOTATIO.

Acta citata nonnulla egent censura: nosque aliquaquasi inuerisimilia omisimus.

DE S. BRICTIO EPISCOPO MARTANO.

Brictius, siue Britius Antiochenus Diocletiano, & Maximiano Imperantibus vnà cum Anastasio patre, Eutychio fratre, ac 9. consobrinis Romam venit: vnde patre ob fidem decollato, ab Vrbano Episcopo factus Presbyter, cũ socijs Spoletium contendit. Ibi cum multos ad fidem perduxisset, accusatus apud Marcianum Præsidem Turgium, & Leontium militiæ Præfectos perducitur, cumque plura in Christianę religionis laudem perorasset, ore illi saxo cõtuso, in equuleo suspenditur, vncinisque ferreis dilaniatur. Eo autem cum socijs carcere incluso Marcianus sequenti nocte domo subito terræmotu corruẽte, & oppressis ex suis ad 120. viris, in fugã conuertitur. Quo tempore Britius à Principe Apostolorũ visitatus, in finitimis ciuitatibus Episcopos ordinare iubetur. Quare ab Angelo adductus, extra Spoletiũ oratoriũ extruit Dei genitrici Mariæ: in quo maximam vtriusque sexus multitudinem Christo conciliatam baptizauit, ordinatis Episcopis Perusiæ Herculano, Mauaniæ Vincentio, Vertonij Chrysolito, præter Presbyteros Diaconos, & minores clericos. Eò vndique confluebant, qui morbis insanabilibus laborabant, cum cæcis visum, surdis auditum, mutis loquelam, claudis gressum, alijsque infirmis sanitatem redderet; dæmoniacosque curaret. Denique Episcopo successore Spoletij ordinato, ipse Martulam, siue Martanẽ ciuitatem, quæ in Tudertinorum finibus erat, in itinere Pescennio cæco illuminato, Angelo duce peruenit. Vbi ecclesia extructa, multisque ad Christum perductis, clarus miraculis, & senio confectus migrauit è vita 7. Idus Iulij. Extat pagus cum ecclesia de S. Britij nomine dictus in Spoletinorum finibus, quem Martulam vrbem fuisse autumant: Vbi corpus illius asseruari ferunt. *Ex monum. Eccles. Spoletina.* De eo Pet. in Cat. lib. 6. c. 74. & Mombrit. tom. 1. in Actis SS. Abundij, & Carpophori.

120. viri terræmotu opprimuntur.

Brictius mirificus diuinorum effector.

Cæcus illuminatur.

ANNOTATIO.

Socij IX. S. Britij fuere Ioannes, Teudila, Isaac, Carpophorus, Abundius, Laurentius, Proculus, Herculanus, & Baractalis. De quib. in Actis eiusd. S. Britij, & in libello F. Io. Baptista Brachij, Ord. Præd. de SS. Spoletinis. Qui martyrio diuersis tamen diebus affecti sunt.

DE S. FELICE EPISCOPO GENVENSI VI.

Felix Genuæ natus, in sacrisque litteris, & moribus eruditus, ac à S. Valentino Episcopo sacris initiatus, illi vita functo, ob eius præclaras animi dotes, in Episcopali sede subrogatur. Eius sanctitas miraculis comprobata traditur; Nam inter alia, cum is sacra Missæ mysteria celebraret, flamma de cœlo super caput illius rutilans descendit, in qua Christi Domini manus super hostiam iã sacratam

Prodigium flammæ.

sacratam radians à S. Syro visa perhibetur. S. Syrum, qui sibi in Episcopatu successit, erudiuit; qui se discipulum tanto magistro dignum exhibuit. Felix denique pijs laboribus, senioque confectus, cum annum 70. ætatis ageret ad præmium in cœlos euolauit 7. Idus Iulij. *Ex monum. Eccles. Genuen. ac ex Augustino Iustin. in Hist. Genuens.*

ANNOTATIO.

Vixit S. Felix circa an. D. 140. vt apud Iacobum à Voragine legitur in Cron. M. S. Quare S. Syrus eius successor non anno 1133. Archiepiscopus creatus esse patuit. Illud indubitatum est, S. Syrum ante S. Gregorij Magni tempora vixisse. Nam is lib. 4. c. 53. Dialog. Ecclesia S. Syri Genuæ (licet illum martyrem vocet) meminit: Quæ temporis diuturnitate collapsa à Clericis Regularibus instaurata est. Neque enim alterius Syri extitit, aut extat Genuæ memoria cuius S Greg. meminerit: neque alius in Martyrol. Rom. aut alijs S. huius nominis præter hunc, & Syrum primum Episcopum Ticinen. legitur.

Corpus S. Felicis in eccl. S. Syri in loculo anno D. 1283. cum huiuscemodi inscript. repertum fuit. HIC REQVIESCIT S. FELIX EP. IANVEN. QVI VIXIT AN. LXX. REXIT EPISCOP. XX. RECESSIT VII. ID. IVLII.

DE S. THEOPHANIO CONFESSORE, CENTVMCELLENSI, & Cornuetano Protectore. *Vide die 16. Ianuarij.*

DE SS. MARTYRIBVS ANATHOLIA VIRGINE, & Audace apud Thoram.

Anatolia virgo Romana, Christianam colens religionem, Decio Imper. à quodam iuuene, qui ad eius nuptias aspirans repulsam à virgine retulerat, quòd Christiana esset, accusata, apud Thoram vrbem vmbriæ iuxta Velinũ lacum in exilium mittitur, vbi cum multos ex Piceno varijs languoribus oppressos, sanasset, ad Christumque perduxisset, à Faustiniano Præside euocata, frustràque verbis, vt Christi fidem desereret admonita, multis pœnarum generibus afficitur. Nam primum in equuleo suspensa torquetur, & facibus ardentibus admotis aduritur: deinde ab Audace venefico, in illam custodiæ traditam, serpens ingens, qui eam morsu venenato interficeret, immittitur. Sed serpens cum virginem nulla per totam noctem affecisset læsione, Audacem mane in custodiam ingressum aggreditur, illumque interfecisset, nisi Anatolia accurrens, serpenti, vt illum dimitteret, præcepisset. Quo miraculo Audax ad Christum conuersus, paulò post in carcerem missus, cum in fide recens suscepta, constans perseueraret, capite truncatus palmam martyrij adeptus est. Post Anatoliam: quæ statim ac Præses Audacis conuersionem accepit, eo iubente gladio transuerberata migrauit ad sponsum 7. Idus Iulij. An. sal. 253. Corpus ibidem à Christianis conditum fuit. *Ex Martyrol. Rom. libro de virg. Rom. Sur. tom. 4. Pet. in Cat. lib. 6. c. 73.*

Anatolia varios sanat infirmos.

Serpens veneficum inuadit custodẽ, qui Anatoliæ iussu ipsum non attingit.

Audax cõuersus martyrij palmam consequitur.

ANNOTATIO.

Extat op. in Piceno, & Vmbria confinio, in finibus Camertum non negligendum: cui nomen S. Anatolia est. Ibi corpus huius virginis, quæ ab Incolis maximè colitur, in propria ecclesia conditum est.

Iulij die 10.

DE SS. SEPTEM FRATRIBVS MARTYRIBVS ROMÆ.

IAnuarius,Felix,Philippus,Siluanus, Alexander,Vitalis, & Martialis S. Felicitatis matronæ Romanæ nobilis filij à Sacerdotibus Idolorum apud M.Aurelium Antoninum Imp. vnà cum matre accusati,quòd nisi Deos colere cogerẽtur,cultus ipsorum Deorum euanesceret, quia multi exemplo Felicitatis, & filiorum Deorum cultu neglecto Christo nomina dabant: Publio vrbis Præfecto,qui illos ad immolandum Dijs compelleret, traduntur: Is itaque SS. fratres vnà cum matre comprehendi,ad seque adduci iubet,ac eos singillatim blanditijs, & minis à Christiana religione conatur auertere. Sed cum illi, & propria virtute, & matris hortationibus in fidei confessione constantissimi reperirentur,iudicique intrepidè,& liberè responderent,è carcere educti variè 6.Id. Iulij necãtur,Ianuarius natu maximus plumbatis cæsus,Felix, & Philippus fustibus contusi; Siluanus ex altissimo loco præcipitatus: Alexander, Vitalis, & Martialis, qui natu minimus erat, capite plexi matris martyrio in aliud tempus delato. *Ex Breu.Rom. & pass. eorumdem à Sur.tom.4. relata.*

ANNOTATIO.

PAssi sunt anno D. 175. anno primo Soteris Papæ. M. Aurel. Antonini XIII. Extabat olim cæmeterium Romæ cum ecclesia nomine S. Felicitatis: in qua S. Greg. Papa, tertiam Homeliam habuit in Euangel. ibique corpora mart. condita erant.

DE SS. VIRGINIBVS, ET MARTYRIBVS ROMANIS Rufina, & Secunda.

RVfina, & Secunda virgines, & sorores Romanæ Asterio patre, & Aurelia matre parentibus clarissimis natæ,& Christiana fide imbutæ Armentario, & Verino nobilibus adolescentibus,& Christianis à parentibus desponsæ, illorum connubio reiecto,quòd Christo virginitatem vouissent, quòdque illi à fide defecerant,Valeriano,& Galieno Imperatoribus apud Iunium vrbis Præfectum Christianæ religionis accusantur. Comprehensæ itaque cum neque promissis,neque terrore a proposito fidei possent abduci,Rufina primùm virgis cęditur,Secunda sic Iudicem interpellante; *Quid est, quòd sororem honore,me afficis ignominia? Iube ambas simul cædi, quæ simul Christum Deum confitemur.* Quibus verbis Iudex ira accensus vtranque in tenebricosum, & fœtidum carcerem detrudi iubet. Loco autem statim clarissima luce, & odore suauissimo complero in ardenti balnei solio includuntur; Indeque integræ egressæ mox saxo ad collum alligato proijciuntur in Tyberim.Ex quo ab Angelo liberatæ, extra vrbem via Aurelia decimo milliario capite plectuntur. Quarum corpora à Plautilla matrona in suo prædio sepulta,postea in vrbem translata, in basilica Constantiniana propè Baptisterium condita sunt. Passæ sunt supradictis Imperatoribus 6.Idus Iulij. An. post Christum natum 260. Sixto Papa Pontificatum tenente. *Ex Breu. Rom. & pass. à Sur.tom.4. relata.*

Insignis Secũdæ patiendi ardor.

Fœtidus, & tenebricosus carcer luce clarissima, & odore suauissimo repletur.

AN-

ANNOTATIO.

IN Gestis harum virg. à Sur. recitatis quædam paulò diuersa à Breu. Rom. recensentur. Nam in illis has ab Arcesilao Comite comprehensas legitur, cuius nulla fit in Breu. mentio. Quædam etiam Baron. in Annal. non consentiunt, cum Baron. illas ante S. Steph. Papam, cui Sixtus successit, passas adnotauerit.

DE S. PATERNIANO EPISCOPO FANENSI.

PAternianus in Diocletiani persecutione ab Angelo monitus cũ Auito, Mauronnio, & alijs discipulis in solitudinem haud procul à Fano se recepit. Vbi varias diaboli se, suosque discipulos conantis decipere insidias superauit. Cum verò is puellæ formosæ specie seruum Dei ad libidinem sollicitaret, ad orationem confugiens, & manu igni ad libidinis ardorem extinguendum apposita hostem illicò profligauit, cũ in ea solitudine cite sibi, suisque defuisset, Senogalliẽsis ciuis diues in somnis admonitus camelos rebus ad victum necessarijs onustos dimisit, qui ad locum ignotum, vbi erat Paternianus, diuinitus peruenere. Pace autem Ecclesiæ data, fama que sanctitatis Paterniani peruulgata à Fanensibus Episcopus postulatur. Qui Maurontio Abbate monasterio præfecto, inuitus munus pastorale suscepit. In vrbis ingressu fœminæ religiosæ, iam pridem orbatæ, signo crucis oculorum lumen restituit. In vrbe verò, claudum in totius populi conspectu sanauit, multisque præterea morbo insanabili laborantibus incolumitatem reddidit. Plurimos ex Gentilibus, sublato Inanium Deorum cultu, ad fidem perduxit, multisque extructis ecclesijs, plures ordinauit parochias. Senio tandem confectus, mortem sibi instantem prædixit, moxque febri correptus, cum annos 45. Ecclesiæ Fanensi præfuisset, clarus miraculis 6. Idus Iulij cessit è vita. Cui ob sanctitatis præstantiam multis in locis templa excitata fuere. *Ex Actis illius M.S. quæ in Eccl. Fanen. asseruantur.*

Diabolus formosæ puellæ specie Paterniani ad libidinem sollicitare contẽdit.
Cameli ad ignotum Paterniani locũ diuinitus perueniunt.
Fœminæ orbatæ lumen restituitur.
Claudus sanatur.

ANNOTATIO.

FVit, & Paternianus Episcopus Bononien. de quo die 12. huius agetur. Et alter Episcopus in Palæstina: de quo Pet. in Cat. lib. 6. c. 79. Qui ex Actis videtur tamen cum Fanensi, vel Acta ipsa confusa sunt.

DE S. PETRO ABBATE PERVSINO.

PEtrus in agro Perusino natus Othone II. Imp. adolescens sacris litteris instructus breui ad Sacerdotium peruenit, cum vitæ innocentia, castitate, pietate que in pauperes conspicuus esset. Militibus Imp. qui ex vrbe Coronatus remeabat, Territorium Perusinum vastantibus Petrus multorum lacrymis Commotus Imperatorem adijt, libereque increpuit, quòd Regnum sibi à Deo gubernandum, non desolandum commissum esset, cumque districtissimam tot ma lorum à suis in pauperes præsertim factorum rationem redditurum. Quem cum Imp. primùm reiecisset; postea cognita sanctitate, illi accersitum libenter auscultauit, multaque correxit. Ab Honesto Episcopo Perusino innocens agnitus eorum, quorum falsò delatus fuerat, ecclesiam Beati Petri Apostoli in M. Calario dictã reædificandi cum cœnobio facultatem obtinuit. Factusque monachus, deinde Abbas I. eius cœnobij à Ioanne XIII. Pont. Max. omnia, quæ illius olim ecclesiæ fuerant, impetrauit. Vitam verò duxit austeram.

Petrus Imperatorem liberè reprehendit.

Nam carne semper abstinuit; ieiunium ter in hebdomada perpetua seruauit, vino rariùs, in quadragesima nunquam vsus. Horis canonicis in choro semper interfuit. Multa autem edidit miracula: Cum panis deficeret, eo orante ad ianuam monasterij equi frumento onusti ab ignoto missi adfuere. Cum columna ingens marmorea sursum eleuata diruptis funibus casura esset, facto ab eo crucis signo substitit in aere. Episcopus illi vas electuario plenum seruandum dederat, quod à Petro pauperibus ægrotis distributum cum Episcopus repeteret, ille Episcopi iram veritus ad orationem confugiens, vas vt ante plenum inuenit. Cum Cellarius eleemosynam pauperibus dare iussus, panem in arca deesse diceret, Is quinque panes inuentos à se benedictos canibus proiecit, quos, cũ canes attingere non auderent, pauperibus diuisit. Duos latrones suspendẽdos à Iudice ad custodiam ea conditione, vt si aufugissent, pœnam ipse sustineret, acceperat. Quos cum Petrus recreatos, & indutos eadem nocte à se, ne deinceps delicta perpetrarent, admonitos dimisisset, Iratus iudex pœnam illi remissurum pollicetur, si canes à se benedictos panes non attingerent. Verum Petrus, ne Deum tentare videretur, id facere recusauit. Vocatus tamen ad benedicendam Comitis mensam, canes panem porrectum ex mensa benedicta odorãtes, non sine maxima adstantium admiratione attingentes vlulabant. Cum Romã ad limina Apostolorum multis comitatus pergeret, multaque de cœlo vtrinque pluuia decideret, ne gutta quidem illum, & Comites attigit. Denique sibi multos annos ei cœnobio præfuisset, breui febre correptus obdormiuit in Domino 6. Idus Iulij. Cuius dies anniuersarius coli cœpit, cum hac die ventus vehemens arbores in agro Perusino conuulsisset, & segetes vastasset. *Ex vita M.S. quæ apud Monachos S. Petri Perusiæ seruatur.*

Equi frumento onusti ad Ianuam monasterij comperiuntur.
Colũna marmorea signo crucis in aere subsistit.
Vas electuarij pauperib. destitutum plenum inuenit.
Duos latrones è morte liberat.
Canes panẽ benedictum adorant.

ANNOTATIO.

ET si in SS. solemni ritu, quod sciatur, relatus non est, officio tamen Ecclesiastico ab Eccl. Perusina dudum colitur.

DE S. TVSCA VIRGINE VERONENSI.

TVsca virgo S. Proculi Episcopi Veronensis soror, vitam extra vrbis Veronæ solitariam in cellula ibi in sylua extructa degebat, cum ad eam B. Teuteria virgo, quæ ex Anglia aufugerat, ne à Rege violaretur, Regijs militibus insequẽtibus venit. Quam cum in eandem cellulam excepisset, loco filiæ habitam instruxit. Cum verò aliquandiu simul Christo orationibus, ieiunijs, vigilijs, pijsque meditationibus inseruissent, Teuteriamque Tusca defunctã sepelisset, & ipsa non multo post 6. Idus Iulij hinc feliciter migrauit, cuius corpus apud S. Teuteriam tumulatum est. Quo in loco ecclesia vtriusque nomini ædificata à S. Annone Episcopo consecrata fuit, in eaque corpora ipsarum in arca marmorea recondita fuere. Hoc nunc sacellum ecclesiæ SS. Apostolorum iunctum cernitur. *Ex libro de SS. Eccles. Veron. August. Valerij Episcopi multoties citato.*

ANNOTATIO.

VIxit tempore Maximini Imp. circa an. sal. 237. quo tempore SS. Firmus, & Rusticus passi sunt.

Iulij die 11.

DE S. PIO PAPA, ET MARTYRE.

PIus Aquileiensis Antonino Pio Imp. post Hyginium rexit Ecclesiam. Is multa vtiliter decreuit, in ijs, vt Sacerdos, cuius negligentia aliquid de sanguine Domini in terram decideret, quadraginta diebus pœnitentiam ageret: si super altare, tribus: si super linteum superius, quatuor: si inferius, nouem: si vsque ad quartum, viginti. Vt vbicunque ceciderit, lambatur, si recipi potest; sin minus, lauetur, aut radatur, lotumque, aut rasum comburatur, & cinis in sacrarium reponatur. Constituit etiam, vt Pascha die Dominico vti, & tempore Apostolorum, celebraretur. In Thermis Nouati fratris SS. Pudentianæ, & Praxedis titulum Pastoris erexit. Duas scripsit epistolas vnam ad omnes ecclesias, in qua de Paschate celebrando die Dominico agit. Alteram ad Italicos, in qua ne prædia Deo dicata, vsibus prophanis inseruiant, prohibet. Duas item per breues ad Iustum Episcopum Viennensem dedit. Cum sedisset, annos 9. menses 5. dies 27. ordinassetque Presbyteros 18. Diaconos 21. & Episcopos per diuersa loca 12. mense Decembri quinquies ordinationibus habitis, martyrio coronatur sepelitur in Vaticano 5. Idus Iulij. An. post Christum natum 167. M. Aurel. & L. vero Imperatoribus. *Ex Bren. Rom. Damaso in Pontif. & Baron. in Annal.*

Pij decreta.

ANNOTATIO.

M*Axima inter scriptores de tempore, quo Pius sedit, est dissensio. Euseb. libr. 4. c. 11. Hist. Eccl. scribit illum Annos 15. sedisse. Damasus in lib. Pontif. annos 19. menses 4. Scot. Marian. sequitur Eusebium. Platina illi tribuit annos 11. menses 4. Panuin. in Cronol. Eccl. supra ann. 11. menses 5 & dies 27. Baron. verò in Annalib. sicuti in Breu. Rom. Est & discrimen in Annis Christi. Nam Plat. & Panuin. illum obijsse an. D. 153. Baron. vero an. 167. Res obscurior redditur si anni consulum computentur.*

De S. Pio dissentio inter scriptores nouis.

DE S. SAVINO, ET CYPRIANO MARTYRIBVS Brixianis.

SAuinus, & Cyprianus fratres Brixiani Magno patre, & Lampadia matre parē tibus nobilibus nati Martiano Imp. primum sub Laodicio; deinde sub Maximo Proconsule, vt Deos venerarentur, & sacra Dionysio facerent, variè tentati, tortique fuere. Verberibus enim primum cæsi, deinde in fornacem ignis immissi sunt; demum super rotis extensi, & dilacerati, gratias agentes Deo, dicebant; *Quam dulcis est dilectio tua Domine*: Sicque 5. Idus Iulij martyrium compleuerunt. Quorum corpora in æde S. Afræ asseruantur. *Ex monum. eiusd. Eccles. & Martyrol. antiq. Eccl. Brixien.*

ANNOTATIO.

P*Assi sunt an. D. 452. vt Helias Capreol. lib. 4. Cron. Brix. ex Petro Episcopo Brixien. ait. Vbi quosdam hos martyres in Gallia apud Rhodanum in ea regione: qua Bressia vulgò nominatur passos credidisse scribit.*

Sed illud potius miror; quomodo sub Imp. religiosissimo, & in vrbe Christiana cultus Idolorum esse potuit? & qui fieri potuit, vt Praefecti illius urbis eo tempore essent Idolatra. Qua in re videndum est, ne pro Maximiano. Marciano scriptum fuerit.

DE S. IOANNE EPISCOPO BERGOMENSI, ET MART.

IOannes Bergomi natus honestis parentibus à prima ætate pietatis specimen dedit. Puer enim carnis oblectamenta deuitans,& neglecto iuuenum consortio,ecclesiamque frequentãs,liberalibus disciplinis operam dedit. Assidue Deum, vt se in viam salutis dirigeret, precabatur. Cum doctrina itaque, & moribus excultus in clericorum numerum acceptus fuisset,ac postea Presbyter factus esset,Quinctiano Episcopo mortuo omnium consensu sufficitur. In Episcopatu communi victu vtens, cum clericis cohabitabit, ad horas diurnas, & nocturnas conueniens. Tanta erga omnes erat præditus charitate, vt non modò suis,sed & exteris,magnisque Principibus æquè charus esset. A Gundiberto Rege Longobardorum, & Grimoaldo Duce donis pretiosis affectus, nihilominus Regiam cupiditatem liberè reprehendit. Quapropter Rex indignatus equum Episcopo indomitum misit,qui,vt illum Episcopus conscendit,mansuetissimus effectus est;ex quo tempore Rex illum maiore in honore habuit,& ab aduersarijs defendit. Quo tempore Ariani Catholicos diuexantes vnà cum Insubribus eadem hęresi infectis Abduam flumen transgressi agrum Bergomatem depopulabantur: Hos cum S.Episcopus cum suis fugasset, Alachis Tridẽtinorum Dux Arianus,Catholicorum sæuissimus hostis, Gundiberto Rege, qui auxilio Catholicis venerat, profligato, eiusque vrbibus magna ex parte direptis, inter alios, in quos maxima vsus est crudelitate, Ioannem Episcopum odio Catholicæ fidei necauit 5. Idus Iulij, circa an.sal.683.Cum is Ecclesiam Bergomensem annos 29. sanctissimè gubernasset. Eius corpus à ciuibus eius mortem diù lugentibus cum corpore S.Proiectitij honorificè conditum fuit. *Ex off.Eccles.Bergomen.*

Ioannes regiã cupiditatem obiurgat. Equus indomitus mansuetissimus efficitur. Alabis Tridẽtinorum Dux Arianus Catholicorum hostis sæuissimus.

ANNOTATIO.

NOmina hic deprauata videntur; nam pro Cuniberto qui 13. Rex Longobard.fuit Gundibertus,qui 10.extitit positus est, & pro Alachi, Alabis. Tempus etiam correctione videtur indigere,cum Gundibertus,seu Cunibertus à Grimoaldo circa an. D.666.occisus sit, ex Cronol.Eccles. Panuin.

Iulij die 12.

DE SS. NABORE, ET FELICE MARTYRIBVS Mediolani.

NAbor, & Felix milites Christiani Mediolani apud Maximianum Imp. cui chari erant, quòd effecti Christiani Deos execrarentur, eos Dæmonia appellantes,accusati,comprehenduntur,& se coram Imp.Christianos esse professi,in carcerem per aliquot dies mittuntur, Anolino Consiliario,qui eos torqueret,traditi. Cum verò nullis suasionibus ad Deorum cultum adigi possent, variè educti cruciantur. Primum enim ambo fustibus cæsi sunt:deinde solus Nabor spectante Felice equuleo tortus,& laminis candentibus adustus,ferreis vngulis excarnificat' est:quibus fortiter supplicijs superatis, vnà cũ Felice in ignẽ inijcitur: vnde diuinitus erepti incolumes euaserunt. Rursus in carcerem detrusi post aliquot dies vincti catenis Laudẽ Pompeiam producuntur; vbi cum iterum tentata eorum constantia, fortiores in confessione fidei Christianæ inuenirentur,

SS. in ignem iniecti incolumes diuinitus eripiuntur.

nitentur, fustibus cæsi postremò securi percussi præclarum Christo testimoniū reddidere. 4. Idus Iulij. Quorum corpora à Sauina nobili matrona noctu vehiculo imposita Mediolanum delata, ibique tumulata fuere, extructa postea sub illorum inuocatione ecclesia. *Ex Breu. Mediolanen. & pass. eorundem apud Mombrit. tom. 2. & Sur. tom. 4.*

ANNOTATIO.

Horum corpora Coloniam Agrippinam vnà cum corporibus trium Magorum translata fuisse circa an. sal. 764. Sigebert. in Cron. ad eum an. autor est, & Sur. loco memorato.

DE S. IOANNE GVALBERTO ABBATE I. VALLIS Vmbrosæ.

IOannes Gualbertus Florentiæ Gualberto viro militari, nobilique nãtus, pieque educatus, cum factus grandior in fratris interfectorem incidisset, & districto gladio indignā fratris necem vlcisci paratus esset, inimico ex equo descendenti, humique prostrato vitam sibi Christi amore condonari postulāri, ex animo per Christum, crucemque illius adiuratus pepercit. Quod Christo Domino adeo iucundum fuit, vt cum Ioannes ex via in ædem S. Miniatis de more preces fusurus ingressus fuisset, & ante crucifixi Imaginem oraret (mirabile dictu) ea imago caput versus Ioannem, quasi gratias agens inclinauit. Qua re commotus Ioannes habitum monasticum in eodem S. Miniatis cœnobio p̄re iniquo animo principio ferente suscepit, eosque breui in dies progressus in obseruantia monastica fecit, vt Abbate defuncto summo omnium consensu in locum illius eligeretur. Verum eo recusante, quidam ambitione ductus ab Episcopo Florentino data pecunia abbas præficitur. Quod vbi rescitum fuisset, Teuzonis viri docti, & probati consilio Ioannes ad Simoniæ detestationem Episcopum, & Abbatem simoniacos palam proclamare non dubitauit. Et ex eiusdem Teuzonis consilio vrbe egressus Camaldulum, vbi aliquot dies commoratus viuendi normam eorum monachorum didicit, deinde in vallem Vmbrosam venit, vbi loci solitudine delectatus monasterium extruxit, primaque ordinis Vallis Vmbrosæ factus primus Abbas fundamenta iecit. Aderant inter alios eius alumnos Erizo, Albertus, Teuzo, Rodulphus, & Petrus postea cognomento igneus. Ibi ex nimia vitæ austeritate languorem stomachi perpetuum contraxit, vt alijs misereri disceret. Cum autem multi tum mobiles, tum Principes opes fama sanctitatis ducti offerrent, & loca, prædiaque largirentur, ea despiciés, potius pauperibus illa erogari hortabatur; quæ verò monasterijs suis donata, vel legata erant, vendi, darique pauperibus iubebat. Cum verò vir quidam diues monasterium ingressus totum illi patrimonium despectis hæredibus reliquisset, vir S. zelo accensus sibi codicillos allatos discerpsit, ecclesiamque ingressus Deum, & Beatum Petrum Apostolum loci tutelarem precatus est, vt tantam aduersus regulam, & paupertatis votum iniuriam vlcisceretur. Vixque pedem inde extulit, cum flamma de cœlo monasterium illud absumpsit. Interea Episcopus Florentinus Petrus nomine Ticinensis non modò Simoniæ, sed & hæresis vitio aspersus non mediocri scandalo erat. Quapropter Ioannes, vt ciuitatem ea peste purgaret, Episcopum publicè ad sacrorum functionem minus idoneum dicebat, ad quem in monasterio S. Saluij existenté inter-

Rara Ioannis in hostem pietas.

Imago Cruci fixi caput vertit sus Ioannem inclinat.

Ioannes Petrum Episcopum Florentinum non modo simoniacum, sed & hæreticum appellat.

Petrus Episcopus armatos occisum Ioannem mittit.

interficiendum Episcopus magnam armatorum turbam misit: qui ianuis effractis multos ex monachis vulnerarunt: qui vbi præter opinionem conualuissent Romam profecti, vt Synodus fieret obtinent; Sed Episcopis partes Petri Antistitis, vt videbatur defendentibus, monachi innocentiæ fidentes, se quod Episcopo Florentino obijciebant per ignem probaturos exhibent. Quæ res cum populo probaretur, licet Episcopi reclamarent, quòd Deus tentari videbatur, accepta conditione, vt si monachus ignem ingressus illæsus exisset, Episcopus Florentinus reus haberetur, dies constituitur: qua aduenisti Petrus Abbas, Ioãnis discipulus, post missæ celebrationem casula deposita, acceptaque in manibus cruce, & à S. Abbate benedictione populo inspectante inter duas lignorum strues optimè accensas flammis aditum inter illas occupantibus ingressus per medios ignos globos, pedibus prunas calcans illæsus populo stupente, ac volentem eandem via per flammas ingredi retinente pertransijt, ne capillo quidem à flamma violato. Eo miraculo tantus nouæ religioni honor haberi cœpit, vt cœnobia certatim illi construerentur. Petrus verò igneus ab euentu nominatus in Cardinalem, & Episcopum Albanensem electus est. S. autem Ioannes senio confectus clarus miraculis 4. Idus Iulij migrauit in cœlum An. sal. 1073. *Ex Breu. Vall. Vmbr. & vita à Blasio Melanesio eiusd. Ord. Generali scripta.*

Petrus Abbas Ioánnis discipulus per medios ignis globos illæsus pertransit.

ANNOTATIO.

ILlum miraculis clarum Calestinus III. Pont. Max. an. sal. 1193. Kal. Octob. In SS. numerum retulit. Clemens vero VIII. in Kalendario Breuiarioque Rom. adnotauit.

Hymnus S. Io. Gualberti vitam, & miracula referens. Ex Breu. Vall. Vmb.

DVm crucis signum videt hic in hoste,
Parcit, & constans odium remittit:
Orat in templum, caput ecce Christi
Flectit in illum.

Postea seclum fugiens malignum,
Se suis vestes manibus Ioannes
Induit sacras, monachusque seruit
Relligioni.

Hic Dei zelo iugiter perardens,
Vtque vir fortis vitium duorum
Præsulum pandens, populum ruentem
Terruit omnem.

In via pergens inopi reperto
Vnicum panem dedit, ac recepit
Ipse tunc ternos: Deitas superna
Misit ad illum.

Vallis Vmbrosæ struit inde sacra
Tecta vir sanctus, simul atque secum
Edocet multos homines beatam
Ducere vitam.

Dum

Dum tegit culpas monachus pudore,
Detegit illas humili Ioannes
Voce, ne frater pereat silendo
Propter omissa.

Fluctuat demens rapidis in vndis:
Inuocat sanctum metuens aquarum
Impetus Arni, columis fit amens
Intus, & extra.

Nubium plenus minitatur aer,
Dum suas fratres properant aristas.
Vt terant, orat; penitus refugit
Nubibus aer.

Dum tenet latus monachus malignum
Spiritum forma leporis gerentem
Nesciens, sanctus metuens retexit,
Ne cadat ille.

Carne, non audent monachi carentes
Pane, se vesci, prece supplicantis
Angelus panes tulit, atque cunctis
Trusit orexim.

Manè consurgens onerat petentes
Pauperes multos, minuitque numquam
Triticum, dum dat; grauior sed arca
Semper abundat.

Iussit occidi rapidum sequentem
Buculas vrsum; properauit vltrò
Vrsus ad mortem patienter, æquè
Si foret agnus.

Transit illæsus monachus per ignem
Pontifex signo remouet scelestum
Præsulem viso metuens docentem
Dogmata falsa.

Cessit è vita meditans olympum,
Corpus in terris veneratur huius:
Spiritus lætus superam petiuit.
Proximus arcem.

Ecce nunc fagus memor est Ioannis:
Flore nam cunctis, folioque fagis
Singulis annis prior, & videtur
Omnibus ista.

Ante sacratum tumulum Ioannis.
Fit salus ægris, medicina fessis,
Lumen orbatis, fugiuntque monstra
Tartaris atra.

DE

DE SS. HERMACORA EPISCOPO I. POST S. MARCVM Aquileienſi, & Fortunato Diacono martyribus, & vrbis eiuſdem patronis.

Hermacoras, ſiue Hermagoras ciuis Aquileienſis S. Marci Euangeliſtæ diſcipulus cum magiſtro Romam profectus à S. Petro Apoſtolo Aquileienſis Epiſcopus ordinatur, Marco Alexandriam deſtinato, Aquileiam itaque reuerſus, Chriſti fidem prædicare, obſeſſos à Dæmone liberare, infirmos, & ægrotos ſanare Presbyteros, & Leuitas ordinare, in quibus Fortunatum Archidiaconum, & alia Eccleſiaſtica munera obire cœpit. Cumque innumera hominum multitudo etiam ex finitimis vrbibus ob ſigna conflueret, & ad fidem conuerteretur Sebaſtus, Præfectus Hermagoram ab Idolorum Sacerdotibus accuſatũ, quod Deorum templa euerteret, & populus ab eorum cultu auocaret, comprehendi & ad ſe adduci iubet, primumque blandè, vt Deos colat, & à Chriſti fide diſſeminanda ceſſet, hortatur; deinde ſibi non acquieſcentem extendi, & neruis diutius cædi, tùm tormenta deridentem in equuleo ſuſpendi, dilaniarique vnguibus, & lampadibus ardentibus aduri, imperat, populo clamante, ſanctum ſine cauſa pati. Qua voce Sebaſtus territus illum in carcerem remiſit. Ea nocte Pontianus carceris cuſtos ingens conſpiciens circa martyrem lumen, odoremq; ſuauiſſimum ſentiens, ad illius pedes prouolutus aqua ſalutari tingi petit, qui baptizatus Deos Gentium Dæmonia aſſerens, multitudinem hominum ad carcerem, vt lumen cernerent, concurrentium ad Chriſtianam fidem incitabat, in quibus Gregorij nobilis viri filium duodennem à Dæmone iam triennio vexatũ liberauit: patremque cum tota familia noctu carcere egreſſus (cuſtodi permittente) baptizauit. Cumque ad carcerem rediret, à Presbyteris, & Diaconis rogatus illis Fortunatum diſcipulum, & Archidiaconum Epiſcopum nominauit. Eo in carcerem reuerſo Alexandra vidua oculis capta carcerem ingreſſa ſibi à Pontiano apertum lumen recuperauit: & à Fortunato poſt triduanum ieiunium cum tota familia baptiſmo expiata eſt. His cognitis Præfectus Fortunatum detineri, & apud Hermagoram diligenter cuſtodiri mandat. Cum autem SS. martyres plura in dies patrarent miracula, & plures ad Chriſtũ perraherẽt, ita ſacerdotibus Idolorũ conſulentibus, ne populus cõmoueretur, vtrũq; noctu in carcere iuſſit obtruncari 4. Idus Iulij. Quorum corpora cum ſanguine a Pontiano collecta, Gregorius, & Alexandra aromatibus condita extra vrbis mœnia in agro ipſius Alexandræ condiderunt. *Ex Breu. Aquileien. & Pet. in Cat. lib. 6. c. 86.*

Pontianus cuſtos baptizatur Gregoriusque filiũ à Dæmone liberauerat ab ipſo ſacra ebluetur lympha.

Cæcæ viduæ lumen reſtituit.

ANNOTATIO.

Natalis horum SS. martyrum Aquileien. diac. patronorum in tota Aquileien. Prouincia, ab omnibus Epp. Patriarcha Aquileien. ſubiectis celebratur ex Synodali Conſtit. an. D. 1282. die 14. Decemb. ſub Raymundo Patriarcha. Corpora ipſorum ex Aquileia Gradum ab Helia Patriarcha translata feruntur, ex lib. eiuſd. de ritu ſepeliendi mort. c. 15.

Hymnus

Hymnus antiq. SS. Hermacoræ, & Fortunati ex Breu. Aquileien.

Aeterne Deus solio
Cælorum sedens rutilo
Nunc Hermacoræ precibus
Absolue nos sceleribus.
Fortunatique commodis
Nos omnes reple monitis,
Qui Hermacora præuio
Succurrit lapso populo.
Quos vinxit tui charitas
Meritò colit ciuitas.
Quæ ijsdem pastoribus
Erepta est Dæmonibus.
Proinde festa gaudij
Omnes vicini populi
Vndique proni cursitant,
Lætaque mente iubilant.
Nunc Deo Pastor inclyte
Nosmet commenda sedulè,
Quem præcinisti inclytum,
Vt diluat flagitium.
Ex cuius nutu fœminam
Saluasti Alexandriam.
Eo iuuante populum
Ad Cœli perduc solium.
Cuius amore capite
Truncatus es, vt hodie,
Sublimet Aquileiam
Vrbem fouendo Austriam. Amen.

DE S. PAVLINO EPISCOPO I. LVCENSI, & martyre.

Paulinus Antiochenus S. Petri Apostoli discipulus primus ab eo Episcopus Lucensium Romæ ordinatus, vbi Lucam peruenisset, signis, & prædicatione magnam ciuium multitudinem ab Idolorum cultu ad Christum côuertit, sacrasque ædes aliquot ædificauit. Quibus ad Neronem Imp. delatis, is Paulinû, cum suis comprehendi, & si Dijs immolare recusent, occidi iubet. Quare Paulinus cum seuero Presbytero, Luca Diacono, & Theobaldo milite captus Dianę sacrificare iubetur. Quod cùm facere constanter recusarent, fustibus tandiu cæduntur donec toto corpore sanguis deflueret, sicque in obscurissimum carcerem sine cibo, & potu detruduntur. Postridie educti, cum in proposito persisterent, feris obijciuntur: quibus ad SS. pedes prostratis, Imp. in rabiem versus illos vti maleficos ad Anolinum Præfectum puniendos misit; qui eos tetro in carcere inclusit, donec quo supplicio perimerentur, statueret. Noctu orante Paulino adfuit Angelus, qui carcere collustrato, martyres ad fortiter certandum, vt ad coronam, quæ eos manebat, peruenirent, hortatus est. Mane Anolinus eductos cum frustra, eos vt Deos venerarentur, monuisset, fustibus crudeliter mactari iubet, cumque S. Paulinus, & Seuerus in verberibus spiritum reddidissent, Theobaldus, & alij ad Montem Pisanum inter Lucam, & Pisas situm capite plectuntur. Quorum corpora Antoninus Presbyter, & eremita (qui in ijs montibus vitam solitariam degebat) à Valerio, Victore, & Luciano, & alijs Christianis adiutus in loco, vbi basilica Sanctissimæ Trinitatis, sepelijt. Vbi tandiu latuere, quoad an. sal. 1261. 17 Kal. Iulij diuinitus inuenta, in factam ædem S. Paulino dicatam translata sunt. In qua translatione plurimi ægroti sanati sunt, & puer, quem mater mortuum ad S. Paulini tumulum detulerat, reuixit. *Ex monum. Eccles. Lucen. quæ Syluanus Ratius in lib. de SS. Hetrur. retulit.*

Fere ad SS. pedes, mites effectæ prosternuntur.

Angelus hortatur ad certandum.

A N-

ANNOTATIO.

PLures in Italia huius nominis Epp. sanctitate floruere, Nolanus, Brixianus, Senogallien. Campanus, & Aquileien. Sed hic omnium antiquiss. est.

DE S. PATERNIANO EPISCOPO BONONIENSI.

PAternianus patria, vt creditur, Bononiensis S. Petronio à clero, & populo electus in Episcopatu circa annum sal. 450. Leone I. Pontifice Maximo successit. Is monasterium S. Michaelis nobilissimum in paterno fundo extruxisse putatur. Vixit in Episcopatu ad annos 20. circiter: quibus Ecclesiam Bononiēsem ea pietatis laude gubernauit, vt cum 4. Idus Iulias diem suam obijsset, ab eadem Ecclesia, cum alijs diuis coli hac die meruerit. Illi S. Tertullianus an. D. 470. subrogatus est. Corpus in æde S. Felicis sepultum est. *Ex Karolo Sigon. lib. 1. de Epp. Bononiens.*

ANNOTATIO.

CIrca initium Episcopatus Paterniani Epp. Æmilia, hoc est Bononien. Mutinen. Regien. Parmen. & Placentinus, qui Mediolanen. Archiepiscopo parebant, ad Synodos Mediolani celebrandas accedentes. Archiepiscopum Rauennatem metropolitanum ex Valentiniani III. Imp. decreto, qui cum Placidia matre Rauennæ sedem locauerat, agnoscere caperunt, ex Sigon. ibidem.

DE S. VGVZONE MARTYRE VALLIS CAVARNIÆ.

Vguzo armēta pascit. Alter Vguzonis Domin' bona amittit, alter plura acquirit. Vguzo liuore interficitur; ibique fons adhæc vsque tempora manans erūpit. Caseum pro donis offerūt.

VGuzo, qui & Lucius, ac Luguzonus dicitur, pastor, & Casearius vallis Cauarniæ fuit (locus est Euganeo opp. & Lacui proximus Comensis diœcesis) Pascebat hic armenta cuiusdam, à quo, quòd ecclesiæ, & pauperibus aliqua dedisset, expulsus cuidam alij adhæsit inseruiens, cuius res augeri in dies, alterius verò, qui eum expulerat, minui mirum in modum cœperūt, Quare ille inuidia, & odio stimulatus virum Dei interfecit, moxque in loco occisionis fons ingens instar parui lacus, in monte, qui adhæc vsque tempora visitur, ortus traditur; cuius aqua die, & hora, qua interfectus est, rubescere, & ad visus incolumitatem conferre narratur. Eò quotannis ad diem festum, & ad ecclesiam nomini suo dicatā non modò finitimi populi, sed & ex remotioribus partibus cōfluunt, dona, præsertim caseum deferentes (illum enim casearij præcipuè colunt.) Cum Incolæ aut pluuia, aut serenitate egent, ad eius ecclesiam processione euntes, solent, quod ex his postulant, impetrare. *Ex antiqua tradit, ac multorum fide dignorum relatu.*

ANNOTATIO.

ILlius natalis hac die dup. ritu ab Eccl. Cathedrali Lauden. celebratur; licet alibi die seq. recolatur.

DE S. LITHARDO CONFESS. CORNVETI PATRONO.

LIthardus, seu Lithuardus natione Germanus cum se totum diuino seruitio mancipasset, peregrinandi & sacra visendi loca cupidus relicta patria venit

nit in Italiam, ac præcipuis ecclesijs deuotè visitatis, cum apud Cornuetanam ciuitatem constitisset, ibi vitæ sanctitate, & miraculis clarus migrauit è vita 4. Idus Iulij. Corpus ibi honorificè asseruatum præcipuè à Cornuetanis colitur hac die. Extant insculpta de eo Carmina.

„ *Germaniæ laribus patrijs Lithuarde relictis*
Ad Corithi quis te littora chara tulit?
„ *Casu, vel potius nostras dignatus ad oras*
Pergere sancte pater, motus amore pio es?
„ *Non casu, nostros Deus miseratus iniquos*
Casus me ad Corithi littora chara tulit.
„ *Remotis veniens nimium peregrinus ab oris,*
Vt tuerer Corithi littora, prata, domos.

ANNOTATIO.

Acta, & tempus, quo vixit, aut obijt, desiderantur. Aliqua tamen ab eo post mortem miracula edita feruntur.

Iulij die 13.

DE S. ANACLETO PAPA, ET MARTYRE.

Anacletus patria Atheniensis Traiano Imp. S. Clementi Papæ in Pontificatu An. D. 103. successit. Decreuit, vt Episcopus à tribus Episcopis, neque à paucioribus consecraretur: vt Clerici sacris ordinibus publicè à proprio Episcopo initiarentur; & vt in missa peracta consecratione omnes communicarēt. S. Petri Apostoli sepulchrum ornauit, & Pontificum sepulturæ locum attribuit. Multas scripsit epistolas: primam de oppressione Episcoporum: secundam de ordinatione Archiepiscoporum: tertiam de Patriarchis, quodque Romana omnium ecclesiarum sit caput. Habuit ordinationes duas mense Decembri: quibus creauit Presbyteros 5. Diaconos tres, Episcopos sex. Cum sedisset annos 9. menses 3. dies 10. martyrio coronatus sepultus est in Vaticano. 3. Idus Iulij. *Ex Breu. Rom. & Damaso in lib. Pont.*

Anacleti decreta.

Romana Ecclesia omniū caput.

ANNOTATIO.

Eusebius errore lapsus manifesto lib. 3. c. 15. Omisso Cleto Anacletum Clementi præfert. Damasus Anacletum sub Domitiano Ecclesiæ præfuisse, scribit, quem Onophr. Panuin. in Cronol. Eccl. sequitur.

Baron. in Annalib. ad an. 106. Anacletum exornasse B. Petri sepulchrum ecclesia super eo extructa, idque ante Pontificatum, cum adhuc Presbyter esset, adnotat.

Eusebij error.

DE S. IVSTINA VIRGINE, ET MARTYRE TERGESTI cum S. Zenone.

Iustina virgo Tergestina Christianis parentibus orta, annorum 14. cum ob formæ pulchritudinem à multis in matrimonium postulata, se Christo, cui virginitatem vouerat, desponsam diceret, apud Fabianum Præsidem accusata, & ad eum perducta, Dijs sacrificare iubetur, cumque illa Deos Dæmones appellaret, Fabianus optionem virgini dat, aut colendi Deos, aut tormenta subeundi, ac primum illā alapis cæsam, quod liberè Deos contemneret, extendi,

&

& virgis cædi, deinde in equuleo suspensam circa mammillas vngulis excarnificari iussit. Ipsa verò Christo gratias agens, virtutem, & animi constantiam petebat, quo ad paradisum de hoste triumphans perueniret, Damnata autem à Præside, vt gladio feriretur, cum quidam ex primis apud Præsidem nomine Zeno, per iocum virgini diceret, ***Sponsa Christi transmitte mihi mala de sponsi tui paradiso***. dum ad supplicium duceretur, Infantulo sudariolum dedit Zenoni deferendum dicens, dicito illi: ***Iustina virgo Christi, mittit tibi mala, quæ de paradiso sponsi tui postulasti***. Decollata itaque virgine, corpus à christianis sepulturæ traditum est, 3. Idus Iulij. Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus. An. sal. 289. Zeno autem vbi à puero sudariolum accepisset, diceretque, bonū erit ad faciem tergendam, dum illo coram Præsidis familiaribus faciem tergit, se repentè mutatum tanto sensit Christi amore captum, vt nomen illius publicè extollere non dubitaret. Quare delatus Præsidi, ab illoque accersitus, & dementiæ obiurgatus, cum respondisset, ***Quid mali facio, si Christi veri, & solius Dei, qui Iustinam virginem ad se suscepit, neque in seruum accipere dignatus est, nomen collaudo?*** tandiu plumbatis cædi iussus est, donec animam exhalaret, cumque nomen D. I. C. extollere non cessaret, lingua illi præciditur, & tandem caput amputatur die prædicta. *Ex pass. eorundem M. S. quæ in Eccl. Tergestina asseruatur*.

De Paradiso mala dono mandat.

Zeno Præses verum agnoscit Deum.

ANNOTATIO.

Acta Horum martyrum accuratè scripta legimus, neque aliquid controuersum, aut inuerisimile in illis deprehendimus.

Iulij die 14.

DE S. BONAVENTVRA EPISCOPO ALBANENSE, & Confessore Ecclesiæque Doctore Ord. Minorum.

Bonauentura Balneoregij in Hetruria natus, cum infans in vitæ periculum incidisset, Mater eius vouit se illum, si inde euasisset religioni S. Francisci dicaturam. Cum itaque conualuisset, in ordinem Fratrum Minorū adscriptus est: Vbi Alexandro Alensi magistro breui ad eam doctrinæ perfectionem peruenit, vt post 7. annos libros sententiarum Parisijs publicè summa cum laude interpretatus sit: quos etiam præclaris postea commentarijs illustrauit. Post sex annos sui Ordinis Minister Generalis Romæ factus, ministerium ea prudentiæ, ac sanctitatis laude per annos 18. gessit, vt in omnium ore, & admiratione esset. Multa scripsit: in quibus summam eruditionem cum magno pietatis ardore coniungens, lectorem docendo mouet. Illum Gregorius IX. Pont. Max. fama eius sapientiæ, & sanctimoniæ commotus Cardinalem, & Episcopum Albanensem creauit cum prius Eboracensem Archiepiscopatum sub Clemente IV. recusasset. Cum eum vitam S. Francisci scribentem S. Thomas comperisset; ***sinamus***, inquit, ***sanctum pro sancto laborare***. Concilio Lugdunensi sub eodē Pont. interfuit; in quo præcipuè elaborauit, vt Ecclesia Græca cum Latina conueniret. Plura edidit miracula: ex quibus vnum illud fuit mirabile, quòd, cum matrona Lugdunen. puerum mortuum peperisset, illum Bonauentura ad se delatū ad vitam reuocauit. Alteram quoque matronam post mortem ibidem à proxima morte ex partus difficultate liberauit. Qui idcircò in ea Prouincia à parturientibus inuocari, & in honore haberi consueuit. Illum Sixtus IV. Papa eiusdem Ord. An. sal. 1482. in SS. numerum retulit, Sixtus verò V. ex eodem

S. Bonauentura Cardinalis, & Episcopus Albanensis creatur.

Præclarū D. Thomæ Aquinatis de S. Bonauentura elogium.

Puerū editum mortuum Bonauent. ad vitam reuocat.

ordine

ordine inter ecclesiæ Doctores reposuit. *Ex Brev. Rom. & eius vita à Sur. tom. 4. relata, ac ex Cron. Fratrum Minor.*

ANNOTATIO.

MIgrauit è vita Lugduni anno D. 1275. 3. Idus Iulij in æde Franciscanorum sepultus. Verum quia dies ille Anacleto Papa sacer est, eius natalis hac die celebratur.

DE S. IVSTO MARTYRE ROMÆ.

IVstus miles sub Claudio Tribuno, cum sibi diuinitus crux apparuisset coruscans, ad Christum conuersus, moxque baptizatus relicta militari vita omnia sua pauperibus erogauit. Quod vbi Magnetius Præfectus rescicuisset, cum captum, & ad se perductum à suscepta religione abducere non posset, miris cruciatibus affecit, ac primum neruis immaniter cædi iubet; deinde galeam ignitā capiti eius imponi, postremò in rogum accensum immitti: in quo licet ne capillus quidem læsus esset, spiritum tamen Deo reddidit Prid. Idus Iulij. *Ex Menol. Græcorum, & Martyrol. Rom.*

Miros Iusti cruciatus perfert.

ANNOTATIO.

NVlla extat apud Latinos scriptores huius mart. mentio; neque Romæ vlla corporis, reliquiarumúe memoria reperitur. Et quod etiam dubitationem auget, nulla Imp. sub quo passus est, in actis illius commemoratio fit. Vereor ne potius alibi, quam Romæ coronatus sit.

DE S. OPTATIANO EPISCOPO BRIXIENSI.

OPtatianus Episcopus XIV. Brixiensis ignotæ patriæ S. Gaudioso Episcopo successit, is circa an. sal. 440. floruisse videtur, ac Synodo Mediolani sub Eusebio Archiepiscopo aduersus Arianos celebratæ Leone I. Pōt. Max. circa an. à partu virginis 454. interfuisse. Hic sanctus omnium opinione Prid. Idus Iulij cum obijsset, in æde S. Laurentij conditus est, eique, qui sanctis debetur, honos habitus fuit. Cuius corpus vnà cum S. Vigilij successoris corpore an. Domini 1497. ex vetere in nouam aram translatum est. *Ex monum. Eccles. Brixien. & Cron. Brix. Helia Capreolo, & Ascanio Martinengo.*

ANNOTATIO.

EPiscopus Brixien. qui epistola Synodali Eusebij Episcopi Mediolanen. ad Leonē I. Papam subscriptus legitur, Octauianus, non Optatianus appellatur; sed cum non magna nominis differentia sit, videtur idem, qui Octauianus, & Optatianus vocatur.

DE S. MARCIANO EPISCOPO FREQVENTINO.

MArcianus genere Græcus, à puero litteris, & moribus excultus, mortuis parentibus, bona omnia, quæ satis copiosa erant, cœpit pauperibus erogare. Quibus impedimentis expeditus nauem conscendit, & in Italiam venit, ac circa Frequentum (ea vrbs est Samnij Abellino finitima) in monte vitam,

egit aliquandiu solitariam, multis ad eum ob miracula ab ipso patrata ex Frequentina ciuitate confluentibus, quoad Laurentius Ecclesiæ Canusinæ Episcopus electus Romam proficiscens Leone I. Pont. Max. secum illum adduxit, de quo à Pontifice interrogatus, (in basilicam enim S. Mariæ, quæ olim Pantheõ dicebatur, Marcianus oraturus diuerterat, dum Laurentius Pontificem adiret) quædam ipsi Pontifici de Marciano diuinitus reuelata audiuit, cœpitq; ne socius Romæ detineretur, tristari. Sed S. Pontifex eum solans ait, sibi in visu Dominum præcepisse, vt Laurentium quidem Canusinæ, Marcianum verò Frequẽtinæ ecclesiæ præficeret. Quare vterque Episcopus consecratus est, & post aliquot dies ad ecclesias suas vterque dimittitur, multis in via à Marciano signis perpetratis; Cum verò Marcianus Ecclesiam Frequentinam multos annos sanctissimè gubernasset, multis editis miraculis, mortem, quæ sibi instaret, clero, populoque prædixit: & ecclesiam sabbato ingressus totam noctem in diuinis laudibus, & in oratione consumpsit, maneque suum Deo reddidit spiritum 18. Kal. Iulij. Ad cuius corpus osculandum, antequam sepulturæ inferretur, infirmi accurrentes sanabantur, & deinceps ad tumulum aduenientes, & orantes à varijs languoribus, quibus laborabant, curabantur. Quapropter Vrsus Episcopus Beneuentanus illud solemni pompa ex vrbe Frequentina Beneuentũ transtulit, & in æde S. Mariæ virginis condidit. *Ex monum. Eccles. Beneuent. in antiq. cod. M.S.*

Marcianus miraculis cõspicuus.

ANNOTATIO.

Cum 18. Kal. Iul. obierit, hac die Beneuenti non natalis, sed translatio celebratur.

DE SS. RVFINO, ET AVENANTIO CONFESSORIBVS apud Derthonam.

Rufinus eremita cum Auenantio discipulo in valle, per quam fluuiolus decurrit, apud Sarzanum castrum agri Derthonensis vitam egit solitariam, quæ vallis S. Rufini vsque in præsentem diem nominatur. Quorum corpora cum diu latuissent, inuenta cum huiusmodi marmorea inscriptione. HIC IACENT CORPORA SS. RVFINI, ET AVENANTII in oportuniorem, & decentiorem locum parochialis ecclesiæ translata sunt, & præcipua veneratione coluntur. *Ex antiqua tradit. & Tab. Ecclesiæ Derthonen. quæ per diœcesim vniuersam illorum memoriam hac die recolit.*

ANNOTATIO.

Dies natalitius vnà cum gestis illorum ignoratur. Hac autem die Inuentio eorundem celebratur.

DE S. TVSCANA.

Tuscana Iebeti pago Veronensi quondam claro ab ipsa vrbe ad 7. M. P. distante Christianis, & honestis parentibus nata à teneris ita pudicitiã adamauit, vt nobilis diu ne matrimonio iungeretur, repugnarit, nec virum quãuis ex nobili Canoculorum familia præstantem nisi coacta acceperit. Nupta autem vix ad reddendum debitum adduci poterat, vitamque in matrimonio quasi cœlibem duxit. Cumque castitatem tantopere amaret, breui nulla procreata prole

le coniugij onere leuata est. Quare defuncto viro, venditis omnibus, pretioque in pauperes erogato, se totam Christo dedicauit. Cuius pudicitiæ Hostis insidiari non destitit. Nam tres adolescentes nimia Tuscanæ pulchritudine capti Dæmonis impulsu collem, in quo illa habitabat, eo consilio, vt per fenestram vnus post alium ad eam violandam nitraret, ascendunt: cumque primus cæteris audacior fenestram per vim ingressus cubiculum, in quo Tuscanam orantem inuenit, irrupisset, illicò à dæmone arreptus suffocatus est; alter ex socijs moræ impatiens, cum primus non egrederetur, ingressus, primumque exanimem, & iacentem intuitus tanto repentè timore correptus est, vt & ipse corruens expiraret. Tertius socios non redeuntes, vt condixerant, in obscœnis actibus, adhuc detentos sentiens, multa vi ad S. mulierem ingressus, & ipse illicò vita priuatus est. Quid tunc sanctissima, & pudicissima mulier faceret, cum ante se tria cadauera conspiceret? quæ sepelire horrendum, celare difficile, in publicū ducere periculosum erat. Ad orationem confugit. Interea parentes filios diu frustrà præstolati, quò exissent à vicinis edocti; collem conscendunt; Tuscanam numquid de filijs sciret, rogant. Illa rem omnem, vt euenerat narrat, & ad filiorum cadauera visenda introducit, dicens *Iustus Dominus, & iustitiam dilexit.* Illi singultibus, & lacrymis S. viduā orare, vt pro malo bonum reddēs precibus suis vitam filijs impetraret. Quæ fletibus & mœrore parentum commota Deū ex intimo corde rogare cœpit: vixque præcandi finem fecit, cum (mirabile dictu) tres simul rediuiui resurgūt, vbi fuissent, quæ vidissent, & audissent quæque pœnarum genera iam experti fuerant, non sine lacrymis copiosissimis narrantes, Qui diutina ob delictum pœnitentia peracta illicò sani rursus expirarant. Tuscana autem eo domicilio relicto ad cœnobium S. Sepulchri Religionis Hierosolymitanę, vt ibi inseruiret pergens, vestem religiosam induit; atque ob omni prorsus hominum cœtu abhorrens adeò paupertatem coluit, vt mendicare non erubesceret. Dies, noctesque ferè totos in vigilijs, orationibus, & meditationibus insumebat, singulis diebus exceptis Dominicis ieiunans in pane, vt aiunt, & aqua. Cum aliquando ad ecclesiam visitandam exisset, latrones quidam clamydem illi ex humeris detrahunt, quam cum gladijs diuisissent, repentè arefactis manibus, prostrati veniam precantes sanitatem recuperant. Tandē hinc ad superas sedes euolatura, Angelica visitatione, & locutione dignata est. Incidens itaque in febrem, cum medici vinum, ne hydropisim incurreret, illi constituissent, non solum vinum, sed & medicinam omnem aspernata est, iamque migratura in via xenodochium Hierosolymitanum sepeliri petijt. Cumque vocem cœlitus factam audisset, *Veni sponsa Christi Tuscana, accipe coronam quam tibi Dominus præparauit in æternum*, expirauit. Sepultamque, vt petierat, cum multa in dies fierent ad sepulturam miracula, Episcopus in ecclesiam Sancti Sepulchri in paratum Sarcophagum magna populi frequentia Pridie Idus Iulij transtulit. *Ex libr. de SS. Eccl. Veronen. multoties memorato.*

Tres iuuenes, qui Tuscanæ pudicitiam violare contendunt, eius domum ingressi vnus post alium espirant.

Casus post hominū memoriam inauditus.

Ijdem iuuenes Tuscanæ precibus ad vitam reuocātur.

Admirabilis Tuscanæ abstinentia.

Latronibus manus arefiunt, prostinusq; vigor restituitur.

ANNOTATIO.

Obijsse videtur Tuscana circa an. D. 1343. quo anno corpus illius ex publica via in ecclesiam translatum est. Nam non diu Episcopus Veronen. illud ibi ob miraculorum frequentiam quiescere passus est.

Hymnus S. Tuscanæ, ex lib. SS. Veron.

O Diem gemma niuea notandum
Ecce Veronæ decus, & Iebeti
Gloriam Castri nitidi, nouumque
Sydus Olympi.

Regna Tuscanam resonant superna,
Templa Tuscanam celebrant quotannis,
Nosq; Tuscanam veneramur vno
Ore colendam.

Virginem nuptam, viduamque peræque
Secla laudarunt sua: nunc beatam
Laudibus, votis, precibus, pioque
Muneri adorant.

Hæc febres omnes fugat inuocata,
Demit angores animis, salutem
Reddit ægrotis, iuuat ipsa cunctos
Ritè precantes.

DE S. SISINNIO EPISCOPO ALTINATE.

SIsinnius Episcopus fuit Altini; vrbis quondam claræ in ora maris Adriatici inter Patauium, & Concordiam: qua ab Hunnis sub Attila Rege deleta, corpus S. Episcopi vnà cum alijs corporibus SS. Torcellum proximum Insulæ, & vrbi, quò etiam Episcopalis Sedes Altini recepta est, translatum fuit, & in Eccl. Cathedrali conditum. Eius memoria hac die duplici ritu celebratur. *Ex Tab. & monum. Eccl. Torcellanæ ad nos transmissis.*

ANNOTATIO.

VIta, & acta S. huius Episcopi nondum vidimus, nec si extant hactenus scire potui mus. Illud mirati sumus nullam illius apud Pet. Aquilinum in eius Catalogo mentionē fieri, cū Equilium, vbi is fuit Episcopus, Heraclia, et Altino proximū fuerit.

Iulij die 15.

DE S. EVTROPIO, ZOSIMA, ET BONOSA SORORIBVS martyribus in Portu Rom.

BOnosa virgo Romana, nobili genere nata, à teneris q; in Christiana religione erudita, ieiunijs & orationibus vacabat, quæ capta, & ad Imperatorem adducta se Christi Dñi, qui fecit Cœlū, & Terrā, & factus homo ex virgine hominē per mortē redemit; seruam liberè confessa est, interrogata autē cur Deos immortales nō coleret, eos homines scelestos fuisse, & obijsse, & ppterea haud venerandos esse respondit. Quibus verbis Tyrannus incensus eā in carcerem 7. dies sine cibo, & potu detrudi iubet, vbi cum preces Christo fudisset, affuit Angelus eam solans, & ad certamen inflammans. Septimo die transacto eductam viuam, & lætam miratur Imp. & quis ei cibum ministrasset percunctatur, & vt Deos veneretur, sponsum nobilissimū, & opes pollicitus suadet; cui illa, Dei seruos non in solo pane, sed ex omni verbo de ore Dei procedente pasci, seq; sponso suo, qui Christus est, & solus immortalis totā consecrasse. cum aūt denudata dirè cæsa, æquissimo animo verbera tollerasset, Iudici traditur: qui illam de ea mente deduceret, vel cruciatibus affectam necaret. Qui illā suas hortationes, & polli-

Bonosa Deos homines scelestos fuisse liberè asseuerat.

Quæ 7. dies sine cibo, & potu in carcerem truditur.

pollicitationes contemnentem alapis cędi iussit; sed brachia tortoribus ita obriguere, vt illis nō valentibus eam cædere, imbecillitatem exprobaret: ac in Christum non solum illi, sed & L. milites crederent. Iudex iratus virginem magicarum cantionum eam arguens ad Idolorum cultum pertrahere conatur: cui illa, Deos dæmones esse dicens illud prophetæ attulit, *Omnes Dij Gentium Dæmonia*, & in equuleo suspensa, dum torqueretur Christo gratias agebat, deposita in carcerem reducitur, (quinquaginta interim militibus decollatis) in quo ab Angelo cibo cœlitus delato refecta ad pugnam roboratur. Iudex posthæc Bonosam plumbatis cæsam rursus blandiijs, & promissis à Christo abducere nititur; illa verò multis de altera vita disserens iudicem ad Christianam religionem inuitabat. Sed is cum virginem impudicis, qui eam violarent, tradidisset, ab illis diutinitus defensam laminis candentibus ad latus admotis aduri, ac in equuleo denuo extensam ferreis vngulis dilaniari, & cum in tormētis lætior appareret, in carcerem reduci iussit. Vbi tertiò Angelica visitatione roborata, fortiter, dato capite, gladio martyrium consumauit Idibus Iulij Aureliano Imp. Passi sunt cum illa Eutropius frater, & Zosima soror. *Ex lib. de virgg. Rom. & Antiq. M.S.*

Bonosa tortoribus defatigatis ipsorū obijcit imbecillitatem.

L. milites decollantur.

Bonosa iterū diris supplicijs afficitur.

ANNOTATIO.

Extat Romæ ecclesia S. Bonosæ V. & mart. dicata, in qua corpus illius, & Acta M. S. asseruantur.

DE S. TERENTIO EPISCOPO LVNENSI, ET MART.

Terentius Episcopus Lunensis (vt Tabulæ Ecclesiæ Sarzanensis testantur) inter cæteras eius virtutes, maxima erga pauperes benignitate præditus fuit: nam quocunque loco esset illis eleemosynā largiter impertiebat: Cumq; extra vrbem in via pauperibus eleemosynam de more distribueret, à latronibus magnam se pecuniæ summam apud eum reperiuros sperantibus inuasus interfectus est iuxta Lauentiæ, qui in Macram influit, amnem. Cuius corpus plaustro impositum, à iuuencis indomitis in eum locum, qui S. Terētius nominatur, delatum ibi conditum est, ecclesia ibidem suo nomini constructa. *Ex monum. Eccles. Lunen.*

Terentius à latronibus interficitur.

ANNOTATIO.

Sunt tamen, qui Terentium Episcopum non Lunen. sed Gallum, quem Romam voti soluendi causa proficiscentem eaq; transeūtem à latronibus vt supra narratum est, interfectum putent, idque Karolo Crasso Imp. cum Gualterius Ep. Lunen. eccles. administraret.

DE S. ATHANASIO EPISCOPO NEAPOLITANO.

Athanasius Neapoli Sergio patre vrbis Neapolitanæ Præfecto Gregorio IV. Pont. Maximo natus, sicque nominatus, quod à Deo parentibus sterilibus B. Athanasij Episcopi Alexandrini intercessione datus fuerit, sic in moribus, & litteris profecit, vt Episcopo Neapolitano defuncto, illi succederet. Dū autem munus pastorale liberè exequeretur, multa à Sergio nepote impio, qui patri in Ducatu successerat, incommoda, & calamitates passus est: nam & ab eo in carcerem obscurum coniectus est, (licet postea dimissus fuerit, quòd clerus, & populus in Tyrannum concitabantur) & se Episcopatu abdicare coactus

Sergius Athanasij nepos Patruū persequitur.

 fuit.

fuit. Cuius rei gratia à Pontifice Dux cum ciuitate anathemate percussus est. S.Episcopus Romam profectus, & à Pontefice benignè acceptus, dum impetrata populi Neapolitani absolutione ad ecclesiam suam reuertitur, in itinere apud Verulum obdormiuit Idibus Iulij. An. sal.877. cuius corpus Casinum delatū, ibi in æde S.Petri conditum fuit, donec ab Athanasio Episcopo Neapolitano II. huius nominis Neapolim translatum est. In qua translatione illud mirum accidit, quod cum lentè incederetur, vt in translationibus fieri solet, præsertim cum in lectica deferretur eadem tamen die à M.Casino Aduersam vsque ad 60. M.P. distantem (commodiore enim via, & longiore iter habitum fuit) peruētum est: deinde prorsus integrum, & incorruptum, suauemque odorem mittēs repertū fuit. Nec modo in translatione miraculis, sed & postea ad tumulū claudis, & alijs infirmis mirabiliter curatis claruit, vt propterea à Neapolitanis inter Diuos vrbis suæ protectores habitus fuerit, maximè cum viuens patriam apud Ludouicum Pium Imp. illi infensum opinione sanctitatis, & eloquentiæ vi liberasset. *Ex illius vita typis excusa, & à Paul. Reg. lib. 2. de SS. Regni Neapol. relata.*

Athanasius miraculis clarescit.
Neapolis liberatio ab Athanasio obtenta.

ANNOTATIO.

Vitam Athanasij Pet. Diac. Casinen. prolixè scripsisse fertur. Quantum ad tempus attinet, insignis error admissus est. Si enim Karolo Crasso Imp. in Occid. & Basilio in Oriente obijt, id circa an. D. 887. non 877. contigit, ex Cronol. Eccles. Paniun. & aliorum.

Ad Episcopatum assumptus est an. D. 850. ex Baron. in Annal. ad an. prad. ex quo quantum in eo vixerit facile est colligere.

DE S. FELICISSIMO CONFESSORE APVD Nuceriam.

Felicissimus apud Nuceriam Vmbrorū vrbem, ex patre Rufino viro in pauperes pientissimo in pago Sicimano natus, infans inuitis parentibus Nursiā in monasterium S. Eutychij se contulit: vbi cum breui litteras didicisset, alijs prædicare cœpit. A patre exoratus tandem accepta à monachis (quorum necdum habitum induerat) benedictione domum redijt, ac pietatis operibus vacans pupillorum, & viduarum præcipuè egenium curam gessit. Cum autem, & proprias vestes pluries pauperibus concessisset, à patre, qui id iniquo animo ferebat, domo expulsus ad boues pascendas mittitur: cumque vaccam pauperi eleemosinam petenti (cum quod daret, aliud non haberet) dedisset, patris iram metens in locum cui Politianum nomen est, aufugit: vbi defixo baculo, cum is statim floruisset ibi sibi considendum intellexit. Deo itaque orationibus, & vigilijs inseruiens, cum miraculis clarere cœpisset, (cæco enim inter alia lumen restituit) peccatores ad bonam frugem plures conuertit. Denique multos ibi annos moratus, migrauit ad Dominum Idibus Iulij miraculis etiam post mortē claruit. Cum enim latro ecclesiam Felicissimi ingressus, & pretiosioribus sublatis multam per noctem viam se confecisse putaret, mane iuxta eandem ecclesiam deprehensus voto S.Felicissimo se illius ecclesiæ perpetuò inseruiturum facto, mortem euasit. Quidam à Dæmone obsessus ad eandem ecclesiam delatus multis precibus liberatus est. Alius sacras Felicissimi reliquias temerè ausus tangere, brachio illicò sibi stupefacto, pœnitens veniam, & sanitatem impetrauit. *Ex monum. Eccles. Nucerina M.S.*

Felicissimus proprias vestes præ eximia in pauperes charitate erogat.
Defixus baculus florescit.
Cæco lumen restituitur.
Latro pretiosiora furaturus iuxta ecclesiam S. Felicissimi deprehenditur.
Energumenus liberatur.

AN-

ANNOTATIO.

Miratus sum nullam in Actis Sancti Felicissimi temporis mentionem contineri.

Iulij die 16.

DE S. HILARINO MONACHO, ET MART. ARETII.

Hilarinus; siue Hilarianus monachus Aretij vitæ sanctimonia conspicuus S.Donato Episcopo Aretino, cum quo vixit, charissimus fuit. Hic Siranam mulierem cæcam, & gentilem; quæ ab ipso oculorum sanitatem petierat, ad Christum conuersam ad S.Donatum baptizandam misit. quæ statim aqua regenerata visum recuperauit. Idem cum Donato Aproniani Præfecti filium à Dæmone vexatum liberauit. Cum autem Iulianus Imp. Apostata in Christianos persecutionem commouisset, Hilarianus cum Donato à Quadratiano Præfecto comprehensus, cum Idola venerari constanter renuisset, tandiu in oculis eiusdē Quadratiani fustibus cæsus est, donec animam efflaret, 17. Kal. Augusti. Corpus ad ostia Tyberina relatum ibi conditum fuit, vbi antea habitauerat, Gallicanumque clarissimum virum sub eodem Iuliano martyrio affectum, ad se venientem exceperat, ac in Christiana religione confirmarat. *Ex pass. S. Donati Episcopi.*

Sirana mulier oculorū lumen recuperat.

Filius Aproniani præfecti à dæmone vexatus liberatur.

ANNOTATIO.

Illum alij patria Aretinum, alij Ostiensem scribunt. Pet. in Catal. lib. 6. c. 105. Hilarium nominat, & Ostiæ passum ait, cum Breu. Rom. in vita S. Donati illum Aretij morte affectum apertè habeat.

DE S. DOMNEONE MARTYRE BERGOMATE.

Domneo Bergomensis ciuis, nobili loco natus, & in Christiana religione educatus, cum Maximianus Imp. Christianos maximè persequeretur ieiunijs, orationibus, alijsque pijs officijs vacans tanto fidei zelo exarsit, vt eidem Maximiano immanem in Christianos crudelitatem, & impietatem in Deum verum per litteras grauissimè ad eum scriptas exprobrare non dubitarit. Quapropter Imp. ira incensus, illicò illi caput amputandum præcepit. Quod cum 17. Kal. Iulij factum fuisset; ferunt illum caput suum proprijs manibus acceptū vsque ad eum locum, iuxta quem ecclesia S. Andreæ nomine extructa est, gestasse: in qua ecclesia corpus conditum asseruatur. *Ex off. Eccles. Bergomen.*

Domneo Maximianū Imp. impietatis, & crudelitatis obiurgare nō veretur.

Abscissum caput proprijs manibus Domneo gestat.

ANNOTATIO.

Illius natalis Prid. Non. Iulij in Martyrol. Rom. (in quo Domnio scribitur, cum Domneo ab Ecclesia Bergomen. nominetur) adnotabatur, nunc autem hac die. Est & Domno mart. Bergomen. huius nepos: de quo die 5. Ianuarij.

DE S. VITALIANO EPISCOPO CAPVANO.

Vitalianus Capuæ natus, Dei timorem edoctus ab Infantia, & egregijs moribus exornatus ad Episcopalem honorem euehitur. Is castitate, eximiaq; in pauperes pietate præditus, in humilitate, & absque quærela vitam vsque ad senectam duxit. Cuius sanctitati Diabolus inuidens, quosdam, qui Episcopatū

affectabant, induxit, vt muliebres vestes clam in illius cubiculum inijceret; quibus S. Episcopus ad matutinas horas de more surgens loco suarum indutus, ludibrio habitus est, cum æmuli dicerent, En, qui alijs humilitatem, & castitatem prædicat, non contentus cum mulieribus versari, comedere, & noctu cuncumbere, etiam illarum indumenta gestare non veretur. Quibus S. Episcopus nil aliud respondit, *nisi, & si peccator sum, hoc tamen ab alijs potius quam à filijs, & ecclesiæ hæredibus, pati debueram*. Ab impijs itaque captus, inauditusque corio insutus in mare præcipitatus est. Verum diuinitus ad portum Rom. incolumis appulsus est. Quo tempore tanta siccitas, terræque sterilitas in Capuanorum finibus esse cœpit, vt nulla ibi seges, herbaue gigneretur. Ciues itaque id mali sibi ob male habitum suum Episcopum accidisse intelligentes, illum conquisitum, inuentumque orant, vt in patriam reuersus ijs, qui in eum peccauerant, veniam daret. Quo reuerso copiosa illicò pluuia descendit. Verum ille finem vitæ non longè abesse præsentiens in M. qui Virgilij dicebatur secessit, ibique D. M. virgini ecclesia extructa cum multi ob viri sanctitatem confluerent paulò post obdormiuit in Domino 17. Kal. Augusti, ibique conditus multis claruit miraculis Dæmoniacis, cæcis, & alijs infirmis ad eius tumulum liberatis, donec circa an. sal. 914. ob Saracenorum aduentum ecclesia euersa est. Corpus eius postea inuentum à Calisto Pont. Max. Catanzarum in Calabriam translatũ circa an. D. 1121. traditur. *Ex Brev. Antiq. Capuano, & vita à Paul. Reg. lib 2. SS. Regni Neapol. rel.*

Muliebria indumenta in cellam Vitaliani clã iniijciuntur.

Vitalianus corio insutus in mare præcipitatur.

In summa terræ ariditate Vitaliani reditu copiosa illicò pluuia descendit.

Vitalianus miraculis coruscat.

A N N O T A T I O.

Tempus, quo S. Vitalianus vixit, haud in vita illius exprimitur: Sed ex Epp. Capuanorum catal. illum circa an. D. 700. vixisse videtur. Etenim Gaudioso Episcopo, qui S. Paulino circa an. D. 652. successit, Ecclesiæ Capuanæ præfuit.

Iulij die 17.

DE S. LEONE PAPA IV. HVIVS NOMINIS.

LEo Romanus religione, moribus, pietate, & castitate, liberalitate, & doctrina insignis factus Presbyter, Sergio II. Pont. Max. successit licet inuitus. Eius tamen sanctitatis commotus Adelolphus Rex Angliæ cum filio ad eum Romam venit, Regnumq; Rom. Ecclesiæ singulijs familijs nummo aureo in singulos annos imposito, tributarium fecit. Hic Ecclesiasticam disciplinam penè collapsam restituit. Concilio habito antiqua Pontificum decreta innouauit. Basilicas SS. Petri, & Pauli nouis ornamentis decorauit. SS martyrum cœmeteria refecit, xenodochia, & monasteria resarciuit: sacras reliquias inuentas honorificentius recondidit. Incendium vrbis oratione mirabiliter restinxit. Vrbem à tetra basilisci serpentis peste diuinitus liberauit. Orationes de SS. Apostolis quibus vtitur ecclesia, conscripsit. Festum Assumptionis Sanctissimæ Dei genitricis cum octaua celebrari iussit. Cumque ecclesiæ annos 8 sanctissimè præfuisset, vrbemque Centumcellensem restitutam aduersus Saracenos muniisset, de suo nomine Leopolim dictam, obdormiuit in Domino 17. Kal. Augusti An. sal. 855. *Ex vit. Pont.* & Baron. in Annal. Eccles.

Adelolphus Rex Angliæ Regnum sui Ecclesiæ tributarium efficit.

Egregia Leonis decreta, & facta.

Vrbis incendium Leonis oratione mirabiliter extinguitur; atque à tetra basilisci serpentis peste liberatur.

A N N O T A T I O.

Baronius in Annal. obitum Leonis IV. cum Martyrol. Rom. Plat. Pannin. in diem seq. refert. Petrus tamen Gales. die praeced.

DE

DE S. ALEXIO CONFESSORE ROM.

ALexius Romanus nobilissimus Euphemiani Senatoris filius propter eximium Iesu Christi amorem prima nocte nuptiarum sponsam intactam Rufinam nomine S.Paulæ filiam relinquens illustrium orbis terræ Ecclesiarum peregrinationem suscepit. Qui cum 17.annos in itineribus ignotus fuisset, aliquando apud Edessam Syriæ vrbem; vbi in xenodochio inseruierat per Sanctissimæ Mariæ virginis imaginem eius nomine diuulgato inde naui discessit, vt Tarsi in templo D.Pauli Apostoli opera pietatis prosequeretur; sed nauis diuino nutu ad portū Romanum appulsa est: Ipseque à patre Euphemiano tanquā alienus pauper, & peregrinus hospitio excipitur: apud quem 17. annos omnibus ignotus vixit, multa à seruis passus, à quibus pro delicijs, vti à patre iussum fuerat, iniurijs, contumelijs, & verberibus affectus est, ita vt præ animi dolore vitam cum morte commutare sæpius optaret. Cum autem Imperator in domo Euphemiani virum sanctum, cuius precibus assiduis Deus vrbi propitius erat, delitescere accepisset, eius videndi cupidus ab Euphemiano illum sibi exhiberi imperat, Sed Alexius futurorum præscius vitæ suæ cursu litteris diligentissimè consignato, dum domus excipiēdo Imperatori paratur, omnibus inscijs migrat è vita 16.Kal.Iulij. Innocentio I.Pont.Maximo. Cum itaque Imp. Honorius Theodosij filius domum Euphemiani aduenisset, Alexium defunctum chartā manu dextra ita tenentem, vt nulla vi euelli posset, inuenit. Aderat Pontifex, cui Alexius chartam, cum illam Imp. genuflexus petijsset, concessit, interim parentes, & sponsa ad sacrum corporis amplexum accurrentes illud lacrymis quasi imber decurrentibus rogant. Dum autem funus extolleretur, tantus populi concursus fuit, vt Imp. ad illum diuertendum pecunias projici mandaret, Verum tanta inerat omnibus videndi sancti viri cupido, vt pecunias negligerent, multa nanque signa fiebant. Dæmoniacis, leprosis, alijsque morbis insanabilibus affectis diuinitus curatis, oportuit auiē sacrum cadauer per octo dies in templo S.Petri insepultum seruari, tantus erat vtriusque sexus maximè languentium ad illud confluxus. Denique in arca marmore, & smaragdo in æde S.Bonifacij conditum est: ibique ecclesia postea excitata. *Ex Breu.Rom.& vita per Symeon. Metaphr. scripta a Sur.tom.4 rel.*

Alexius à patre, vt peregrinus hospitio suscipitur.

Imperator Alexium peregrinum videre peroptat.

Alexius chartam suæ vitæ cursum continētē Innoc. I.Pont. Max. tradit.

Alexij corpus diuinis signis effulget.

ANNOTATIO.

EXtat vita S.Alexij vulgato sermone scripta, & typis excusa: in qua plura apocrypha, & inuerisimilia continentur, quod monuisse libet.

DE S. GENEROSO MARTYRE TIBVRTINO.

GEnerosus Tibure in Sabinis martyrio coronatus ibi habetur in honore, licet cuius fuerit, quoue tempore passus sit, in compertum habeatur. Corpus illius in æde S.Laurentij (quæ Cathedralis est) sub ara maxima vnà cum corpore S. Seuerini monachi, & confessoris piè asseruatur. Cuius natalis hac die ab Ecclesia Tiburtina recolitur. *Ex Tab. in monum. Eccles. prad.*

ANNOTATIO.

EIus meminit præter Baron. in suis Annot. ad Martyrol. Fuluius Cardulus Presbyter ex societate Iesu in suis Notis, & Degressionibus in pass. SS. mart. Getulij, & soc.

DE

DE S. ENNODIO EPISCOPO PAPIENSI.

Ennodius Cõstãtinopolim ad Anastasiũ Imp. hæreticum legatus mittitur.

Ennodi⁹ pallium à Pont. impetrat.

ENnodius patria Ticinensis cum,vt ipse scribit.An. sal.489. anno Felicis Papę III. esset annorum 16. re & consilio inops puellæ nobilis, ac prædiuitis coniugio subleuatus est; postea mutuo consensu, cum illa vitam sanctam, & cœlibem professa fuisset, & ipse sub Sancto Epiphanio Episcopo Diaconus ordinatus fuit. Quo tempore in morbum exitialem incidit; à quo tamen ope S.Victoris martyris sanatus est. Is non solum vitæ integritate,sed & doctrina, ac eloquentia ita excelluit,vt mortuo Maximo Episcopo Ticinensi, qui S. Epiphanio successerat, subrogatus sit, ac ab Hormisda Papa legatus Constantinopolim ad Anastasium Imp. Hæreticum vnà cum Fortunato Episcopo,Venantio, & Vitali Diaconis,ac Hilaro S.Romanæ Ecclesiæ notario missus fuerit, An.sal. 515. Qua legatione ex animo perfunctus (licet euentus Imperatorem simulasse demonstrauerit.) Romamque reuersus, rursus ad eundem Anastasium ab eodem Hormisda vnà cum Peregrino Episcopo Misenate destinatur. Cum autẽ Imp. ab Ennodio,& collega requisitus professioni fidei Catholicæ ad eum missæ subscribere noluisset,legatosque frustrà pecunia corrumpere tentasset, illos per posterulam eijcit,& naui impositos militibus mandat,vt eos ita deducerẽt, vt nullam ingrederentur ciuitatem.Ennodius itaque multa mari passus,tandem Romam reuersus à Pontifice que benignè acceptus,cum ab eo suæ Ecclesiæ priuilegia impetrasset,in quibus pallij vsum, & vt crucem ante se more Archiepiscoporum deferre posset, ad suos redijt. Ecclesiam S. Victori martyri extra mœnia vrbis ædificauit. Multa scripsit metro præsertim,quæ pietatem doctrinamque eximiam præseferunt. Librum apologeticum Synodi IV. Rom. in qua Symmachus Papa absolutus ab obiectis fuit conscripsit, à patribus concilij approbatum. Denique tot laboribus pro Ecclesia Dei perfunctus ad præmium euolauit 16. Kal.Aug. An.à Christo nato 516. in æde S.Victoris,quam ipse extruxerat,tumulatus. Cuius corpus postea in ædem S.Michaelis translatum est. *Ex eius vita à Gualla, Breuentano, & Spelta relata, ac ex Annal. Ecclesiast. Baron.*

ANNOTATIO.

De tempore S.Ennodij inter scriptores controuersia.

NOn conuenit inter scriptores. Quo Pont. & quo Imp. Ennodius, (qui & Ænnodius) ad Episcopatum assumptus fuerit. Quidam illum Hormisda Papa; & eo eum Episcopum putant, alij multò ante Zenone Imp. Sed si annos 26. vixit in Episcopatu. Hormisda autem 10. tantummodo tenuit Pontificatum: quo adhuc viuente Ennodius obijt, certè multò ante Episcopus creatus sit oportet, anno scilicet D. 490. (quo tempore Felix Papa III. præerat Ecclesiæ, & Zeno Imperio.)

Sed rursus dubitare contingit, nam si eo anno, quo Ennodius à legatione Constantinopolitana reuersus est, Anastasius fulmine ictus sperijt, vel vt Baron. habet in Annal. an. sequenti, isque Imperium annos 28. tenuit, non potuit Ennodius Episcopus esse ante Anastasium Imp. cum annos 26. Ecclesiæ Ticinensi præfuisse dicatur.

Maior excitatur difficultas inter scriptores vitæ S. Ennodij, & Baronium in Annal. quoad annum, quo obijt. Nam Baron. scribit 2. legationem Ennodij ad Anastasium Imp. an. D. 517. Anastasiumque anno 518. è viuis sublatum tactum de Cælo; Illi verò Ennodij obijsse an. 516. asserunt, idex antiquo Ennodij Epitaphio marmoreo, quod adhuc extat in ecclesia S. Michaelis. Quod sic habet. DEPOSITVS SVB D. XVI. KAL. AVGVSTAS VALERIO V. CONS. ANNO DXVI. à PARTV VIRGINIS.. probantes, qui ut videtur legatus fuit an. 517. si obijt, an. 516.

Demum Baron. scribit Ennodium Maximo Episcopo suffectum fuisse, quod & Ennodius in vita S. Epiphanij habet. Gualla verò Breuent. & Spelta non Maximo, sed Epiphanio immediatè successisse. In quib. omnibus Baronio deferendum censeo, antiquis, & certis Ecclesiæ monumentis vso.

Hunc Gulielmus Episc. Papien. LXV. celebrat.

, *At eloquens Ennodius*
, *Mores describit hominum,*
, *Fœcundus suis actibus*
, *Catalogum illustrium.*

Eiusdem Epitaphium huiusmodi legitur in templo S. Michaelis Papiæ.

,, *Ennodius vates lucis rediturus in ortum*
, *Hoc posuit tumulo corporis exuuias,*
,, *Clarus prole quidem generosior ipse propinquis:*
, *Quos functus laudum iussit habere diem.*
,, *Reddidit hos cœlo viuacibus ille figuris*
, *Cum fecit famæ viuere colloquijs.*
,, *Quid mirum si morte caret post busta superstes,*
, *Qui consanguineos restituit superis?*
,, *Quantus at ille foret, mundi celebratur in oris,*
, *Nec silet occidui cardinis Oceanus.*
,, *Schismata coniunxit dudum discordia legi,*
, *Atque fidem Petri reddidit ecclesijs.*
,, *Pollens eloquio, doctrinæ nobilis arte*
, *Innumeros Christo restituit populos.*
,, *Largus, vel sapiens, dispensatorque benignus*
, *Diuitias credens, quas dedit ipse suas.*
,, *Templa Deo faciens hymnis decorauit, & auro*
, *Et paries functi dogmata nunc loquitur.*
Depositus sub D. XVI. Kal. Aug. Valerio V. Cons. An. DXVI.

DE S. MARCELLINA VIRGINE ROMANA Mediolani.

MArcellina virgo Romana SS Ambrosij Episcopi, & Satyri Confessorū soror à parentibus piè educata, & ab Ambrosio fratre ad virginalis vitæ obseruantiam in ijs libris quos de virginibus conscripsit, incensa virginitatem suam sponso cœlesti vouit: cuius sacrum velamen à Liberio Papa in die Natiuitatis Domini accepit. Hæc sacrarum litterarum lectioni, vigilijs ieiunijs, & orationibus intenta in paterna domo Romæ victu parco, & humili vestitu contenta quasi in cœnobio vnà cum alijs Deo dicatis virginibus vitam egit; donec Ambrosio ad Episcopatum assumpto, desiderio non tam illius videndi, quam sub

Marcellina velamen a Liberio Papa accipit.

sub tanto magistro magis proficiendi causa Mediolanū se contulit, vbi cū Satyrus frater paulò post diem obijsset, diu mortem eius fleuit, dies integros sine cibo, & noctes insomnes apud illius sepulturam ducens. Cum autem, & Ambrosius vita excessisset, S. virgo vtroque germano, quos vnicè diligebat, orbata, tota in officijs pietatis & nunquam ferè ab illorum tumulo recedens, denique, & ipsa migrauit ad sponsum 16. Kal. Aug. post an. sal. 397. à S. Simpliciano apud S. Ambrosium sepulta. *Ex Breu. Mediolanen. & ex libr. virgg. Rom. autore Ant. Gall.*

Insignis Marcellinæ in fratrem martyrem amor.

ANNOTATIO.

Censura videtur indigere, quòd dicitur Marcellinam ad virginitatem colendam ex lectione libr. D. Ambros. de virginibus allectam fuisse, cum illos scripserit postea, quam Episcopus factus est sub Damaso Pont. & Valentiniano Imp. an. 374. hoc est 18. Damasi, & Valentiniani XI. Ipsa verò virginitatis velum a Liberio (qui ecclesiæ præfuit ab anno D. 352. ad an. 367.) acceperit.

Eadem Marcellina Romæ, non Mediolani obijsse à Baron. in Annal. ad ann. D. 383. quo S. Satyrus decessit, commemorat, ait enim illam voluisse corpus suum Roma Mediolanum transferri, & apud fratres condi citatque Epitaphium, cum tamen ex vita lib. de virgg. Rom. & Breu. Mediolanen. eam Mediolani migrasse appareat.

Iulij die 18.

DE S. SYMPHOROSA, ET SEPTEM FILIIS martyribus Tibure.

Symphorosa nobilis matrona Tiburtina S. Getulij martyris vxor (ex quo 7. filios susceperat,) apud Hadrianum Imp. qui apud Tibur palatium ædificauerat, quod dedicare impio sacrificiorū ritu volebat, vt à Dijs respōsa haberet, accusata cum filijs ab Idolorum sacerdotibus; apud Imperatorem, quòd Dij responsa dare recusarent, quandiu Symphorosa, & filij ipsius Deum suum inuocantes se non colerent. Quare iussu Hadriani omnes comprehenduntur, hoc est Symphorosa mater, & Crescentius, Iulianus, Nemesius, Primitiuus, Iustinus, Stacteus, & Eugenius filij. Quorum pietas multis, varijsque supplicijs tentata, stabilis permansit. Mater autem, vt filijs fidei magistra fuerat sic & ad martyrium dux extitit. Illa namque saxo ad collum alligato in profluentem deijcitur. Cuius corpus Eugenius frater primarius vrbis Tiburtinæ Senator in suburbano sepeliendum curauit. Postridie eius diei, qui fuit 15. Kal. Augusti septem fratres in fidei confessione persistentes singuli ad pallum alligati variè necati sunt. Crescentio enim guttur ferro transfigitur: Iuliano pectus confoditur: Nemesio transuerberatur cor: Primitiuo vmbilicus traijcitur: Iustinus secatur membratim: Stacteus telis configitur. Eugenius in duas partes à pectore diuiditur. Corpora in altissimam foueam via Tiburtina ex ab vrbe milliario proiecta, condita sunt; quæ postea Romam in ecclesiam S. Angeli in piscina translata fuere. *Ex Breu. Rom. & pass. a Simeone Metaph. scripta, à Lipom. tom. 7. & a Sur. 4 rel.*

ANNOTATIO.

Licet mater non eadem die qua filij martyrio coronata sit; eadem tamen die cum filijs colitur. cui templum Tibure postremis à Matthæo Contarello Card. tit. S. Stephani in M. Celio excitatum est; in illudque reliquiæ aliquot horum SS. mart. illatæ sunt. Quæ etiam Tiburi in æde S. Eusebij parochiali asseruari feruntur.

Epi-

Epigramma de SS. Simphorosa, & septem filijs Tetrastichon ex Fuluio Cardulo soc. Iesu Presbitero.

,, *Igne perit genitor, mater pia mergitur vndis*,
, *Et iaculo soboles, cuspide, fune cadit*,
,, *Conspirant elementa neci; namque inclyta virtus*,
, *Cunctorum vires perdomuisse potest*.

DE S. MATERNO EPISCOPO MEDIOLANENSI.

MAternus patria Mediolanensis, sub S. Mitoclete Episcopo Presbyter multa pro Christi fide Maximiano Imp. perpessus est, vincula, carceres, & verbera expertus. Is SS. Carpophorum, & Fidelem cum socijs ad martyrium inflammauit, & Nouocomum, vt ibi pro Dei gloria dimicarent misit S. Victorem sub Maximiano martyrio affectum proprijs manibus sepeliuit; postea quã Episcopus S. Protasio successerat. Maliodorum Episcopum Derthonensem consecrauit. Demum post varias ærumnas, multisque pro sua Ecclesia exantlatis laboribus, cum illi annos 12. Sanctissimè præfuisset obdormiuit in Domino 15. Kal. Augusti, in æde SS. Naboris, & Felicis sepultus. *Ex Tab. & Breu. Mediol. & ex vita à Mombrit. tomo 2. recitata*.

A N N O T A T I O.

ONuphr. Panuin. in Fastis S. Maternum Episcopum ad an. D. 311. Melchiade Papa, & Constantino Imp. vnà cum Maxentio, et Maxim Galerio. Quod si ita est, non ergo Victorem mart. sepeliyt: nisi dicamus Victorem passum sub Maxim. non Herculio, qui Diocletiani collega fuit, sed Galerio: sed hic Imperio in Oriente precrat. Illud potius dicendum videtur, quod S. Maternus S. Victorem sepelierit ante adeptum Episcopatum.

DE S. PHILASTRIO EPISCOPO BRIXIENSIS VIII.

PHilastrius natione Hispanus, diuinis, & humanis litteris apprimè eruditus non mediocrem peregrinatione doctrinæ accessionem fecit. Nam, & Athenas nauigãs ibi breui ingentes progressus habuit, Romæ quę à Damaso liberaliter tractatus, publicè docuit. Inde sacris initiatus discedens vbique aduersus Arianos decertauit, Mediolani aduersus Auxentium Episcopum, & alios Arianos disputans eos confutauit, librosque scripsit aduersus Hæreses, multa ab Hereticis passus est. sępius ab illis percussus, & vulneratus, ac etiam cruci affixus perijsset, nisi à Catholicis ereptus fuisset. Cum Brixiam ad SS. Faustini, Iouitæ, & Afræ reliquias venerandas profectus esset à S. Faustino Episcopo perhumaniter acceptus, in adiutorem, & successorem electus est. Qui totus erat in legendo, scribendo, concionando, ecclesias construendo, & hæreses confutando: De quo D. Augustinus in epistola ad Quoduuldeum Diaconum ait. Philastrius Brixiens Episcopus, quem cum beato Ambrosio Mediolani etiam ipse vidi, scripsit hic librum hæres illas non prætermittens, quæ in populo Iudeorum fuerunt ante Dñi aduentum easque viginti, & octo cõmemorauit. S. verò Gaudentius illius successor tale de eo habet encomiũ: Philastrius vniuersũ Romani orbis ambitũ peragrãs, quasi alter Paulus dominicũ seminat verbũ; vt eo populorũ pectoribus insito oẽ martyrij genus pro Christo libẽtissimè tolerare vniuersi pollicerẽt. Cũq; aduersus Gẽtiles, Iudeos, & Hereticos pdicasset, pluribus, ad

Philastrius aduers. Arianos accerrimus decertator.

Philastrius ab Arianis cruci affixus.

D. Augustini de S. Philastrio encomium.

Alterum S. Gaudentij encomium.

ad orthodoxæ fidei cultum reuocatis quorundam infidelium verberibus affectus non multò post, ceu dominica passione stigmatizatus felicem animā Deo restituit. Quapropter reminiscamur, vehemens ille Philastrij patris nostri ardor quantam possederet in sanctis moribus lenitatem, illa celsitudo scientiæ quanta fuerit humilitate sublimis, illa diuinarum rerum peritia quàm fuerit ignara terrestrium. Erat enim humanæ gloriæ nescius, acer diuini honoris exactor, non quærens quæ sua erant, sed quæ I. C. amicitias sæculi, & officia mūdana contemnens, seruitio Dei iugiter adhærebat. Erat idem sanctus, ira breuis indulgentia facilis, superans patientia, humanitate deuincens, in corripiendo districtus, in relaxando absolutus, liber in agendo, omni ætati, & conditioni, & sexui mira benignitate communis humillimis quibuscunque coniunctus. Concilio Aquileiensi cum S. Ambrosio interfuit. Illius corpus à Ramperto Episcopo cum lituo ligneo in æde S. Andreæ repertum cum huiusmodi epitaphio PHILASTRIVS BEATISSIMÆ MEMORIÆ HIC REQVIESCIT IN PACE in ædem maiorem Dei genitricis transtulit: in qua translatione apopleticos, claudos, cæcos, mutos, aliosque languentes curatos, esse idē Rampertus plurimis miraculis alijs enarratis refert. *Ex monum. eccl. Brixien. ex Helia Capreolo in Cron. lib. 3. Lipom. tom. 2. Pet. in Cat. lib. 6. c. 115.*

Mirabile Philaustrij laudes.

ANNOTATIO.

Sunt, qui scribant Philastrium concilio Nicæno sub S. Siluestro Papa, & Constantino Mag. interfuisse quod si verum est, oportet illum adolescentem fuisse, & audientem interfuisse, non disputantem. Obijt autem 15. Kal. Aug. ante S. Ambrosium à quo S. Gaudentius succ. ordinatus est.

DE S. BRVNONE EPISCOPO SIGNINO.

Bruno Soleriæ pago agri Alexandrini non obscuro Andrea patre, & Scylla matre pijs parentibus ortus in cœnobio S. Perpetui primùm: deinde Noniæ litteris operam dedit: cūque, & moribus & litteris profecisset Senis Cathedralis ecclesiæ factus est. Inde Romam profectus, cum aduersus Berengarium peruersa de Sanctissimæ Eucharestiæ Sacramento sentiētem disputasset, confutassetque à Gregorio VII. Pont. Max. Episcopus Signinus creatur. Quod munus pastorale aliquot annos executos, contemplationis desiderio captus, in cœnobium Casinense se contulit: vbi cum vitam monasticam professus esset, ad Ecclesiam suam instante populo inuitus redire cogitur. Is à Paschali II. Pōt. Max. in Galliam primum; deinde in Siciliam ad eas ecclesias reformandas Legatus mittitur. Quod cum egregiè præstitisset ad Ecclesiam Signinam reuersus cum aliquandiu illi Sanctè præfuisset: ac sub eodem Pont. concilio generali Lateranensi affuisset; cumque plura piè & doctè scripsisset, Denique laboribus Ecclesiasticis & ætate confectus sub Calisto II. Pont. Max. circa anno Sal. 1120. migrauit è vita. 16. Kal. Aug. multis clarus miraculis: in quibus illud nō prætereundum. Cum per vim ab Adulpho Comite Verulano captus in custodia detineretur, quadam diè ardenti siti vexatus allatam sibi aquam, quam postularat, signo crucis de more facto in vinum conuersam sensit. Cū aliam aquā afferri petijsset, rogans ne pro aqua vinum sibi deferretur, & illam factam vinū similiter gustauit. Illum Lucius III. Sum. Pont. anno post mortem 58. in SS. retulit. Eique Honorius III. an. D. 1223 aram proprijs manibus dedicauit. *Ex eius vita Typis excusa.*

Bruno cū Berengario disputat.

Legatus in Galliā, et Sicilliam mittitur.

Aqua bis in vinum cōuersa degustatur

AN-

ANNOTATIO.

De eo pluribus agit Leo Ostien. in Cron. lib. 4. c. 33. & Pet. Diac. c. 34. lib. de vir. illust. casinen. monast. Monasterium autem S. Perpetui in memorato pago Soleria, qui Oliuensi pago, unde orti sumus, proximus est non extat, in ecclesiã collegiatam, & parochialem, cui praepositus cum canonicis aliquot praeest, conuersum.

DE S. ROPHILO EPISCOPO POMPILIENSI.

ROphilus Episcopus Pompiliensis, siue Popiliensis, (est autem Forum Popilij oppidũ Æmiliæ inter Forũ Liuij, & Cæsenam situm olim Episcopali sede decoratum) mira effulsit vitæ sanctimonia: nam populum sibi commissum magis exemplo, quam doctrina studuit erudire; quæ enim prædicabat, & quæ à populo, vt fierent, requirebat, ipse prius executioni mandabat. Erat autem in concionandõ assiduus, illud in primis elaborans, vt populus à vitijs abductus virtutes quam maximè prosequeretur. Ex multis miraculis editis, illud memorabile narratur: quod cum inter Forum Popilij, & Forum Liuij draco ingẽs homines, & iumenta deuorans, noxiòque flatu interficiens apparuisset; Rophilus indicto suæ ciuitati ieiunio triduano, Sanctoque Mercurio Episcopo Liuiensi, vt idẽ Foro Liuij faceret monito, post ieiunia & orationes ad locum populo in sequente, vbi draco latebat clero comitatus pergit; vbi SS. Episcopi oratione draconem è specu eductum, stolisque collo alligatis quasi agnum trahentes; in altissimum puteum præcipitarunt, lapidibus obruentes. Cun verò moltos annos Ecclesiæ suæ sanctè præfuisset, diemque mortis suæ prænunciasset. 15. Kal. Augusti obdormiuit in Domino, cuius corpus hodie Foro Liuij in ædeS. Iacobi parochiali asseruatur. *Ex quodam serm. M.S. Ecclesi. Britinorien. qua Popilien. successit, & Pet. in Cat. lib. 6. c. 114.*

Ingens draco stollis alligatur, & in puteum præcipitatur.

ANNOTATIO.

Sancti Rophili mem. Pet. Damianus in vit. S. Mauri Episcopi Casenatis. Quo tempore vixerit, monum. citata minimè docent, nisi quod in vita S. Gaudentij Episcopi Ariminen. apud Pet. in cat. lib. 9. c. 63. Ipsum Gaudentium sub Damaso Papa, & Constantio Imp. vixit, cum SS. Rophilo et Mercuriali Forum Liuij Arimeno fugisse legatur.

DE SS. IVSTINO, ET SOCIIS MARTYRIBVS APVD AMITERNVM. *Vide 31. Dec.*

DE S. HELIO CONFESSORE IVSTINOPOLITANO

HElius apud Iustinopolim (quæ Histriæ vrbs est primaria) vitæ sanctitate, doctrina, & miraculis resplenduit. Is enim sęculi huius contemptis diuitijs, se totum Iesu Christi seruitio mancipauit: cumque, & moribus, & litteris esset excultus plurimos prædicatione sua ad Christum perduxit, ciuitatemque Iustinopolitanam ad veræ fidei agnitionem tum concionibus, tum miraculis: quibus doctrinam confirmabat, pertraxit. Cuius corpus cum ignotum aliquan diu fuisset. Inuentum in ecclesia Cathedrali honorificè reconditum est. Illius vero memoria hac die, quæ 15. Kal. Augusti est, solemniter celebratur. *Ex quodam sermone M. S. habito in eius festiuitate. & Tab. Ecclesi. Iustinopolit.*

A N-

ANNOTATIO.

TEmpus, quo S. Helius vixit. Acta que illius desiderantur. Antiquum tamen illum esse, ex eo quod Vrbem Iustinopolitanam ad fidem conuertit, apparet.

Iulij die 19.

DE S. SYMACHO PAPA, ET CONFESSORE.

SYmmachus natione Sardus Diaconus Anastasio II. in Pontificatu subrogatur anno à Christo nato 498. 10. Kal. Decembris: quo tempore ob Laurentium in Antipapam electum plurima mala consecuta sunt, clero, Senatu, & populo in diuersa studia diuisis, ita vt multæ fierent cædes, nec sacris virginibus parceretur. Habita sunt sex concilia Romæ sub Symmacho; in quorum primo ipse verus, & legitimus Pontifex agnitus, & approbatus Laurentium ex quadam miseratione Episcopum Nucerinum creauit; in II. Petrus Episcopus Altinas à Theodorico Rege missus, vt Pontificatum vti visitator administraret, vnà cum Laurentio, qui tui sus turbas concitauerat, damnatur, in III. cui Pontifex non interfuit, licet consensum præstiterit, multa, horrendaque à Schismaticis Symmacho obijciuntur; in 4. (cui Rex Theodoricus interfuit, ac illa præclara verba interpellatus respondit. Aliquid ad se præter reuerentiam de Ecclesiasticis negotijs non pertinere) Symmachus ab omnibus obiectis absoluitur, schismaticis ad Pontifici satisfaciendum, si restitui vellent, damnatis; & Anastasius Imp. quod Acatium hæreticum foueret anthemati subijcitur; sancitum præterea est, vt sacerdotes, & Diaconi Contubernales, quasi testes actuum haberet. in 5. rursus Schismatici decreto 4. Sinodi non acquiescentes damnantur; quibus tamen Symmachus ignosci impetrauit; In 6. occupantes bona Ecclesiæ communione priuantur; ad quam nisi per satisfactionem admitterentur. Symmachus tandem schismate extincto, totum se ad ecclesias ædificandas, reparandas, & ornandas contulit amplissimis muneribus, & operibus; vt mirum fuerit, vnde tantæ illi suppeditatæ pecuniæ fuerint, cum assidue in subleuandis pauperum necessitatibus, in redimendis captiuis, & alendis Episcopis ex Africa in Sardiniam relegatis plurimum expenderet. Constituit, vt in die Dominico, & in natalitijs martyrũ Gloria in excelsis Deo diceretur. Ordinationes 4. habuit mense Decembri; quibus creauit Episcopos 117. Presbyteros 92. Diaconos 15. Cũ Ecclesiæ an. 15. menses 8. dies 4. ptæfuisset, nihilque, quod ad Dei gloriam, & boni pastoris officium spectaret, omisisset. (ecclesia expurgata quantũ in ipso fuit, Arianis ex Gallia sub Clodoueo, Manichæis ex vrbe expulsis, combustisque illorum libris) 14. Kal. Aug. An. sal. 5014. obdormiuit in Domino apud S. Petrum tumulatus. *Ex eius vita apud Plat. & Faram lib. de Reb. Sard. ac ex Baron. in Annal.*

Sex concilia sub Symmacho habétur.

Præclara Regis Theodorici verba.

Anasta. Imp. anathemate ligatur.

Symmachi decreta.

ANNOTATIO.

SChisma, quod adeò Symmachum cum tota eccl. afflixit 4. à Nouatiano refertur. Cuius S. Greg. lib. 4. Dial. c. 40. mem. vbi Paschasium Diaconũ (cuius cadauer dæmoniacũ solo tactu vestis liberauit) in Thermis relegatũ, post mortẽ à S. Germ. Episcopo Capuano deprehensum non alia de causa, nisi quia in Schismate Laurentio contra Symmachũ aliorum iudicium secutus consenserat, fuisseq; precibus Germani remissa sequente die liberatum, scribit.

Cadauer solo tactu vestis dæmoniacũ liberat.

DE

DE S. FELICE EPISCOPO VERONENSI.

FElix Epiſcopus Veronæ 23. inter S.Lupum & S. Moderatum Eccleſiam Veronenſem adminiſtrauit. Is varijs virtutibus præditus;cum doctrina & morum probitate præſtaret, plurimas animas Chriſto Domino lucrifecit. Ea autē ſanctitatis opinione apud omnes 16. Kal. Auguſti è vita migrauit, vt illi poſt mortem templum à Veronenſibus in colle excitatum fuerit: de cuius nomine arx,in qua templum illud eſt. S. Felicis nominatur. Corpus in æde S. Stephani cum alijs pluribus SS. Epiſcoporum conditum eſt. *Ex mon. Eccl. Veronen.& ex lib. ſæpius citato de SS. Eccleſ. Veronen.*

ANNOTATIO.

N*Onnullæ S. Felicis reliquiæ in conſecratione altaris S. Iacobi in eccl. SS. Apoſtol. recondita leguntur. Vbi verò corpus illius in eccl.S. Steph. aſſeruatur, antiqua inſcriptio huiuſmodi inſpicitur.* S. Felix Ep. *V.*

DE S. PETRO CONFESSORE FVLGINATE.

PEtrus Fulginij ex Creſciorum familia natus, cum amiſſis parentibus annum ætatis 30. ageret, prioris vitæ inſtitutum dolere cœpit. Quare re familiari; quæ ei copioſa fuerat à parentibus relicta, vendita, pretium omne pauperibus erogauit. Cuius tanta fuit in pauperes miſericordia, vt cum non aliud, quod daret remanſiſſet, ſe ipſum cuidam ad ſeruiendum pacta mercede, quam pauperibus diſtribueret,locauerit. Sacco indutus, ſic erat orationibus, & vigilijs addictus, vt ſæpe plures dies,& noctes cibo abſtineret. Humi in æde S. Feliciani, cui inſeruiebat, ſeſe flagellis cædens noctu cubabat. Vbi Dæmonem, qui illi humana,& præclara quadam forma diuitias offerens apparuerat,ſigno crucis fugauit. Romam profectus deuotionis ergo reliquias SS.maxima cum humilitate veneratus eſt. Baſilicam S. Mariæ Angelorum ſæpiſſimè viſitabat. Spoletij,& Aſſiſij hæreſis falsò accuſatus, cognita ſtatim eius innocentia liber ab Inquiſitoribus dimiſſus eſt. Cum dies obitus,quem ante præſcierat,inſtaret,amicum rogat, vt lumen afferret ex eccleſia: cumque is lampades omnes extinctas repeteriſſet, iterum rogatus, vt pergens ad aram B. M. V. inde lumen acciperet, cum iuiſſet, lampadem diuinitus accenſam inuenit. Denique cum dæmonem horribili forma conſpexiſſet, crucifixi imaginem amplexus animam Deo reddidit 14. Kal. Aug. An. Sal. 1323. Cuius corpus aliquot dies inſepultum ſuauem mittens odorem, multis ægrotis, qui ſanabantur,ad illud accurrentibus in eadem eccleſia conditum eſt. *Ex monum Eccl. Fulginatis. Vitaque eius M. S.*

Egregia Petri in pauperes pietas.

Dæmonem fugat.

Lampas diuinitus accenditur.

ANNOTATIO.

S*. Petrillus vulgò ob puſillam ſtaturam dicitur. Eius memoria hac die Fulginij celebris eſt, licet in SS. nondum relatus ſit.*

Iulij die 20.

DE S. LVCANO EPISCOPO, ET CONFESSORE BELVNI.

LVcanus Epiſcopus Brixinenſis (Vrbs eſt Brixina, ſeu Brixino Rethica inter Tridentū, & Oenipontem) cū in ſumma rerum,penuria populo, vt lacti-

cinijs in Quadragesima vteretur, permisisset à maleuolis apud Cœlestinū Pont. Max. circa an. sal. 424. accusatus est. Qui, vt senex erat, vnico comitatus famulo Romam proficiscens apud Spoletium hospitis vxorem hydropicam oratione sanat. Cum Romam peruenisset, Pontificemque adijsset, pallium suum radio solari, tanquam vecti impositum mirabiliter substitit. Quod cernens Pontifex non modò illum ab obiectis absoluit; sed & multis affectum beneficijs ad suam ecclesiam remisit. Verùm paulò post ab eisdem persecutoribus sede pulsus, in vallem Agordiam Belunensis diœcesis venit. Vbi vsque ad obitum Auatia pia fœmina, (quæ in ea valle templo sibi extructo colitur) victum ministrāte mansit. Cum verò multis clarus miraculis obijsset 14. Kal. Augusti, corpus Belunum, nisi prius Agordi capite relicto, nunquam transferri potuit. Translatum autem in ecclesiam Cathedralem in arca marmorea conditum magnam habet apud Belunenses venerationē. *Ex monum. Eccl. Belunen.* In quibus nonnulla continentur fabulis proxima, veluti, quòd vrsum, qui sibi in itinere equū deuorarat, Romam vsque ad Pont. conspectum equitaret: ac perdices quibus in itinere præceperat, vt Romam conuolarent, Pontifici donandæ, illi ante Pōt. adfuerint.

Hydropicam mulierem sanat Lucanus. Pallium S. Lucani super radijs solaribus natat.

ANNOTATIO.

Cœlestinus I. Papa anno D. 423. Bonifacio suffectus est 3. Non. Nouemb. quare an. seq. S. Lucanus illum adijt. Sed mirum, quòd in Catalogo Epp. Brixinonensis. apud Democh. & in Metrop. Salesburgen. haud reperitur: vt propterea dubitare quis possit, an alterius vrbis fuerit Episcopus.

DE S. SEVERO EPISCOPO CASINENSI.

SEuerus Valentiniano, Marciano, Leone, ac Zenone Imperantibus, sub Leone I. Hilario, & Simplicio ac Felice III. Summis Pontificibus vixit, qui ob vitæ sanctimoniam, & doctrinam ad Episcopatum Casinensem euectus aduersus eius temporis hæreses decertauit. Affuit enim sub Leone synodo Romanæ aduersus Nestorium, Eutychen, Dioscorum, & alio S. hæreticos, ac sub Felice aduersus Acacium. Vitam duxit austeram: & in pauperes maximè pius fuit. Qui cum plures annos ecclesiæ suæ sanctè præfuisset, obdormiuit in Domino 8. Kal. Aug. in sua Ecclesia sepultus. Clarus post mortem miraculis, cum enim mulier Aquinas oculorum morbo difficillimo, cui opera nulla medicorum profuetat, laboraret, ei oranti S. Episcopus apparuit præcipiens, vt se ad ecclesiam suā conferret. Quæ eò à viro suo deducta statim ab ea infirmitate conualuit. *Ex Pet. Diac. de vita, & ob. SS. Casinens. qui plura refert mirac.*

Conc. Rom. sub Leone; & Felice aduersus Nest. adest. Mulier Aquinas oculorū morbo liberatur.

ANNOTATIO.

EXtat prope monasterium Casinen. adicula S. Seuero dicata. Casinenses autem monachi illius natalem hac die celebrant.

Iulij die 21.

DE S. PRAXEDE VIRGINE ROMANA.

PRaxedes virgo Romana Pudentis Senatoris filia SS. Nouati, & Timothei Presbyterorum, sanctæque Pudentianæ virginis soror, post patris mortem M. Antonino Imp. Christianos persequente, eos facultatibus, opera, & omni pietatis, & charitatis officio prosequebatur, maxima facultatum parte in paupe-

res

res erogata, sibique etiam necessarijs subtractis. Martyres verò, & eos, quos hostes fidei persequebantur, alios domi occultabat: alios ad constantiam hortabatur: aliorum corpora sepeliebat: & ijs qui in carceribus propter fidem detinebantur, nulla re deerat. Sorore defuncta paternam domum hospitio pauperum consecrauit. Nouato quoque fratre mortuo, in illius thermis ecclesiam à Pio Papa dedicandam curauit. In Pastoris autem titulo regenerationis lauacrum eodem Pontifice consentiente instituit: in quo serui, & ancillæ ad 96. libertate donati expiati sunt. Adeo S. virgo Christi, & animarum salutis amore flagrabat, vt nullum diem fineret præterire; quem nouo aliquo pietatis opere non illustraret, vt etiam proprijs manibus ipsos martyres sepeliret; in quibus B. Simitrium Presbyterum cum alijs 22. martyribus in memorato titulo tumulauit. Cum autem tantum Christianorum stragem maximo animi dolore fieri cerneret indies, vixque iam ferre posset, Deum precata est, vt si mori expediret, se è tantis malis eriperet. Itaque 12. Kal. Augusti ad præmium vocata euolauit. Corpus à Pastore Presbytero in patris, & sororis sepulchrum illatum est, in cœmeterio Priscillæ via Salaria. *Ex Breu. Rom. Adone, & alijs. Corpus in propria ecclesia.*

Tanta fuit Praxedis in Christianam Religionem deuotio, vt nulla dies absque præclaro pietatis opere impenso præteriret.

ANNOTATIO.

Haud mirum videri debet, quod S. Praxedes vsque ad M. Aurel. Antonini, qui in Christianos persecutionem excitauit, circa an. D. 163. aut 164. vitam prorogarit, cum Pudens pater ab Apostolo Paulo ad fidem perductus sit: nam S. Paulus Romam venit circa an. 60. quo tempore Pudens adolescens ad multos annos vixit, antequam filios generaret: sicque Praxedes cum sorore, & fratribus potuit tempora memorati Imp. attingere.

Iulij die 22.

DE S. HIERONYMO EPISCOPO PAPIENSI.

Hieronymus S. Theodoro Episcopo ætate iam confectus non sine diuino prodigio successit. Cum enim S. Theodoro vita functo, Augustinus Archidiaconus à clero & populo, prout ambiuerat, electus Romam pro impetranda à Summo Pont. confirmatione profectus in reditu diem obijsset (quod illi ante Sanctus Theodorus prædixerat) clerusque vnà cum populo in maiorem ecclesiam ad postulandum à Deo precibus Antistitē cōuenisset, vox quasi pueri audita est, vt cuncti Sacerdotes aduocarentur: quo facto, vox eadem, dum sequenti die omnes orationi pro noui Episcopi electione incumbunt, vnum ex Sacerdotibus deesse auditur. Facta inquisitione Hieronymum vetulum ecclesię S. Mariæ Perticensis æditųum non adesse compertum est: qui cum mox accersitus adfuisset, illa eadem vox illum esse, quem Deus ad munus Episcopale elegisset, omnibus manifestauit. Quare de more consecratus curam aggressus est pastoralem. Plurimis viuens miraculis resplenduit, cum vel solo tactu pallij sui infirmos curaret. Cum aliquando pauperibus eleemosynam de more faceret, in illis quendam multa febre trementem, & nudum propria veste contexit, repenteque ille sanatus est. Cum ad Regem vocatus festinus venisset, æstuque ex itinere vexatus pallium exuisset, illud radio solis (qui sibi pertica videbatur) impositum in aere (mira res) subsistere visum est. Cum ad ædem S. Stephani Protomartyris extra vrbem pergeret, mulier à Dæmonio obsessa statim ad S.

Prodigium mirabile.

Ad tactū Pallij Hieronymi infirmi sanantur.

Hieronymi Palliū in aere subsistit, obsessus à Dæmone liberatur.

Episcopi aduentum liberata est. Denique vbi Ecclesiæ Ticinensi annos 13. præfuisset, cessit è vita 11. Kal. Augusti Hadriano I. Pont. Maximo in ecclesia, quæ S. Mariæ in Pertica vocatur, cuius æditiuus fuerat, tumulatus. *Ex Guall. in suo Santuario lib. 6. c. 1. Steph. Breuent. lib. 2. Hist. Ticinen. c. 14. Anton. M. Spelta lib. de vit. Epp. Papiens.*

ANNOTATIO.

QVo præcipuè tempore obierit, sciri minimè potuit, alijs Rege Longobard. Aistulpho adhuc viuo, alijs verò. Desiderio vltim. Rege regnante illum obijsse scribentibus. Quòd si Hadriano Pont. migrauit, sub Desiderio excesserit necessarium est. ex Fastis Panuinij.

DE S. GVALTERIO CONFESSORE LAVDENSI.

GValterius Laude à parentibus sterilibus precibus à Deo impetratus, ijs orbatus reque familiari pauperibus distributa apud Placentiam Ægrotis in Xenodochio ministrauit: Idem post biennium in patriam reuersus in nosocomio S. Bartholomæi extra vrbem præstitit: aliudque Xenodochium cum sacello propè Laudem in via, quæ Mediolanum ducit, extruxit (quod ab Henrico septara Mediolanensi Archiepiscopo auctum, prius Misericordiæ, postea S. Gualterij dictum est.) Is exemplo sui multos vtriusque sexus ad vitam eremiticam traxit. Nudis pedibus incedebat: paruo cibo vilique vestitu contentus, carnē assiduis ieiunijs affligebat; in oratione sæpissimè flebat. Multis susceptis peregrinationibus plura pauperum hospitia construenda curauit, quemadmodum apud Vercellas, Derthonam, Cremam, Melegnanum: quæ sæpe solebat inuisere, ac confratres, qui ea curarent, præficere. Denique pijs hisce laboribus perfunctus, graui morbo correptus, breui annum ætatis 40. agens 11. Kal. Augusti, obdormiuit An. Sal. 1224. multis ægrotis, & infirmis ad funus illius mirabiliter sanatis. Cuius corpus, cum ex Xenodochio Misericordiæ; in quo multos annos iacuit clam ad ecclesiam S. Blasij non sine maxima aeris perturbatione delatum fuisset, vbi in proximam S. Pauli ædem deductum fuit, mox tempestas sedata est, statimque in locum pristinum solemni ciuitatis pompa relatum aliquot à morbis præsertim podagræ liberatis, tandiu ibi fuit, donec in ecclesiam Cathedralem translatum, in ea honorificè conditum est. *Ex monum. Eccl. Lauden.*

ANNOTATIO.

EIus Natalis ob S. M. Magdalenæ festum in diem 27. huius dilatus celebratur. Est & Gualterius. Ab. in Piceno in diœcesi Firmana celebris.

Iulij die 23.

DE S. APOLLINARE EPISCOPO I. RAVENNATE, et martyre.

Apollinaris cæco lumen restituit.

APollinaris B. Petri Apostoli discipulus cum eo Antiochia Romam veniens Rauennæq; Episcopus ordinatus, ad eam vrbem ad prædicandū Euangelium mittitur. Apud ciuitatem ab Irenæo milite Asiatico hospitio acceptus filio illius cæco lumen oculorum restituit. Ingressus Rauennam Teclam Tribuni militum vxorem grauissimo morbo oppressam, cui nulla medicorum arte succurri

succurri poterat, manu apprehensam cum dixisset: *in nomine Domini Iesu surge*, statim sanauit. Quibus miraculis non solum militem, & Tribunum: sed & plurimos alios ad fidem conuertit. Quo tempore Aderitum, & Calocerum, Presbiteros Marcianum, & Leucadium Diaconos, & alios Clericos ordinauit sacra in domo Tribuni faciens. Ob quæ ab Idolorum sacerdotibus grauiter cæsus est. Cumque Bonifacio viro nobili diu muto linguæ beneficium contulisset, ac eiusdem filia à Dæmone liberata plusquam quingentos baptizasset, iterum cômota in eum seditione virgis cæsus, ardentes prunas pedibus premere cogitur, ac nihil læsus ab igne vrbe eijcitur. Extra vrbem aliquandiu latens, nec ad Christum homines in dies trahere cessans, Calocero operi præfecto, ipse in Æmiliã venit, ac Rauennam reuertitur, vbi Rufini Patricij filia mortua ad vitam reuocata, totam illius familiam Christo adiecit. Quare incensus Præfectus Apollinarem accersit, eique grauiter minatus præcipit, vt Christi fidem disseminandi in vrbe finem faciat. Cumque Apollinaris iussa negligeret, in equuleo cruciatur, aqua feruenti in plagas infusa, saxoque illos contunditur: vinculisque constrictus ferreis in carcere includitur. Vnde post quatuor dies eductus naui impositus mittitur in exilium. Qui facto naufragio venit in Mysiam, inde ad ripam Danubij, & postea in Thraciam. Cum autem in Sirapidis templo Dæmon se responsa daturum negaret, quandiu ibi Petri Apostoli discipulus moraretur, diu conquisitus, & inuentus Apollinaris, inde nauigans abire iubetur. Rauennam reuersus cum in prædio Cyrenęi Senatoris sacra faceret, captus ab Idolatris, & ad Apollinis templum ductus Christum abiurare cogitur, sed eo orante mox templum cum idolo in terram corruit. Quare illum vinctum Tauro Iudici necandum tradunt: qui cum filium à natiuitate cæcum haberet, se Christo nomen daturum pollicetur, si filio videndi facultatem tribueret, sin minus, se illum flammis tanquam deceptiorem exusturum. Adducitur in medium cæcus, qui mox Apollinaris oratione visum recepit. Tauro autem cum tota domo, & plurimis ex ijs, qui aderant ad fidem conuersis in prædijs illius aliquandiu habitans, & munus Episcopale exercens à Barbarorum iniurijs defensus est, donec rursus ab Idolorum Sacerdotibus accusatus, & tentus Cẽturioni custodiendus traditur: à quo Christum clàm colente dimissus, verum ab insequentibus satellitibus iterum captus, plagisque in itinere confectus quòd mortuus crederetur, relinquitur. Qui inde à christianis, & discipulis sublatus, septimo die illos ad fidem constantiam hortatus, martyrio clarus migrauit, è vita 10. Kal. Augusti. Cuius corpus prope vrbis mœnia sepultum est. *Ex Breu. Rom. & pass. illius apud Sur. tom. 4. rel.*

Apoll. à Sacerdotibus Idolorum cæditur.

Muto loquendi beneficiũ præstat.

Mortua Rufini filia excitatur.

Apoll. crudeliter torquet.

Demon in Serapidis tẽplo

Apollinis fanum ruit.

Tauri Iudicij filio oculorũ lucẽ donat.

ANNOTATIO.

Passus est sub Vespesiano an. 4. Lino Sum. Pont. cum annis 29. Ecclesia Rauenn. præfuisset. An. D. 75. cui Abderitus successit, deinde Eleucadius. Ex Baron. in Annal. ad an. præd. Fuit & Apollinaris Ep. Hieropolitan, qui sub M. Antonino floruit: de quo Hieron. lib. de script. Eccl. & Martyrol. Rom. 8. Ianuari.

Rufinus Patricius ille traditur esse, qui Capua factus Episcopus martyrio coronatus est: Sedis in Martyrol. Rom. & in actis eiusdem Apollinaris apud Sur. Rufus, non Rufinus appellatur.

S. Apollinaris etiam Venan. Fortun. in vita S. Martini circa finem meminit.

„ *Rursus Apollinaris pretiosa limina lambe.*

DE S. RASYPHO MARTYRE ROMÆ.

RAsyphus ignotæ patriæ Romæ passus est. Sed quo tempore, quoue suppli cij genere, omnino ignoratur; cum sola illius in antiq. Cod. memoria extet. Romanum autem illum non fuisse, sed exterum nomen ipsum satis indicaret videtur. *Ex Martyrol. Rom.* Corpus in basil. S. M. Rotundæ quiescit, vt inscript. indicare videtur, licet pro Rasyphi Rasij legatur.

A N N O T A T I O.

NVlla præter eam, quæ in Martyrol. Rom. & apud Molan. in Addit. ac Galesin. legitur, huius S. martyris mentio reperitur. Nec corpus quod sciatur, alicubi extat.

DE S. PRIMITIVA VIRGINE, ET MARTYRE ROMÆ.

PRimitiua virgo, & ipsa Romæ martyrio coronata in Martyrologio Rom. et alijs refertur. Tempus verò, & acta eiusdem desiderantur, illam haud Romanam fuisse conijcimus; quòd de ea in lib. de virginibus Rom. Anton. Gallonij nulla prorsus habetur mentio. Tametsi ab eo autore fortassis omissa est; quia, quod de illa scriberet, nihil habebat. *Ex Martyrol. Rom.*

A N N O T A T I O.

BAron. in Annotat. ad Martyrol. Petrum in Cat. lib. 11. c. 100. citat. Sed Petrus ibi Primitiuã virginem tantum memorat, quæ 10. Kal. Aug. quieuit.

DE SS. VIRGINIBVS ROMANIS ROMVLA, REDEMPTA, et Herundine.

HErundo virgo Romana in monasterio cum alijs virginibus Romæ degẽs Redemptam virginem discipulam erudiuit, quam cum ad eam perfectionis normã, vt alijs præesse posset, perduxisset, quieuit in pace. Redẽpta verò in eodem cœnobio apud ædem sacram B. M. V. cum Romula virgine & alia discipula, cuius nomen ignoratur, vitamq; moribus quidem diuitem, at rebus pauperem ducebat: ita Romula magnis meritis reliquas anteibat: miræ namque patientiæ, obedientiæ summæ, silentij, & orationis magnopere studiosa fuit. Quæ paralysi percussa multis annis in lectulo vsu membrorum destituta iacens, æquissimo animo tantum flagellum sustinuit, tantò ad orandum sollicitior, quãto morbo magis grauabatur. Hæc quadam nocte Redemptam matrem cum vocasset, illaque cum altera discipula affuisset, tanta de cœlo lux cellam impleuit, vt astantes pauore consternati corpore obrigescerent. Sonus enim magnæ multitudinis intrantis audiri, & cellæ ostium concuti cœpit, cum nihil tamen præ nimio timore, & lumine viderent. Splendorem mira odoris fragrantia subsecuta est. Tum Romula magistram solabatur dicens se non esse tunc morituram. Cum que lux paulatim euanuisset, odor tamen ad sequentem, & alterum diem permansit. Quarta nocte Romula magistram iterum vocate viaticum postulans. Quo tẽpore ante cellæ ostium duo Psallentium chori exaudiri sũt, canẽtibus viris, fœminis verò respõdentibus: quod dũ fieret Romula animam Deo reddidit. Psalmodia autẽ in sublime abiens, quo magis recedebat, eò minus percipiebatur, donec prorsus exaudiri desijt. Post Romulæ excessũ, & ipsa Redẽpta cum Deo feruẽtius deseruisset, relicto corpore abijt in Cœlum. *Ex S. Greg. Papa lib. 4. Dialog. c. 15. & Hom. 40. ac ealib. virg. Rom.*

Prodigiũ nitidissimę lucis, ac suauissimi odoris.

A N-

ANNOTATIO.

A Etate S. Gregorij Papæ hæ SS. virgines vixere, vti apud ipsum legitur locis memoratis. Et licet non eadem die obierent, hac tamen die illarum mem. in Martyrol. Rom. celebratur. Quarum corpora magna ex parte in Basilica S. Mariæ Maioris asseruantur. Ex parte verò Tiburi, Romula si quidem, & Redempta in æde S. Mariæ Maioris sunt.

Herundo prius in Montib. Prænestinis vitam solitariam duxerat ætate fere S. Greg. vt Baron. in Annal. ad An. D. 593. Quarum corpora in confessione S. Mariæ ad Præsepe asseruari feruntur, & Cæli.

Iulij die 24.

DE S. CHRISTINA VIRGINE, ET MARTYRE APVD Vulsinios.

CHristina virgo claro genere nata Tyri apud Vulsinios (quæ vrbs lacu Vulsinio absorta esse desijt) cum christianam religionem coleret Diocletiano Imp. Vrbani patris, vrbis Præfecti, (qui illam vnicè diligebat, & ob formã eximiam diligentius custodiendam, educandamque curabat) Idolatræ, simulachra diuersorum Deorum, quos ille colebat, aurea & argentea cominuisset, pauperibusque distribuisset, à parente ira correpto non tam ob idola demolita, quam quòd abiecto Deorum cultu Christũ coleret, variè, denique cruciatur, vt à proposito reuocaretur. Ac primum illam alapis cædi, deinde verberibus dilaniari, ac in sententia persistentem, ferro, catenisque onustam in tetrum carcerem conijci iubet. Ad tormenta rursus euocata, in equuleo extensa, torquetur, depositaque crudeliter adeò laneatur, vt carnes (quas illa virili animo patri in faciem proiecit) in terram defluerent. Posthæc alligata rotæ, oleoque perfusa subiecto igne torretur: Sed cum flamma erumpens ad mille ex Gentilibus interfecisset, in carcerem reducta, ab Angeloque curata sanitati integræ reddita est; Quam pater denique cum ingenti saxo in Lacum Vulsinium præcipitari iussit. Verùm ab Angelo liberata nouis à Dione, qui patri in præfectura successit, supplicijs exponitur. Cum verò Christina suis precibus Apollinis Idolum, quod venerari iubebatur, in fauillam redegisset, eo miraculo ad tria millia hominum ad Christi fidem peruenere. Nouissimè Sanctissima virgo sub Iuliano Dioni substituto post fornacem ardentem, in qua diebus quinque inuiolata permansit, post serpentes in eam à venefico immissos Christi fide superatos, post que linguæ abscissionem, sagittis confossa illustre certamen confecit. 9. Kal. Augusti. *Ex Adone & Martyrol. Rom.*

Christina à patre Vrbano supraquã dici potest crudeliter torquetur.

Flamma mille ex Gentilibus absumit & Apollinis delubrum in fauillã redactũ.

Christina 5. dies in fornace ardenti inuiolata permansit.

ANNOTATIO.

E Adem de Christina virgine Panormitana narrantur: ex quo vel hæc eadem est cũ illa, vel acta vnius alteri attributa sunt. Corpus huius Venetijs asseruari Pet. Galesi. cum Petro in cat. lib. 6. c. 30. attestatur; licet alij Vulsinijs quiescere affirment.

DE S. VINCENTIO MARTYRE APVD ROMAM.

VIncentius martyr siue ex vrbe Roma, siue ex Tiburtina ciuitate in via Tiburtina à Beda, Vsuardo, Adone, et alijs passus refertur (licet sub quo Imp. ignoretur) Tibure, vbi sacra ædes illi extructa est, colitur. Quamuis, vt Baron. in Annotat. hac die, monet, alij ecclesiam S. Vincentij nomine Tibure erectam nõ huius, sed alterius Vincentij esse putent. *Ex Martyrol.*

ANNOTATIO.

HVius mart. Tiburc extat memoria, Ecclesia nimirum suo dicata nomini quod Baron. in Annot. hac die indicat: nec dubitandum est, quin ea Ecclesia huic mart. posita sit, cum is via Tiburtina passus fuerit.

DE SS. MARTYRIBVS LXXXIII. AMITERNI

OCtogintatres Milites Sipontini, ex quorum numero fuere Florentius, & Felix fratres, qui apud Forconium vrbem Vestinorum, Amiterno proximam postridie passi sunt; quòd Christiani essent, comprehensi, cum ad Idolorum cultum nullis tormentis reuocari potuissent, corona martyrij donati sunt 9. Kal. Aug. *Ex Pass. SS. Florentij & Felicis, ac S. Iusta virg.*

ANNOTATIO.

DE ijs agitur in Ecclesia Aquilana, quæ cum Forconio, & Amiterno vrbibus successerit, SS. martyrum reliquias asseruat, & veneratur.

DE SS. CLEONICO, STRATONICO, ET SOCIIS martyribus Leontinis.

CLeonicus, & Stratonicus ciues Leontini Tertulli Præsidis crudelitatem declinantes in prædio S. Teclæ vnà cum B. Thallelæo; qui morte præuentus obdormiuit, & alijs habitabant latentes. Qui diuinitus excitati, omnique timore deposito cum in vrbem redeuntes, apud Prætorium Idolorum cultores publicè arguerent, à Tertulli militibus Præsidi sistuntur: quibus ille: *Quis vos tam impudenter ingredi, nosque, Deos nostros contemnentes lacessere impulit?* Immo illi, *quis te Deum, qui te creauit, contemnere, & seruos illius persequi docuit?* Quibus Præses ad iracundiam concitatus primum eorum dentes lapidibus contundi, deinde illos à quattuor tortoribus neruis bouinis dirissimè cædi iubet. SS. verò martyres ita orabant. *Demitte Domine peccata nostra, nosque SS. martyribus dira supplicia perpessis adnumera.* Denique dum carnifices iubente Tertullo linguas martyribus vncinis ferreis crudelissimè euellerent, illi sanguine copiosissimè profluente, in eo supplicio animas Deo reddiderunt. 9. Kal. Aug. Quorũ corpora in puteũ proiecta S. Neophytus Episcopus, cũ ex vrbe Roma rediisset, Deo reuelãte inuenit, & in tẽplo SS. triũ fratrũ honorificè sepeliuit. *Ex off. Eccles. Leont. l.*

ANNOTATIO.

NOmina sociorum excepto Thallelao, qui in pace quieuit, ignorantur. Hi in passione SS. trium fratrum conuersi ad fidem Christi putantur.

DE SS. MARTYRIBVS IVLIANO, ET SOCIIS APVD Laudem Pompeiam.

IVlianus nobilis miles Laudensis Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus laude ob christianam fidem cum plurimis alijs à Marciano Præside tentus post longam de fide Christi, & inani Deorum cultu disceptationem, cum illos Præses ratione vincere non posset, supplicijs deterrere aggreditur. Cumque socios (qui numero 1486. fuisse feruntur,) quòd constantissimè Deos venerari detrectabant, ignibus concremasset, Iulianum fustibus nodosis tandiu cædi iussit, donec omnia membra contusa viderentur, quod cum fieret, vnus ex percusso-

1486. viri ignibus cócremantur.

custoribus altero oculorum orbatus est. Cum verò Idolorum Sacerdotes ad eū sanandum aduocati, nequicquam effecissent, Idolaque orante Iuliano confracta concideret, seque oratione Iuliani Dæmones cruciari dicerent, Marcianus, & si Iulianus percussori oculum orando restituerat, omnia magicis artibus tribuens, illum decollari præcepit. Interea is, cui oculus restitutus erat, ad Christum conuersus, cum illum solum Deum esse diceret, iussu Præsidis oculis sibi vncinis ferreis effossis vnà cum Antonio Presbytero, Anastasio, & socijs capite plexus est. Quo tempore ingenti repentinoque terræmotu magna vrbis pars contremuit, & plurimi ex infidelibus interempti sunt. Marcianus autem fuga elapsus non post multos dies vermibus consumptus miserè perijt. Passi sunt SS. martyres 10. Kal. Augusti. Quorum corpora inter aliorum cadauera signo inuenta à Christianis Sacerdotibus sepulta sunt, & miraculis coruscarunt. *Ex monum. Eccles. Lauden. M.S.*

Dæmones oratione Iuliani cruciari queruntur.

Ingens terræmotus pluri mos perdit.

ANNOTATIO.

Fuit etiam Iulianus Confes. Episcopus Lauden. cuius natalis die 12. Octobr. in Eccl. Lauden. celebratur.

DE S. VALERIO EPISCOPO NICIENSI.

Valerius monasticam vitam in præclaro cœnobio Lerinensi professus, litteris, & moribus præditus, cum plures annos in obseruantiæ disciplinæque regularis exercitatione insumpsisset, in eaque cæteris præstaret, ad Niciensem Ecclesiam regendam euocatus, illi sanctissimè præfuit; nec tamen de vitæ prioris austeritate aliquid remisit, cum ita vigilijs, orationibus, ieiunijs, pijs meditationibus, & alijs religiosis exercitationibus, vt ante Episcopatum, quantum per occupationes pastorales licebat, operam daret; cumque aliquot annos eam ecclesiam piè administrasset, tandem plenus meritis migrauit in cœlum 10. Kal. Augusti miraculis clarus. *Ex Tab. Eccles. illius.*

ANNOTATIO.

De eo Arnoldus Vuion Belg. in Martyrol. Monast. ex monum. cœnobij Lerinen.

Iulij die 25.

DE S. IACOBO APOSTOLO HISPANIARVM Protectore.

Iacobus Zebedæi filius, & Ioannis Apostoli frater natu maior Galilæus cum fratre à Domino dum in lacu Genesara piscarentur vocatus, relictis retibus, & patre secutus est eum. Cui in primis charus fuit; nam & in M. Thabor Domino trasfigurato in gloriam, & in horto mœrenti ob vicinam mortem cum Petro, & Ioanne affuit. Ispost Domini Ascensionem in Hispanias profectus est, vt antiqua Ecclesiarum Hispaniæ traditio habet, ibique Christi Domini fidem disseminauit. In Iudæa, & Samaria, quæ ei ad prædicandum obtigerant, cum in publicis conuentibus Christum Deum, & Dei filium audenter asseret, multosque ad eius cultum perduceret, aduersarios habuit Pharisæos, & Hermogenem quendam Magum, qui Philetum discipulū ad refellendā Iacobi doctrinā misit, sed cōtra factū est; nam illū Iacobus ita scripturis signis, et rationibus cō- uicit,

Iacobus in Hispanias proficiscitur.

Hermogenis Magi discipulum conuertit.

Hermogenes discipulum immobilem reddit. Discipul⁹ accepto Iacobi sudario liberatur. Dæmones missi in Apostolum à Mago illum vinctum ad Iacobum ducunt. Hemogenes è Dæmonib⁹ liberatus conuertitur ad Christum. Iudæi Iacobo insidiātur, & captum ad Herodē perducunt. Iacobus ductus ad supplicium paralyticū sanat, & qui se cœperat conuertit. Corpus in Hispanias transfertur.

uicit, vt ad Hermogenem rediens diceret; *Scito Hermogenes Iacobum Christi seruum, & Apostolum abste vinci non posse, cum ille cacodæmones expellat, cæcis lumen restituat, elephantiacos curet, & mortuos ab inferis, vt ipse proprijs oculis vidi, reuocet. Quapropter, vt ad eum veniens veniam petas, suadeo: quod si facere neglexeris artem tibi nullam profuturam dico*. Quibus auditis Hermogenes ira percitus Philetum ita arte sua fixit, vt se loco mouere non posset, inquiens per derisum, *iam videbimus, si hic tuus Iacobus veniens te soluere possit*. Philetus itaque puerum Iacobum de ijs, quæ sibi accidissent certiorem facit: qui ad illum sudarium suū, quo in nomine Christi solueretur, misit. Sicque solutus, & Hermogenem irridens ad Iacobum confugit. Hermogenes verò Dæmones adiurans, illos ad Iacobum, & Philetum ad se perducendos mittit. Verùm illi Iacobo orante se maiore incendio affectos clamantes ad illius præceptum redeuntes ad Hermogenem, illumque ad Iacobum vinctū pertrahunt, enixè petentes ab Apostolo, vt is suæ potestati concederetur. At Iacobus post obiurgatum Hermogenem, iussit illum liberum dimitti; cumque ille sibi à Dæmonibus timeret, Iacobus scipionem, quo vtebatur, illi porrexit, quo tutus esset à Dæmonibus ille itaque domum profectus baculum collo suo, & discipulorum admonuit, & in alterum mutatus, omnes artis magicæ libros Iacobo detulit, & comburi permisit: Sed, & simulachrum, è quo Dæmonum responsa capere solebat, contriuit, & opes male partas distribuit, sic Apostolo iubente, sicque ad Christum conuersus est, vt etiā mira faceret. Quòd Iudæi indignissimè ferentes (multos enim Hermogenes discipulos secum traxerat) à Lysia, & Theocrito Centurionibus obtinent data illis pecunia, vt Iacobum capere eis liceret. Quare dum Iacobus coram populo altius petito exordio Christum Dei filium esse differeret, Iosias scriba Abiathar Pontifice impellente fune collo iniecta Iacobum ad Herodem perduxit: qui Iudæis rem gratam facturus, illicò illum educi, & securi percuti iubet. Cum autem ad supplicium ductus inuia paralyticum, eum vt se sanaret orantem, in Christi nomine curasset, eo miraculo. Iosias commotus maximè quòd illum ad martyrium subeundum fortem cerneret se ad Apostoli pedes abiecit, veniamq; precatus se baptizati expostulat: quem Pontifex pugnis contusum vnà cum Iacobo securi feriri mandauit. Ductus igitur vterque ad locum supplicij ibique Iosia ab Apostolo baptizato, & in fronte osculato Claudio Imp. securi percussus est Kal. Aprilis. Corpus Apostoli à discipulis raptum, postea in Hispaniam Compostellam translatum est. Quò voti causa ex omnibus orbis terræ partibus peregrini confluunt. *Ex Breu. Rom. & ex Metaphr. ac Isid. de vita, & ob. SS. Eius etiam mem. Clem. Alex. lib. 7. referente Euseb. lib. 2. c. 9.*

ANNOTATIO.

Veronenses vel decipi vel partem tantū corporis S. Iacobi habere.

VEronenses se corpus D. Iacobi Maioris in M. Grigiano inuentum anno 1595. die 22. Maij, vt monumenta ecclesiæ ipsorum testantur, habere dictitant. Cuius inuentionis in Bonifacij IX ecclesiam dicti Montis Veronensibus concedentis diplomate fit mentio. Verum cum corpus huius S. Apostoli Compostellæ in Hispania asseruari adeò manifestum sit, vt de re hac dubitare non liceat, vel ipsi in errore versantur, vel partem aliquam eius corporis duntaxat habent.

Caput Valentiæ apud Padum op. Ticinen. diæc. asseruatum populo hac die magna celebritate ostenditur capillis, & carne sic constans, ac si recens fuisset abscissum: quod ipsius Apostoli esse affirmant.

DE

DE SS. FLORENTIO, ET FELICE MARTYRIBUS apud Forconium.

FLorentius, & Felix milites Sipontini ex numero 83. qui apud Amiternũ pro Christo martyrij palmam adepti sunt, cohortis illius præcipui, qui vt erant genere coniunctissimi, (erant enim germani) sic & religione Christiana pares: quorum prior S. Iustæ virginis & martyris pater fuit. Cum itaque è Siponto Theate venissent, ibique adolescentem animam agentem à morte ad vitam reuocassent, inde verò Forconium profecti, prædicare cœpissent, pluresque ad fidem perducent, eo miraculo quòd Hilarij hospitis nepoti cæcum visum restituissent, ab Idolorum Sacerdotibus apud Maximianum Imp. deferuntur. Qui Aurelio Forconiensi Præfecto mandat, vt illos comprehendat, Deosque venerari recusantes interficiat. Quare is Imperatoris iussa faciens SS. milites comprehendi iubet, ductosque ad Iouis templum, cũ ei sacrificare nollent, apud Abellinum amnem vrbem præter fluentem, capite plecti præcepit 8. Kal. Augusti. Quorum corpora B. Iustinus Presbyter ibidem sepeliuit. *Ex monum. M.S. Eccles. Aquilanæ, & pass. S. Iustæ virg.*

Semimortuus excitatur cæco lumen restituunt.

A N N O T A T I O.

HOrum passio paulò diuersè in *Actis SS. 83. mart. & in Actis S. Iustæ V. filiæ S. Florentij, quæ ab ead. eccles. accepimus, refertur.*

DE S. VALENTE EPISCOPO VERONENSI.

Vide die seq.

Iulij die 26.

DE SS. SYMPHRONIO, OLYMPIO, THEODVLO, & Exuperia martyribus Romæ.

SYmphronius, qui & Sempronius nominatur Nemesij Tribuni ad Christũ conuersi famulus Valeriano, & Galieno Imperatoribus quæstionibus subiectus apud Olympium Tribunum, vt Domini sui facultates proderet, & Christo abnegato Dijs immolaret, cum nihil ab eo obtineri posset, illũ Tribunus iratus extensum virgis immanissimè cædi, cæsumque aureo Martis Idolo sacrificare iubet, Qui nil supplicio hoc commotus, ad Idolũ conuersus, *Conterat te*, inquit, *Dominus I.C. filius Dei viui*, moxque illud velut cæra resolutum defluxit. Olympius autem stupore oppressus dum abiens Exuperiæ vxori rem gestam narrat, illa ad virum conuersa. *Si tanta ait, Christi, vt dicis, potentia est, satius nobis erit relictis inanibus Dijs illi adhærere.* Nec mora, comminuuntur simulachra, cõflata ex ijs auri, & argenti massa pauperibus distribuitur. Olympius cum Exuperia, Theodulo filio, & tota familia à B. Stephano Papa aquis salutaribus abluitur. Quæ vbi Valerianus, & Galienus resciuissent, Olympium accersunt, ac cum ad Idolorum cultum illum reuocare non possunt, ipsum cum Symphronio, Theodulo, & Exuperia fixis stipitibus alligatum ante solis statuam iuxta amphitheatrum igne circumposito concremari iubent. Qui in ipso igne Christo gratias agentes spiritum emiserunt 7. Kal. Augusti. Quorum corpora nocte sequenti S. Stephanus Papa digno honore in monumento collocauit. *Ex Gestis S. Steph. Papæ. Quæ à Sur. tom. 4. & à Mombrit. tom. 2. referentur.*

Idolum velut cera diffluit.

Olympius Tribunus cũ Exuperia vxore, & filio aquis salutaribus expiantur.

A N-

ANNOTATIO.

SAnctus Nemesius ex Tribuno Diaconus cum Lucilla filia, licet capitis damnatus esset, eodem tempore, quo hi martyres passi sunt. In Martyrol. tamen illius passio die 31. Oct. memoratur: cum in gestis S. Steph. Papæ. Nemesij, & Lucillæ martyrium horum passionem præcessisse constet.

DE S. HYACINTHO MARTYRE IN PORTV ROM.

HYacinthus à Luxurio homine improbo Aureliani fratre maximeque Christianis infenso comprehensus Traiano Imp. Leontio viro consulari puniẽdus traditur. Qui interrogatus se Iesu Christi seruum esse, nec se comminationes Principum, & pœnas, quæ breues sunt, timere respondit. *Ira enim vestra*, inquit, *exardescit, citoque euanescit, vosque, cum fueritis vita functi, deinceps nihil eritis*. Cum verò Luxurius exclamans ad Leontium diceret, *Audis Hyacinthum cum Principum iniuria loquentem, & non eum punis?* Leontius, qui plurimum Luxurio deferebat; cũ Luxurius sententiam in Hyacinthum diceret, igni illum adiudicasset, combustumque in flumen præcipitandum censeret. B. Hyacinthus ad illum conuersus, *me quidem Luxuri igne concrema, aquaque, qua regeneratus sum me suscipiet. Te verò coluber hodie comedet.* In ignem itaque inie̋ctus, & illæsus in aquam demersus incolumis ad littus eiectus est. Luxurius autem equo vectus ad villam à colubro inuasus ventre dilaceratus est, & malè perijt. Leontius, vbi Hyacinthum euasisse accepit, lictorem cum militum manu mittit: qui illi haud longè ab vrbe caput amputauit: Corpus Iulia matrona pietate insignis in prædio suo apud vrbem Romam honorificè sepeliuit 7. Kal. Augusti. *Ex M. S. antiquis à Sur. tom. 4. rel.*

Hyacinthus propriam incolumitatem Luxurijq; necẽ prædicit.

ANNOTATIO.

NEmo hic miretur, quòd in Portu Rom. S. Hyacinthus passus referatur, cum non longe ab vrbe Roma passus, & sepultus sit. Nam apud Portum Rom. in ignem, & in flumen proiectus est. licet martyrium prope vrbem consumarit.

DE S. PASTORE PRESBYTERO ROM.

PAstor Romæ honesto loco natus S. Pauli Apostoli discipulus fuit: à quo vnà cum Timotheo condiscipulo Presbyter ordinatus cœlestibus monitis obtẽperans, omnino pijs, & Christianis operibus addictus erat. Hic cum doctissimus esset, paremque doctrinæ vitæ integritatem haberet, officiũ Ecclesiasticũ, & suo nomine dignum implebat. Multa sub Antonino Pio Imp. ob Christi Domini fidem passus est. Rogatus à Pudente viro clarissimo SS. Praxedis, & Pudentianæ virginum patre ecclesiam in illius ædibus dedicauit; quæ diu titulus Pastoris dicta est. Plurimorum martyrum corpora à SS. virginibus prædictis adiutus sepeliuit: quas etiam sepulturæ honorificè tradidit, & illarum vitã scripsit. Quem titulum condidisse, & in Domino obijsse S. Pius Papa in epistola ad Iustum Episcopum Viennensem scribit. Obijt autem multis bonorum operũ meritis cumulatus 7. Kal. Augusti, & in proprio titulo conditus est. *Ex Cod. M. S. S. Mariæ Maioris, & ex Actis SS. virgg. Pudent. & Praxedis.*

AN-

ANNOTATIO.

Titulus Pastoris (est autem titulus idem quod ecclesia, seu locus sacer ad alicuius rei memoriam erectus) extare apud portam Viminalem, vbi S. Pudentiana adest, in Martyrol. Rom. memoratur.

Dubitationem habet illud, quod S. Pastor D. Pauli Apostoli discip. fuerit, ab eo Presbyter ordinatus, & S. Praxedem V. sepultura tradiderit. Nam S. Paulus sub Nerone anno D. 59. seu 60. martyrio affectus est; Praxedes verò an. 165. obijt; hoc est an. 2. M. Aur. Anton. quod si Pastor à Paulo Apost. ordinatus est, saltem annum ætatis aut 25. agebat. Cum itaque à nece Pauli ad obitum Praxedis anni 105. effluxerint, si addantur anni 20. vel etiam 25. colligentur anni Pastoris 125. vel 130. quod parũ verisimile videtur, cum in ætate adeò decrepita mortui sepeliri, & alia id genus opera fieri nequeant. Putamus idcirco Pastorem haud viuente Paulo Apost. vixisse, sicuti neque Pudentis filios, & filias.

DE S. PASTORE MARTYRE ROMÆ.

PAstor S. Erasmi Episcopi Formiani discipulus post magistri passionem, & ipse Romæ, sub Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus tentus, ac propter fidei Christianæ confessionem cruciatus, demùm in ea perseuerans via Salaria martyrio coronatus est, & ad Cliuum Cucumeris sepultus 7. Kal. Augusti. *Ex quodam M.S. Bibliotheca Baron. cuius ipse Baron. in Annot. ad Martyrol. hac die meminit.*

ANNOTATIO.

FVit alius Pastor S. Erasmi Episcopi discipulus: qui Romæ via Salaria sub Diocletiano, teste Baronio in Annotat. hac die, passus est, & ad Cliuum Cucumeris sepultus.

DE S. VALENTE EPISCOPO VERONENSI.

VAlens, qui & Valentius, Episcopus Veronæ 31. S. Vindemiali in Episcopatu successit. Hic semper pauidus, deque sua, & populi salute sollicitus fuisse traditur. Sic autem seipsum obseruabat, vt minima quæque delicta etiã præcaueret. Cum autem difficilem curam Episcopalem esse, maximumque Episcopo periculum imminere animaduerteret, omnibus viribus contendebat, nulli parcens labori, vt populi sibi crediti saluti omnibus modis semperque consuleret. Cum itaque Ecclesiæ suæ peruigili cura ferè 8. annos præfuisset senio confectus cessit è vita hac mortali in æde S. Petri in Arce sepultus. 7. Kal. Augusti, an. sal. 531. quo tempore Bonifacius II. Ecclesiæ, Iustinianus Imperio præerat. *Ex monum. Eccl. Veronen. & lib. de SS. eiusd. Eccl. toties memor.*

ANNOTATIO.

SVnt qui S. Valentem in eccl. S. Proculi sepultum putent. Sed illum in eccl. S. Petri in arce conditum inscriptio lapidea docet. Ibi hæc verba leguntur. S. VALENS EPISCOPVS, QVI VIXIT AN. PLVRIM. ET SEDIT AN. VII. MENSES VII. ET DIES XVIII.

DE SS. BENIGNO, ET CHARO EREMITIS apud Veronam.

BEnignus eremita in monte apud lacum Benacum, & Malsesinum pagum vitam cum Charo discipulo suo solitariam duxit, multaque sanctitatis

fama

fama refplenduit. Nam cum S. Zenonis corpus Veronæ in oportuniorem locũ transferendum effet, Pipino Karoli Magni filio Italiæ Rege, & Rotaldo Veronæ Epifcopo, nullusq; offa illa fanctiffima auderet attingere, Benignus, & Charus a Rege, & Epifcopo diuinitus, vt creditur, admonitis, digni, qui corpus fanctiffimi Præfulis contingerent, & transferrent, habiti funt. Veronam itaque acciti, Corpus S. Zenonis fuis manibus cõtrectantes, extractum in loculo repofuere, & fuis humeris tranftulerunt. De quibus illud memoriæ proditum, quod; cum Veronam ad translationem prædictam venirent, in itinere merulam fibi fæpius per viam occurfantem, & alis perftrepentem inuenere, quam SS. viri à Dæmone miffam, vt finiftro omine perterritos eos ab incœpto reuocaret, arbitrati, abiurantes, ei ne loco dimoueretur vfque ad eorum reditum, præceperũt. Quam in reditu mortuam confpicati, quafi feipfos mortis innocẽtis auis culpãtes arctiffimum 40. dierum ieiunium fibimet indixerunt. Ad cuius rei memoriam auis ex ære conflata hifce etiam temporibus in ara S. Zenonis Malfefini confpicitur. Horum memoria Malfefini pago Veronenfis diœcefis 7. Kal. Aug. celebratur. Vbi corpora in ecclefia S. Stephani afferuantur. *Ex libello Aug. Valer. Epifcopi, & Card. de SS. Eccl. Veronen.*

Prodigium merulæ.

Ieiunium ob innocentis merulæ mortem.

ANNOTATIO.

Licet non eadem die obierint SS. Benignus, & Charus (qui circa an. Domini 800. vixiffe videntur) hac tamen die Malfefini fimul coluntur. De quibus extant hac carmina.

, *Benignus, & Charus vterque merito clarus*
, *Sub hoc altari meruerunt dignè locari.*
, *S. Zenonis vrbis Veronæ patroni*
, *Hi duo transferre reliquias commeruere.*

Epitaphium SS. Benigni, & Chari.

,, *Benignus, & Charus vterque merito clarus,*
,, *Sub hoc altari meruerunt dignè locari.*

DE S. PARASCEVE VIRGINE ROM. ET MART.

Parafceue in pago apud Romam Veterem Agathone patre, & Politia matre nata Antonino Rege piè educata eft, hanc parentes cum fteriles effent, precibus à Deo impetrarunt. Parafceuemque dixere, quod feria fexta nata effet, à teneris ecclefias frequentans, orationi inftans erat, & facras litteras didicit. Parentibus orbata, facultates omnes pauperibus diftribuit, ac monafticum habitum induta, egreffaque vrbem nomen D. I. prædicans, multos Græcorum ad agnitionem Dei veri adduxit. Accufata autem à Iudæis apud Antoninum Imp. & ad eum adducta, cum Rex illam ad Idolorum cultum reuocare promiffis, & minis tentaret, fapientiam, & pulchritudinem virginis admiratus, Refpondit fe nunquam Deos, qui mortui funt, pro immortali Deo, qui cœlum, terramque, & omnia, quæ in eis funt, fecit, adoraturam. Quibus verbis Imp. incenfus galeam æream candentem capiti virginis imponi iubet. Ea autem nil læfa, plures in Chriftum Iefu crediderunt. Pofthæc in lebetem æreum feruenti oleo, & pice plenum immittitur, cumque non incẽdi, fed refrigerari videretur, diceretq; Imp.

Parafceue Imperatoré oleo cum pice feruenti excæcatũ fanat.

Imp. vt se oleo, & pice aspergeret, manibus accepium oleum cum pice feruens in Imp. faciem proiecit: qui statim excæcatus clamans à Parasceue opem implorabat, se in Christum crediturum, si visum reciperet. Eo itaque sanato, cum multi omnes ad fidem conuersi baptismo abluti essent, ipsa alijs ciuitatibus, & pagis Christum annuncians ad vrbem venit, in qua Asclepius Rex imperabat. Qui cum virginem Christi fidem extollentem audisset, eam extra ciuitatem a dracone deuorandam misit: sed is in duo statim perfractus est, vbi virgo accedens signum crucis opposuit. Quod Rex cernens credidit ipse cum omnibus suis in Christum. Cum verò ad aliam ciuitatem, cui Tarasius Rex præerat, venisset, Christumque illi prædicasset. In ollam oleo, pice, & plumbo liquato plenam iubente Rege injicitur; Sed ab Angelo erepta cum alios constanter cruciatus superasset, denique capitis abscissione martyrium compleuit. 7. Kal. Aug. *Ex Antholog. Græcorum.*

Rex Asclepius in Christum credit.

ANNOTATIO.

Antoninus Rex haud Antoninus Imp. est: Antoninus enim hic ad Christum conuersus, & cum suis omnibus baptizatus apparet: quod de Antonino Imp. neque Pio, neque M. Aur. dici potest.

DE S. SYMEONE MONACHO CONFESSORE, apud Mantuam.

Symeon Armenus patre magistro militum natus, ab ineunte ætate feruiens Deo fit monachus, inde ordinatus Diaconus eremum petijt, vbi cum duobus discipulis cum aliquando ob maximas niues cibus haberi non posset, vbi ad orationem confugisset, ceruus affuit, qui se occidendum exhibuit. Ab eremo digressus Hierosolymam venit, cuius Patriarchæ Arsenio familiaris erat: vbi 7. Dæmoniacos curauit. Inde Romam profectus Benedicto VIII. Pont. Max. quo tempore concilium celebrabatur, cũ in Lateranensi ecclesia diutius oraret, à Clerico tanquam hæreticus apud populum accusatus vitæ periculum adijt; sed cum eadem die in concilio de fide interrogatus optimè respondisset, accusator à Dæmone arreptus tandiu vexatus est, donec à Symeone signo crucis, & manus impositione liberatus est, quo miraculo Symeon apud Pont. & alios in honore haberi cœpit. Cum autem plurimi in dies ad eum, infirmi præsertim confluerent; inde clam nominis celebritatem fugiens discessit, diuertensq; ad monasterium quoddam à monachis illius percussus est: cumque Episcopus percussores carceri mãcipasset, illos noctu Symeon dimisit, & iter prosequutus, Pisas venit, vbi in vrbis ingressu Diabolum humana specie interrogantem. *Quo tendis monache?* Obuium habuit, qui statim, ac Symeon respondit, *Quo Christus voluerit*, disparuit. Pisis Lucam contendit: vbi plurimos Iudæos cõuertit eo miraculo, quòd Iudęus cum eo de Christo disputans, dum illum de virgine natum execrando negaret, mox in conspectu omnium expirauit. Inde Lunam, & per M. Bardonem vbi ecclesiam S. Moderamni inuisit, Placentiam venit, aliquot ægrotis in via curatis, comiteque cum asello sibi commodato Pisas cum benedictione remisso. Placentiæ noctu oranti apud ecclesiam S. Sixti, fores illius vltrò aperiuntur. Ea vrbe egressus cum ad Padum flumen Nauiculärium minimè inuenisset, nauiculam in fluuium immisit, eaque sine remigio vllo cum aliquot peregrinis traiecit. Apud monasterium S. Christinæ filium pauperculæ paralyticum sanauit. Papiæ in æde S. Syri ab obsesso dæmonem expulit,

Ceruus se in cibũ Symeoni exhibet.

Symeon suũ accusatorem à Dæmone liberat.

Iudæus, Christum de virgine natum, negãs illicò expirat.

Symeon paralyticũ sanat. Leprosus sanitati restituitur.

Episcopi aduentum liberata est. Denique vbi Ecclesiæ Ticinensi annos 13. præfuisset, cessit è vita 11. Kal. Augusti Hadriano I. Pont. Maximo in ecclesia, quæ S. Mariæ in Pertica vocatur, cuius æditutus fuerat, tumulatus. *Ex Guall. in suo Santuario lib. 6. c. 1. Steph. Breuent. lib. 2. Hist. Ticinen. c. 14. Anton. M. Spelta lib. de vit. Epp. Papiens.*

ANNOTATIO.

QVo præcipuè tempore obierit, sciri minimè potuit, alijs Rege Longobard. Astulpho adhuc viuo, alijs verò Desiderio vltim. Rege regnante illum obijsse scribentibus. Quòd si Hadriano Pont. migrauit, sub Desiderio excesserit necessarium est. ex Fastis Panuinij.

DE S. GVALTERIO CONFESSORE LAVDENSI.

GValterius Laude à parentibus sterilibus precibus à Deo impetratus, ijs ornatus reque familiari pauperibus distributa apud Placentiam Ægrotis in Xenodochio ministrauit: Idem post biennium in patriam reuersus in nosocomio S. Bartholomæi extra vrbem præstitit: aliudque Xenodochium cum sacello propè Laudem in via, quæ Mediolanum ducit, extruxit (quod ab Henrico septara Mediolanensi Archiepiscopo auctum, prius Misericordiæ, postea S. Gualterij dictum est.) Is exemplo sui multos vtriusque sexus ad vitam eremiticam traxit. Nudis pedibus incedebat: paruo cibo vilique vestitu contentus, carnē assiduis ieiunijs affligebat; in oratione sæpissimè flebat. Multis susceptis peregrinationibus plura pauperum hospitia construenda curauit, quemadmodum apud Vercellas, Derthonam, Cremam, Melegnanum: quæ sæpe solebat inuisere, ac confratres, qui ea curarent, præficere. Denique pijs hisce laboribus perfunctus, graui morbo correptus, breui annum ætatis 40. agens 11. Kal. Augusti, obdormiuit An. Sal. 1224. multis ægrotis, & infirmis ad funus illius mirabiliter sanatis. Cuius corpus, cum ex Xenodochio Misericordiæ; in quo multos annos iacuit clam ad ecclesiam S. Blasij non sine maxima aeris perturbatione delatum fuisset, vbi in proximam S. Pauli ædem deductum fuit, mox tempestas sedata est, statimque in locum pristinum solemni ciuitatis pompa relatum aliquot à morbis præsertim podagræ liberatis, tandiu ibi fuit, donec in ecclesiam Cathedralem traslatum, in ea honorificè conditum est. *Ex monum. Eccl. Lauden.*

ANNOTATIO.

EIus Natalis ob S. M. Magdalenæ festum in diem 27. huius dilatus celebratur. Est & Gualterius. Ab. in Piceno in diœcesi Firmana celebris.

Iulij die 23.

DE S. APOLLINARE EPISCOPO I. RAVENNATE, et martyre.

Apollinaris cæco lumen restituit.

APollinaris B. Petri Apostoli discipulus cum eo Antiochia Romam veniens Rauennæq; Episcopus ordinatus, ad eam vrbem ad prædicandū Euangelium mittitur. Apud ciuitatem ab Irenæo milite Asiatico hospitio acceptus filio illius cæco lumen oculorum restituit. Ingressus Rauennam Teclam Tribuni militum vxorem grauissimo morbo oppressam, cui nulla medicorum arte succurri

succurri poterat, manu apprehensam cum dixisset: *in nomine Domini Iesu surge*, statim sanauit. Quibus miraculis non solum militem, & Tribunum: sed & plurimos alios ad fidem conuertit. Quo tempore Aderitum, & Calocerum, Presbiteros Marcianum, & Leucadium Diaconos, & alios Clericos ordinauit sacra in domo Tribuni faciens. Ob quæ ab Idolorum sacerdotibus grauiter cæsus est. Cumque Bonifacio viro nobili diu muto linguæ beneficium contulisset, ac eiusdem filia à Dæmone liberata plusquam quingentos baptizasset, iterum cõmota in eum seditione virgis cæsus, ardentes prunas pedibus premere cogitur, ac nihil læsus ab igne vrbe eijcitur. Extra vrbem aliquandiu latens, nec ad Christum homines in dies trahere cessans, Calocero operi præfecto, ipse in Æmiliã venit, ac Rauennam reuertitur, vbi Rufini Patricij filia mortua ad vitam reuocata, totam illius familiam Christo adiecit. Qua re incensus Præfectus Apollinarem accersit, eique grauiter minatus præcipit, vt Christi fidem disseminandi in vrbe finem faciat. Cumque Apollinaris iussa negligeret, in equuleo cruciatur, aqua feruenti in plagas infusa, saxoque illos contunditur: vinculisque constrictus ferreis in carcere includitur. Vnde post quatuor dies eductus naui impositus mittitur in exilium. Qui facto naufragio venit in Mysiam, inde ad ripam Danubij, & postea in Thraciam. Cum autem in Sirapidis templo Dæmon se responsa daturum negaret, quandiu ibi Petri Apostoli discipulus moraretur, diu conquisitus, & inuentus Apollinaris, inde nauigans abire iubetur. Rauennam reuersus cum in prædio Cyrenęi Senatoris sacra faceret, captus ab Idolatris, & ad Apollinis templum ductus Christum abiurare cogitur, sed eo orante mox templum cum idolo in terram corruit. Quare illum vinctum Tauro Iudici necandum tradunt: qui cum filium à natiuitate cæcum haberet, se Christo nomen daturum pollicetur, si filio videndi facultatem tribueret, sin minus, se illum flammis tanquam deceptiorem exusturum. Adducitur in medium cæcus, qui mox Apollinaris oratione visum recepit. Tauro autem cum tota domo, & plurimis ex ijs, qui aderant ad fidem conuersis in prædijs illius aliquandiu habitans, & munus Episcopale exercens à Barbarorum iniurijs defensus est, donec rursus ab Idolorum Sacerdotibus accusatus, & tentus Cẽturioni custodiendus traditur: à quo Christum clàm colente dimissus, verum ab insequentibus satellitibus iterum captus, plagisque in itinere confectus quòd mortuus crederetur, relinquitur. Qui inde à christianis, & discipulis sublatus, septimo die illos ad fidem constantiam hortatus, martyrio clarus migrauit, è vita 10. Kal. Augusti. Cuius corpus prope vrbis mœnia sepultum est. *Ex Breu. Rom. & pass. illius apud Sur. tom. 4. rel.*

Apoll. à Sacerdotibus Idolorum cæditur.

Muto loquendi beneficiũ præstat.

Mortua Rufini filia excitatur.

Apoll. crudeliter torquet.

Demon in Serapidis tẽplo

Apollinis fanum ruit.

Tauri Iudicij filio oculorũ lucẽ donat.

ANNOTATIO.

Passus est sub Vespesiano an. 4. Lino Sum. Pont. cum annis 29. Ecclesia Rauenn. præfuisset. An. D. 75. cui Abderitus successit, deinde Eleucadius. Ex Baron. in Annal. ad an. præd. Fuit & Apollinaris Ep. Hieropolitan. qui sub M. Antonino floruit: de quo Hieron. lib. de script. Eccl. & Martyrol. Rom. 8. Ianuari.

Rufinus Patricius ille traditur esse, qui Capua factus Episcopus martyrio coronatus est: Sedis in Martyrol. Rom. & in actis eiusdem Apollinaris apud Sur. Rufus, non Rufinus appellatur.

S. Apollinaris etiam Venan. Fortun. in vita S. Martini circa finem meminit.

„ *Rursus Apollinaris pretiosa limina lambe.*

DE S. RASYPHO MARTYRE ROMÆ.

RAsyphus ignotæ patriæ Romæ passus est. Sed quo tempore, quoue suppli cij genere, omnino ignoratur; cum sola illius in antiq. Cod. memoria extet. Romanum autem illum non fuisse, sed exterum nomen ipsum satis indicare videtur. *Ex Martyrol. Rom.* Corpus in basil. S. M. Rotundæ quiescit, vt inscript. indicare videtur, licet pro Rasyphi Rasij legatur.

ANNOTATIO.

NVlla præter eam, quæ in Martyrol. Rom. & apud Molan. in Addit. ac Galesin. legitur, huius S. martyris mentio reperitur. Nec corpus quod sciatur, alicubi extat.

DE S. PRIMITIVA VIRGINE, ET MARTYRE ROMÆ.

PRimitiua virgo, & ipsa Romæ martyrio coronata in Martyrologio Rom. et alijs refertur. Tempus verò, & acta eiusdem desiderantur, illam haud Romanam fuisse conijcimus; quòd de ea in lib. de virginibus Rom. Anton. Gallonij nulla prorsus habetur mentio. Tametsi ab eo autore fortassis omissa est; quia, quod de illa scriberet, nihil habebat. *Ex Martyrol. Rom.*

ANNOTATIO.

BAron. in Annotat. ad Martyrol. Petrum in Cat. lib. 11. c. 200. citat. Sed Petrus ibi Primitiuã virginem tantum memorat, quæ 10. Kal. Aug. quieuit.

DE SS. VIRGINIBVS ROMANIS ROMVLA, REDEMPTA, et Herundine.

HErundo virgo Romana in monasterio cum alijs virginibus Romæ degēs Redemptam virginem discipulam erudiuit, quam cum ad eam perfectionis normã, vt alijs præesse posset, perduxisset, quieuit in pace. Redēpta verò in eodem cœnobio apud ædem sacram B. M. V. cum Romula virgine & alia discipula, cuius nomen ignoratur, vitam moribus quidem diuitem, at rebus pauperem ducebat: ita Romula magnis meritis reliquas anteibat: miræ namque patientiæ, obedientiæ summæ, silentij, & orationis magnopere studiosa fuit. Quæ paralysi percussa multis annis in lectulo vsu membrorum destituta iacens, æquissimo animo tantum flagellum sustinuit, tantò ad orandum sollicitior, quãto morbo magis grauabatur. Hæc quadam nocte Redemptam matrem cum vocasset, illa que cum altera discipula affuisset, tanta de cœlo lux cellam impleuit, vt astantes pauore consternati corpore obrigescerent. Sonus enim magnæ multitudinis intrantis audiri, & cellæ ostium concuti cœpit, cum nihil tamen præ nimio timore, & lumine viderent. Splendorem mira odoris fragrantia subsecuta est. Tum Romula magistram solabatur dicens se non esse tunc morituram. Cum que lux paulatim euanuisset, odor tamen ad sequentem, & alterum diem permansit. Quarta nocte Romula magistram iterum vocate viaticum postulans. Quo tẽpore ante cellæ Ostium duo Psallentium chori exauditi sũt, canẽtibus viris, fœminis verò respõdentibus: quod dũ fieret Romula animam Deo reddidit. Psalmodia autẽ in sublime abiens, quo magis recedebat, eò minus percipiebatur, donec prorsus exaudiri desijt. Post Romulæ excessũ, & ipsa Redẽpta cum Deo feruẽtius deseruisset, relicto corpore abijt in Cœlum. *Ex S. Greg. Papa lib. 4. Dialog. c. 15. & Hom. 40. ac alib. virg. Rom.*

Prodigiũ nitidissimę lucis, ac suauissimi odoris.

A N-

ANNOTATIO.

AEtate S. Gregorij Papæ hæ SS. virgines vixere, vti apud ipsum legitur locis memoratis. Et licet non eadem die obierint, hac tamen die illarum mem. in Martyrol. Rom. celebratur. Quarum corpora magna ex parte in Basilica S. Mariæ Maioris asseruantur. Ex parte verò Tiburi, Romula siquidem, & Redempta in æde S. Mariæ Maioris sunt.

Herundo prius in Montib. Prænestinis vitam solitariam duxerat ætate fere S. Greg. vt Baron. in Annal. ad An. D. 593. Quarum corpora in confessione S. Mariæ ad Præsepe asseruari feruntur, & Cæt.

Iulij die 24.

DE S. CHRISTINA VIRGINE, ET MARTYRE APVD Vulsinios.

CHristina virgo claro genere nata Tyri apud Vulsinios (quæ vrbs lacu Vulsinio absorta esse desijt) cum christianam religionem colens Diocletiani Imp. Vrbani patris, vrbis Præfecti, (qui illam vnicè diligebat, & ob formã eximiam diligentius cũstodiendam, educandamque curabat) Idolatræ, simulachra diuersorum Deorum, quos ille colebat, aurea & argentea cominuisset, pauperibusque distribuisset, à parente ira correpto non tam ob idola demolita, quam quòd abiecto Deorum cultu Christũ coleret, variè, denique cruciatur, vt à proposito reuocaretur. Ac primum illam alapis cædi, deinde verberibus dilaniari, ac in sententia persistentem, ferro, catenisque onustam in tetrum carcerem conijci iubet. Ad tormenta rursus euocata, in equuleo extensa, torquetur, depositaque crudeliter adeò laniatur, vt carnes (quas illa virili animo patri in faciem proiecit) in terram defluerent. Posthæc alligata rotæ, oleoque perfusa subiecto igne torretur: Sed cum flamma erumpens ad mille ex Gentilibus interfecisset, in carcerem reducta, ab Angeloque curata sanitati integræ reddita est; Quam pater denique cum ingenti saxo in Lacum Vulsinium præcipitari iussit. Verùm ab Angelo liberata nouis à Dione, qui patri in præfectura successit, supplicijs exponitur. Cum verò Christina suis precibus Apollinis Idolum, quod venerari iubebatur, in fauillam redegisset, eo miraculo ad tria millia hominum ad Christi fidem peruenere. Nouissimè Sanctissima virgo sub Iuliano Dioni substituto post fornacem ardentem, in qua diebus quinque inuiolata permansit, post serpentes in eam à venefico immissos Christi fide superatos, post quę linguę abscisionem, sagittis confossa illustre certamen confecit. 9. Kal. Augusti. *Ex Adone & Martyrol. Rom.*

Christina à patre Vrbano supraquã dici potest crudeliter torquetur.

Flamma mille ex Gentilibus absumit à Apollinis delubrum in fauillã redactũ.

Christina 5. dies in fornace ardenti inuiolata permansit.

ANNOTATIO.

EAdem de Christina virgine Panormitana narrantur: ex quo vel hæc eadem est cũ illa, vel acta vnius alteri attributa, sunt. Corpus huius Venetijs asseruari Pet. Gales. cum Petro in cat. lib. 6. c. 30. attestatur; licet alij Vulsinijs quiescere affirment.

DE S. VINCENTIO MARTYRE APVD ROMAM.

VInceutius martyr siue ex vrbe Roma, siue ex Tiburtina ciuitate in via Tiburtina à Beda, Vsuardo, Adone, et alijs passus refertur (licet sub quo Imp. ignoretur) Tibure, vbi sacra ædes illi extructa est, colitur. Quamuis, vt Baron. in Annotat. hac die, monet, alij ecclesiam S. Vincentij nomine Tibure erectam nõ huius, sed alterius Vincentij esse putent. *Ex Martyrol.*

custoribus altero oculorum orbatus est. Cum verò Idolorum Sacerdotes ad eũ sanandum aduocati, nequicquam effecissent, Idolaque orante Iuliano confracta concidérent, seque oratione Iuliani Dæmones cruciari dicerent, Marcianus, & si Iulianus percussori oculum orando restituerat, omnia magicis artibus tribuens, illum decollari præcepit. Interea is, cui oculus restitutus erat, ad Christum conuersus, cum illum solum Deum esse diceret, iussu Præsidis oculis sibi vncinis ferreis effossis vnà cum Antonio Presbytero, Anastasio, & socijs capite plexus est. Quo tempore ingenti repentinoque terræmotu magna vrbis pars contremuit, & plurimi ex infidelibus interempti sunt. Marcianus autem fuga elapsus non post multos dies vermibus consumptus miserè perijt. Passi sunt SS. martyres 10. Kal. Augusti. Quorum corpora inter aliorum cadauera signo inuenta à Christianis Sacerdotibus sepulta sunt, & miraculis coruscarunt. *Ex monum. Eccles. Lauden. M.S.*

Dæmones oratione Iulia ni cruciari queruntur.

Ingens terræmotus pluri mos perdit.

ANNOTATIO.

Fuit etiam Iulianus Confess. Episcopus Lauden. cuius natalis die 12. Octobr. in Eccl. Lauden. celebratur.

DE S. VALERIO EPISCOPO NICIENSI.

Valerius monasticam vitam in præclaro cœnobio Lerinensi professus, litteris, & moribus præditus, cum plures annos in obseruantiæ disciplinæque regularis exercitatione insumpsisset, in eaque cæteris præstaret, ad Niciensem Ecclesiam regendam euocatus, illi sanctissimè præfuit; nec tamen de vitæ prioris austeritate aliquid remisit, cum ita vigilijs, orationibus, ieiunijs, pijs meditationibus, & alijs religiosis exercitationibus, vt ante Episcopatum, quantum per occupationes pastorales licebat, operam daret; cumque aliquot annos eam ecclesiam piè administrasset, tandem plenus meritis migrauit in cœlum 10. Kal. Augusti miraculis clarus. *Ex Tab. Eccles. illius.*

ANNOTATIO.

De eo Arnoldus Vuion Belg. in Martyrol. Monast. ex monum. cœnobij Lerinen.

Iulij die 25.

DE S. IACOBO APOSTOLO HISPANIARVM Protectore.

Iacobus Zebedæi filius, & Ioannis Apostoli frater natu maior Galilæus cum fratre à Domino dum in lacu Genesara piscarentur vocatus, relictis retibus, & patre secutus est eum. Cui in primis charus fuit; nam & in M. Thabor Domino trasfigurato in gloriam, & in horto mœrenti ob vicinam mortem cum Petro, & Ioanne affuit. Is post Domini Ascensionem in Hispanias profectus est, vt antiqua Ecclesiarum Hispaniæ traditio habet, ibique Christi Domini fidem disseminauit. In Iudæa, & Samaria, quæ ei ad prædicandum obtigerant, cum in publicis conuentibus Christum Deum, & Dei filium audenter asseret, multosque ad eius cultum perduceret, aduersarios habuit Pharisæos, & Hermogenem quendam Magum, qui Philetum discipulũ ad refellendã Iacobi doctrinã misit, sed cõtra factũ est; nam illũ Iacobus ita scripturis signis, et rationibus cõuicit,

Iacobus in Hispanias proficiscitur.

Hermogenis Magi discipulum conuertit.

Hermogenes discipulum immobilem reddit.

Discipul⁹ accepto Iacobi sudario liberatur.

Dæmones missi in Apostolum à Mago illum vinctum ad Iacobum ducunt.

Hemogenes è Dæmonib⁹ liberatus conuertitur ad Christum.

Iudæi Iacobo insidiãtur, & captum ad Herodẽ perducunt.

Iacobus ductus ad supplicium paralyticũ sanat, & qui se cœperat conuertit.

Corpus in Hispanias transfertur.

uicit, vt ad Hermogenem rediens diceret; *Scito Hermogenes Iacobum Christi seruum, & Apostolum ab ste vinci non posse, cum ille cacodæmones expellat, cæcis lumen restituat, elephantiacos curet, & mortuos ab inferis, vt ipse proprijs oculis vidi, reuocet. Quapropter, vt ad eum veniens veniam petas, suadeo: quod si facere neglexeris artem tibi nullam profuturam dico*. Quibus auditis Hermogenes ira percitus Philetum ita arte sua fixit, vt se loco mouere non posset, inquiens per derisum, *iam videbimus, si hic tuus Iacobus veniens te soluere possit*. Philetus itaque puerum Iacobum de ijs, quæ sibi accidissent certiorem facit: qui ad illum sudarium suũ, quo in nomine Christi solueretur, misit. Sicque solutus, & Hermogenem irridens ad Iacobum confugit. Hermogenes verò Dæmones adiurans, illos ad Iacobum, & Philetum ad se perducendos mittit. Verùm illi Iacobo orante se maiore incendio affectos clamantes ad illius præceptum redeuntes ad Hermogenem, illumque ad Iacobum vinctũ pertrahunt, enixè petentes ab Apostolo, vt is suæ potestati concederetur. At Iacobus post obiurgatum Hermogenem, iussit illum liberum dimitti; cumque ille sibi à Dæmonibus timeret, Iacobus scipionem, quo vtebatur, illi porrexit, quo tutus esset à Dæmonibus ille itaque domum profectus baculum collo suo, & discipulorum admonuit, & in alterum mutatus, omnes artis magicæ libros Iacobo detulit, & comburi permisit: Sed, & simulachrum, è quo Dæmonum responsa capere solebat, contriuit, & opes male partas distribuit, sic Apostolo iubente, sicque ad Christum conuersus est, vt etiã mira faceret. Quòd Iudæi indignissimè ferentes (multos enim Hermogenes discipulos secum traxerat) à Lysia, & Theocrito Centurionibus obtinent data illis pecunia, vt Iacobum capere eis liceret. Quare dum Iacobus coram populo altius petito exordio Christum Dei filium esse dissereret, Iosias scriba Abiathar Pontifice impellente fune collo iniecta Iacobum ad Herodem perduxit: qui Iudæis rem gratam facturus, illicò illum educi, & securi percuti iubet. Cum autem ad supplicium ductus in via paralyticum, eum vt se sanaret orantem, in Christi nomine curasset, eo miraculo. Iosias commotus maximè quòd illum ad martyrium subeundum fortem cerneret se ad Apostoli pedes abiecit, veniamq; precatus se baptizari expostulat: quem Pontifex pugnis contusum vnà cum Iacobo securi feriri mandauit. Ductus igitur vterque ad locum supplicij ibique Iosia ab Apostolo baptizato, & in fronte osculato Claudio Imp. securi percussus est Kal. Aprilis. Corpus Apostoli à discipulis raptum, postea in Hispaniam Compostellam translatum est. Quò voti causa ex omnibus orbis terræ partibus peregrini confluunt. *Ex Breu. Rom. & ex Metaphr. ac Isid. de vita, & ob. SS. Eius etiam mem. Clem. Alex. lib. 7. referente Euseb. lib. 2. c. 9.*

ANNOTATIO.

Veronenses vel decipi vel partem tantũ corporis S. Iacobi habere.

VEronenses se corpus D. Iacobi Maioris in M. Grigiano inuentum anno 1395. die 22. Maij, vt monumenta ecclesiæ ipsorum testantur, habere dictitant. Cuius inuentionis in Bonifacij IX ecclesiam dicti Montis Veronensibus concedentis diplomate fit mentio. Verum cum corpus huius S. Apostoli Compostellæ in Hispania asseruari adeò manifestum sit, vt de re hac dubitare non liceat, vel ipsi in errore versantur, vel partem aliquam eius corporis duntaxat habent.

Caput Valentiæ apud Padum op. Ticinen. diœc. asseruatum populo hac die magna celebritate ostenditur capillis, & carne sic constans, ac si recens fuisset abscissum: quod ipsius Apostoli esse affirmant.

DE SS. FLORENTIO, ET FELICE MARTYRIBVS apud Forconium.

FLorentius, & Felix milites Sipontini ex numero 83. qui apud Amiternũ pro Christo martyrij palmam adepti sunt, cohortis illius præcipui, qui vt erant genere coniunctissimi, (erant enim germani) sic & religione Christiana pares: quorum prior S. Iustæ virginis & martyris pater fuit. Cum itaque è Siponto Theate venissent, ibique adolescentem animam agentem à morte ad vitam reuocassent, inde verò Forconium profecti, prædicare cœpissent, pluresque ad fidem perducent, eo miraculo quòd Hilarij hospitis nepoti cæcum visum restituissent, ab Idolorum Sacerdotibus apud Maximianum Imp. deferuntur. Qui Aurelio Forconiensi Præfecto mandat, vt illos comprehendat, Deosque venerari recusantes interficiat. Quare is Imperatoris iussa faciens SS. milites comprehendi iubet, ductosque ad Iouis templum, cũ ei sacrificare nollent, apud Abellinum amnem vrbem præter fluentem, capite plecti præcepit 8. Kal. Augusti. Quorum corpora B. Iustinus Presbyter ibidem sepeliuit. *Ex monum. M.S. Eccles. Aquilanæ, & pass. S. Iustæ virg.*

Semimortu exċitatur cæco lumen restituunt.

ANNOTATIO.

HOrum passio paulò diuersè in Actis SS. 83. mart. & in Actis S. Iustæ V. filiæ S. Florentij, quæ ab ead. eccles. accepimus, refertur.

DE S. VALENTE EPISCOPO VERONENSI.

Vide die seq.

Iulij die 26.

DE SS. SYMPHRONIO, OLYMPIO, THEODVLO, & Exuperia martyribus Romæ.

SYmphronius, qui & Sempronius nominatur Nemesij Tribuni ad Christũ conuersi famulus Valeriano, & Galieno Imperatoribus quæstionibus subiectus apud Olympium Tribunum, vt Domini sui facultates proderet, & Christo abnegato Dijs immolaret, cum nihil ab eo obtineri posset, illũ Tribunus iratus extensum virgis immanissimè cædi, cæsumque aureo Martis Idolo sacrificare iubet, Qui nil supplicio hoc commotus, ad Idolũ conuersus, *Conterat te*, inquit, *Dominus I.C. filius Dei viui*, moxque illud velut cæra resolutum defluxit. Olympius autem stupore oppressus dum abiens Exuperiæ vxori rem gestam narrat, illa ad virum conuersa. *Si tanta ait, Christi, vt dicis, potentia est, satius nobis erit relictis inanibus Dijs illi adhærere*. Nec mora, comminuuntur simulachra, cõflata ex ijs auri, & argenti massa pauperibus distribuitur. Olympius cum Exuperia, Theodulo filio, & tota familia à B. Stephano Papa aquis salutaribus abluitur. Quæ vbi Valerianus, & Galienus resciuissent, Olympium accersunt, ac cum ad Idolorum cultum illum reuocare non possunt, ipsum cum Symphronio, Theodulo, & Exuperia fixis stipitibus alligatum ante solis statuam iuxta amphitheatrum igne circumposito concremari iubent. Qui in ipso igne Christo gratias agentes spiritum emiserunt 7. Kal. Augusti. Quorum corpora nocte sequenti S. Stephanus Papa digno honore in monumento collocauit. *Ex Gestis S. Steph. Papæ. Quæ à Sur. tom. 4. & a Mombrit. tom. 2. referentur.*

Idolum velu ti cera difluit.

Olympius Tribunus cũ Exuperia vxore, & filio aquis salutaribus expiantur.

AN-

ANNOTATIO.

SAnctus Nemesius ex Tribuno Diaconus cum Lucilla filia, licet capitis damnatus esset, eodem tempore, quo hi martyres passi sunt. In Martyrol. tamen illius passio die 31. Oct. memoratur: cum in gestis S. Steph. Papæ. Nemesij, & Lucillæ martyrium horum passionem præcessisse constet.

DE S. HYACINTHO MARTYRE IN PORTV ROM.

HYacinthus à Luxurio homine improbo Aureliani fratre maximeque Christianis infenso comprehensus Traiano Imp. Leontio viro consulari puniēdus traditur. Qui interrogatus se Iesu Christi seruum esse, nec se comminationes Principum, & pœnas, quæ breues sunt, timere respondit. *Ira enim vestra*, inquit, *exardescit, citoque euanescit, vosque, cum fueritis vita functi, deinceps nihil eritis*. Cum verò Luxurius exclamans ad Leontium diceret, *Audis Hyacinthum cum Principum iniuria loquentem, & non eum punis?* Leontius, qui plurimum Luxurio deferebat; cū Luxurius sententiam in Hyacinthum diceret, igni illum adiudicasset, combustumque in flumen præcipitandum censeret. B. Hyacinthus ad illum conuersus, *me quidem Luxuri igne concrema, aquaque, qua regeneratus sum me suscipiet. Te verò coluber hodie comedet*. In ignem itaque iniectus, & illæsus in aquam demersus incolumis ad littus eiectus est. Luxurius autem equo vectus ad villam à colubro inuasus ventre dilaceratus est, & malè perijt. Leontius, vbi Hyacinthum euasisse accepit, lictorem cum militum manu mittit: qui illi haud longè ab vrbe caput amputauit: Corpus Iulia matrona pietate insignis in prædio suo apud vrbem Romam honorificè sepeliuit 7. Kal. Augusti. *Ex M. S. antiquis à Sur. tom. 4. rel.*

Hyacinthus propriam incolumitatem Luxurijq; necē prædicit.

ANNOTATIO.

NEmo hic miretur, quòd in Portu Rom. S. Hyacinthus passus referatur, cum non longe ab vrbe Roma passus, & sepultus sit. Nam apud Portum Rom. in ignem, & in flumen proiectus est. licet martyrium prope vrbem consumarit.

DE S. PASTORE PRESBYTERO ROM.

PAstor Romæ honesto loco natus S. Pauli Apostoli discipulus fuit: à quo vnà cum Timotheo condiscipulo Presbyter ordinatus cœlestibus monitis obtēperans, omnino pijs, & Christianis operibus addictus erat. Hic cum doctissimus esset, paremque doctrinæ vitæ integritatem haberet, officiū Ecclesiasticū, & suo nomine dignum implebat. Multa sub Antonino Pio Imp. ob Christi Domini fidem passus est. Rogatus à Pudente viro clarissimo SS. Praxedis, & Pudentianæ virginum patre ecclesiam in illius ædibus dedicauit; quæ diu titulus Pastoris dicta est. Plurimorum martyrum corpora à SS. virginibus prædictis adiutus sepeliuit: quas etiam sepulturæ honorificè tradidit, & illarum vitā scripsit. Quem titulum condidisse, & in Domino obijsse S. Pius Papa in epistola ad Iustum Episcopum Viennensem scribit. Obijt autem multis bonorum operū meritis cumulatus 7. Kal. Augusti, & in proprio titulo conditus est. *Ex Cod. M. S. S. Mariæ Maioris, & ex Actis SS. virgg. Pudent. & Praxedis.*

AN-

ANNOTATIO.

Titulus Pastoris (est autem titulus idem quod ecclesia, seu locus sacer ad alicuius rei memoriam erectus) extare apud portam Viminalem, vbi S. Pudentiana ades est, in Martyrol. Rom. memoratur.

Dubitationem habet illud, quod S. Pastor D. Pauli Apostoli discip. fuerit, ab eo Presbyter ordinatus, & S. Praxedem V. sepultura tradiderit. Nam S. Paulus sub Nerone anno D. 59. seu 60. martyrio affectus est; Praxedes verò an. 165. obijt; hoc est an. 2. M. Aur. Anton. quod si Pastor à Paulo Apost. ordinatus est, saltem annum ætatis aut 25. agebat. Cum itaque à nece Pauli ad obitum Praxedis anni 105. effluxerint, si addantur anni 20. vel etiam 25. colligentur anni Pastoris 125. vel 130. quod parū verisimile videtur, cum in ætate adeò decrepita mortui sepeliri, & alia id genus opera fieri nequeant. Putamus idcirco Pastorem haud viuente Paulo Apost. vixisse, sicuti neque Pudentis filios, & filias.

DE S. PASTORE MARTYRE ROMÆ.

PAstor S. Erasmi Episcopi Formiani discipulus post magistri passionem, & ipse Romæ, sub Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus tentus, ac propter fidei Christianæ confessionem cruciatus, demùm in ea perseuerans via Salaria martyrio coronatus est, & ad Cliuum Cucumeris sepultus 7. Kal. Augusti. *Ex quodam M.S. Bibliotheca Baron. cuius ipse Baron. in Annot. ad Martyrol. hac die meminit.*

ANNOTATIO.

FVit alius Pastor S. Erasmi Episcopi discipulus: qui Romæ via Salaria sub Diocletiano, teste Baronio in Annotat. hac die, passus est, & ad Cliuum Cucumeris sepultus.

DE S. VALENTE EPISCOPO VERONENSI.

VAlens, qui & Valentius, Episcopus Veronæ 31. S. Vindemiali in Episcopatu successit. Hic semper pauidus, deque sua, & populi salute sollicitus fuisse traditur. Sic autem seipsum obseruabat, vt minima quæque delicta etiā præcaueret. Cum autem difficilem curam Episcopalem esse, maximumque Episcopo periculum imminere animaduerteret, omnibus viribus contendebat, nulli parcens labori, vt populi sibi crediti saluti omnibus modis semperque consuleret. Cum itaque Ecclesiæ suæ peruigili cura ferè 8. annos præfuisset senio confectus cessit è vita hac mortali in æde S. Petri in Arce sepultus. 7. Kal. Augusti, an. sal. 531. quo tempore Bonifacius II. Ecclesiæ, Iustinianus Imperio præerat. *Ex monum. Eccl. Veronen. & lib. de SS. eiusd. Eccl. toties memor.*

ANNOTATIO.

SVnt qui S. Valentem in eccl. S. Proculi sepultum putent. Sed illum in eccl. S. Petri in arce conditum inscriptio lapidea docet. Ibi hac verba leguntur. S. VALENS EPISCOPVS, QVI VIXIT AN. PLVRIM. ET SEDIT AN. VII. MENSES VII. ET DIES XVIII.

DE SS. BENIGNO, ET CHARO EREMITIS apud Veronam.

BEnignus eremita in monte apud lacum Benacum, & Malsesinum pagum vitam cum Charo discipulo suo solitariam duxit, multaque sanctitatis

fama

fama resplenduit. Nam cum S. Zenonis corpus Veronæ in oportuniorem locũ transferendum esset, Pipino Karoli Magni filio Italiæ Rege, & Rotaldo Veronæ Episcopo, nullusq; ossa illa sanctissima auderet attingere, Benignus, & Charus a Rege, & Episcopo diuinitus, vt creditur, admonitis, digni, qui corpus sanctissimi Præsulis contingerent, & transferrent, habiti sunt. Veronam itaque acciti, Corpus S. Zenonis suis manibus cõtrectantes, extractum in loculo reposuere, & suis humeris transtulerunt. De quibus illud memoriæ proditum, quod; cum Veronam ad translationem prædictam venirent, in itinere merulam sibi sæpius per viam occursantem, & alis perstrepentem inuenere, quam SS. viri à Dæmone missam, vt sinistro omine perterritos eos ab incœpto reuocaret, arbitrati, abiurantes, ei ne loco dimoueretur vsque ad eorum reditum, præcepetũt. Quam in reditu mortuam conspicati, quasi seipsos mortis innocẽtis auis culpãtes arctissimum 40. dierum ieiunium sibimet indixerunt. Ad cuius rei memoriam auis ex ære conflata hisce etiam temporibus in ara S. Zenonis Malsesini conspicitur. Horum memoria Malsesini pago Veronensis diœcesis 7. Kal. Aug. celebratur. Vbi corpora in ecclesia S. Stephani asseruantur. *Ex libello Aug. Valer. Episcopi, & Card. de SS. Eccl. Veronen.*

Prodigium merulæ.

Ieiunium ob innocentis merulæ mortem.

ANNOTATIO.

Licet non eadem die obierint SS. Benignus, & Charus (qui circa an. Domini 800. *vixisse videntur) hac tamen die Malsesini simul coluntur. De quibus extant hæc carmina.*

, *Benignus, & Charus vterque merito clarus*
, *Sub hoc altari meruerunt dignè locari.*
, *S. Zenonis vrbis Veronæ patroni*
, *Hi duo transferre reliquias commeruere.*

Epitaphium SS. Benigni, & Chari.

,, *Benignus, & Charus vterque merito clarus,*
,, *Sub hoc altari meruerunt dignè locari.*

DE S. PARASCEVE VIRGINE ROM. ET MART.

PArasceue in pago apud Romam Veterem Agathone patre, & Politia matre nata Antonino Rege piè educata est, hanc parentes cum steriles essent, precibus à Deo impetrarunt. Parasceuemque dixere, quod feria sexta nata esset, à teneris ecclesias frequentans, orationi instans erat, & sacras litteras didicit. Parentibus orbata, facultates omnes pauperibus distribuit, ac monasticum habitum induta, egressaque vrbem nomen D. I. prædicans, multos Græcorum ad agnitionem Dei veri adduxit. Accusata autem à Iudæis apud Antoninum Imp. & ad eum adducta, cum Rex illam ad Idolorum cultum reuocare promissis, & minis tentaret, sapientiam, & pulchritudinem virginis admiratus, Respondit se nunquam Deos, qui mortui sunt, pro immortali Deo, qui cœlum, terramque, & omnia, quæ in eis sunt, fecit, adoraturam. Quibus verbis Imp. incensus galeam æream candentem capiti virginis imponi iubet. Ea autem nil læsa, plures in Christum Iesu crediderunt. Posthæc in lebetem æreum feruenti oleo, & pice plenum immittitur, cumque non incẽdi, sed refrigerari videretur, diceretq;

Parasceue Imperatoré oleo cum pice feruenti excæcatũ sanat.

Imp.

Imp. vt se oleo, & pice aspergeret, manibus accepium oleum cum pice feruens in Imp. faciem proiecit: qui statim excæcatus clamans à Parasceue opem implorabat, se in Christum crediturum, si visum reciperet. Eo itaque sanato, cum multi omnes ad fidem conuersi baptismo abluti essent, ipsa alijs ciuitatibus, & pagis Christum annuncians ad vrbem venit, in qua Asclepius Rex imperabat. Qui cum virginem Christi fidem extollentem audisset, eam extra ciuitatem a dracone deuorandam misit: sed is in duo statim perfractus est, vbi virgo accedens signum crucis opposuit. Quod Rex cernens credidit ipse cum omnibus suis in Christum. Cum verò ad aliam ciuitatem, cui Tarasius Rex præerat, venisset, Christumque illi prædicasset. In ollam oleo, pice, & plumbo liquato plenam iubente Rege inijcitur; Sed ab Angelo erepta cum alios constanter cruciatus superasset, denique capitis abscissione martyrium compleuit. 7. Kal. Aug. *Ex Antholog. Græcorum.*

Rex Asclepius in Christum credit.

ANNOTATIO.

A*Ntoninus Rex haud Antoninus Imp. est: Antoninus enim hic ad Christum conuersus, & cum suis omnibus baptizatus apparet: quod de Antonino Imp. neque Pio, neque M. Aur. dici potest.*

DE S. SYMEONE MONACHO CONFESSORE, apud Mantuam.

SYmeon Armenus patre magistro militum natus, ab ineunte ætate seruiens Deo fit monachus, inde ordinatus Diaconus eremum petijt, vbi cum duobus discipulis cum aliquando ob maximas niues cibus haberi non posset, vbi ad orationem confugisset, ceruus affuit, qui se occidendum exhibuit. Ab eremo digressus Hierosolymam venit, cuius Patriarchæ Arsenio familiaris erat: vbi 7. Dæmoniacos curauit. Inde Romam profectus Benedicto VIII. Pont. Max. quo tempore concilium celebrabatur, cũ in Lateranensi ecclesia diutius oraret, à Clerico tanquam hæreticus apud populum accusatus vitæ periculum adijt; sed cum eadem die in concilio de fide interrogatus optimè respondisset, accusator à Dæmone arreptus tandiu vexatus est, donec à Symeone signo crucis, & manus impositione liberatus est, quo miraculo Symeon apud Pont. & alios in honore haberi cœpit. Cum autem plurimi in dies ad eum, infirmi præsertim confluerent; inde clam nominis celebritatem fugiens discessit, diuertensq; ad monasterium quoddam à monachis illius percussus est: cumque Episcopus percussores carceri mãcipasset, illos noctu Symeon dimisit, & iter prosequutus, Pisas venit, vbi in vrbis ingressu Diabolum humana specie interrogantem. *Quo tendis monache?* Obuium habuit, qui statim, ac Symeon respondit, *Quo Christus voluerit*, disparuit. Pisis Lucam contendit: vbi plurimos Iudæos cõuertit eo miraculo, quòd Iudæus cum eo de Christo disputans, dum illum de virgine natum execrando negaret, mox in conspectu omnium expirauit. Inde Lunam, & per M. Bardonem vbi ecclesiam S. Moderamni inuisit, Placentiam venit, aliquot ægrotis in via curatis, comiteque cum asello sibi commodato Pisas cum benedictione remisso. Placentiæ noctu oranti apud ecclesiam S. Sixti, fores illius vltrò aperiuntur. Ea vrbe egressus cum ad Padum flumen Nauiculatium minimè inuenisset, nauiculam in fluuium immisit, eaque sine remigio vlso cum aliquot peregrinis traiecit. Apud monasterium S. Christinæ filium pauperculæ paralyticum sanauit. Papiæ in æde S. Syri ab obsesso dæmonem expulit,

Ceruus se in cibũ Symeoni exhibet.

Symeon suũ accusatorem à Dæmone liberat.

Iudæus, Christum de virgine natum, negãs illicò expirat.

Symeon paralyticũ sanat. Leprosus sanitati restituitur.

expulit, & in ponte coxā equi senis cuiusdam plorantis fractam restituit sanitati: Vercellis ægrotos aliquot curauit: apud Burgum leprosum quendam sanitati restituit; Apud Taurinum cæco vni, & alteri apud Segusium visum reddidit: aliaque per Galliam, & Hispaniam Compostellam; vbi Regis filiam dæmoniacam liberauit, pergens signis admirandis beneficia præstitit. In Italiam reuersus in cœnobio præclaro S. Benedicti in agro Mantuano commoratus regularis disciplinæ obseruātissimus fuit, ieiunijs, vigilijs, meditationibus, alijsq; pijs exercitationibus intentus. Parmam aliquando profectus ibi mulierem paralyticam curat, & regrediens sæuissimam tempestatem in Pado ortam signo crucis repente sedauit, spiritu prophetiæ præditus Recheldæ Dominæ filiæ longè absentis mortem diuinauit. Denique vir sanctus finem vitæ accipiens 7. Kal. Aug. an. sal. 1016. Henrico I. Imp. obijt. Ad cuius tumulum cæci, Dæmoniaci, alijsque morbis oppressi curati sunt. *Ex vita illius M.S. in cœnobio prædicto asseruata, in qua plura alia miracula recensentur.*

Cæci lumen consequūtur. Filiam Regis Dæmoniacā Symeon liberat. Mulier paralytica curatur. Sæuissima tēpestas sedatur.

ANNOTATIO.

Vereor ne pro Benedicto VII. scriptus sit Benedictus VIII. sub VII. enim synodus Romæ an. 978. celebrata est. Quod si Benedicto VIII. Symeon Romam venit, cum is an. 1012. Pont. creatus sit, Symeon autem an. 1016. obijsse referatur, illum annos solummodo 4. vixisse in Italia dicendum esset, quod actis haud conuenire videtur. Autor Histor. monasticha diario 5. illum migrasse sub Henrico II. an. D. 1054. scribit quo anno Leo IX. Pont. Max. obijt.

DE S. VENERA VIRGINE, ET MARTYRE ALETINA.

Veneta virgo nobilis Aletina ab infantia Christi Domini fidem edocta, S. Herinæ ancilla, pedissequaue fuit, & socia nobilis martyrij. Cum enim Licinius Imp. Herinam filiam ad Idolorum cultum perducere non posset, non tantùm illam obscuro loco inclusit, sed & Veneram, cuius opera Herina sibi in Christi confessione constans videbatur, interficere decreuit. Missis itaque satellitibus, qui illam ad se perducerent, inuenta est ante Saluatoris imaginē orās cum lāpade accensa, quā nec extinguere, neque inde extrahere potuere. Quare Imp. Veneram lumen lampadis indeficiens à Christo Deo vero esse asserentem torqueri atrociter iubet: Quæ in cruciatibus animam Dao reddidit. Anno sal. circiter 327. *Ex Tab. & monum. Eccl. Aletinæ M.S. ac ex Paul. Reg. lib. 1. de SS. Regni Neapolit.*

S. Venera socia S. Herinę. Inuenitur orās, ante imaginem Saluatoris cum lāpade inextinguibili. In tormentis animam Deo reddit.

ANNOTATIO.

Hæc prorsus alia est ab ea, quæ Locris seu Hieracij in Calabria die 28. huius celebrata, vti Acta vtriusque demonstrant.

De Venere V. & mart. agitur in Eccl. Asculana die 14. Nouemb. quæ an sit eadem cum Venera nescio, cum acta, vitamue illius non viderim. Diuersa ex eo videtur, quòd vna Venera dicitur, et die 26. Iulij colitur, altera Venus, et die 14. Nouemb. celebratur.

Diuersa est à S. Venera Locris culta.

Iulij die 27.

DE SS. FELICE, IVLIA, ET IOCVNDA MARTYRIB. NOLÆ.

Felix cum Iulia, & Iocunda Nolæ martyrium prō Christo passi à Beda; à quo Martyrologium Rom. accepit, referuntur. Tempus tamen, & acta passionis illorum desiderantur: nec vlla eorundem præter nudam nominis Nolæ, Romæue, aut alibi notitia haberi potuit.

AN-

ANNOTATIO.

Horum acta Nolæ perquiri fecimus; Sed nihil repertum est; cum nulla alia extet ipsorum memoria præter eam, quæ in Beda, & Rom. Martyrol. legitur.

DE SS. MAVRO EPISCOPO, PANTALEEMONE, & Sergio martyribus Vigilijs.

Maurus Episcopus Vigiliensis (Vigiliæ vrbs est Apuliæ apud Tranium) cũ Pantaleemone, & Sergio sub Traiano Imp. causa fidei christianæ passi sunt. Maurus enim, quòd Christum publicè prædicaret, capitis pœna damnatus est. Pantaleemon verò, quia constans in eiusdem fidei confessione Idolis immolare recusabat, cruci affixus fuit: Sergius autem ferreis vngulis ob eandẽ constantiam dilaceratus, certamen consumauit. Quorum corpora Tecla pia matrona in villam suam, quæ Sagona dicebatur, delata, terra altè defossa, sepeliuit. Vbi cum diu ignota iacuissent, S. Maurus veneranda senis specie cuidam in somnis apparuit, locumque, vbi corpora laterent, indicauit. Quare reperta in ecclesiam S. Ioannis in vrbem translata sunt, An. sal. 1107. In qua translatione plura, eaque insignia miracula contigere: quæ Amandus Episcopus Vigiliensis integro volumine descripsit. *Ex libro Amandi Episcopi prædicti, Venetijs impresso an.* 1550

Pantaleemon cruci affigitur.

ANNOTATIO.

Paul. Regius Episcopus Equen. lib. 1. de SS. Regni Neapol. ex Amando Inuent. & translat. primam, & secundam horum SS. mart. plurib. refert. Sed in duobus Martyrol. Rom. aduersatur. Nam quem Martyrol. Rom. Pantaleemonem vocat, ille Pantaleonem; & Pantaleonem hunc non Vigilijs passum, vt in Martyrol. Rom. narrat, at illum met esse vult, qui Nicomediæ passus est hac eadem die. Cum tamen Martyrol. Rom. vtrunque habeat, & Pantaleemonem Vigilijs cum Mauro, & Sergio passum sub Traiano, & Pantaleonem Nicomediæ coronatum sub Maximiano. Qua in re non possum satis hominis huius in re tam manifesta errorem mirari.

Passi sunt sub Traiano an. D. 118. *vt Baron. in Annal. ad eum an. adnotauit.*

DE S. ECCLESIO EPISCOPO RAVENNATE.

Ecclesius ciuis Rauennas ex nobili Præfectorum familia, cum virtutibus, & erudirione præstaret, Aureliano in Episcopatu successit, Theodorico Rege Gothorum Imperium Italiæ tenente. Vir fuit maxima vitæ innocentia, sanctitate, & constantia præditus. Cum enim Theodoricus Arianorum fautor Ioannem Pont. Max. dolo Rauennam accersitum carceri mancipasset, quòd ecclesias Arianorum Catholicas consecrasset, isque inedia, & squalore confectus obijsset, Ecclesius tamen fidem Catholicam integram conseruauit. Orta inter ipsum, & clerum controuersia Romam ad Felicem Ioannis successorem profectus, illã Pontificis autoritate composuit. Vixit in Episcopatu multos annos vsque ad Belisarij, qui Gothos Roma, Rauennaque, & alijs Italiæ vrbibus eiecit, aduentum. Quo tempore cum basilica S. Vitalis à Iuliano Argentario ædificari cœpisset, ipse suas ædes in ecclesiam B. M. V. dedicauit, sacris muneribus, & prædijs ci attributis. Tricollim aggressus morte 6. Kal. Aug. præuentus, perficere nequiuit. Defunctus autem in S. Vitalis templo nondum absoluto conditus est. *Ex monum. Eccles. Rauenn.*

Theodoricus Arianorum fautor.

Belisari' Gothorum profligator.

ANNOTATIO.

ECclesius XXVI. Episcopus Rauenn. ab Onuphr. Panuin. in Fastis adnotatur ad an. D. 514. eod. an. creatur, quo Hormisda Papa Symmacho successit; præfuisseq; annis 28. fertur ab eod.

Iulij die 28.

DE SS. NAZARIO, ET CELSO MARTYRIBVS Mediolani.

NAzarius Romæ Africano patre viro clarissimo, licet à Christiana religione alieno, Perpetua verò matre, à S. Petro Christianæ fidei præceptis imbuta natus, matris pietatem, & religionem secutus à S. Lino Papa lauacro expiatus est. Illum pater à fide auertere frustrà conatus, vt Roma ob persecutionem in Christianos excitatam excederet persuasit. Quare B. Iuuenis diuitijs oneratus discedens aurum, & argentum largè pauperibus cœpit distribuere, decimoque egressionis anno Placentiam: vbi fidem prædicauit, & Mediolanum venit, vbi SS. Geruasium, & Protasium vinctos cum frequens visitaret, ad constātiamque hortaretur, Præfecti Anolini iussu comprehensus fustibus crudeliter cęsus, vrbe eijcitur. In Gallias profectus Celsum puerum Camelæ vrbe Christianis præceptis à se institutum baptizauit; Qui vnà Treuiros euntes, vterque in Neroniana persecutione in mare deijcitur: Sed ab Angelo erepti Genuam vbi Christum annunciant Mediolanum, deinde vbi cum Christi Domini fidem disseminarent, iussu Anolini Præfecti dum constantissimè Christum Deum verum cōfitentur, post locū carcerē capite plectuntur. 5. Kal. Aug. Quorum corpora extra Portam Romanam sepulta, cum diu latuissent, à S. Ambrosio recenti sanguine conspersa, ac si paulo ante martyrium passi essent, inuenta in vrbem translata honorifico sepulchro condita sunt: illisq; templa augusta postea excitata fuere. *Ex Breu. Rom. & pass. à Sur. tom. 4. rel. & à Mombrit. tom. 2.*

ANNOTATIO.

VAriè Historia hæc apud Sur. & Mombritium referri videtur: vtrobique autē quædam parum verisimilia, quæ corrigenda essent continentur. Nomina locorum apud Sur. deprauata sunt. Quod in mare deiecti dicuntur, id non apud Treuiros, vnde mare longissimè abest, sed apud Romam contigisse apud Mombrit. legitur; cum enim Nazarius Treuirenses ciues ad Christum conuerteret, à Cornelio Præfecto Romam ad Neronem, vt is præceperat, vinctum illum cum Celso misit, vt apud eundem Mombrit.

Hymnus S. Nazarij ex Sannazario.

MAtris heu vulnus graue, dum relictis
Tybridis ripis, Italoque cœlo
Spontè trans Rhenum iter, & niuosas
Arripis Alpes.
Lacte depulsus velut ille, primi
Quem rapit cursus generosus ardor,
Pullus, & matrem fugit, & rapaces
Trāsilit amnes.

Mox

Mox & ad Rhenum, horribilesq; tendis
Treuerum gentes animosus hospes
Marte festinans capere inuidendæ
Præmia palmæ.

Hic, vbi è charæ gremio parentis
Iam necis magna comitem futurum
Excipis Celsum pater, & salubri
Perluis vnda.

Perluis totas mora nulla, & vrbes
Vndique exhaustis properatur agris
Barbaros gaudent Druidæ sacrorum
Ponere ritus.

Nazari nomen, meritique famam
Audijt, siquem Liger in remotis.
Occulit ripis refugouè inundat
Sequana cursu.

Te neque iniusti rabies Neronis
Impios iam tam minitantis ignes
Non per exertos Anolinus vrgens
Terruit enses.

Iam voluptatum, gelidæque victor
Mortis, & lapsi reparator orbis
Diceris, milesq; peræque Iberis
Notus, & Indis.

DE S. VICTORE PAPA, ET MARTYRE.

Victor in Africa natus post Eleutherium Seuero Imp. rexit Ecclesiam. Is Decretum Pij Papæ de Pascha die Dominico celebrando cõfirmauit, excommunicationis pœna transgressoribus irrogata. Qui ritus, vt in mores induceretur, habita sunt multis in locis concilia: & denique in Nicęna Synodo sancitum est, vt Pascha semper post quartam decimam lunam celebretur, ne Christiani Iudæos imitari viderentur. Statuit, vt quauis aqua modò naturali, si necessitas cogeret, quicunque baptizari posset. Theodotum coriarium Byzantinum docentem Christum tantummodo hominem fuisse eiecit ab Ecclesia. Scripsit de quæstione Paschæ, & alia quædam opuscula. Duabus ordinationibus mense Decembri creauit Presbyteros 4. Diaconos 8. Episcopos 12. Sedit annos 9. mensem vnum, dies 28. Martyrio coronatus sepultus est in Vaticano 5. Kal. Augusti. *Ex Breu. Rom. & Damaso.*

Victor Theodotum coriarium hæreticũ ab Ecclesia reijcit.

ANNOTATIO.

Victor Hæreticos Quartadecimanos appellatos: quia Pascha 14. luna celebrandũ ex præcepto legis prædicabant, insectatus est, Gallosque, qui ea die ex antiqua consuetudine illud celebrabant, morem relinquere coegit. Ex Annal. Baron.

DE S. INNOCENTIO PAPA I. HVIVS NOMINIS.

Rhadagaisus Scytharũ Rex Alaricus Gothorum Rex vrbem depopulatur.

Innocentius Pelagium, & Cæleſtium hæreticos dānat.

Concilia Mileuitanum,& Carthaginēſe celebrantur.

INnocentius Albanus ætate SS. Auguſtini, & Hieronymi floruit, ſanctoque Anaſtaſio Papæ I. huius nominis cuius diſcipulus fuit in Pontificatu ſucceſſit, Honorio, & Arcadio Imperatoribus: cuius doctrinam orthodoxam S. Hieronymus ad Demetriadem ſcribens valdè commendat. Eum Oroſius tanquam Loth alterum ad Rauennam, ne populi Romani videret excidium, diuina prouidentia ſeruatum ſcribit, non cum Rhadagaiſus Scytharum Rex exercitu penè innumerabili Romā peteret: is enim intra Fæſulanos montes victus, & occiſus eſt; ſed cum Alaricus Gothorum Rex vrbem captam depopulatus eſt, anno 9. Pontificatus Innocentij. Qui Pelagium, & Cæleſtium liberum arbitrium ſuprà gratiam exaltantes damnauit: & contra illorum hæreſim decreuit, vt paruuli ex Chriſtiana mulieri geniti, per Baptiſmum regenerarentur, quo in eis mundaretur originale peccatum, quod in conceptione contraxere. Vt ſabbato ieiunaretur in memoriam Dominicæ ſepulturæ, prout tempore Apoſtolorum fiebat, probauit. Multas ſcripſit epiſtolas, quibus ſalutaria, & Eccleſiæ vtilia plura continentur Decreta. Sub eo duo celebrata ſunt concilia, Mileuitanum, & Carthaginenſe. Eccleſiam SS. Geruaſij, & Protaſij illuſtris fœminæ Veſtinæ, quæ vaſa argentea plurima, multaque prædia diuerſis in locis poſita ecclesiæ reliquerat facultatibus extructam dedicauit. Sedit annos 15. menſem vnum, dies 10. Quatuor ordinationibus habitis menſe Decembri Epiſcopos per diuerſa loca 54. Presbyteros 30. Diaconos 15. creauit. Vita functus in cœmeterio ad vrſum Pileatum ſepultus eſt. Eius corpus à Sergio II. in titulum Equitij translatum fuit. *Ex Breu. Rom. Damaſo, & alijs.*

ANNOTATIO.

COrrigendus eſt Platina, qui in vita huius S. Pont. illum ſub Theodoſio Magno creatum Pont. ſcribit. Cum id Honorio, & Arcadio Theodoſij filijs Imperantibus factum ſit. Sed quia obijt Honorio, & Theodoſio Iuniore, credidit ipſum ſub Theodoſio ſeniore Pontificatum geſſiſſe.

DE S. VENERA VIRGINE, ET MART. LOCRENSI.

Venerea atrocia patitur ſupplicia.

Præfectus excæcatur, & à B. virgine ſanatur.

VEnera virgo Locrenſis à teneris in religione chriſtiana educata, & poſtea ſacris litteris erudita, Euangelium per loca finitima prædicauit. Apud Præfectum autem accuſata, cum ſe chriſtianam liberè profiteretur, nec vllo pacto Dijs immolare vellet, caſſis ignita capiti ſuo imponitur: clauis ferreis configitur; & mammillæ illi abſcinduntur, à quibus malis diuinitus liberata plurimos ad Chriſtum conuertit. Quapropter Præfectus maiore ira incenſus, ollā aqua, & reſina plenam incendi, in eamque Veneram immitti iubet. Quæ cum aquam feruentem in Præfecti oculos proieciſſet, ille ſtatim obcæcatus eſt; ſed virginis oratione curatus, in Chriſtum credidit. Ad alterius vrbis Præfectum cum veniſſet, isque ſe in Chriſtum crediturum diceret, ſi ipſa draconem homines deuorantem ſuperaſſet: quo ab ea ſigno crucis facto, Præfectus cum tota ciuitate baptizatus eſt. Sed cum apud Aſclepium Præfectum alius vrbis fidem pergeret prædicare, in ollam pice, & oleo feruentem inijcitur (quæ in duo diuiſa aſtantes interfecit) & denique gladio percuſa martyrium conſummauit, 5. Kal. Aug. *Ex lect. Eccl. Hieracen.*

A N-

ANNOTATIO.

Haec Historia historiae S. Parasceues V. & mart. valdè similis est; vt meritò dubitari possit acta vtriusque virg. fuisse confusa. Eadẽ acta in Cron. Calab. legimus.

DE S. RAYMVNDO CONFESSORE PLACENTINO.

Raymundus natus Placentiæ in christianis virtutibus educatus in tota vita ijs præluxit. Mortuo patre multas peregrinationes suscepit religionis ergò; primum enim Hierosolymam; deinde Compostellam, demum Romam inuisit. Cum autem Hierosolymam redire cogitaret, Dei admonitu redijt in patriam: vbi ieiunijs, orationibus, & pietatis officijs operam dedit, egenorum necessitatibus subueniens, peregrinosque hospicio recipiens, ita vt pater pauperum diceretur. Denique annum ætatis 60. agens sacris misterijs iuxta morem ecclesiæ munitus obdormiuit in Domino 5. Kal. Aug. anno à parr. virg. 1200. & in æde S. Mariæ duodecim Apostolorum (quæ postea ob miraculorum multitudinem S. Raymundi mutato nomine nuncupari cœpit) sepultus est. *Ex off. Eccles. Placentina nuper approb.*

Raymundus pater pauperum dicitur.

ANNOTATIO.

Nondum in SS. relatus est; tametsi sanctus in Tab. Eccl. Placent. appellatur. Cœpit autem natalis illius Placentiæ, & per diœcesim de Pauli V. Pont. Max. concess. celebrari.

Iulij die 29.

DE S. FELICE PAPA II. HVIVS NOMINIS, & martyre.

Felix Romanus Liberio Papæ, cuius Diaconus erat, à Constantio Imp. quòd Athanasij Episcopi Alexandrini damnationi subscribere noluisset in exilium electo subrogatus est. Cum autem Felix Arianos insectaretur, ipsumque Constantium Arianorum fautorem excommunicare non dubitasset, Liberio restituto, vrbe & sede pulsus apud Cære oppidum Latij, quod via Aurelia occurrit, habitauit, ac paulò post iussu Constantij obtruncatus in ecclesia, quam ipse ædificauerat eadem via 11. ab vrbe milliario à Damaso Presbytero, & Clericis sepultus est 4. Kal. Augusti, cum sedisset annum vnum, menses tres, & dies tres. Corpus inde in ecclesiam SS. Cosinæ, & Damiani delatum à Gregorio XIII. Pont. Max. inuentum sub altare ibidem reconditum est. *Ex Damaso lib. Pont. Mariyrol. Rom. Plat. & Baron. in Annal. ad an.* 358.

Felix Arianos insectatur: Constantiúq; Imp. Arianorum fautoré anathematizat.

ANNOTATIO.

Plerique Felicem tanquam schismaticum è Catal. Pont. expungunt. Rufinus enim lib. 10. c. 22. Hist. Eccles. scribit illum ab hæreticis Liberio fuisse subrogatum, maculatumque fuisse ordinatione, et communione: Theodoretus quoque lib. 5. Hist. Trip. c. 18. ait quòd Felix licet fidem Nicæni concilij seruaret, communicabat tamen sine discretione cum Arianis, ita vt nullus Romanæ celebrante ecclesiam ingrederetur. Onuph. Panuin. in Annot. ad Fel. in vit. Plat. Felicem Schismaticum appellat, illũq; Constantio superuixisse vsque ad Valentem, & Valentinianum in schismate. Idque Marcellum II. Pont. Max. in cod. antiq. monast. Auellana apud Eugubium inuenisse. Baron. in Annot. in Martyrol. de re hac se plurib. in Annal. verba facturum pollicetur;

Maxima de Felice controuersia.

cetur, sed difficultatem leuiter pratere isse videtur. Damasus Papa in lib. Pont. Anastas. Bblioth. & alij è contra Felicem verum Pont. & mart. ob fidè Cath. faciunt quib. Martyrol. Rom. & ecclesia ipsa, qua illum Pont. & mart. venerata est, & veneratur, apertissimè adstipulatur. Cum autem duo Pont. eodem tempore esse nequeant, restat difficultas, quomodo Felix viuente Liberio verus Papa fuerit. Qua in re fortè dici posset Felicem non fuisse Pont. legitimum, nisi cum Liberius reuersus subscripta Athanasij damnat, cœpit Arianis communicare, vt habet Baron. in Annal. ad an. D. 358. cum enim Felix ab Arianis abhorreret excommunicato Constantio Imp. Liberius verò illis adhæreret, Liberius non amplius Papa, sed Felix habitus est à Clero, qui etiam pro fide occubuit. Post quem Liberius quasi resipiscens in Papam reassumptus esse videtur.

DE SS. MARTYRIBVS, SIMPLICIO, FAVSTINO, & Beatrice Romæ.

Simplicius, & Faustinus Diocletiano Imp. quo tempore *S.* Anthimus Presbyter cum alijs multis martyrio affectus est, & ipsi accusati, ac comprehensi multis cruciatibus afficiuntur. Demum cum fortiores in fidei, & Christi confessione semper euaderent, iussu Imp. decollati in Tyberim flumen proijciuntur. Quorum corpora à Beatrice sorore iuxta viam Portuensem Ioanne, & Crispo Presbyteris auxiliantibus debito cum honore tumulata sunt. Ipsa verò Beatrix apud S. Lucinam matronam religiosam vitam ducens, vix 7. mensibus elapsis, à Lucretio quodam impuro vicino, qui prędio Beatricis luculento inhiabat, comprehensa Dijs immolare cogebatur, quod cum constanter facere recusaret, à seruis illius noctu præfocata est: quam Lucina proprijs manibus apud fratres suos sepeliuit, 4. Kal. Augusti. Lucretius autem, prædio Beatricis occupato, cum inter pocula cum amicis martyribus insultaret, audita est vox infantis dicentis: *Audi Lucreti, occidisti, & inuasisti: itaque datus es in manus inimici*: Ad quæ verba pallore, & tremore correptus mox à dæmone grauiter agitatus post tres horas miser expirauit: qui verò conuiuio interterant tremefacti, ad Christianos confugientes Christo nomina sua dederunt. *Ex Gest. & pass. S. Anthimi à Sur. tom. 3. & à Mombrit. tom. 1. rel.*

Mira Infantis vox in Lucretiū edita.

ANNOTATIO.

Horum corpora à Leone II. Pont. Max. in vrbem translata in eccl. apud S. Bibianā à se extructa recondita sunt. Nunc verò in basilica S. M. Maioris, vt inscriptio lapidea indicat, requiescunt. Non eadem die, vt ipsa hist. docet passi sunt, hac tamen die simul, quòd essent germani, eorum memoria recolitur.

Epitaphium SS. mart. Simplicij, & Faustini, in sacrario S. Mariæ Maioris.

MARTYRES SIMPLICIVS, ET FAVSTINVS, QVI PASSI SVNT IN FLVM. TIBERIS, ET POSITI IN COEMETERIO GENEROSES SVPER PHILIPPI.

DE SS. VIRGINIBVS, ET MARTYRIBVS LVCILLA, ET Flora, cum Eugenio Antonino, Theodoro, & alijs 18. Romæ.

Lucilla, & Flora virgines Romanæ sorores, cum in Christiana religione educatæ, in ea perseuerantes Christo Domino orationibus, ieiunijs, & alijs pijs operibus

operibus deseruirent Valerio, & Galieno Imperatoribus apud Heliam Præfectum accusatæ, & tortæ; tandem pro constanti fidei confessione capitis obtruncatione martyrium compleuerunt, 4. Kal. Augusti, anno sal. 262. Quarum exẽplo martyrij desiderio incensi Eugenius, Antoninus, Theodorus, Dionysius, Apollonius, Caponius, Piosius, Orseus, Origenes, Pacus, Saturnus, & Victor cum alijs 9. quorũ nomina sciri non potuerunt, Christum liberè prædicantes eiusdẽ Iudicis iussu decollati sunt. Quorum corpora cum SS. virginum corporibus apud Ostiam à Christianis sepulta sunt. *Ex lib. de virgg. Rom. Ant. Gallon. & monum. Eccles. prædictarum SS. virg. apud Aretium: vbi earum corpora cum corpore S. Eugenij asseruantur.*

ANNOTATIO.

Agit de illis Pet. in Cat. lib. 6. c. 157. Sed diuersè: narrat enim quædam, quæ parũ verisimilia videntur, maximè de Rege illo Eugenio. Alij sub Commodo Imp. passas scribunt, cum Martyrol. Rom. sub Valer. & Galieno passas apertè referat.

DE S. FAVSTINO CONFESSORE TVDERTINO.

Faustinus S. Felicis Episcopi Martani discipulus, cum magistrum suum martyrio afficiendum accepisset, ad illum veniens ad fortiter mortẽ pro Christo perferendam hortatus est. Cum verò magistrum sepelisset, ad eius sepulchrum manens visiones Angelorum habere meruit. Is basilicam in S. Felicis honorem ab Episcopo Spoletano inchoatam perfecit. Tandem post magnas persecutiones, & calamitates, quas sanctissimè viuens perpessus est, miraculis clarus migrauit in cœlum 4. Kal. Augusti. Cuius nomini à ciuibus Tudertinis in agro haud procul à castro, quod vulgus S. Faustini villam appellat, ecclesia constructa, & dedicata est. *Ex off. Eccl. Tudertinæ recens Romæ approbatis.*

ANNOTATIO.

Vixit Dioclet. & Maxim. Imperatorib. in Martana ciuitate sub discipl. S. Felicis Episcopi, vt prædictum est.

Iulij die 30.

DE SS. ABDON, ET SENEN MARTYRIBVS ROMÆ.

Abdon, & Sennen Persæ Decio Imp. accusati, quòd Christianorum corpora inhumata proiecta in suo prædio sepelirent, Imperatoris iussu comprehẽsi Dijs sacrificare iubentur; quod cum facere negligerent Christum Deum constantissimè prædicantes, in arctissimam custodiam traditi sunt. Quos Decius ex Perside Romam rediens vinctos duxit in triumpho, cumque Fulginio pertransirent, à S. Feliciano Episcopo visitantur: qui propterea martyrio affectus est. Romam cum venissent, ad simulachraque Deorum attracti, vt ea venerarentur essent, ea detestati conspuerunt. Quamobrem vrsis, & leonibus obijciuntur: quos cum ferę non auderent attingere, ante solis simulachrum colligatis pedibus tractos gladio trucidari iussit. Eorum corpora clam inde asportata à Quirino Diacono in suis ædibus tumulata sunt 3. Kal. Aug. *Ex Breu. Rom. Mombrit. tom. 2. Pet. in Cat. lib. 6. c. 158. licet acta apud nonnullos censura egeant.*

ANNOTATIO.

Corpora horum SS. mart. Parmæ in Eccl. Cathedrali asseruantur, vt tab. eiusd. eccl. docent. Eadem Romæ in basilica S. Marci, & Ticini in æde S. Eusebij quiescere putantur, quod nisi secundum partem, esse potest.

DE S. RVFINO MARTYRE ASSISII.

Rufinus Clericus Presbytero cuidam apud Assisium inseruiebat. Cum aũt Presbyter ille adulterium commisisset, veritus ne Rufinus in iudicium vocatus vi iuramenti se proderet, illum in puteum nemine vidente præcipitauit. Post multum temporis spatium ab haurientibus aquam detectus est, ac ita integer, & incorruptus inuentus, ac si recens suffocatus fuisset. In cuius ore lilium florens repertum ferunt; in quo veritas ter in flore impressa cernebatur. *Ex antiqua tradit. & Picturis ecclesiæ.*

Lilium florẽs in ore S. Rufini reperitur.

ANNOTATIO.

Extat ecclesia extra vrbem in loco Arcis nominato, huic S. martyri dicata: qui etiam S. Rufinus de arce cognominari solet.

DE S. TERENTIO CONFESSORE, ET FAVENTIÆ Protectore.

Terentius Foro Cornelij natus à puero simplex, & humilis, ecclesias Deo seruiendi cupidus frequentabat. In numerum clericorum adscriptus, & sacris litteris imbutus, Diaconus creatus: Fauentiam veniens ecclesiæ S. Crucis, in qua insigne xenodochium erectum est, inseruire cœpit, orationibus, vigilijs, alijsque pijs exercitationibus addictus. Cuius sanctitas vitæ breui manifestata est. Nam Androgeus quidam mẽdicus à natiuitate cæcus Foro Cornelij vitam ducens immaculatam in somnis admonitus, vt se Fauentiam ad Terentium Leuitam conferret, eò ductus, ac ante Terentij pedes prostratus, quod ab Angelo sibi in somnis præceptum fuerat, exponit. Cumque Terentius se peccatorem diceret, tandem mendici precibus exoratus, aquam afferri iubet, eaque ablutis manibus, oculos cæci lauit; isque (mirandum) repentè lumen oculorum recepit. Quo miraculo per vrbem vulgato, multi infirmos suos ad S. Leuitam deferebant, quos ille signo crucis, & manus imponens sanabat. Terẽtius nō inanis glorię tentaretur à Dæmone clam fugiens apud ædẽ S. Petri, inter densissimas arbores tugutiolum extruxit. Sed, cum detectus fuisset, varijs morbis oppressi ad eum in dies plurimi confluebant; quos Christi nomine inuocato sanabat. Denique sibi hinc demigrandi tempus adesse, Angelo reuelante, præsentiens, sacris probè munitus feliciter obdormiuit in Domino 3. Kal. Augusti. Cuius corpus primum in ecclesia S. M. conditum, postea cum multis in dies miraculis fulgeret, in ecclesiam S. Crucis, cui inseruierat, translatum est. Eum Fauentini vti suum patronum venerantur. *Ex monum. Eccl. Fauent. M. S.*

Mirandũ de cæco nato prodigium

Terentius signo crucis infirmos curat.

ANNOTATIO.

Vitam à S. Petro Damiano scriptam ferunt: sed in ea tempus, quo S. Confessor, qui etiam Foro Cornelij colitur hac die, vixit, desideratur.

Iulij

Iulij die 31.

DE S. CALIMERIO EPISCOPO MEDIOLANENSI, martire.

CAlimerius natione Græcus, non obscuro loco natus, Romæ liberalibus disciplinis eruditur. Inde Mediolanum veniens à S. Castritiano Episcopo exceptus in Clericorum numerum refertur. Adeò cæteris pietate, doctrina, & virtutibus alijs antecelluit, vt S. Castritiano vita functo subrogatus fuerit. Quod munus vsqueadeo recusauit, donec catenis constrictus ad Episcopalem sellam deduceretur. Is Mediolanensem non modò Ecclesiam, sed totam penè Liguriam prædicatione, & doctrina illustrauit, plurimis ad fidem perductis. Qua propter in M. Aur. Antonini, & Commodi persecutione à fidei hostibus comprehensus multipliciter cruciatur, ac vulneribus confossus; tandem gladio in ceruicibus transuerberatur, in puteumq; deijcitur, Pridie Kal. Augusti cum annos plures Ecclesiæ Mediolanensi præfuisset. Cuius corpus à Christianis in cœmeterio Caij sepultum, in ecclesia suo nomine postea ædificata conditum est. Ibi altare aureum in S. martyris honorem à Thoma Archiepiscopo sub Karolo Magno positum est. *Ex Breuiar. Mediolanen. & vit. Epp. Mediolanens. Actisque eiusdem eccl.*

ANNOTATIO.

ONuphr. Panuin. in Fast. & Cronol. Eccl. Calimerium, quem & Calocerium nominat. An. D. 155. Antonino Pio Episcopum creatum annos 53. Ecclesiã Mediolanen. administrasse asserit: quod si verum est, illum sub M. Aurelio Seueri filio in quinta persecutione an. D. 208. martyrio affectum fuisse oportet. Acta Mediolanen. Eccl. illum in Hadriani persecutione passum habent, contra quum in Breu. Ambrosiano tradatur. Cum autem S. Caius sub Traiano Eccl. Mediolanen. rexerit, & post illum Castritianus sub Hadriano, non potuit sub eodem Hadriano obijsse Calimerius, si annos 53. vixit in Episcopatu.

DE S. GERMANO EPISCOPO ANTISIDIORENSI Rauennæ.

GErmanus Episcopus Antisiodorensis fama sanctitatis illustris cum ex Gallia Rauennam ad Valentinianum Imp. & Placidiam Augustam venisset, ab illis cum honore exceptus est. Vbi illud memorabile contigit: cum Augusta cibos illi in argenteis vasis misisset, munere cum gratiarum actione accepto cibos quidem seruis, vasa verò pauperibus distribuit, & Placidiæ panem hordeaceum, quo ipse vescebatur, in scutella lignea remisit. Quod munus Augustæ gratissimum fuit. Ad cœnam ab Augustis inuitatus, ad eos asello, quo ob suam imbecillitatem vtebatur, vectus est: quo inter cœnandum mortuo, Placidia illi equum pro asello mansuetissimum parari iussit: At Germanus ad asellum mortuum veniens, *surge*, inquit, *reuertamur ad hospitium nostrum* statimque (mirabile dictu) redíuiuus surgens S. Episcopum domum reuexit. Qui non multo post febri correptus, breui vita excessit Pridie Kal Augusti. Cuius corpus à S. Petro Chrysologo conditum in Gallias ad Episcopatum suum, vt moriens petierat, iussu Valentiniani relatum est multis subsecutis in via miraculis. Remansit autem Rauennæ apud S. Petrum cuculla, & cilicium Germani. *Ex monum. ecclef. Rauenn. & Hieron. Rub. in Hist. Rauenn.*

Germanus asellum suũ mortuum ad vitã reuocat.

AN-

ANNOTATIO.

Hic tantum S.Germani gesta apud Rauennam, nec omnia recensuimus. Porrò vitam illius innumeris penè miraculis, gestisque praclaris illustrem Sur. tom. 4. adfert.

DE S. PETRO EPISCOPO RAVENNATE IVNIORE.

Petrus cognomento Iunior ex Syria originem duxit. Hic S. Ioanni II. huius nominis Episcopo Rauennatum suffectus est, quo tempore Theodoricus Rex vrbem obsidebat: multaque propterea incommoda passus est. Concilijs Romæ sub Symmacho habitis interfuit, ac subscripius est, vbi se Ecclesiasticæ libertatis acerrimum defensorem, & schismaticorum hostem ostendit. Reuersus Rauennam Principi Apostolorum admirabile templum in oppido Classensi ædificare cœpit, inter totius Italiæ præcipua censendum. Vir fuit grauitate, vitæque innocentia insignis, corpore gracili, barbaque promissa. Libros nonæ legis tabulis aureis exaratos, gemmisque ornatos ecclesiæ largitus est. Cum itaque templi memorati ædificationi intentus esset, morbo correptus animã Deo reddidit Pridie Kal. Sextilis in eodem D. Petri templo sepultus. Cuius corpus post multos annos integrum, suauissimoque odore completum repertum est. *Ex monum. Eccl. Rauenn. & Hieron. Rub. lib. 3. Hist. Rauenn.*

Petrus Ecclesiasticæ libertatis acerrimus defensor.

ANNOTATIO.

IS secundus huius nom. Ep. Rauennas principio Regni Theodorici circa an. D. 493. creatus est, à S. Apollinare XXIII. præfuitque ex Fast. Panuin. annos 9. Quare fieri non potest, vt sub Narsete Exarcho, vt quidam scribunt vixerit.

DE SS ONESIMO, ERASMO, ET SOCIIS MARTYRIBVS Leontinis.

Onesimus in persecutione Decij in Aquitania cum Alphio, Philadelpho, Cyrino, Erasmo, & alijs 13. discipulis, dum Christum prædicaret, comprehensus, & ad Nigillionem Præfectum adductus, cum Christum Iesum vti Deũ colendum assereret, in maxillis lapide contunditur, reliquis clamãtibus: *nos etiã Christiani sumus, adiunge nos magistro nostro. Adiungam*: ait Præfectus, moxq; capillis appẽsos totam diem manere iussit. Postridie Romam vincti ad Decium mittuntur: à quo Vlcinio Valeriano examinandi traduntur. Is SS. martyres manibus, pedibusque grauissimo ligno colligatos in carcerẽ detrudit, in quo à Diuis Petro, & Paulo Apostolis visitari ad cruciatus fortiter subeundos animãtur. Post aliquot dies ad Tribunal perducti, Valerianum, & Senatum vanæ Deorũ superstitionis liberius arguunt; à quos oblatas honores, & diuitias contemnentes verberibus neruis cæsi afficiuntur. Cum verò nihil Valerianus proficeret, alijs negotijs occupatus, SS. martyres ad Diomedem Puteolanum Præfectum mittit. Qui ad Onesimum conuersus, *tu ne*, inquit, *es, qui prauis dogmatibus hos adolescentes decipis?* Immò respondit, *non decepi, sed ab ignorantia ad veritatis viam eos adduxi*. Tunc Præfectus Onesimum ingenti saxo opprimi, donec animam ageret, præcepit; Erasmum verò cum alijs 13. discipulis extra vrbem ductos capite plecti Pridie Kal. Augusti. Quorum corpora à Christianis ibidem tumulata sunt. Corpus tamen S Erasmi à S. Neophyto Episcopo diuinitus admonito; dum Roma in patriam rediret, repertum Leontinos delatum in sepulchro SS. trium fratrũ cõditum est. *Ex offic. Eccl. Leont. Roma approb. an. 1608.*

AN-

ANNOTATIO.

QVidam: *in quibus Pet. Gales. Acta Onesimi discipuli S. Pauli Apost. Romæ die 16. Februar. coronati, cum actis huius confundunt.*

DE S. FANTINO ABBATE, ET CONFESSORE Taurianensi.

FAntinus in Calabria Georgio patre, & Briena matre natus, Deoque ab infantia consecratus, monasteriumque ingressus, Dei præcepta seruans, atque in omni se virtutum genere exercens diuinis reuelationibus illustratur. Adeò cibi abstinens fuit, vt aliquando dies 20. integros ieiunus transigeret. Annos 14. nudus vixisse, intra syluas, & montes fertur, innumeras à Saracenis regionem incursantibus calamitates passus per annos 60. post quos assumptis Vitale, & Nicephoro discipulis in Pelopennesum venit, & apud Corinthum multo tempore diuersatus, plurimorum salutis causa fuit. Inde Athenas profectus templum Dei genitricis inuisit. Larissam (quæ Thessaliæ vrbs est) profectus S. Achillei sepulchrum veneratus est. Demum Thessalonicam pergens S. Demetrij magni martyris miracula miratus magnum illi honorem adhibuit, totosq; octo annos consuetum abstinentiæ canonem custodit. Denique in senectute bona ex hac vita migrauit in cœlum. *Ex Menol. Græcor.*

Mirabilis Fantini abstinentia.

ANNOTATIO.

DIuersè *Fantini historia ab alijs narratur, & cum duo fuerint, vnus Calaber, alter Syracusanus, acta ipsorum confunduntur, de altero in Rom. Martyrol. ad diem 30. Augusti agitur. Pet. in Catal. lib. 6. c. 160. vitam S. Fantini pluribus refert: quem patria Syracusanum facit: loca deprauatè nominat, & quædam inuerisimilia admiscet; ac vt videtur ex duorum actis vnius contexit.*

DE S. IOANNE COLVMBINO SENENSI CONFESSORE, Iesuatorum autore.

IOannes Senensis ex nobili Colombinorum familia ortus, adolescẽs vxorem duxit, ex qua marem, & fœminam suscepit. Cum verò in Republica non infimus haberetur (fuit enim aliquando Antesignanus) ac augendis opibus animum intenderet. Contigit, vt quadam die vxori, quòd cibos non tam citò, vt is optabat, terrenis negotijs vacaturus, parasset, præter morem succenseret: quæ vt parumper sustineret orans, librum vitas SS. continentem interim ei legendum porrexit. Quem ille cum ira percitus proiecisset, pœnitentia postea ductus illum recipiens, aperiensque, in S. Mariæ Ægypticæ vitam incidit; ex cuius lectione in alterum mutatus cœpit terrena omnia despicere; pauperibusq; eleemosynas largè erogare, ecclesias frequentius inuisere, orationibus vacare, ieiunia frequentare. Erat is annus sal. 1355. Castitatis cupidus vxorem ad eã hortabatur. Quare assentiente vxore, (quæ pro viri conuersione non semel orauerat) vterque castitatem vouet; ac Ioannes super tabulis cubans magnam noctis partem in orationibus ducebat. Ad maiorem aspirans perfectionem vili amictu indutus, vitæ etiam austeritatem amplexus est. Domi suæ peregrinos, præsertim ægrotos excipiebat: quibus proprijs manibus ministrabat, & lauabat pedes: Quin etiam in aditu maioris tẽpli leprosum vlceribus plenũ in humeros sublatũ domũ suã curandũ, & reficiẽdum deferre nõ erubuit: quem cũ vxor ob fœtorẽ, & tabẽ ex plagis scatentem ferre non posset, Ioannes tñ libenter osculabatur,

Ex lectione vitæ S. Mariæ Aegypticæ Ioannes in alterum mutatur.

Ioannes, eiusque vxor vnà castitatẽ Deo vouent.

Ioannes pauperũ præsertim ægrotorũ feruens adiutor.

batur, illumque in balneo ablutum à Francisco Vincentio nobili Senensi discipulo adiutus in cõiugis lecto reposuit, ac vxori: donec ab ecclesia cum socio post Missam rediret, commendauit. Quæ cubiculum, in quo leprosus iacebat, ingressura suauissimi odoris fragrantiam sensit, nec ingredi ausa flebat, quòd viro in leprosi receptione aduersata fuerat. Interea Ioannes & Franciscus cum bellarijs, quibus infirmum recrearent, redeuntes, vxoremque lugentẽ repetientes, vbi causam fletus ex ea cognouissent, cubiculum ingressi eandem odoris fragrantiam percipiunt; at leprosum nusquam inueniunt. Quo miraculo Ioannes magis commotus soli Christo seruire decreuit. Quare de vxoris licentia, cum Christus illi apparuisset, seque leprosum illum esse dixisset, omnia pauperibus distribuit, nihilque sibi retinens victum cum socio mendicare cœpit; ac peccatores ad pœnitentiam inuitans, per vicos, & oppida Dei verbum prædicans, ad 60. discipulos; in quibus eruditi, & nobiles aliquot erant, se sequentes habuit. Cum Viterbium ad Vrbanum V. Pont. Max. vt congregationem à se recens institutam confirmaret, venisset, ferunt infantes lactentes adhuc diuinitus locutos, dixisse matribus *Iesuatis benefacite*. Cum autem obtenta Pontificis confirmatione Senas rediret, in morbum incidit, ex quo breui Pridie Kal. Augusti an. sal. 1367. migrauit ad Christum multis clarus miraculis viuens, & post mortẽ.

Franc. Vincẽtius Ioannis discip.

E cubiculo leprosi mira odoris fragrantia manat.

Leprosus nõ inuenitur.

Infantes lactentes Iesuatas commendat.

Ex eius vita prolixius scripta: quam Autor floris SS. refert. vnà cum Syluano Ratio Camaldulen. in lib. de SS. Hetrur.

ANNOTATIO.

GReg. XIII. illum in Martyrol. Rom. describendum censuit. Paulus verò V. Pót. Max. eccles. Senensi, & Religioni Iesuatorum (quæ absque sedis Apost. permissu multò ante natalem sui patris celebrabat) concessit, vt hac diem illum officio eccles. colant.

Hexasticon de S. Ioanne Columbino.

„ *Iste Columbinus mollem cùm ducere vitam*
, *Posset, & accepta nobilitate frui;*
„ *Post habuit tamen ille Deo tot commoda, nostri*
, *Fundator Princeps Ordinis esse volens,*
„ *Quin etiam Christum (hinc fuerit quàm discite Sanctus)*
, *Vlceribus putrim dulce subiuit onus.*

DE B. IGNATIO LOYOLA SOCIETATIS IESV AVTORE.

Ignatius natione Hispanus Loyolæ in Cantabria parentibus nobilibus ortus adolescens in aula Regia aliquandiu versatus, deinde ad bellum profectus ad Pompelonem Vasconum vrbem lethaliter vulneratus est. Sed in via à S. Petro Apostolo (quem is præ cœteris colebat) spe salutis roboratus, dum in lecto decumbens SS. vitas reuolueret, repentè mutatus se sanctissimæ Dei genitrici, ac eius filio seruum deuouit. Quare confirmata valetudine seruis domum remissis, relicta patria ad M. Seratum se contulit: ibi vili veste indutus in morem peregrini, emisso voto castitatis Hierosolymam transmissurus, Manressæ in xenodochio annum commoratur. Vbi cum septem integros dies ieiunasset, deinceps solo pane & aqua contentus ieiunauit, humi cubans, seque sæpius flagris cædens. Inde Romam profectus loca sancta inuisit, ac Venetias cum venisset,

Ignatius 7. dies integros ieiunat; reliquos pane, & aqua contentus.

& si

& si multa à suscepta peregrinatione deterrebant, nauem tamen conscendens ad Palæstinæ littora appulit. Locis autem sacris deuotè peragratis, multaque, & grauia passus incommoda in Hispaniam per Italiam reuertitur. Vt autē Deo melius inseruiret, Barcinone (vbi cuidam; qui se ex desperatione suspenderat, iudicio omnium mortuo vitam oratione restituit) Grammaticæ operam dedit. Compluti verò (vbi pedibus nudis incendens, vnica veste indutus, victum sibi, & alijs quæritans, cum ad vitæ austeritatem homines inducens, socios habere cœpisset, carceris incommoda passus est, licet breui innocentia eius perspecta liber dimissus sit) sacras litteras cœpit addiscere. Hic prodigium prætereundū non est: quidam nobilis vni ex socijs Ignatij eleemosynam petenti cū dixisset, *Comburar ipse si iste* (de Ignatio loquebatur) *Comburi non meretur*; Paulò post qua die natali Philippi II. Regis lætitiæ publicæ signa edebantur, in turre, quā ascenderat, igne accensa cōbustus est. Compluto Salmanticam veniens ibi etiā, quòd discipulos ad se doctrina & exemplo traheret, aliquot dies carcerem passus est. Lutetiam Parisiotum profectus, ibi rursus Theologiæ, Philosophiæq; operam nauans aliquot nobiles Hispanos, & Gallos instituti sui sectatores, & socios habuit. Qua de re officio sanctissimæ inquisitionis delatus persecutiones sustinuit. Sed his omnibus superatis socios Venetias iterum Hierosolymā petiturus præmittens, in Hispaniam rediit. Vbi doctrinam Christianam docens, ter que in Hebdomada prædicans aliquot ostendit suæ sanctitatis signa: cum mulierem alteram à phtisi, alteram vero à dæmone, & virum à comitiali morbo liberasset. Cum Venetias venisset, Romam ad Pontificem benedictionem accepturus contendit: qua accepta Venetias reuersus dum emisso coram Legato Pontificio castitatis & paupertatis voto, traijcere in Palestinam pararet, quòd nullæ naues eo anno Hierosolymam versus soluerent. Romam cum socijs redire cogitur. Cui Christus in itinere crucem ferens visus est illum confortans. Romæ itaque Societatem Iesu instituit. Quæ diligenter examinata à Paulo III. Pont. Max. confirmata est. Cuius ipse à socijs Generalis præpositus renunciatus, breui Ordinem ita propagauit, vt maximo Christianæ Reipublicæ commodo socijs in omnes Christiani orbis partes missis extructisque vbique domicilijs, etiam in nouum orbem, & Insulas longissimè dissitas christiani nominis dignitatem, inuexerit. Romæ itaque annos 15. commoratus, societate optimis legibus instituta An. sal. 1556. ætatis verò 65. Obdormiuit in Domino. Corpus in augustissimo templo ab Alex. Farnesio Card. extructo sepultum est. Prid. Kal. Aug. *Ex eius vita typis excusa an.* 1607.

Suspensus vita restituitur

Prodigium cuiusdā maledici.

Ignatius mulierem alterā à phtisi, alteram à Dæmone, ac virum à comitiali morbo liberat.

A N N O T A T I O.

PAulus V. Pont. Max. an. D. 1609. Societati vniuersa concessit, vt illum officio Ecclef. colat. Qui & si propterea Sanctus, quasi semicanonizatus, vt plures alij, appellari potuisset, B. tamen dictus est, quòd nimis recens videatur.

Augusti die 1.

DE S. EVSEBIO EPISCOPO VERCELLENSI, ET martyre, eiusdem vrbis Tutelaris.

EVsebius natione Sardus patriaque Calaritanus, patre orbatus (quē martyrē obisse tradunt) Romā à Restituta matre (quā etiā martyrio affectā Calaritani affirmant) ad Eusebiū Papā deducitur: à quo baptizatus nomen obtinuit. Fuit autē Romæ vsque ad Iulij I. Papæ, à quo, cū sub Melchiade, Siluestro, & Mar-

Marco in sacris litteris,& ecclesiastica disciplina eruditus fuisset, Epūs Vercellēsis ordinatus est. Is tāta sāctitate fuit, vt celebranti Angeli ministrasse ferantur. Virginitatem perpetuò coluit. Catholicam fidem, pro qua plurima passus est, acerrimè defendit. Mediolanum ad concilium profectus (quo in itinere, cum ad Sessitem annum ventum esset, nauisque in altera ripa esset alligata ferunt illam diuinitus solutam ad S. Episcopum per flumē sponte delatam fuisse) Dionysium Episcopum Mediolanensem Arianorum Episcoporū insidijs deceptū ab errore reuocauit. Athanasij Episcopi ferè solus causam defendit: cumq; nec Constantij Imp. minis, nec Arianorum furentium gladijs cederet, cauea ferrea inclusus in exilium Scythopolim mittitur: vbi à S. Epiphanio Episcopo,& alijs viris catholicis inuisitur; ab Arianis verò verberibus cæsus, & vinctus per scalas præcipitatus, exul in Cappadociam,& inde in Ægyptum amandatur. Mortuo Constantio ad Ecclesiam suam redijt, cum ad Athanasium prius venisset,& concilio Alexandrino, pro fide Concilij Nicæni stabilienda coacto, interfuisset, ac Legatus Antiochiam veniens, ecclesias collapsas restituisset, Catholicosque confirmasset (orta inter ipsum & Luciferum Calaritanum Episcopum, qui aduersus Arianos strenuè pugnauerat, dissensione, cum ille Arianos Episcopos ad Ecclesiam Catholicam reuertētes restituendos non esse contenderet contra Eusebij & ferè omnium rectè sentientium sententiam, vnde illius sectatores Luciferiani dicti sunt) Romæ à Liberio Pont. singulari beneuolentia exceptus: Tandem Vercellas aduentans totam ciuitatem de sui pastoris triumphantis reditu lætabundam obuiam habuit, confluentibus ad eum ex tota Liguria,& Insubria gratulationis ergò Legatis. Vbi dissipata ab Hæreticis reficere, ecclesiasticamque disciplinam intermissam restituere cœpit. Basilicam S. Theonesto martyri, quæ Cathedralis fuit, ædificandam curauit. Se in M. Oropæ apud Bugellam recipiens lacrymis, orationibus, ieiunijs rerum cœlestium contemplatione addictus. Quædam Origenis, & Eusebij Cęsariensis erroribus expurgata latina reddidit. Nonnulla quoque proprij ingenij monumenta scripsit. Verè pater pauperum, viduarum patronus,& pupillorum peregrinorumque hospes fuit. Templum, quod decreto Imp. Catholicis clausum fuerat, Eusebio orante, sponte suo patefactum est. Seditione autem in eum rursus ab Arianis concitata in domo sua captus, supinusque tractus traditur. Multos reliquit discipulos post se, in quibus S. Dionysium Episcopum Mediolanensem, SS. Limenium & Honoratum Episcopos Vercellenses, S. Gaudentium Episcopū Nouariensem, S. Marcellinum Ebredunensem. Obdormiuit in Domino Kal. Augusti an. sal. 371. ætatis verò 88. in templo S. Theonesti martyris à se ædificato sepultus, multis clarus miraculis, quæ ab Gregorio Turonensi describūtur. ***Ex vita Epp. Vercellens. nuper editis.***

Nauis vltrò soluta ad Eusebiū vergit.

Immanes ab Arianis fusti net persecutiones.

Aduersus luciferum strenuè decertat.

Templū, orāte Eusebio sponte suo reseratur.

ANNOTATIO.

***E**T si in dubium haud reuocari potest an S. Eusebius martyr fuerit, ex quo Eccles. Rom. illum martyrem habet & colit; incertum tamen est, an martyr obierit, lapidibus obrutus, vt in eius vita narratur cum S. Ambrosius illum Confessorem vocet, Dionysium verò Episcopum Mediolanen. quasi mart. Quam rem indiscussam Baron. in Annal. ad an. 371. reliquit.*

Natalis illius hac die Vercellis celebratur: In Breu. autem Rom. cum dies hac Festo Vinculorum S. Petri sit impedita, illum die 15. Decemb. qua dies ordinationis est, recolit.

DE

DE SS. MARTYRIBVS BONO PRESBYTERO, FAVSTO, et Mauro cum alijs nouem Romæ.

Bonus Presbyter, Faustus, Maurus cum alijs nouem, quorum nomina sunt, Primitiuus, Columnius, Ioannes, Exuperantius, Cyrillus, Honoratus, Theodosius, Basilius, Castulus, & Donatus via Latina martyrio coronati sunt iussu Valeriani, & Galieni Imperatorum. Cum enim Tyranni prædicti S. Stephanum Pontificem, & clerum extinguere cuperent, atque per vrbem edicta affigi curassent, quibus bona clericorum capiendorum ijs, qui illos detegerēt, aut caperent, pollicebantur, satellites, vt promissa bona lucrifacerent, omni diligentia adhibita S. Pontificem, & suos inquirentes: in 12. supra memoratos Stephani Papæ clericos incidunt: quos ad Imperatores adductos, atque uariè tortos, iussu eorundem Imperatorum via Latina apud Aquæductum decollarūt Kal. Augusti. Quorum corpora Tertullinus Olympij Tribuni seruus adhuc gētilis ex quadam commiseratione iuxta corpora SS. Iouini, & Basilei sepeliuit. *Ex Gestis S. Stephani Papæ, & mart.*

ANNOTATIO.

Variè apud Sur. tom 4. & et apud Bonin. Mombrit. tom. 2. Gesta quantum ad hos mart. attinet narrantur. Mombritius enim, nouem tantum nominat, eos que statim in auditos decollatos fuisse memorat. Sur. vero Bonum prætermittit, aliòs que 12. recenset, quos prius multis affectos cruciatibus, quàm decollarentur, scribit. De eisd. Pet. lib.7. c.6.

DE SS. VIRGINIBVS, ET MARTYRIBVS FIDE, SPE, et Charitate, Romæ.

Fides, Spes, Charitas, virgines S. Sophiæ matronæ, & genere, & pietate insignis filiæ, quod Christianæ essent, apud Antiochum vrbis Præfectum Hadriano Imp. accusatæ, vnà cum matre apud Palladiam ordinis Senatoriæ fœminam custodiri iubentur, Ad Tribunal euocatæ cum Tyrannus blanditijs, & minis à Christo eas abducere conatetur respondet *illa. Nos neque tuas in hac vita delicias, expetimus, neque tormenta formidamus: quid enim christianis potest esse iucundius, quàm pati pro Christo?* Ad quæ verba Fides 12. annos nata, illicò nudata, manibusque post, terga reuinctis virgis immanissimè cæditur: cū que magna constantia verbera illa perferret, mammillæ illi exciduntur, lacte pro sanguine mirabiliter profluente, post hæc in ignem accensum inijcitur, & nil læsa in sartaginem pice, & bitumine ebulliente inijcitur: Denique nec inde aliquid passa, Iudice in furorem verso, gladio transuerberata ad sponsum euolauit. Iudex Spem secundo loco blandis aggreditur verbis ad Dianæ sacrificandum inuitans; quæ cum se sororis dissimilem non esse diceret nudata crudis boum neruis flagellata, in ardentem fornacem immissa, ac inuiolata inde egressa, in ligno suspensa ferreis vngulis ita dilaniatur, vt ossa carnibus nudata miserandum ad stantibus spectaculum exhiberent, cumque virgo constantissima tyranno insultaret, ille ad iracundiam concitatus. Spem in lebetem pice, & resina plenum, ac vehementer accensum immitti iubet. Sed cū, lebete diuina virtute fracto, feruens liquor non paucos ex ministris extinxisset, capitis abscessione martyrium consumauit. Postquam reliqua Charitas, cum Tyranni blanditias eadem constantia

Illustris inuicti animi SS. virginum significatio. Lac pro sanguine scatet.

Ossa carnib⁹ nudata.

stantia negligeret, lotis extensa dirissimè torquetur, vt diuulsa corporis compage, virgo spiritum reddere videretur, cum autem constantissimè honorem Dianæ habere recusaret, post equuleum, fornacem maximè accensam experiri iubetur: cuius flamma in protectores retorta illos exussit. Denique ab igne illæsa alijs affecta supplicijs, corporeque terebris transfixo, capite lætabunda & ipsa plectitur. Kal. Augusti An. Sal. 122. Quarum corpora à matre collecta, & vnguentis delibuta eo honore, quo decebat, sepulta sunt. Ad quarum sepulchrū, & ipsa orans paulòpost obdormiuit in Domino. *Ex Pass. à Metaphr. conscripta, à Lipom. tom. 6. Sur. tom. 4. & à Mombrit. tom. 2. rel.*

Immanissima supplicia

ANNOTATIO.

PEtrus in Cat. lib. 7. c. 7. Fidem annorum 12. vt dictum est, Spem 10. Charitatē verò 9. fuisse, & primam à 12. secundam à 10. tertiam à 9. Tortoribus casam scribet. Easque a matre 18. ab vrbe milliario sepultas fuisse. Græci in Menologio de his virg. quas Pistim, Elpin, & Agapen vocant, die seq. agunt.

DE S. IVSTA VIRGINE SIPONTINA, ET MARTYRE apud Forconium.

IVsta virgo Sipontina Florentij ciuis Sipontini filia à teneris in Christi Domini fide educata, cum eo, & Felice patruo, ac Iustino Presbytero Teate, deinde ad Offidium vicum apud Forconium veniens, inde Forconium ab Hilario pio, & Christiano viro hospitio recipitur. Delata Aurelio Præfecto sub Maximiano Imp. ab illo virginis amore ob ipsius formam capto omni adhibito artificio tentatur, vt sibi nubere vellet, & Dijs immolaret. Verum illa in fide cōstantissima cum hospitis nepoti cæco visum reddidisset, multique ex Forconiensibus ad eam, quòd à plures cecitate curasset, confluerent, Aurelius illam comprehensurus insequutus vsque ad M. Offidium, qui diuinitus apertus Iustæ locum, in quo lateret, concessit, vt inueniri non potuerit. Cum vero persequentes muti, & immobiles effecti essent, illos iusta oratione sanauit. Illa Forconium reuersa in domum Hilarij, ibi Iustinum Presbyterum, & Felicem patruum inuenit. Verum, aduenientibus ab vrbe Roma satellitibus, Iusta cum Florentio patre, & Felice patruo comprehensa Forconium ad Iouis templum perducitur; cui cum sacra facere recusaret, carcere includitur, vbi mulieris cuiusdam filium defunctum rediuiuum fecit. Quo miraculo Aurelius ad fidem conuersus est. Quinto die educta cum in confessione Christi persisteret, in fornacem ardentē inijcitur; à qua nihil passa, lanceis, & sagittis confossa certamen absoluit Kal. Augusti, à Iustino Presbytero ad montis Offidij radices sepulta. *Ex monumen. Eccles. Forconien. siue Aquilanæ.*

Visus cæco restituitur.

Persequentes Iustam muti, & immobiles fiunt, ab eaq; sanantur.

Defunctus resurgit.

ANNOTATIO.

FLorentius & Felix, de quibus in S. Iustæ pass. fit mentio, ex numero illorum 83. militum, qui apud Amiternum in Martyrol. Rom. 9. Kal. Augusti passi referuntur, fuere.

DE S. LEO PRESBYTERO CONFESSORE, AC MONTIS Feretrani Patrono.

LEus Illyricus natione, patria Arbensis, lapicida Christianus vnà cum Marino eiusdem vrbis & artis Ariminum veniens, ibi aliquandiu commoratus est.

Postea

Postea cum apud M.Titanum triennium cum Marino excidendis, & dolandis lapidibus egisset, ab eo recedens in M.Feretranum, qui nunc Leopolis, seu S. Leus nominatur, se recepit, ibique vitam anachoreticam duxit. Cum autem Ariminensis vrbis S.Gaudentius Episcopus creatus fuisset, famaque sanctitatis Lei, & Marini peruolaret, eos S. Episcopus per litteras ad se accersit; ac Leum Presbyterum, Marinum verò Diaconum ordinauit. Qui Arimini aliquot annos apud S.Gaudentium demorati, cum Ariani conciliabulum celebrantes Catholicis præualerent, Gaudentio se aliò recipere coacto, & ipsi ad pristinam solitudinem rediere. Leus itaque in memorato loco Deo, in orationibus, meditationibus, vigilijs, Sacerdotalique munere deseruiens, denique apud virum Habentium, vbi ante Ferrariensis sedes Episcopalis erat, clarus meritis, & miraculis Kal. Augusti migrauit ad Christum, ibique honorificè conditus præcipuè colitur. *Ex monum. Eccles. Feretrana, qua illum tutelarem suum maximè colit, & ex vita S. Marini.*

Conciliabulum Arimini.

ANNOTATIO.

PEt. in Catal. lib. 8. c. 56. vbi de S. Marino, et Leo simul agit, corrigendus est: in eo, quòd illos Ariminum Diocletiano, & Maximiano Imp. ad Ariminensis vrbis instaurationem venisse, posteaque à S.Gaudentio Episcopo ordinatos fuisse ait. Nam S.Gaudentius sub Constantio Imp. Arianorum fautore Episcopus Ariminen. fuit. Non est autem verisimile hos SS. viros sub Diocletiano operas suas Arimini locasse, deinde à S. Gaudentio sub Constantio ordinatos esse.

DE S. PEREGRINO EREMITA APVD ALPES INTER Mutinam, & Lucam.

PEregrinus in Scotia patre Rege natus, cum infans baptizaretur, Amen respondisse fertur 15. annum agens regno cedens, se itineri in Palæstinam profecturus accingit. In via à latronibus expoliatus, & verberibus affectus, illos oculis captos sanauit. Profectus in Palæstinam in deserto, in quo D. N. I. C. 40. dies, & 40. noctes ieiunauit, ad 40. annos in summa vitæ asperitate vixit: Inde multis Dæmonum tentationibus superatis, in Ægyptum veniens à Saracenis male habitus fune collo alligato ad Maumethis templum trahitur, vt illi cultum adhiberet. Quod facere recusans ferreis vinculis constrictus in obscurissimo carcere 7. dies sine vllo cibo detinetur. Cum verò luce clarissima oborta, vinculisque in morem ceræ resolutis, ipseque ad Soldanum delata, apud illum fidem Christi non modò veram, sed & necessariam aduersus Sacerdotes Maumethanos demonstrasset, hanc illis præsente Rege optionem dat, vellent ne illi ignem pro suæ fidei comprobatione ingredi, an vt ipse ingrederetur, permitterent: ea conditione, vt fides illius reciperetur, qui ab igne inuiolatus exisset, acceptaconditione, ille ignem ingressus nullam prorsus læsionem sensit; multiq; propterea ad fidem conuersi baptizati sunt. Peregrinus inde naui discedens post 7. dies Anconam appulsus est: ibique sanatis eorum infirmis apud quos hospitatus fuerat, Romam proficiscitur, & ad M.Garganum. Tandem cœlestibus monitis obtemperans ad Alpes inter Mutinam, & Lucam venit: Vbi multis dæmonum petitus insidijs, vitã austerissimam duxit omnibus hominibus ignotus. Deniq; annũ agens ætatis 97. vita in arboris cortice à se descripta Kal. Aug. migrauit ad Dñm. Quem cum Petrus medicus Mutinensis in somnis admonitus reperisset, reiq; Geminiano Episcopo Mutinensi, & Seuero Episcopo Rauennatum narrasset, illi cum Episcopis 27. in quibus Alexius Episcopus Pisanus cum

Peregrinus infans in Baptismo respondet Amen.

Latrones oculis captos sanat.

Peregrinus illæsus è flammis egreditur.

suis Tusciæ Episcopis, in locum conuenientes, ortam de Peregrini corpore cõtrouersia cui diœcesi adiudicandum esset, miraculo litem dirimunt. Nam illud plaustro impositum, iuuenci indomiti in eum locum, qui nunc Alpes S. Peregrini dicitur, mirabiliter deportarunt. Vbi summa hac die à finitimis populis veneratione colitur. *Ex eius vita Mutynæ typis excusa.*

Alpes S. Peregrini.

ANNOTATIO.

ET sitempus, quo S. Peregrinus decessit, in eius vita minimè exprimitur. Indicari tamen videtur, vt tempore SS. Seueri Episcopi Rauennatis, & Geminiani Mutinen. obierit.

DE S. MARIA COGNOMENTO CONSOLATRICE Virgine Veronensi.

MAria virgo Veronensis Cognomento Consolatrix claris orta natalibus, ab ineunte ætate pijs operibus virginitatem, quam Domino consecrarat, nobilium, qui eius ob formam eximiam, nuptias expetebant, conditione neglecta, orationibus, vigilijs, ieiunijsque addicta, decorabat pietate, & in pauperes virgineisque moribus conspicua. Cum Veronensis ciuitas iam 7. annos ingēti aeris siccitate laboraret. Huic virgini diuinitus reuelatum est, non prius ab ea calamitate vrbem liberandam, quam SS. martyrum Firmi, & Rustici, qui sub Maximino Veronæ pro Christo passi fuerant, corpora in eandem vrbem referrentur. Quare cum idem S. Annoni Episcopo eius fratri eadem nocte reuelatū fuisset, hominesque ad ea perquirenda missi essent: ijsque Iustinopoli inuentis, renunciassent non posse ea inde auferri, nisi æquato auri, & argenti pondere Iustinopolitanis persoluto, S. virgo cum auri, & argenti pondere ex diuersis matronis collecto in Histriam proficiscitur. Corporaque SS. redempta Veronam secum adduxit. Qua in re mirum accidit, quod ea appēsa in statera adeò leuia visa sunt, vt modico pretio redempta fuerint. Aliud quoque mirandum contigit, cum enim se Iustinopolitani deceptos præstigio in pretio soluto putarent, corporaque naui imposita recuperare vellēt, nauis cursu adeo cōcitato ferebatur, vt eam non modò consequi, sed neque cernere potuerint, sacris itaque corporibus in vrbem relatis tota ciuitate, quæ exierat, comitāte, illicò de cœlo pluuia descendere cœpit, ipsaque virgo à ciuibus Consolatrix deinceps cognominata est. Quæ cum vitæ reliquum consuetis orationibus, ieiunijs, & pijs operibus confecisset Kal. Aug. euolauit in cœlum. Corpus à S. Annone Episcopo eius fratre piè curatum est. *Ex lib. de SS. Eccl. Veron. Aug. Valer. Ep. & Card.*

Ingens 7. annorum siccitas Veronæ.

Corpora SS. Firmi, & Rustici auro, & argento redimenda, leuia admodum librantur.

Quam ob causam Consolatrix dicatur.

ANNOTATIO.

HVic virgini templum extructum est, in quod Thebaldus Episcopus corpus illius in arca marmorea intulit, vti Epitaphium ex carminibus insculptum in ead. area docet: an. D. 1320. cum huiusmodi inscriptiōne.

„ *Hic Consolatrix requiescit S. Maria.*

Ad S. Mariæ Consolatricis tumulum Distichon.

„ *Solare proprijs meritis ceu nomine fulges,*
„ *Veronæ populum felicem quo trahis ortum.*

Augusti die 2.

DE S. STEPHANO I. HVIVS NOMINIS PAPA, ET MART.

STephanus Rom. post S. Lucium Valeriano, & Galieno Imperatoribus Pontificatum per annos 3. menses 3. & dies 25. gessit. Instituit, vt Sacerdotes, &

S. Stephani decreta.

& Diaconi nusquam nisi in ecclesia sacris vestibus vterentur. Baptizatos ab Hæreticis iterum baptizari vetuit, S. Cypriano Episcopo Carthaginensi rescribens illis verbis. *Nihil innouetur, nisi quod traditum est*. Multos ad Christum conuertit: in quibus Olympium Tribunum cum Exuperia vxore, & Theodulo filio: Nemesium item Tribunum, quem Diaconum fecit, cum tota familia, Lucillæ eius filiæ oculis restitutis: qui omnes vnà cum Symphronio, Tertullino, & alijs martyrium pro Christi fide subierunt. Cum verò persecutio in christianos vehementius ingrauesceret, Stephanus suos ad rerum terrenarum contẽptum, & ad martyrium hortatus, conuocato clero in cryptis martyrum assiduè missas, & concilia celebrabat. Qui aliquando, cum magno clericorum numero captus ab Infidelibus ad templum Martis, vt ei sacrificaret, raperetur, isque se dæmonibus, honorem, qui vero Deo deberetur, habiturum negaret, statim Martis statua corruit, templumque contremuit. Quare omnibus, qui Stephanum tenebant aufugientibus, is ad suos in cœmeterium Lucinæ reuertitur: vbi cum eos omnes diuinis præceptis instructos Sacramento corporis Christi communicasset, dum Missæ solemnia perfecit, aduenientibus iterum satellitibus Imperatorum, caput illi in sua sede amputatur. Corpus cum eadem sede sanguine conspersa à Clericis via Appia in cœmeterio Callisti sepultum est 4. Non. Augusti an. sal. 260. Ordinauit Presbyteros 6. Diaconos 5. Episcopos 3. in quib. S. Melanium Episcopum Rothomagen. *Ex Breu. Rom. & pass. per Metaphr. scripta.*

Statua Martis corruit.

ANNOTATIO.

STm. Metaphrastes cum S. Steph. Papa, eadem die Tharsicium martyrem passum esse scribit. de quo Martyrol. Rom. die 15. huius. Hic erat Accolythus.

DE S. MAXIMO EPISCOPO PATAVINO II.

MAximus Episcopus Patauinus S. Prosdocimo, sub cuius disciplina vixit, circa an. sal. 140. successit. Vitam S. Prosdocimi scripsisse fertur. Vixit in Episcopatu annos 25. Tametsi multò pauciores alij illum vixisse velint. Acta ipsius periere. Corpus eius vnà cum corporibus SS. Iuliani patricij Patauini, & Felicitatis virginis anno Dominicæ Incarnationis 1053. à Leone IX. Pont. Max. dum Patauio transiret, repertum fuisse narrant, ab eoque Pont. decretum esse, vt Maximus pro sancto deinceps haberetur. Cuius dies festus ab Ecclesia Patauina 4. Non. Augusti celebratur. *Ex monum. Eccl. Patauina, & Bernardino Scard. lib. 2. classe 6. de antiq. vrbis Patauina.*

ANNOTATIO.

SI S. Prosdocimus à B. Petro Apost. an. sal. 46. ex Baron. in Annal. Episcopus ordinatus est Patauinus, vixitque in Episcopatu annos 93. ex Annal. Patauinis apud Scardeon. obijt an. D. 139. quo tẽpore S. Maximus probabiliter illi successit.

DE S. SERENO EPISCOPO MASSILIENSI BLANDERATI.

SErenus Episcopus Massiliensis cum Roma, quò ad Apostolorum limina visitanda profectus fuerat, in patriam regrederetur, apud Blanderatũ pagũ, seu castrum Vercellensis diœcesis, ægrotans decessit; Cuius corpus cũ delituisset, diuinitus repertum cõdigno honore in maiore ecclesia, cuius titulus est S. Columbani conditum est. Extant in ea ecclesia imago illius in pariete depicta

fatis vetusta,& carmina, quibus inuentio, & miraculum hominis graui morbo laborantis repentè ad eius tumulum mirabiliter sanati. Est, & xenodochium sub illius inuocatione erectum,& facellum in memorata S.Columbani ecclesia suo nomini dicatum: quod visitantibus in die festo S. Sereni indulgentia à Summis Pontificibus concessa legitur. Agitur autem dies festus 4. Nonas Augusti. *Ex monum. Eccl. prædictæ.*

Vir grauiter ægrotans sanatur.

ANNOTATIO.

EXtant epistolæ S.Greg. Papæ ad Serenum Ep. Massilien. scriptæ lib.7.Reg.109. & lib.9.epist.9. In quib. Sanctus Pont. Zelum ipsius Sereni commendat; quod verò imagines SS. fregisset, ne à populo adorarentur improbat.

Augusti die 3.

DE S. ASPREN EPISCOPO I. NEAPOLITANO.

ASpren Neapolitanus adhuc Gentilis, cum æger in lecto annos 20. egisset, essetque insigni modestia,& patientia prædirus, ad S.Petri Apostoli aduētum,cum Antiochia Romam contenderet,baculo, quo Apostolus sustentaba-tur,tacto, ad eum à Candida, quæ ipsum Apostolum hospitio exceperat, delato,illicò mirabiliter sanatus est; quo miraculo ipse cum alijs permultis in Christum credens ab Apostolo baptizatus est: postea que fidei mysteria edoctus,primus Neapolitanorum Episcopus ordinatus,propriam domum,in qua S.Petrus celebrauerat,ecclesiam dedicauit,quæ nunc ex primis eius vrbis basilicis S.Petri ad aram nominatur. Cumque fidem prædicare cœpisset, multos in dies ex Gentilibus ad Christum doctrina, & miraculis cæcis, claudis, mutis, alijsque morbis oppressis diuinitus curatis perduxit. S.Candidam,cū diem suum obijsset,in memorata ecclesia tumulauit. Ipse verò cum aliquot Ecclesiæ suæ sanctè præfuisset, ac magnam Neapolitanorum partem Christo Domino miraculis, verbo,& exemplo conciliasset,multa mala ob Gentilium persecutionem passus tandem 3.Non.Aug.An.à partu virginis 79.Cleto Pont.Max.Domitiano Imp. abijt in Cœlum. Cuius corpus à christianis condignè tumulatum,nunc in proprio sacello ecclesiæ maioris requiescit. *Ex vit. SS.Protectorum ciuitatis Neapolitanæ, quas Paul. Reg. lib. 2.de SS.Regni Neapolit. multis refert, vbi S. Aspren miracula post mortem prosequitur.*

Aspren baculo tacto S Petri curatur.

Aspren mirāda operatur.

ANNOTATIO.

ERror est in anno, quo S. Aspren obijt: anno enim 79. Non Cletus Ecclesiæ præerat, sed Linus, nec Domitianus, sed Vespasianus Domitiani pater imperabat, fortè errore typographi, aut scriptorum pro 89. scriptum est 79.

Neapoli in eccl. cathed. baculus S.Petri, ex cuius tactu S. Aspren sanatus est, adhuc religiosè asseruatus monstratur.

DE S. PETRO EPISCOPO ANAGNINO.

PEtrus ex illustrissima Principum Salernitanorū familia ortus, monachus fit S.Benedicti,& ob præclaras animi dotes ab Hildebrando Cardinale Romā Alexandro II.Pont.ductus,laboribusque aliquot pro Ecclesia perfunctus, Ecclesiæ Anagninæ inuit° præficitur.Suscepto pastorali munere Ecclesię bona cœpit recupare. Dubitationē de S.Magni Episcopi corpore miraculo sustulet. Nā mulierē paralyticā ad S.Magni tumulū excubare iussit:cui orāti S. Magnus habitu Pōtificio splēdēti indutus apparēs sanitatē restituit, & vt Petro renūciaret

Mulier paralytica sanatur.

S. Magni apparitio.

corpus

corpus suum ibi adesse præcepit. Idē S. Petro oranti in ecclesia visus est, quodq; ad Imp. curandam mittendus ab eoque postulata impetraturus esset, prædixit. Cum non multo post ad Michaelem Imp. Constantinopolim missus, ei narrasset, quæ à S. Magno audierat, illeque respōdisset, neque quis esset Magnus, nec vbi terrarum sit Anagnia se scire, sequenti nocte adeo morbo conflictatus est, vt mortuus haberetur. Cumque sanctissima Dei genitrix, & S. Magnus per visum monuissent, vt si ex eo morbo conualescere vellet, Apostolico legato obsequeretur, Petrum accersiri iubet; qui manus Imperatori supplici imponens, inuocato sanctissimæ virginis, & S. Magni nomine, illicò sanitatem ei non fine ipsius Imp. & adstantium admiratione restituit. Multis itaque muneribus affectum Imperator S. Petrum remisit, omnes sumptus (quod præstitit) ad templi Cathedralis instaurationem se ministraturum pollicitus. Petrus denique cum ann. 43. Ecclesiam Anagninam laudabiliter administrasset, 3. Non. Aug. sanctitate, & miraculis clarus migrauit ad Christum Paschali II. Sum. Pont. à quo in SS. numerum relatus est. *Ex vita ipsius, quam S. Brunonem Episcopum Signinū scripsisse ferunt, & ex vet. M.S. eiusd. Eccl. Anagnina.*

Michael Imper. Constantinopolitan' à D. Petro mirabiliter sanatur.

ANNOTATIO.

PRo Hildebrando, qui Alex. II. in Pont. successit, & Greg. VII. dictus est, in monum. Eccl. Anagn. & vita M.S. mem. Aldebrando scriptum est.

DE S. GAVDENTIO EPISCOPO I. NOVARIENSI.

Vide die 22. Ianuarij.

GAudentius patria Eporendiensis S. Eusebij Episcopi Vercellen. discipulus fuit: cui ille in exilium pulsus propriam ecclesiam commendauit. Fuit Catholicæ fidei strenuus defensor; pro qua cum Eusebio nondum Episcopus decertauit. Virtus illi præcipua fuit in sanandis infirmis humana ope destitutis, ac in expellendis ab obsessis immundis spiritibus. S. Ambrosio familiaris fuit: qui aliquandò ad eum visendum veniens, cui illum Episcopum ordinandum fore prædixisset, respondit: *ero quidem; sed non abs te sacrandus*. Defuncto enim S. Ambrosio, Gaudētius à S. Simpliciano Episcopus I. Nouariensis cōsecratus est. Vixit in Episcopatu ad annos 20. inde senio laboribusque confectus 11. Kal. Februarij, obdormiuit in Domino. Ad cuius tumulum plura in dies super infirmis, & obsessis miracula patrata sunt. Ferunt corpus sex menses inhumatum integrum, incorruptumque perseuerasse, ac barbam, cæsariem, & vngues illi succreuisse. Illud à S. Agabio successore; qui ecclesiam à Gaudentio inchoatam perfecit, in illam solemni pompa illatum depositam fuit. *Ex Antiq. lect. M.S. Eccles. Nouarien.*

Maxima S. Gaudētij virtus.

Spiritu prophetiæ illustris.

ANNOTATIO.

HIc dies depositionis est, non obitus, obijt enim 11. Kal. Febr. ac cum corpus insepultum fuisset sex menses, & dies 12. hac die à S. Agabio tumulatum traditur.

DE S. GREGORIO ABBATE NONANTVLANO.

GRegorius Abbas Nonantulæ 16. post Petrum an. sal. 912. monasterio, annis 19. præfuit. Quod tanta prudentia, & sanctitate administrauit, vt ēt miraculis claruerit. Cum verò se regimine abdicasset, vt Deo liberius vacare posset, biennio post 3. Non. Augusti obdormiens migrauit è vita An. sal. nostræ 933. apud antecessores sepultus. *Ex monum. & Cron. eiusdem monasterij.*

ANNOTATIO.

AN off. Ecclesiastico Nouantula celebretur: mihi hactenus ignotum. Vidimus tamen illum in Tab. Abbatum nota sanctitatis descriptum.

Augusti die 4.

DE S. DOMINICO AVTORE ORD. PRÆDICATORVM Bononiæ.

Prodigium Matris S. Benedicti.

Liber S. Dominici ter flāmis datus illæsus exilit.

Dominicus egregius contra hæreticos fidei defensor.

Neapolionē à morte excitat.

DOminicus Calarogæ (quod est Hispaniæ oppidum Oxomensis diœcesis) Felice patre, & Ioanna matre ex nobili Gusmanorum familia Alexandro natus est, III. Pont. Max. Huius mater grauida visa est sibi in aluo catulū cōtinere facē ore præferentem, qua editus in lucem orbem terrarum incenderet. Quo significabatur fore, vt splendore sanctitatis, & doctrinæ gentes ad christianam pietatem inflammaret, veritatem exitus comprobauit, id enim per se, & socios ordinis sui præstitit. Palentiæ liberalibus disciplinis, & Theologia excultus Oxomensis Ecclesiæ canonicus à Didaco Episcopo creatur. Cum quo profectus aduersus Hæreticos Albigenses maximè decertauit: apud quos illud memorabile contigit, quod liber à Dominico de fide Catholica conscriptus ab Hæreticis in ignem ter coniectus, semper illæsus exilijt. Cum annos 7. apud Tolosam, vbi primum ord. monasterium extruit demoratus, maximopere in euertendis Hæreticis, qui Tolosates peruertere conabantur, elaborasset. Romā cum Fulcone Episcopo Tolosano ad Lateranense conciliū venit, quò ordo, quē instituerat, ab Innocentio III. Pont. Max. qui tunc Ecclesiæ clauum tenebat, cōfirmaretur. Quæ res dum in deliberatione versatur, Dominicus Pontificis hortatu ad suos redit, vt regulam conscriberet. Romam reuersus ab Honorio III. Pont. Max. Ordinis Prædicatorum confirmationem obtinet anno sal. 1216. Ibi duo monasteria virorum vnum, alterum virginum ædificauit. ac Stephani Cardinalis de Fossanoua nepotem Neapolionem nomine defunctum, cum pro illo sacrificium obtulisset, mirabiliter à morte excitauit. Quo miraculo, & alijs clarus ordinem suum mirificè propagauit. Cum verò eius opera iam vbique terrarum monasteria extruerentur, innumerabilesque homines religiosam, & piam vitam sub eo instituerent, ipse Bononiæ anno Domini 221. supra millesimum in febrem incidit: ex qua cum se moriturum intelligeret, aduocatis fratribus, eos ad innocentiam, & integritatem vitę hortatus est, charitate, humilitate, & paupertate eis tanquam certo patrimonio testamento relictis: ac orantibus Fratribus in illis verbis *Subuenite SS. Dei, occurrite Angeli*, sanctam efflauit animam Nonis Augusti. Quem Gregorius IX. Pont. Max. in SS. retulit. *Ex Breu. Rom. & vita à Sur. tom. 4. rel.*

ANNOTATIO.

ANno 13. ab eius obitu hoc est. an. D. 1234. 3. Idus Iulij à Greg. IX. in SS. numerum relatus est. Cuius natalis hac die, quòd dies depositionis festo S. M. ad Niues occupatus est, Pauli IV. Sum. Pont. decreto celebratur.

Hymnus S. Dominici ex eius officio.

GAude mater Ecclesia
Læta . agens memoriam
Quæ nouæ prolis gaudia
Mittis ad cœli curiam.

Prædi-

Prædicatorum ordinis
Dux, & pater Dominicus
Mundi iam fulget terminis,
Cuius effectus cælicus.
Carnis liber ergastulo
Cœli potitur gloria;
Pro paupertatis cingulo
Stola donatur regia.
Fragrans odor de tumulo
Cum virtutum frequentia
Clamat pro Christi famulo
Summi Regis magnalia.

DE S. TERTVLLINO PRESBYT. ET MART. ROMA.

TErtullinus Olympij Tribuni seruus, cum adhuc Gentilis SS. martyres Bonũ Presbyterum Faustum, & Maurum cum alijs 9 clericis Valeriano, & Galieno Imperatoribus pro Christo martyrio coronatos sepelisset, à S. Stephano Papa ad Christum conuersus baptizatus est, & in fide diligentius instructus Presbyter ordinatur; ac reliquias martyrum iubetur inquirere. Transacto autem biennio ab eius ordinatione à Marco Præfecto comprehensus ad Valerianum Imp. adducitur: à quo de Olympij domini sui facultatibus interrogatus, illas Deo oblatas in necessitates pauperum expensas esse, eisque vitam æternam comparatam, quam & ipse Imp. si vellet, credendo consequi posset, respondit. Ad quæ verba Imperator Tertullinum in terra extensum virgis immaniter cædi, ignem nudis lateribus admoueri iubet. Quibus æquo animo toleratis, Sapritio Præsidi traditur; qui illum Dijs sacrificare, & pecunias domini sui prodere compelleret. Ductus itaque ad Sapritium de bonis Olympij interrogatus, respõdit, *si alterius vitæ felicitatem nosses, haud de præsenti sæculo tam anxius esses*: Quibus dictis os illi lapidibus contunditur: iussusque Deos venerari, & viuere, respondit, *ego verò nihili hanc vitam duco, vt Christo fruar in æternum*. Quare in ligno extensus neruis crudeliter cæditur, ac in rota suspenditur, auxilium supernum implorans. Cùm autem Sapritius Valeriano se nil obtinere potuisse à Tertullino retulisset: Iussu Imp. de rota depositus via Latina 2. ab vrbe milliario decollatur Prid. Non. Augusti, à B. Stephano Papa in crypta, quæ arenosa dicebatur, sepultus. *Ex Gest. & pass. S. Stephani Papæ, & Pet. in Cat. lib. 7. c. 20.*

Tertullinus atrocissimis cruciatibus lancinatur.

ANNOTATIO.

TErtullinus cum adhuc albam post baptismum gestaret vestem, Presbyter ordinatus est, vt illius acta habent. Nec id aduersum est ei, quod D. Paulus Apost. iubet scribens ad Timoth. Non Neophytum ne in superbiam elatus in laqueum incidat, Diaboli, cum apertè Apostol. de Episcopo loquatur: quem non decet Neophytum.

DE S. AGABIO EPISCOPO VERONENSI.

AGabius Episcopus III. Veronæ post S. Crichinum ei præfuit Ecclesiæ. Is fuit eximia erga Deum pietate, erga homines verò beneuolentia, cũ morum lenitate præstaret. Cum autem omni virtutum genere emicaret, in primis liberalitate in pauperes fulsit, magnum omnibus post se futuris Episcopis exemplum relinquens. Cuius corpus in æde S. Proculi requiescit. In qua ecclesia illud cum corporibus SS. Euprepij primi Episcopi, Crichini, & Proculi, anno Domini 1491. repertum fuit. ***Ex monum. Eccles. Veron. & lib. de SS. Epp. Veronens.***

ANNOTATIO.

IN *confessione, seu crypta eiusd. eccl. supra illius aram extat inscriptio hac* Agabio, qui in Pontificatu tertio successit, sacrum. *Appellatur autem, & Agapius, qui circa Domitiani tempora vixisse creditur.*

DE S. PERPETVA VIDVA ROMANA.

PErpetua nobilis matrona Romana S. Nazarij martyris mater à S. Petro Apostolo ad Christum conuersa, & baptizata, Africanum virum suum, (ex quo Nazarium genuit, quem à se educatum in fide à S. Lino Papa baptizandum curauit) tandem ex Iudaismo ad Christi cultum perduxit. Hæc cum viuente viro, tum magis eo defuncto, pietatis opera coluit. Nam etiam cum persecutio in Christianos maximè ferueret, intrepidè ipsa pietatis officia exercebat, plures ex martyribus ad supplicia incendebat: alios facultatibus suis sustentabat: ipsosque martyres manibus suis tumulabat, donec Pridie Non. Augusti, obiens euolauit in cœlum. *Ex Breu. Mediolanen. & Actis SS. Nazarij, & Celsi apud Mombrit. tom. 2. prater Martyrol. Rom.*

ANNOTATIO.

HVius corpus Mediolani esse creditur: de ea enim Ecclesia Mediolanen. agit, vti ex Tab. eius apparet hac die; licet Roma obierit, vt apertè Martyrol. Rom. docet. Fuit & Perpetua S. Petri Apostoli coniunx: de qua ad diem 4. Non. agemus.

Augusti die 5.

DE SS. MARTYRIBVS VIGINTITRIBVS APVD VRBEM.

QVo tempore Diocletianus immanem in Christianos crudelitatem exercebat, viginti quinque Christiani, de quorũ numero Abundius Presbyter, & Abundantius Diaconus erant, Romæ in quadam domo latebãt: qui detecti, & ad Imperatorem delati, mox iussu illius comprehensi ad ipsum adducuntur: quibus interrogatis de religione, S. Abundius respondit se omnes christianos esse. Cumque Imperator eis, vt Dijs sacrificarent, imperaret, omnes vno ore Deos execrantes, se numquam illos veneraturos esse dixerunt. Quare Diocletianus iratus Abundio, & Abundantio in carcerem coniectis, vt postea illos cruciaret, alios viginti tres extra vrbẽ ductos via Salaria veteri capite truncari præcepit Non. Augusti. Quorum corpora Ioannes Presbyter, & Theodora matrona ibidem in crypta ad cliuum Cucumeris sepeliere. *Ex Actis SS. Abundij, & Abundantij.*

ANNOTATIO.

HOrum nomina sciri minimè potuerunt: & vbi corpora, reliquiaue eorund. requiescant, ignoratur.

DE S. EMYGDIO EPISCOPO, ET MARTYRE, ac patrono Asculano.

Emygdius cæco lumen restituit.

EMygdius natione Germanus Diocletiano Imp. cum 12. fratribus, & tribus socijs, seu discipulis Euplo, Germano, & Valentino Romam venit: vbi plurima edidit miracula; nam cæco lumen restituit, filiam militis à sanguinis fluxu

fluxu liberauit, centum quinquaginta promiscui sexus baptizatis: signo crucis statuam Asclepij comminuit, ac in Tyberim proiecit, Sacerdote illius, & alijs 1300 præter mulieres, & infantes ad Christum conuersis. Cum illum vrbis Præfectus perquireret, Emygdius à B. Marcello Papa ordinatus Episcopus Asculum in Picenum mittitur. Quò cũ venisset 150. infirmos illicò curatos cum plurimis alijs aqua regenerauit, Dæmonibus se incendi clamantibus: cũq; ad Emygdij prædicationem, & signa virtutũ maxima populi multitudo ad Christum cõuersa esset, templisque deiectis Idola igne traderentur, & iam christiano more ecclesiæ construerentur, Polianus vrbis Præfectus illum comprehendi iubet: qui ad aliam Piceni vrbem fugiens ibi Idolo in flumen præcipitato, fanoque oratione diruto, plurimos Christo lucrifecit. Cum verò Emygdius in Poliani manus deuenisset, illique filiam suam Præfectus cum diuitijs ingentibus polliceretur, si Dijs immolasset, S. Episcopus filiam suam conuertit ad Christum, aquaque è saxo mirabiliter manante baptizauit cum alijs plurimis à diuersis morbis sanitati restitutis. Quibus cognitis Polianus Emygdium apud Truentum flumen decollari præcepit: isque caput suum manibus sublatum ad 300. passus in proximum montem gestauit, ibique conditus est, Non. Augusti. *Ex Pet. in Cat. lib. 7. c. 24. & monum. Eccl. Ascul. M.S.*

Puellā à sanguinis fluxu liberat. Statuam Asclepij contriuit: Asculi 150. infirmos curat: Filiam Poliani Præfecti conuertit. Emygdius proprium caput ad 300. passus manibus gestat.

ANNOTATIO.

Quædam ex actis apud Pet. loco citato, & M.S. variè gesta referentib. resecauimus: quæ parum verisimilia videbantur. Polianum, quem Pet. & M.S. Regem faciunt nos Præfectum diximus: non enim sub Rom. Impp. in Italia præsertim Reges erant. Nomina locorum correximus, & quæ de ciuitate Pictauen. dicuntur, omisimus: cum illa sit in Gallia, non in Italia. De fratrum, & discipulorum exitu, nihil, quod hic scriberemus, à nobis inuentum fuit.

Passus est an. D. 309. sub Maxentio an. 4. Constantini. vt scribit Baron. in Annal. ad eum an. contra quam in Martyrol. Rom. habetur, vbi sub Diocl. Imp. passus refertur. Quæ in re illud occurrit dicendum, passum dici sub Diocl. quia illius durante adhuc persecut.

DE S. PARIDE EPISCOPO THEANENSI.

PAris Atheniensis in postrema Christianorum persecutione in Italiã veniens Angelo duce apud Theanum vrbem Campaniæ substitit: Qui cum draconem ingentem (quem Theanenses colebant, tẽpl. q; illi extructo, cibos quotidie parabant) baculo interemisset, seditione in eum commota, pro tanto beneficio (draco enim ille accolas noxio flatu inficiebat) cui gratias referre par erat, carcere includitur, ac vrso feroci, & famelico deuorandus obijcitur. Qui cum ad Paridis pedes prostratus illos humiliter lamberet, populus tanto miraculo commotus, cum suo Præfecto ad Baptismum peruenit. Ipse verò à Theanensibus in pastorem expostulatus (cum fontem vbi draconem interfecerat, infectũ sua benedictione expurgasset, vt varijs languoribus curandis proficeret) Romã à S. Syluestro Papa primus Theanensium Episcopus ordinatur, circa an. sal. 333. Reuersus Theanum, ecclesias extruendas curauit, aliquot in clericorum numerum retulit, Vrbanumque; qui sibi in Episcopatu successit, Diaconum suum ordinauit. Cumque aliquot annos sanctissimè Ecclesiæ Theanensi præfuisset, illamque optimè instituisset, Denique Nonis Augusti ex hac vita migrauit ad Christum, Anno Domini 346. Iulio I. Pontif. Max. cui Theanenses ecclesiam, in qua corpus eius asseruatum fuit, construxere. Multis etiam post mortem miraculis claruit. Nam, & vir toto corpore contractus, &

Dracone͂ colebant Theanenses. Vrsus ferox Paridis pedes lambit. Contractus roboratur à Dæmone obsessa liberaŕ.

& mulier à Dæmone obsessa, præter innumeros alios varijs morbis laborantes curatos, ad eius tumulum delati liberati sunt. *Ex off Eccles. Thearnen. & vita eiusd. à Paulo Regio lib.2. de SS. Reg. Neapolit. rel.*

ANNOTATIO.

Oportet Paridem adolescentem sub extremis Imperij Diocletiani Athenis discessisse & aliquandiu Theani, antequam Episcopus ordinaretur, demoratum esse, senioque confectum obijsse.

Augusti die 6.

DE SS. MARTYRIBVS XISTO PAPA, FELICISSIMO, & Agapito diaconis, & alijs.

XYstus, qui & Sixtus dicitur, II. huius nominis Atheniensis vir doctissimus fuit: qui ex Philosopho factus Christi discipulus, Valeriano Imp. S. Stephano suffectus est in Pontificatu. Is sedit mensem vndecim, dies duodecim: quibus vnam habuit ordinationem: in qua creauit Presbyteros 4. Diaconos 7. Episcopos duos. Accusatus apud Valerianum Imp. quòd Christum publicè prædicaret, comprehēditur, tractusque ad templum Martis, vt illi sacrificaret, pœna capitali ei proposita, si id facere recusasset, cum impietatem hanc constantissimè detestatus ad supplicium duceretur, occurrit S. Laurentio, cui dolenter in hunc modum interroganti. *Quo progrederis sine filio pater? Quo Sacerdos sancte sine ministro properas?* respondit: *Non ego te desero fili: maiora te manent pro Christi fide certamina: post triduum me sequeris sacerdotem leuita. Interea si quid in Thesauris habes, pauperibus distribue.* Eodem igitur die interfectus est, vnà cum Felicissimo, & Agapito Diaconibus, Ianuario, Magno, Vincentio, & Stephano Subdiaconis, & ipse quidem in cœmeterio Callisti sepultus est, 8. Idus Augusti; cæteri verò in cœmeterio Prætextati. Duas scripsit epistolas, vnam ad Gratum Episcopum, in qua plura de æterna filij ex patre generatione habet: alteram ad Episcopos Hispaniæ, in qua illos ad vnitatem, & ad Apostolicarum traditionum obseruātiam hortatur, prohibetque alterius parochiæ, diœcesisvè aliquem ordinari, aut iudicari. *Ex Breu. Rom. & Damaso in lib. Pontif.*

ANNOTATIO.

EVseb. lib. 7. c. 17. Hist. Eccles. Xystum vsque ad Galieni tempora, quando solus administrauit Imperium, vixisse scribit.

Passus est vnà cum Xysto, *& Quartus, vt habet Martyrol. Rom. autoritatem S. Cypriani Ep. Cartag. in epist. ad successum secutum, licet in Breu. Rom. nulla eius extet mentio.*

Diuersitas est inter Breu. & Martyrol. in Breu. enim vnus ex Subdiaconis cum Xysto *passis Vincentius nominatur, sicuti & apud Damas. in lib. Pont. & apud Vsuar. & Adon. at in Martyrol Innocentius habetur; sic apud Baron. in Annalib. ad ann. 261. Miror autem Plat. in vita S. Xysti, à martyrio Vincentium eximere, quòd is abesset, vt ait in Hisp. Cum apertissimè omnia Martyrol. & Breu. Rom. illum hac die cum alijs coronatum referant. Extat Romæ via Appia eccl. S. Sixti, & Baron. ex S. Greg. Papa adnotat.*

DE S. HORMISDA PAPA.

HOrmisda Campanus, Frusini natus post Symmachum Anastasio Imp. & Theodorico Rege rexit Ecclesiam. Is Græcos, & Orientales scriptis ad eos

eos epistolis initio Pontificatus ad ecclesiæ Catholicæ vnitatem, fidem, & pacē hortatus reduxit. Synodum habuit Romæ frequenti Episcoporum concursu: in qua Eutychianos iterum condemnauit, Anastasium Imp. Hæreticum bina legatione missa (qua Ennodius Episcopus Ticinensis cum alijs functus est) ad fidei integritatem reuocare studuit, licet incassum: quo infeliciter extincto eique Iustino viro maximè pio, & orthodoxo subrogato pax ecclesijs per orientem data est. Manichæos Roma expulit. Arianos, qui vsque ad id tempus conuenticula habebant, Iustino Imp. auxiliante vndique exterminauit. Ecclesiasticam disciplinam auxit, clerumque reformauit, multa ad ornatum, & splendorem ecclesiarum contulit. Hoc Pontifice Clodoueus Francorum Rex primus Christianam amplexus est religionem. Iustinus Imp. ex voto pretiosissima munera Romam misit, in quibus Euangelium cum tabulis aureis. Sed & Theodoricus Rex dignum Rege munus obtulit basilicæ S. Petri trabem argenteam librarum 1040. Ipse etiam S. Pont. plura vasa argentea basilicæ Lateranensi, & S. Pauli via Ostiensi largitus est. Vixit in Pontificatu annos 9. dies 10. magnaq; sanctitatis laude cumulatus, obijt 8. Idus Augusti an. sal. 523. apud S. Petrum Sep. *Ex eius vita, & Baron. in Annal. Eccl.*

Hormisda Eutychianos condemnat.

Manichei Roma expelluntur.

Ariani Iustino Imp. exterminantur.

Clodoueus Francorum Rex primus Christianam religionem amplexatur.

ANNOTATIO.

QVòd Campanus Hormisda appellatus, cum Frusinum sit in Latio, haud mirandum est: nam & Latium Campania dicitur adhuc vsque tēpora, dicitur enim Campagna di Roma. *Tametsi loca apud confinia solent diuersis prouincijs attribui.*

Augusti die 7.

DE S. DONATO EPISCOPO ARETINO, ET MARTYRE eiusdem vrbis patrono.

DOnatus Romæ educatus parentibus propter fidē Iesu Christi interfectis, Aretium in Hetruria cum Hilarino monacho ex fuga se contulit, vbi diu commoratus sacris initiatus est, ac mortuo Saturo Episcopo Aretino, illi à Iulio I. Pont. Max. suffectus fuit. Is eximia sanctitate fulsit, quæ miraculis declarata est. Nam inter cæteras eius virtutes calicem vitreum à Paganis fractum oratione integrum restituit. Cum autem Iulianus Apostata persecutionem in christianos excitasset, Donatus cum Hilarino à Quadratiano Augustali Præfecto comprehensus, variè cruciatus est, vt à Christo deficeret; denique Hilarino fustibus ad necem mactato, Donatus securi percussus martyrium consumauit. 7. Idus Augusti, cuius corpus à christianis propè vrbem honorificè sepultum est. *Ex Breu. Rom.*

Calix vitreus fractus integer refieitur.

ANNOTATIO.

EXtant S. Donati acta, apud Mombr. tom. 1. apud Pet. in Cat. lib. 7. c. 34. & M.S. sed plura in ijs emendanda, cum temporum rationi, & fidei historia repugnent.

Celebris est multis in locis huius S. Episcopi memoria: eique plures sacræ ædes excitatæ fuerunt: quin & oppida multa ab illo nomen habent.

DE SS. MARTYRIBVS PETRO, ET IVLIANO cum alijs 18. Romæ.

PEtrus, & Iulianus cum alijs 18. Romæ, in Valeriani, & Galieni Imp. persecutione comprehensi, cum Idolis sacrificare nollent variè cruciati sunt. Cūq;

infracto

infracto animo acceptæ fidei confessionem retinerent, ad palmam martyrij peruenere. *Ex Antiq. Martyrol. Vsuard. Adon. & aliorum.*

ANNOTATIO.

Petr. Galesf. in suo Martyrol. Sophronium ex Cod. M.S. addit, eosque sub Valeriano, & Galieno passos ait, licet Vsuard. & Martyrol. Rom. id non habeant.

DE S. FAVSTO MARTYRE MEDIOLANENSI.

Faustus miles Mediolanensis B. Philippi filius à S. Caio Episcopo Mediolanensi baptizatus multa pro fidei confessione Mediolani passus est, quo tempore Gentilium persecutio christianos maximè premebat. Is ædificata ecclesia, quæ ex ipso Faustiniana dicta est, & cuius S. Ambrosius meminit, ab hostibus fidei comprehensus, vexatus, variéque tentatus, vt ad Idolorum cultum reuocaretur; denique post multa certamina sub M. Aurelio Commodo palmã martyrij adeptus est, 7. Idus Augusti. *Ex monum. Eccles. Mediolanen.*

ANNOTATIO.

Commodus licet crudelissimus christianos tamẽ nulla afficit molestia.

Petr. Galesf. in suo Martyrol. S. Faustum post multas vexationes in persecutione Commodi Imp. sancto fine quieuisse scribit, illum in SS. confessorum numero reponens, cum Martyrol. Rom. sibi apertè aduersetur. Baron. in Annal. ad an. 182. Commodum, licet crudelissimus esset, nullam tamen Christianis molestiam attulisse ex Dione, Lampridio, & alijs affirmat.

DE S. CARPOPHORO, EXANTHO, CASSIO, SEVERO, Licinio, & Secundo martyribus Comi.

Carpophorus, & Exanthus milites Maximiano Imp. familiares, quo tempore is Mediolani moram agebat, cum mira, quæ à SS. martyribus Cassio, Seuero, Secundo, Licinio, & Alexandro carcere ob christianam religionem inclusis fiebant, accepissent, ad eos venientes, & allocuti ad Christum conuertuntur. Reuersi ad Regiam Ghristum Deum verum, & solum libere prædicare cœperunt, Deos, & eorum simulachra detestantes. Baptizati itaque, & in fide confirmati à S. Materno Episcopo Mediolanensi, vnà cum S. Fideli SS. martyres è carceribus educunt, Comumque cum illis noctu aufugiunt. Vbi haud procul ab vrbe mortuum ad sepulturam delatum oratione ad vitam reuocant, ac in loco, qui Syluula dicebatur, consistunt. Interea Maximianus his cognitis satellites mittit, qui SS. recusantes Deos venerari diris supplicijs affectos interficiant. Comprehensos igitur primùm virgis eos cædunt durius; deinde vngulis ferreis dilaceratos excarnificant; denique fortes in confessione Christi perseuerantes capite plectunt. Quorum corpora ibidem à Christianis condita sunt, quo in loco postea à Luitprando Longobardorum Rege templum illis excitatũ fuit. Passi sunt 7. Idus Augusti. *Ex Breu. Eccl. Comen. in Actis S. Fidelis mart. & Eccles. Bergomen. in Actis S. Alex. mart. & ex pass. apud Mombr. tom. 1. rel.*

Mortuum exsuscitant.

ANNOTATIO.

Licet S. Fidelis horum mart. socius fuerit, alibi tamen, & alio tempore passus fuit: de quo propterea Nouocomi separatim agitur.

S. Carpophori corpus vna cum S. Fidelis mart. ex Abbatia Arona Mediolanum in

in ecclesiam eiusdem S. Fidelis à S. Carolo Borrhomæo Archiepiscopo translatum est. An. D. 1576. Ex vit. eiusd. S. Caroli per Io. Petrum Glussanum Patricium Mediolanen. scripta.

DE S. ALBERTO CONFESSORE APVD DREPANVM Ord. Carmelitarum.

ALbertus apud Drepanum Siciliæ vrbem parentibus nobilibus, sed sterilibus natus est; cum enim sanctissimæ virgini Dei genitrici votum nuncupassent, se si prolem suscepissent, suis seruitijs illam perpetuò dicaturos, non post multos dies Ioanna mater se grauidam sensit: Benedictus verò pater ceteum radiantem ex coniugis vtero prodeuntem per quietem vidit. Natus itaq; Alberti nomen (quo quisquã ante illum in Sicilia appellatus non est) habuit. Litteris,& optimis moribus imbutus octennis monasterium apud M.Drepani ordinis Carmelitarum parentibus, quos sanctissima virgo per visum terruerat, assentientibus,ingreditur.Quem cum ætate, religione proficientem hostis humani generis sub speciosissimæ mulieris forma tentans aggreditur; hortaturq; vt ad suos rediens vxorem ducat nobilem,familiamque iam extinctam excitans vitam degat iucundam, & fælicem. Qua tentatione superata signoque crucis hoste fugato,cum solemnem emisisset professionem, cœpit, prædicando multos ex Iudæis ad Christum conuertere,ac miraculis coruscare Cum enim Messana ciuitas,ad quam Sacerdotio initiandus venerat,fortissimè à Roberto Rege Neapolitano obsessa,fame premeretur, Rexq; ipse iam aufugisset, Albertus importunis nobiliorum precibus fatigatus: cum non sine ingenti vi lacrymarũ sacrificium obtulisset, liberationem vrbis impetrauit, nam tres repentè triremes per medios hostes in ciuitatem penetrare, annonaque exonerata, ex oculis omnium eripi visæ sunt. In Palæstinam profectus anno sal. 1292. Iudæũ morbo comitiali laborãtem sanat,aliosque ab aquarum submersione ad eos super aquas ambulans ereptos, salutaribus aquis expiatos ad Christum perduxit. Cum innumeros penè dæmoniacos,& ægrotos curasset, nominis celebritatem fugiens apud Messanam in humili se tugurio abdidit. Iam dies obitus instabat,quem præscius fratribus indicans, adiecit sororem suam (quæ supra 260. M.P. aberat) eadem die quo,ipse,è vita migraturam: quod ita contigisse compertum est. Cum itaque 7.Id Augusti obijsset,campana. quam fieri ipse curauerat, nullo pulsante insonuit, & cleto, populoque altercantibus quo officio, mortuorumne,an SS. confessorum tumulandus esset, mox Angelos in ecclesia canentes: *Os iusti meditabitur sapientiam* auditos contentionem sedasse memoriæ proditum est. Sed & alijs quam plurimis miraculis post obitum claruit:In quibus illud non omittendum,quod Drepani contigit. Quidam ludo taxillorum omnem amiserat substantiam,quare animi dolore fractus,& captus desperatione ante Imagines B.M.Virginis,& B.Alberti stans,cum toruo vultu adspiciens dixisset: *Vos multoties inuocaui, vt mihi opem ferretis, sed semper præ vestra crudelitate me repulistis*,districto gladio,vtriusque imaginem dissecuit,moxque ab ea copiosus sanguis effluere visus est. Impius verò ille vix templo egressus,fulminis ictu percussus interijt. *Ex eius vita: quam Sur.tom.4. refert, ac ex Breu. Carmelit.*

Mira Benedicti de coniuge visio.

Dæmon Albertum sub speciosissimę mulieris forma aggredit.

Messanæ obsessæ liberationem impetrat.

Iudæus morbo comitiali laborans sanatur.

Mirabile Angelorum prodigium.

Lusor taxillorum Imagines B.M.V & S. Alberti gladio crudeliter feriens fulminis ictu pcussus interijt.

ANNOTATIO.

OBijt An.D.1292. Callistus III.Sum. Pont. primum, vt de eo nondum in SS. relato officium eccles. recitaretur concessit; deinde Sixtus IV. vt in toto Sicilia Regno eius Natalis celebraretur, hac die, diplomate indulsit.

De

De S. Alberto sic inter alia Bapt. Mant.

,, *Ad tua venerunt (quod raro contigit vlli)*
,, *Cælituum nostri multi sub imagine Diui*
,, *Funera, & in liquido pendentes in aere dulci*
,, *Exequijs fecere tuis exordia cantu.*
,, *Hæc sunt facta palam concursu tota frequenti*
,, *Vrbs aderat diuino operi, populique, patrumque*
,, *Agmina suspensis oculis immota manebant.*

DE S. DONATO DIACONO CORNELIENSIS vrbis protectore.

DOnatus Foro Cornelij (quam vrbem nunc Imolam vocant) natus sub S. Proiecto Episcopo vixit, & claruit, à quo Archidiaconus creatus eam sanctitatis laudem promeruit; vt sæculo defunctus non modò sanctus habitus sit, sed & à ciuibus Corneliensibus in vrbis suæ protectorem electus. Corpus seu reliquiæ illius in templo cathedrali in arca intra B.M.Virginis aram religiosissimè asseruantur. Dies festus illius 7. Idus Augusti ab Imolensi Ecclesia celebrari consueuit. *Ex Tab. & monum. Eccles. Imolen.*

ANNOTATIO.

ACta S. huius non extant. Sub Cælestino I. Papa vixisse videtur. Nam Proiectus Episcopus conc. Ephesino contra Nestorium celebrato interfuit, vt etiam Baron. in Annal. ad an. 431. *testatur.*

Augusti die 8.

DE SS. CYRIACO LARGO, ET SMARAGDO martyribus Rom.

Arthemia Diocl. filia & Iobia Saporis Regis Persarũ filia à dæmone obsessæ liberantur.

Rex verò cũ 430. alijs sacro lauacro regeneratur.

CYriacus Diaconus cum Sisinnio, Largo, & Smaragdo carceri diutius inclusus plura edidit miracula, in quibus Arthemiam Diocletiani filiam à dæmone precibus liberauit. Missus ad Saporem Regem Persarum Iobiam eius filiam à nefario quoque spiritu eripuit. Rege verò cum 430. alijs baptizatis Romam redijt, vbi Maximiani Imp. iussu comprehensus ante rhedam illius trahitur, & post dies 4. eductus carcere, liquata pice perfusus, & in catasta extensus demum cum Largo, & Smaragdo cum alijs 20. securi percussus est via Salaria ad hortos Sallustianos. Quorum corpora in eadem via 15. Kal. Aprilis à Ioanne Presbytero sepulta, postea 6 Idus Augusti à Marcello Papa, & Lucina matrona lineis velis inuoluta, pretiosisque vnguentis condita in prædium eiusdem Lucinæ via Ostiensi 7. ab vrbe milliario translata sunt. *Ex Breu. Rom. & ex Gest. S. Marcelli Papa.*

ANNOTATIO.

SIsinnius Diac. cuius hic fit mentio, passus est cum Saturnino sub eod. Imp. de quo Martyrol. Rom. die 29. *Nou. Cyriaco autem titulus erectus in thermis antiquiss. est: & Eccl. via Ostien.* 7. *ab vrbe lapide ab Honorio Papa.*

DE S. FAMIANO CONFESSORE GALLESII PATR.

FAmianus, ante Quuardus, Coloniæ Agrippinæ Gothscalcho patre, matre Guimera natus, adolescens officia pietatis colere cœpit, suisq; facultatibus in

in vsus pauperum erogatis, relicta patria Romam venit, vt loca sancta visitaret. Per Italiam sexennio peregrinatus, locisque præcipuis deuotionis inuisis, in Hispaniam Compostellam ad S. Iacobi Apostoli corpus venerandum contendit. Inde in Syriam profectus, sepulchrum D. N. I. C. aliaque Palæstinæ loca summo deuotionis affectu perlustrauit. Factus deinde Cisterciensis eremita in Gallæcia triennium in assidua carnis maceratione permansit, & in monasterio SS. Cosmæ, & Damiani an. 25. vitã herbis pane, & aqua transegit, donec factus monachus eiusdẽ ord. professus paulò post S. Bernardi Abbatis obitum Sacerdos ordinatus est. Nec multò post de superiorũ licentia Romã iterum veniens Eugenio III. Pont. Max. Gallesij substitit fontemque æstate primo aduentu suo ex silice virga percusso mirabiliter eduxit; qui in hodiernum vsquem diem perseuerans febricitantibus prodesse solet. Gallesij vix 25. dies demoratus in morbum incidit; Ex quo, cum sibi decedẽdum esse intelligeret, loco, vbi humari vellet, indicato, obdormiuit 6. Idus Augusti. An. sal. 1150. ætatis vero 60. Quem miraculis clarum Hadrianus IV. Pont. Max. quadriennio post, in SS. numerum retulisse fertur. Extat ecclesia Gallesij suo nomini dicata: cui eadem Indulgentia, quæ S. Mariæ Angelorum apud Assisium à Sum. Pontificibus concessa dicitur, eò quotannis innumeris ad diem festum ex finitimis populis cõfluentibus. *Ex monum. Eccl. Gallesinæ, & ex lib. qui Fabrica Hortana inscribitur.*

Famian* fontem ex silice virga percusso mirabiliter educit.

ANNOTATIO.

Cum Hadrianus IV. Pont. anno 1154. die 5. Decembris creatus sit ex Fastis Panuin. probabile est S. Famianum SS. Catalogo adscripsisse an. sequenti, hoc est quinto post ipsius Famiani decessum.

Gallesium op. est Faliscorum inter Fescenniam, & Hortanum: quod Falisca veteribus dictum putatur.

De Fonte S. Famiani, ex Iul. Roscio Hortino.

„ *Quas sitiens muscoso hauris sub fornice duxit*
„ *Marmoris è venis has Famianus aquas.*
„ *Sic olim Hebræus populus miracula Mosis*
„ *Obstupuit, fontem, quem dedit icta silex.*
„ *Ergò nouo merito iactent se Mose Falisci,*
„ *Quos alit Hortinus, quosq; Amerinus ager.*

Augusti die 9.

DE S. ROMANO MARTYRE ROM.

Romanus miles, in passione S. Laurentij Leuitæ ad Christum conuersus est. Nam cum Angelum sanguinem ex vulneribus martyris fluentem linteo abstergentem vidisset, clamare cœpit: *video ante te Iuuenem pulcherrimum, festina me baptiZare:* moxque salutaribus vndis à Laurentio expiatus se Christianũ libera voce publicabat. Quod cum ad Imperatoris aures deuenisset, iussu illius comprehensus, cum in Christi confessione immobilis permaneret, capitis obtruncatione martyr occubuit 5. Idus Augusti. Cuius corpus à Iustino Presbytero in crypta agri Verani sepultum est, haud longè ab eo loco, in quo S. Laurentij basilica ædificata est. *Ex Gestis S. Laurentij.*

Romanus à B. Laurentio baptizatur.

AN-

ANNOTATIO.

Huius martyris memoria aliquot in locis ecclesijs ei ædificatis colitur. Corpus Lucæ requiescit. Licet Pet. Galesin. in suo Mart. Romanum, cuius corpus Lucæ habetur ab hoc diuersum esse velit: quod ille sub Iuliano Apostata pro Christo martyrium subierit.

DE SS. MARTYRIBVS SECVNDIANO, MARCELLIANO, & Veriano apud Tuscanam.

Secundianus togatus, Verianus pictor, & Marcellianus orator Romæ alieni à christiana religione Decio Imp. dum quadam die ea Virgilij verba, *Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo, iam redit & virgo, redeunt Saturnia regna, Et noua progenies cœlo demittitur*, perpenderent, inter seque conferrent, ac ijs, quæ de Christo dicebantur, valdè congruere cernerent maximè verò mirã tot martyrum constantiam admirantes intrinsecus tacti, ad Christum conuersi à Timotheo Presbytero baptizantur, & à Sixto Papa confirmantur. Quod vbi Decius à Valeriano Præfecto vrbis certior factus resciuisset, eos comprehendi, Centumcellasque ductos Promoto consulari puniendos tradi præcepit. Promotus itaque primum illos fustibus cædi, deinde cum Saturni Idolum iussi venerari, in illud expuentes, ipsum comminuissent, in equuleo suspendi, & vnguibus abrasos flammis ad latera admotis exuri iussit. Quod dum immaniter exequerentur tortores, vnus ex ijs continuò expirauit, cæteri verò à Dæmonibus obsessi, exagitati sunt. Quare Promotus ira exardens eos mox decollari, corporaque in altum mare proijci mandat: quæ ad littus diuinitus delata à Deodato viro pio in loco martyrij condita sunt: postea, verò in Tuscanensem ciuitatem translata. *Ex pass. eorum apud Sur. tom.4 & Mombrit. tom.2. Agit de eisd. Pet. in Cat. lib.7. c.41.*

Virg Egl. 4.

Ex tortorib. alter expirat: alij à Dæmonibus exagitantur.

ANNOTATIO.

Non modò hi martyres in Tuscanensi vrbe celebres habentur, sed & in Cornuetana: quæ eos vt suos patronos colit hac die quemadmodum, & Centumcellensis. Acta horum mart. corrigenda videntur, vbi a S. Sixto Papa eos confirmatos dicitur. Nam sub Decio Imp. non Sixtus, sed Cornelius Ecclesiam regebat ex Fastis Panuin. & Baron. in Annal.

DE SS. FIRMO, ET RVSTICO MARTYRIB. VERONÆ.

Firmus, & Rusticus ciues Bergomates, eiusdem familiæ haud obscuro loco nati, Veronæ sub Maximino Imp. passi sunt. Cum enim Firmus, qui Imperatori satis notus erat, largas pauperibus eleemosynas erogaret. & ob fidem christianam vexatos domi exciperet, accusatus apud Imp. ab eius satellitibus in proprio horto, in quo Christi Euãgelium legebat, captus est. mox que & Rusticus haud longè distans, & clamans se quoque christianũ esse, colligatus. vterq; Mediolanum perducitur. Vbi cum oblata dona despicientes Deos venerari recusarent. Imperator eos primum fustibus cædi, deinde in carcerem vinctos, compeditosque detrudi, & Anolino Præfecto excruciandos tradi iussit. Anolinus illos Veronam præmissos Cancario vrbis Vicario mandat, vt media in carcere maceraret, qui cum SS. martyres iam triduo inedia in itinere afflictos media nocte canentes audisset, ac luce cœlesti perfusos, ciboque refectos vidisset, chri-

Cancari. Veronæ Vicari. ad I. C. fidẽ cum tota familia conuertitur.

christianam religionem eo miraculo cum tota familia suscepit. Post sex dies Anolinus Veronam aduentans, sibi sisti iubet Firmum, & Rusticum cum Proculo Episcopo, qui & ipse vinctus erat: ac Episcopum velut præ senio delirantem colaphis cæsum dimisit: Firmum vero & Rusticum super testas diu volutari, & nihil inde læsos in ignem iniici imperat. At flamma in quatuor diuisa in ministros, qui ignem accenderant, combussit. Quod miraculum Anolinus magiæ tribuens, eos extra vrbem ductos fustibus iterum cæsos ad Athesis ripam decollari præcepit 5. Idus Augusti, cum autem Cancarius cum duobus martyrum cognatis corpora collegisset, & naui imposuisset, illa à 7. viris, qui se mercatores asserebant, illo [illegible] Cancarij, & sociorum subducta in portum Carthaginensem, vbi condita sunt, appulsa est. Donec à Terentio quodam, cuius filius Gaudentius ab immundo spiritu martyrum intercessione liberatus fuerat, Iustinopolim Histriæ vrbem delata, & postremo Veronam à S. Maria Consolatrice relata 11. Kal. Iunij honorificè recondita fuere. *Ex Mombrit. tom. 2. & lib. de SS. Eccl. Veronen. ac Pet. in Cat. lib. 7. c. 42.*

Flamma SS. non attingit, ministros verò combussit.

ANNOTATIO.

HOs Pet. in Cat. loco cit. & alij sub Maximiano Imp. passos scribunt: sed cum S. Proculus, eo tempore Veronen. Eccles. regeret, qui S. Zenonem passum sub Galieno longè praecessit non sub Maximiano, & Dioclet. sed sub Maximino, qui inter Alex. & Gordianum tenuit Imperium, sextamque mouit persecut. passos fuisse oportet.

Horum corpora S. Carolus Borrhomaus Archiep. Mediolanen. dum diœcesim Bergomensem visitaret, ex ecclesia Monialium in suburbijs in ecclesiam Cathedralem transtulit An. D. 1575. teste Io. Pet. Glussano patricio Mediolanen. in vita S. Caroli. Non igitur illa Verona nisi fortè secundum partem habentur.

DE S. FALCO EREMITA IN APRVTIO.

FAlcus eremita natione Calaber sub Hilarionis eremitæ disciplina vnà cum Nicolao condiscipulo, & alijs quinque vitam egit in Aprutio asperam. Is post magistri sui obitum in Aueniini fluuij vallem apud Casulũ, & Lamam oppidula Pelignorum se recepit, ibique post Nicolai excessum, & ipse ad superos euolauit 5. Idus Augusti. Eugenio IV. Pont. Max. in templo Palenensi sepultus. *Ex Cron. Calabr. alias memor.*

ANNOTATIO.

HVius B. viri meminere Paul. Reg. & Dauid Rhom. in Cat. SS. Regni Neapolitani.

DE S. NICOLAO EREMITA IN APRVTIO.

NIcolaus B. Falci condiscipulus, & ipse ex Calabria vnà cum Hilatione eremita in Pelignos veniens sub illius disciplina arctam vitam duxit. Cum verò Hilarion carnis debitum soluisset, Nicolaus cum Falco aliquandiu in valle Auentini amnis apud Lamam Furcam. & Vandagrelam vixit, ac post se Falco relicto vitæ eremiticæ meritis cumulatus migrauit è vita in templo Vandagrelæ sepultus. In cuius, & sociorum laudem hæc ibi canitur Antiphona. O PROLES CALABRIÆ, SPLENDOR SEPTEM SYDERVM NOVVM VANDAGRELÆ DECVS, NOBILE DEPOSITVM, PER O IVBAR GRATIÆ CHRISTI BENEFICIVM, VT BREVE VENIÆ CORPVS NON INANE DEFLVAT. *Ex supra memoratis Calabria Cron.*

ANNOTATIO.

Meminit B. Nicolai Leander in sua Italia descript. inquiens illum Furcensi op. Nicolaum eremitam ante annos 150. famam consulisse, multaque à Deo ei populo huius intercessione beneficia præstita fuisse.

Augusti die 10.

DE S. LAVRENTIO LEVITA MARTYRE ROMÆ.

Laurentius Oschæ in Hispania Orentio patre, Patientia matre (qui Oschæ venerationem habent) natus Romam vbi enutritus est venit, & à S. Sixto Papa Diaconus creatus in Valeriani Imp. persecutione post Sixti passioné, cum Thesauros Ecclesiæ pauperibus, prout Sixtus ad supplicium ductus iusserat, distribuisset, & ipse Valeriani iussu comprehensus Hippolyto Vicario traditur in custodiam, vbi Lucillum, qui ex lacrymarũ assiduitate visum amiserat, cum ad Christum conuertisset lumine oculorum donauit. Quo miraculo & ipse Hippolytus in Christum credidit, cum ei de Thesauris ecclesiæ percunctanti dixisset: *O Hippolyti si credideris in D. I. C. & Thesauros tibi ostendo, & vitam æternam promitto.* Adductus ad Valerianum, Thesaurosque prodere iussus, tridui inducias petijt, quo transacto, magnam pauperum turbam à se collectam, cui pecunias distribuerat, ad Imp. duxit, inquiens, *En Thesauros, quos requiris, in cælestes Thesauros manus horum pauperum deportauerunt.* Quibus verbis Imp. incensus Laurentium nudatum scorpionibus cædi, afferrique laminas, & lectũ ferreum, plumbatas, carduos, & alia tormentorũ genera expediri iubet, nisi statim Dijs immolet, & Thesauros prodat; Cumque Laurentius minas Tyranni derideret, scorpionibus rursus immanissimè cædi, donec lacerato corpore sanguis vndique proflueret, deinde virgis, tum plumbatis vsque ad ossium confractionem iubetur, vt iam nullus esset in eo sine vulnere locus: quo tempore de cœlo vox audita est, alia Laurentio deesse certamina. Tyrannus itaque Laurẽtium ad Deorum sacrificium vrgens, illum in craticula extensum igne subiecto exuri iubet, dicentem: *Assatum est, iam versa, & manduca.* Quo in supplicio lento, acutissimo, & diuturno Santissimus Leuita Leuitici animi constantia omnes longè superans de Tyranno triumphans spiritum inuictum Deo reddidit. 3. Id. Augusti, via Tiburtina in crypta in agro Verano à Iustino Presbytero cum multa Christianorum frequentia sepultus. *Ex pass. eiusdem à Sur. tom. 4. & alijs rel.*

S. Laurẽtius Lucillum lumine oculorum donat. Hippolytus Vicarius fidé suscipit.

S. Laurentius varijs immanissimisque afficitur supplicijs.

Nullus in Laurẽtij corpore sine vulnere locus vox de cælo auditur.

Constantia Laurentij præclarissima.

ANNOTATIO.

Mirandum sanè, quod plerique S. Laurentium sub Decio martyrio affectum scribunt. Cum S. Sixtus Papa, quem Laurentius in pass. sequutus est, non sub Decio, sed sub Valeriano passus sit, vt ex Hist. Eccles. apud Euseb. lib. 7. c. 17. Onuph. Pannin. in Fast. Baron. in Annal. constat. Præcessit autem Decius Valerianum in Imp. annos circiter 6. causa erroris videtur, quod Decius Iudex pro Imp. accipitur.

Egregiè describit Prud. in Peristeph. S. Laurentij certamen, vbi inter cætera illum morte sua idolorum cultum extinxisse ait.

Sic dimicans Laurentius	*Dum Dæmon inuictum Dei*
Non ense præcinxit latus,	*Testem lacessit, prælio*
Hostile, sed ferrum retro	*Perfossus ipse concidit*
Torquens in auctorem tulit.	*Et stratus æternum iacet.*

Mors

Mors illa sancti martyris
Mors vera templorum fuit;
Tunc Vesta Palladios lares
Impune sensit deseri.

DE SS. MARTYRIBVS CENTVM SEXAGINTA quinque Romæ.

CEntum sexaginta quinque milites, ex quorũ numero fuere Claudius, Seuetus, & Romanus, in persecutione Aureliani Imp. cum christiani deprehẽsi fuissent, nec ad inanium Deorum cultum redire vellent, iussu Imp. extra vrbẽ ducti via Salaria omnes pro Christi fide capitis abscissione constanter martyrium subierunt 4. Idus Augusti. Quorum corpora ibidem à christianis sepulta sunt. *Ex Adone, Pet. in Cat. lib. 7. c. 44. & alijs.*

ANNOTATIO.

LIcet in Martyrol. Bed. & Adonis nulla ex 165. martyrib. nominentur: in Ms. S. tamen teste Baron. in Annotat. tres memorati nominati leguntur.

DE S. HESTERIA VIRGINE, ET MART. BERGOMENSI.

HEsteria virgo nobilis Bergomensis S. Gratæ socia, apud Bergomates ob morum præstantiam, & in fide christiana pietatem habebatur in honore, illique post Gratę decessum plurimum in vrbis regimine à ciuibus deferebatur. Quapropter apud Principes delata: quòd eius causa Bergomates plurimi Christo nomina dedissent, ab Ario & Iuliano, eò ab Imp. missis comprehensa promissis, & minis tentatur, vt Christo renuncians Dijs immolet: sed cum à sancto proposito dimoueri nõ posset, ad Iouis simulachrum perducta, vt vel illi sacrificaret, vel caput ei amputaretur. *En, inquit, ceruix mea præsto est: in hanc sæuite: hanc pro Christi Domini mei fide libenti animo trado.* Nec mora, caput illi abscinditur: sicque ad duplex virginitatis, & martyrij præmium euolauit 4. Idus Augusti. Corpus eius diu sub ara S. Alexandri martyris mansit, donec à Roberto Bongo Episcopo in SS. Proiectitij, Ioannis, & Iacobi sepulchrũ translatum est. *Ex off. Eccles. Bergomen.*

Infracti animi virginis constantia.

ANNOTATIO.

ASteria in Martyrol. Rom. nominatur: cuius dies festus Bergomi semper seq. die ob S. Laurentij Festum solemn. celebratur.

DE S. DEVSDEDIT CONFESSORE ROMÆ.

DEusdedit Calceolarius vir religiosus Romæ artem suam exercens, quicquid per hebdomadam lucrabatur, sabbato, vt scribit S. Gregorius, apud S. Petrum pauperibus erogabat. Cum autem quidam per somnium domum ipsi Deusdedit ædificari vidisset, ita tamen, vt ædificatores in ea die sabbati duntaxat laborarent, cum S. viri vitam diligentius obseruasset, ac sabbato eleemosynas eum facere tantummodò cerneret, causam, cur sabbato ei domus ædificaretur, intellexit. Is ex hac vita 4. Idus Augusti ad eleemosynarum fructum percipiendum migrauit. *Ex S. Greg. Papa lib. 4. c. 36. Dial.*

Deusdedit lucrum hebdomadæ sabbatho pauperibus impertit.

ANNOTATIO.

Vixit Deusdedit tempore S.Greg.Papa, vt idem loco memorato innuit. Ait enim. Hic etiam quidam iuxta nos Deusdedit nomine religiosus habitabat: qui calciamento solebat operari.

Augusti die 11.

DE S. TIBVRTIO MARTYRE ROM.

Tiburtius Chromatij vrbis Præfecti filius, eo miraculo, quod Iuuenem cœlesti lumine fulgentem à patre suo omnem ægritudinẽ solo tactu depellere vidit ad Christum conuersus ac baptizatus miraculis clarere cœpit: Nam in hominem ex alto lapsum iamque morientem incidens, cum super eum dominicam orationem recitasset, integræ illum illicò sanitati restituit, ad fidẽq; cum parentibus perduxit, alijsque miris rebus perpetratis apud Fabianum Iudicem à Torquato viro pessimo; qui à christiana religione defecerat accusatur: qui Tiburtium ad se vocatum, ac frustra admonitum, vt Deos coleret, tandẽ ita illum alloquitur: *vnum tibi è duobus elige ò Tiburti, aut thura his carbonibus in honorem Deorum impone, aut nudis pedibus super incede*. Cui Tiburtius, vt, inquit, *Christum verum Deum esse cognoscas, cui omnis creatura famulatur, ecce faciam, quod iubes*, moxque facto crucis signo illæsis plantis super eos incessit, & ad iudicem conuersus ait, *disce, ex hoc, solum esse Deum, quem christiani colunt: pruna enim hæ flores mihi videntur*: Quod cum Iudex magicis artibus tribueret, Tiburtium extra vrbem ductum via Lauicana 3. ab vrbe milliario securi percuti iussit: cuius corpus à christianis ibidem sepultum est 3. Idus Augusti Diocletiano Imp. *Ex Gest. & pass. S. Sebastiani*.

Ex alto lapsum ad mortem sanitate donat.

Tiburtius illæsus super prunas incedit.

ANNOTATIO.

Corpus S.Tiburtij Parmæ in propria ecclesia asseruatur, prout ex Tab.Eccl.Parmen. & sanctuario eiusd. eccl. apparet.

DE S. SVSANNA VIRGINE, ET MART. ROMANA.

Susanna virgo Romana nobilissima S.Gabinij Presbyteri filia, & S.Caij Papæ neptis ex Diocletiani Imp. genere, ab eodem Diocletiano ob egregiam virginis formam, & morum candorem in coniugem Maximiani eius filij postulatur. Sed illa cum Christo virginitatem vouisset, liberè connubium recusat: ac Maximum, & Claudium viros præclaros, ad eam persuadendam missos ad Christum conuertit. Cum autem Maximianus virgini vim illaturus domũ ingressus esset circum illam lucem ingentem vidit, ac perterritus aufugit. Quod cum magicæ leuitati Diocletianus assignaret, Macedonium mittit, qui illam in propria domo ad sacra Dijs facienda compelleret. Macedonius itaque tripodem afferri, & virginem Iouis simulachro thus adhibere iussit. At illa facinus hoc detestata, Idolum ab oculis omnium sublatum in plateam ante Sallustij palatium prostrauit. Quod cum Diocletiano renunciatum fuisset, ille Susannæ proposito multis tormentorum generibus frustra tentato, denique ipsam intra domesticos parietes gladio percuti iubet. Cuius corpus Serena Augusta Diocletiani vxor, quæ clam Christum colebat, noctu linteo inuolutum, & proprijs manibus aromatibus conditum in Arenario in crypta apud S.Alexandrum sepeliendum curauit 3. Idus Augusti. An.sal.225 *Ex eius pass. quæ à Sur. tom. 4 recitatur: licet pro Maximiano Maximinum habent*.

Lux ingens Maximianũ Dioclet. filiũ Susannã violaturum perterrefacit.

Augusta Diocletiani vxor clã Christi fidẽ colebat.

AN-

ANNOTATIO.

Corpus ipsius cum corpore S. Tiburtij in propria ecclesia Parmæ quiescere Tab. Eccl. Parmen. habent, cum tamen Romæ in ecclesia sibi dicata cum corpore S. Gabinij eius patris seruari ex eius vita constet, vt apud Ant. Gallon. videre est, & in lib. de Roma ecclesijs.

DE S. RVFINO EPISCOPO MARSORVM, ET SOCIIS martyribus.

Rvfinus Episcopus Marsorum cum Maximino Imp. cum fidem Domini N. I. C. Gentilibus in Marsicana ciuitate prædicaret, à Luciano quodã Imp. ministro, qui ex Piceno Romam per Valeriam transibat, cum apud Arcum Augusti ab vrbe Roma ad 75. M.P. distantem magnam populi multitudinem ad Rufini prædicationem conuersam vidisset, apud Imp. delatus est, vnà cum Cæsidio Presbytero, qui Transaquis prædicabat. Is Ascanium Cornicularium eò misit: qui Rufinum vinctum Romam perductum carcere inclusit. Cæsidius verò cum Rufinum captum, & Romę in custodia detineri accepisset, ad vrbem veniens Rufinum nocte allocutus ad eum per fenestram ingressus est. Post aliquot dies è carcere cum alijs christianis emissi, Rufinus ad propriam ecclesiam reuersus est. Cumque prædicatione, & signis multos ex Gentilibus in dies cõuerteret, iterum ab Idolorum cultoribus captus vnà cum Alexãdro, & Silone, variè excigitatus, tandem apud Reate capite truncatus martyrium consumauit 3. Idus Augusti. *Ex monumentis propria Eccles. & monum. Eccl. Pistorien. licet imperf.*

ANNOTATIO.

Extant acta S. Rufini, impressa, quæ in officio illius recitari solebant: in quibus multa emendanda occurrunt. Acta vero apud Eccles. Pistorien. (vbi memoria eius celebratur) quid Rufino, & Cæsidio post carcerem Romæ passum euenerit, haud continent.

Hymnus in S. Rufini passionem, ex Pet. Ostien.

Magnum Rufini meritum
Turba canat fidelium,
Qui mundi victor extitit,
Et liber Astra petijt.
Bellator inuictissimus
Præbet ora lapidibus
Sed verbis grando verberum
Non indidit silentium.
Plumbatis inde cæditur
Iam iam obijsse creditur,
Sed qui putatur mortuus,
Surgit ad arma promptius.
Detruditur in clibanum
Furentem flammis ignium,
Caminus sed incendij
Fit nemus refrigerij.
Nam flammis crepitantibus
Clarus immersit Angelus,
Ad cuius mox imperium
Perdit vires incendium.
Certat martyr egregius
Vt Leo vinci nescius
Cuncta pœnarum genera
Mente calcat intrepida.
Saxum collo suspenditur,
Sic fluctibus immergitur,
Quem aqua Christo genuit
Per hanc ad ipsum peruenit.

DE S. CHROMATIO, ET SOCIIS MARTYRIBVS in Campania.

CHromatius vrbis Præfectus S. Tiburtij pater Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus cum Marcum, & Marcellianum fratres ob christianam fidem comprehensos in carceribus detineri iussisset, accersitumque Tranquillinũ patrem, vt filios ab ea mente deduceret, monuisset: post aliquot dies cursus Tranquillinum ad se vocat, vt quid cum filijs egisset, intelligeret. Qui cum illos in fide Christi constantissimos esse retulisset, se quoque Christo, cuius beneficio à chiragra, & podagra (quibus diu omni membrorum officio ita destitutus fuerat, vt neque manum ori posset admouere) liberatus est, nomen dedisse confessus est. Quod cum Chromatius, qui & ipse eo morbo laborabat, audisset, statim recuperandæ sanitatis desiderio incensus, Polycarpum Presbyterum aduocari iussit, à quo in fide instructus, confractis Idolis & aquis salutaribus regeneratus vnà cum filio, & familia, in qua ex vtroque sexu sex millia seruorũ erãt supra quadraginta, statim integram omnium membrorum sanitatem consecutus est. Cum ob persecutionis acerbitatem diu latere non posset, nec domus sua tantam nouorum christianorum, qui in dies conuertebantur multitudinem iam capere posset, inde in Campaniam cum ijs, qui se sequi vellent, Caio Pont. assentiente, secedere decreuit. Itaque in Campaniam cum suis profectus, exilioque ab Imperatore damnatus, in pijs operibus vitã ducens sancto fine quieuit. *Ex Gest. & pass. S. Sebastiani, & Pet. in Cat. lib. 7. c. 47.*

Chromatius vrbis Præfectus cum sex millia super quadraginta baptizatus perfectam sanitatem adipiscitur.

ANNOTATIO.

MArtyr cum socijs appellatur, quòd in exilio propter Christum obierit. Cuius dies obitus cum ignoretur: eadem die qua filij obitus, adnotatus est, vt apud Pet. loco citato, & Dauid Rhom. in Cat. SS. Regni Neapolit.

DE S. EQVITIO AB. IN PROVINCIA VALERIÆ.

Vide die 7. Martij.

DE S. DIGNA VIRGINE TVDERTINA.

DIgna virgo Tudertina Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus admirãda pietate christianam religionem colens, virginitatem Christo dicatam integram etiam mente conseruare studebat. Ea humilis erat, in oratione frequens. Cum verò persecutio in christianos inualesceret, eius declinandæ causa, cum diutius eam ferre non posset, sæpius Deum precata, vt se a tantis malis eriperet, huc illuc latitando in solitudinem se recepit: vbi vitam in orationibus, vigilijs, ieiunijs, cœlestique conuersatione traducens, miraculis, quibus sanctitas illius comprobata est, plurimis claruit. Denique in morbum incidens, breui ad sponsum 3. Idus Augusti euolauit. Cuius corpus Tuderti in basilica S. Fortunati condigno honore requiescit. *Ex offic. Eccl. Tudertinæ nuper an. 1606. Romæ approb.*

ANNOTATIO.

Fuit, & Digna virg. & mart. Rom. S. Emeritæ soror, cuius natalis die 22. Sept. vt in Martyrol. Rom. recolitur.

De

De S. Digna Virg. Hexastichon.

„ *Quæ coma digna fuit tantis ornarier astris?*
„ *Digna virgo tuus virginitatis honor.*
„ *Sit tibi magnus honos dignæ, castoque puellæ*
„ *Esse habitam dignam lumine in axe fuit.*
„ *Digna innumeris, decorata insignibus; ecce*
„ *Præmia, quæ à digna virginitate refers.*

Augusti die 12.

DE S. CLARA VIRGINE ASSISINATE ORD. MINORVM.

CLara virgo nobilis Assisij in Vmbria nata, S. Frãciscum ciuem suum imitata facultatibus suis in pauperes erogatis: vt ille Fratrum, sic ipsa sororum collegium instituit: cum quibus in ecclesia S. Damiani admirabili vixit sanctitate. Quæ Saracenis Assisium obsidentibus, & monasterium, cui illa præerat, inuadere conantibus, ægra se ad portam monasterij afferri iussit, vnàque vas, in quo Sanctissimum Eucharistiç Sacramentum inclusum erat, ibique in hunc modum orauit: *Ne tradas domine bestijs animas confitentes tibi, & custodi famulas tuas, quas pretioso sanguine redemisti*. In cuius oratione ea vox audita est: *Ego vos semper custodiam*. Saraceni statim se fugæ partim mandarunt: partim qui murum ascenderant capti oculis præcipites ceciderunt. Multa edidit miracula: in ijs, cum panis vnus tantum esset in monasterio, dimidium tamẽ Fratribus mitti mandauit; alteram verò medietatem sororibus, quæ quinquaginta erant, apponi, in totidem particulas diuisam. Mirare sprorsus, quod modicum panis tot sectiones reciperet, illæque diuinitus auctæ copiosè singulis sufficerent. Quod etiam alio die in olio contigit, vasculo, cum vacuum pene esset, pleno reperto. Cum ad illam Innocentius IV. Pont. Max. fama sanctitatis tractus visitandam venisset, illique generalissimam peccatorum absolutionem cum benedictione impertisset, Ferunt eam 17. dies integros absque vllo corporeo cibo pertransisse. Denique cum duos, & quadraginta annos summa cum laude monasterium gubernasse, multaque alia edidisset miracula, extructis iam multis in locis suæ familiæ cœnobijs Prid. Id. Augusti migrauit è vita An. Sal. 1253. Quam Alex. IV. solemni ritu SS. numero adscripsit. *Ex Breu. Rom. & eius vita a Sur. tom 4. rel.*

Clara Eucharistiæ Sacramento Saracenos mirabiliter fugat.

Medietas panis L. sororibus copiosè sufficit

Clara 17. dies absque cibo corporeo transigit.

ANNOTATIO.

ALex. IV. Pont. Max. Anagniæ virginem hanc plurimis miraculis claram in SS. Virgg. numerum retulit biennio post illius obitum anno 2. Pontif. quo tempore ordinem Eremit. S. August. confirmauit.

Hymnus S. Claræ ex eius officio.

O Clara luce clarior,
Lucis æternæ filia:
Dies ista solemnior
Tua colit sollemnia.

Vitæ labentis gaudia
Spernendo Christum sequeris
Pascentem inter Lilia;
Tuque cum Christo pasceris.

Custos sacrarum virginum,
Omni virtute praeuia,
Ducis ad sponsum Dominum
Puellarum collegia.
Francisco duce militans
Euincis trina prælia,
Carnem nanque suppeditans,
Mundum, atque Dæmonia.
Iam iam in regno luminum
Patri corregnas filia;
Da te sequentum agminum
Recta fore vestigia.

DE S. EVPLIO DIACONO CATANENSI, ET MART.

Pulcherrimũ S. Euplij cum Caluisiano consulari certamen.

EVplius siue Euplus Diaconus Catanẽsis cum Diocletianus, & Maximianus Imperatores edicto sacros codices tradi præcepissent, ipse verò Euangelia legere & christianos docere ab exploratoribus deprehensus esset, ad Caluisianum Consularem adducitur à quo iussus legere, aperto codice ea verba prima occurrunt; *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam; quoniam ipsorum est Regnum Cælorum.* deinde illa: *Qui vult venire post me abneget semetipsum et tollat crucem suam, & sequatur me.* Dicenti autem Caluisiano. *Quid hæc sibi volunt?* respondit: *lex est D. mei I. C.* Cum tormentis subiectus, vt Christo renunciANS Deos coleret, vrgeretur. Respondit intrepidè. *Quod semel confessus sum, rursus confiteor, christianum me esse. & sacras scripturas edoctum alijs legisse.* Cum id esse contra Imperatorum edicta diceret Caluisianus, Respondit Euplius fas esse christianis tradere ea, in quibus vita æterna cõsistit: *pro qua libenter*, inquit, *me vestris cruciatibus subdo.* Cumque torqueretur, gratias Christo agebat. Dicenti autem Caluisiano, *Deos adora, & liberaberis.* *Adoro Christum*, inquit, Euplius. *Dæmonia verò detestor. Christianus sum, fac quod vis; hoc enim diu optaui.* Rursus dicente Caluisiano, *Adora miser Martem, Apollinem, & Æsculapiũ.* *Adoro*, respondit, *Patrem, & filium, & spiritum sanctum sanctam & indiuiduam Trinitatem: præterquam non est Deus.* Tunc Caluisianus in rabiem conuersus acrius Euplium torqueri imperat. gratias Deo agentem, quòd hæc pro Christo pateretur. Cumque iam vires deficerent, appenso ad collum Euangelio ad supplicia ductus capite plectitur Prid. Idus Augusti An. sal. 303. Corpusque cum honore à christianis sepultum est. *Ex eius pass. à Lipom. tom. 7. & Sur. to. 4. rel.*

ANNOTATIO.

C*Orpus siue reliquiæ S. Euplij Triuici in Irpinis asseruari feruntur, cuius vrbis est tutelaris.*

DE SS. GRATILIANO, ET FELICISSIMA VIRGINE martyribus Faleriæ.

Gracilianus cæcis visum, paralyticis, & alijs ægrotis sanitatem restituit.

Mortuos ad vitã reuocat.

Felicissimæ lumen oculorũ impetrat.

GRatilianus, siue Gracilianus nobilis adolescens Faleriensis, cum Euangeliorum librum legisset, desiderio christianæ religionis incensus, ad B. Eutitium Presbyterum veniens ab eo baptizatur. Quod cũ parentes resciuissent, illum ab eo proposito auertere conabantur propter seuera Claudij Imp. in christianos edicta. Comprehensus autem iussu Trasonis Comitis Faleriensis, in carcerem truditur; donec Imperator factus certior, rescripsit, illum ad venerandum Deos supplicijs cogi debere, sin minus occidendum esse. Cum itaque alapis cæsus & diu carcere maceratus, (in quo cæcis visum, paralyticis, & alijs infirmis sanitatem restituit, mortuos etiam ad vitam reuocauit) Felicissimam virginem, quæ oculis capta Gratiliani oratione visum receperat, ad Christum cum matre illius vidua conuertisset; vtraque ab Eutitio Presbytero baptizata,

Co-

Comes Eutitio fuga elapso. Felicissimam egregia forma virginem comprehēdi, & in custodiam tradi iubet. Cum autem tam Felicissima, quam Gratilianus fortes in fidei confessione perseuerarent, educti è carcere primum lapidibus ora contusi sunt; deinde extra portam ciuitatis decollati Prid. Idus Augusti. Cum autem parentes vnici filij mortem lugerent, Gratilianus illis cum Felicissima, & duobus Iuuenibus albis vestibus indutis comitatus apparens, eos blandè solatus ad fidem christianam suscipiendam hortatus est, fore prædicens, vt Traso post triduum vita excederet: quo facto, illi ad Christum conuersi, vitam in pijs operibus consumarunt. *Ex monum. Eccl. Castellana, & Sorianen. in quibus martyres coluntur.*

Lugentes parentes Gratilianus cęlesti apparitione solatur.

ANNOTATIO.

C*Orpora SS. Gratiliani, & Felicissima in ciuitate Castellana Faleria proxima asseruantur, & magno in honore habentur. Vbi hac oratio in eccl. recitatur.* Sanctorum Gratiliani, & Felicissimæ, Eupli, & Leuci Domine Natalitia nobis votiua resplendeant; vt quod illis contulit gloriam sempiternam fructu nobis deuotionis accrescat. Per D. N. I. C.

DE S. EVSEBIO EPISCOPO MEDIOLANENSI.

EVsebius Mediolanensis ex Pagani à familia à prima ætate litteris, & officijs pietatis operam dedit. Cum Diaconus ad altare solemni die ministraret, calix ex christallo miro opere confectus e manibus ipsius elapsus comminutus est: quem collectis fragmentis, & in altari repositis, cum Deo preces obtulisset ex corde, opemque à S. Laurentio lacrymis implorasset, integrum repente recipere meruit. Factus autem post S. Lazarum Archiepiscopus, ecclesias à Gothis vastatas, & pollutas restaurauit, & rursus consecrauit: librosque diuinorum officiorum ab eisdem barbaris concrematos restituit. Consecrationis maioris templi diem tertia Octobris Dominica celebrari constituit. Clerum ad mores religiosiores reuocauit. Synodum habuit Prouincialium Episcoporum: quibus SS. Maximus Taurinensis Abundius Comēsis, & Crispinus Papiēsis interfuere. Epistolam Synodalem, & Encyclicam ad S. Leonem I. Papam misit. His & alijs præclarè gestis migrauit ad Christum Prid. Idus Augusti, cum ann. 17. in Episcopatu vixisset Leone I. Hilario, & Simplicio summis Pontificibus. Corpus in basilica S. Laurentij conditum est. *Ex Breu. & monum. Eccl. Mediolanen.*

Calix ex christallo comminutus Eusebij oratione integer redditur.

Præclara Eusebius opera tur.

ANNOTATIO.

S*Anctus Eusebius ad Episcopatum sub Sixto III. Pont. Max. an. D. 437. Promotus, si annis 17. præfuit, an. 454. circiter obijt hoc est biennio integro post concilium ab eo celebratum an. 451. vt apud Baron. in Annal. ad dictum an. quod si an. 453. exacto obijt, Leonis vero 15. a Sixto III. Pont. Max. Episcopus creatus est.*

Eusebium Ennodius versibus his celebrat.

,, *Eusebius Ligurum successit finibus hospes,*
, *Ignota tractus plebis amicitia.*
,, *Gratus erat focijs Titan quos respicit ortu,*
, *Flammigero lymphas vertice decutiens.*
,, *Mitis, compositus, Largus, Pius, Integer, Audax,*
, *Crederet vt damnum non dari perpetuum.*
,, *Fleuit pauperiem miseram, arrisit habenti,*
, *Gaudia cum cunctis, tristitiamque gerens.*

DE

DE S. HERCVLANO EPISCOPO BRIXIENSI.

Panes in gremio Herculani lapides ante oculos Patris euadunt.

Herculanus mortuum ad vitam reuocat.

Geminos defunctos excitat.

Animalia Herculano obediunt.

HErculanus natione Teutonicus iam ab ineunte ætate sanctitatis specimen dedit. Cum enim panem in gremio pauperibus deferret patri sciscitanti quid illud esset, quod in gremio gestaret, veritus patris iram lapides esse respondit ac iussus gremium explicare, pater panis frusta in lapillos conuersa admirans filio benedixit. Qui postea patria discedens apud Tridentum iuuenem in via mortuum suscitasse fertur. Inde Lenum agri Brixiensis oppidulum veniens vitam monasticam egit, breuique in demortui Abbatis locum subrogatur, cumque fama sanctitatis celebris esset, Brixiensis Episcopus post S. Cyprianum renunciatus: licet inuitus onus susceperit; ea religione, & sanctitate fulsit, vt duos mortuos ad vitam reuocare meruerit. Cum verò solitudinis desiderio teneretur, Campionum insulam Benaci se recepit; vbi adeò innocentem, & Deo gratam vitam duxit, vt non modò terrestria animantia, sed & aues, & pisces ad vocem eius accurrentes illi optemperarent. Denique cum diem obijsset Pridie Idus Augusti corpus eius Materni apud eũdem lacum in marmoreo sepulchro conditum pluribus miraculis claruit. *Ex monum. Eccl. Brixien.*

A N N O T A T I O.

Nonnulla emendatione digna.

CEnsura dubio procul egent circa tempus monumenta M.S. & Helias Capreol. libro 3. vbi Herculanum circa Iuliani Apostatæ tempora vixisse anno D. scilicet 363. scribit. Nam illis temporibus Philastrius (inter quem, & Herculanum Episcopi X. numerantur) floruisse traditur. Quod etiam Leni vitam monasticam egisse legitur haud veritatis consonum videtur, cum illud cœnobium a Desiderio postremo Longobard. Rege ædificatum esse ex Annalib. vrbis constet: nisi quis dicat, olim monasterium extitisse, eo loci, quo à Desiderio rursus excitatum fuit.

1 Corpus illius ex Materno pago in ora Benaci Lacus Brixiam a S. Carolo Archiepiscopo Mediolanen. & Presbytero Card. tit. S. Praxedis, dum eam diœcesim vti Apostolicus delegatus visitaret, translatum fuit an. D. 1579. vti in eiusdem S. Caroli vita per Io. Pet. Glussianum scripta legitur.

DE S. CASSIANO EPISCOPO BENEVENTANO.

Ad tumulum Cassiani quilibet infirmus sanatur.

Summa corporis Cassiani innuitur veneratio.

CAssianus Episcopus Beneuentanus, quartus à S. Ianuario eam Ecclesiam ad multos annos administrauit. Multa passus incommoda, & aduersa, atq; persecutiones, omnia vicit patientia, orationibus, deditus, curam pauperum agens, ac sibi commissum gregem verbo, & exemplo pascens, tandem ad præmiũ euocatus Pridie Idus Augusti migrauit è vita: multisque post mortem miraculis coruscauit. Quicunque enim ad eius tumulum infirmus accederet, à quouis morbo sanabatur. Illud planè mirandum litteris consignatum legitur; quòd nemo equitando propè ecclesiam: in qua sacrum Cassiani corpus asseruabatur, transire poterat; nisi prius equo descendisset; idque euenisse quoad inde in ecclesiam S. Dei genitricis vnà cum plurium SS. reliquijs trãslatum fuit. *Ex antiquo Breu. Eccl. Benev. & Cod. eiusd. eccl. peruetusto.*

A N N O T A T I O.

NOnnullis hunc eundem Cassianum, qui Forocornelij colitur, esse visum fuit; sed id antiquæ Eccles. Beneuent. traditioni repugnat: quæ ipsum vts suum Episcopum

pum semper agnouit, & vt confessorem coluit. De quo etiam in Prouinc. Synodo fit mentio.

Augusti die 13.

DE SS. HIPPOLYTO MARTYRE ROM. ET CONCORDIA eius nutrice.

HIppolytus Vicarius cum S. Laurentium apud se iussu Valeriani Imp. in custodia detineret, eo miraculo, quòd Laurentius Lucillum lumine oculorũ orbatum diuinitus curasset, conuersus, & baptizatus, ab eodem Laurentio (quẽ martyrio affectum vnà cum Iustino Presbytero sepelijt) dum domi suæ Eucharistiam sumeret, comprehenditur, & ad Valerianum adductus, cum se christianum liberè professus esset, fustibus cæditur; cumque in verberibus constantior appareret, promissis honorum, & muneribus tentatur, sed frustrà. Quare vrbis Præfecto occidendus traditur. Qui domum Hippolyti veniens, vt bona illius publicaret totam familiam christianam esse comperit: quibus frustrà deterritis, Cõcordia nutrice, quæ cæteros confirmabat, plũbatis ad necem cæsa, reliquos 19. extra portam Tyburtinam ductos iubet occidi. Hippolytus verò equis indomitis raptatus per loca tribulis, & carduis consita, lacerato corpore spiritum Deo reddidit, ac vnà cum alijs in agro Verano à Iustino Presbytero sepultus Idibus Augusti. *Ex Gest. & pass. S. Laurentij à Sur. tom. 4. & alijs rel.*

ANNOTATIO.

CApub S. Hippolyti Lucæ in eccl. cathedrali, prout in Tab. apparet asseruatur. Corpus verò Concordiæ Florentiæ in basilica S. Laurentij.

Martyrium S. Hippolyti Prud. versibus celebrat: de quo sic inter cætera.

„ *Post quam composito satis instruxere parata*
„ *Martyris ad pœnam verbera, vincla feras,*
„ *Instigant subitis clamoribus, atque flagellis,*
„ *Iliaque infestis perfodiunt stimulis.*
„ *Vltima vox audita senis venerabilis hæc est:*
„ *Hi rapiunt artus, tu rape Christe animam.*
„ *Prorumpunt alacres, cæcoq; errore feruntur,*
„ *Quà sonus, atque tremor, quà furor exagitant.*
„ *Per syluas, per saxa ruunt, non ripa retardat*
„ *Fluminis, aut torrens oppositus cohibet.*
„ *Pars summis pendet scopulis, pars sentibus hæret,*
„ *Parte rubent frondes, parte madescit humus.*

DE S. CASSIANO EPISCOPO, ET MARTYRE Corneliensi patrono.

CAssianus in diuinis litteris eruditus, sanctitaque cõspicuus Sabionam Rhetiæ vrbem veniens, eam ad Christum prædicando conuertit, ac ibi ædificata in Dei genitricis honorem ecclesia primus Episcopus à Patriarcha Aquileiensi ordinatus est. Inde à Paganis expulsus Romam contendens, cum Forũ Cornelij (quæ ciuitas, & Forum Syllæ dicta est, nunc verò Imola dicitur) peruenisset,

Cassianus à Patriarcha Aquileiensi Episcopus ordinatur.

uenisset, vt populum illum adhuc Idolorum cultui deditum, ad christianam religionem perduceret, humaniores litteras pueros docere cœpit. Occasione autem explicandi profanos autores, inanem esse Deorum religionem rationibus demonstrans, puerisque fidei christianæ capita proponens, teneram ipsorum ætatem christiana doctrina imbuebat. Quod vbi Præfectus vrbis resciuisset, illum tanquam nouæ religionis auctorem accersit, & à Christi fide eum auertere conatur. At vbi se frustrà laborare intellexit, cũ illi ob eius in docẽdo seueritatem pueros infensos esse sciret, nouum supplicij genus crudele excogitauit. Columnæ namque marmoreæ Cassianum alligatum pueris stylis ferreis configendum, & interficiendum tradidit. Illi itaque ab Idolatris impijs muniti verberumque recordatione in magistrum ira inflammati eum vndique tabellis contusum stylis aggrediuntur, carnes illius perterebratas, dilacerantes; quorum quanto infirmior vis, tanto martyris pœna productior erat. Plurimis itaque vulneribus confossus Idibus Augusti animam suam Deo tradidit. Passus est sub Iuliano Apostata. Cuius corpus in templo sibi excitato, quod cathedrale est, honorificè conditum præcipuam habet apud Forocornelienses venerationem: quorum tutelaris est. *Ex offic. Eccles. Imolen. & Breu. Rom. in martyr tantùm nominatur, pass. eius à Sur. tom. 4. Pet. in Cat. lib. 7. c. 58. & al. referunt.*

Crudele martyrij genus inauditáque puerorũ sæuitia.

ANNOTATIO.

Corrigendum est, quod à Fortunato seu Fortunatiano Patriarcha Aquileiensi S. Cassianus ordinatus dicitur: quia is, vt Baron. monet in Annot. Arianus fuit, & sub Cõstantio Aug. vixit. Quod etiam Sabionam Brixinã nunc appellari in eiusd. Cassiani lectionib. continetur, non sic intelligendum est, vt Brixina, quam Baron. Brixiam forte calchographi errore appellat, sit eadem vrbs qua Sabiona, sed vt euersa Sabiona, sedes Episcopalis Brixinam proximam vrbem translata fuerit.

Carmen ex Aur. Prud. de S. Cassiano in Peristeph.

„ *Sylla Forum statuit Cornelius, hoc Itali vrbem*
„ *Vocant ab ipso conditoris nomine.*
„ *Hic mihi cum peterem te rerum maxima Roma,*
„ *Spes est oborta prosperum Christum fore.*
„ *Stratus humi tumulo aduoluebar, quem sacer ornat*
„ *Martyr dicato Cassianus corpore.*
„ *Dum lacrymans mecum reputo mea vulnera, & omnes*
„ *Vitæ labores, ac dolorum acumina.*
„ *Erexi ad cælum faciem: stetit obuia contra*
„ *Fucis colorum picta imago martyris.*
„ *Plagas mille gerens, totos lacerata per artus*
„ *Ruptam minutis præferens cutem.*
„ *Innumeri circum pueri, miserabile visu,*
„ *Confossa paruis membra figebant stilis.*
„ *Æditus consultus ait; quod prospicis hospes.*
„ *Non est inanis, aut anilis fabula.*
„ *Suggere si quod habes iustum, vel amabile votum,*

Spes

" *Spes si qua tibi est, si quid intus aestuas.*
" *Audit, crede, preces martyr prosperrimus omnes,*
" *Ratasque reddit, quas videt probabiles.*
" *Pareo: complector tumulum, lacrymas quoque fundo*
" *Altar tepescit ore, saxum pectore.*
" *Tunc Arcana meis percenseo cuncta laboris;*
" *Tunc quod petebam, quod timebam, murmuro,*
" *Et post terga domum dubia sub sorte relictam,*
" *Et spem futuri fortè nutantem boni.*
" *Audior: vrbem adeo, dextris successibus vtor,*
" *Domum reuertor, Cassianum praedico.*

Epigramma ad S. Cassianum Ep. & mart.

" *Dum noua templa subis certat de laude Tyara*
" *Magne pater, certat gloria martyrij.*
" *Sublimesque dari sedes sibi quaeque poposcit,*
" *Palmas petit primas sed diadema negat.*
" *Stemmata, vtriusque profert decoris, diadema refulget*
" *Sceptra, crucemque gerens, palma cruore nites.*
" *Diuus amor cernens pugnam sic fatur vtrunque*
" *Cedite, iam Caelum patria vtrique fuit.*

DE S. CASSIANO EPISCOPO TVDERTINO, & martyre.

CAssianus Ablauio Hetrutiae Proconsule, & Chromatij vrbis Praefecti filia natus, studio liberalium artium, legumque peritia instructus, ingenij docilitate breui ad eam doctrinae maximè medicinae perfectionem peruenit, vt omnes ferè, quibus ipse medebatur, conualescerent. Romae etiam Causidicus egregius habitus est: vbi in immani Diocletiani, & Maximiani Imperatorum persecutione Pontianum Episcopum Tudertinũ custodiendum suscepit; à quo in Christi fide eruditus, ac sacro lauacro regeneratus, & sacris initiatus illi postea in Episcopatu Tudertino successit, proconsulari dignitate, qua pater in Hetruria fungebatur, sibi ab Imperatoribus delata liberè recusata. Quapropter Venustianus à Chromatio Praefecto Imperatorum consensu Proconsul Tudertum missus Cassianum fratrem ob fidem Christi in carcerem coniectum repe-riens, cum à fidei proposito nec precibus, nec minis absterrere posset, quin etiã cum Cassianus oblatum Iouis simulachrum in terram proiectum contriuisset, ea re valde exulceratus illum grauissimè torqueri iubet, in rogum accensum primum, tum in ingens vas olei feruentis plenum iniectum: sed vento repentè igne extincto cum inuiolatus euasisset, fune collo alligato in altum suspẽditur, ferreisque vngulis excarnificatur. Quibus supplicijs diuina virtute superatis, in teterrimũ carcerem cũ aliquot pueris, & adolescentibus eiusdẽ Cassiani discipulis, detruditur, cũq; excruciaretur, horribilis terrẽmot⁹ repẽtè exortus 38.

Cassianus medicus eximius.

Iouis simulachrum Cassianus comminuit.

Ignem illaesus euadit.

Horribilis terremotus 38. uiros absumit.

ex astantibus, qui martyri cōuiciabantur, interemit, & tortorū brachia diuinitus stupefacta sunt. Dum Cassianus in custodia detineretur, vnicum mulieris filium, qui equo deiectus perierat, oratione, & signo crucis ad vitam reuocauit. Tandem frustra iterum tentata eius constātia; demum stylis ferreis puerorum, quos erudiebat, confossus, tabellisque cōtusus, è carcere exanimis educitur: ac cum ad populum ab Idolorum errore reuocandum luce de cœlo circumfusus fuisset, non sine maximo circumstantium stupore spiritum Deo reddidit Idibus Augusti. Cuius corpus in æde S. Fortunati magno cum honore asseruatur. *Ex off. Eccles. Tudertinæ nuper Romæ approb.*

Filius ad vitā reuocatur. Atrox sanè tormentum.

ANNOTATIO.

Meritò quis suspicari possit Acta huius Cassiani, cum alterius, qui Imola colitur, ex parte confusa fuisse. Et si enim hos SS. Episcopos & mart. diuersos esse infitiari nemo potest, quorum unus sub Dioclet. alter sub Iuliano passus est; illud tamen de morte à pueris illata huic Cassiano minus verisimile videtur; qua enim causa fuit S. Cassiano Tudertino in sua sede, & ecclesia pueros grammaticam docendi?

De eo in 80. martyrib. Tuderti passis agitur; sed quam verè ibi, vbi de Seustio mart. verba fecimus, dictum est. Cum enim Cassianus discip. & succ. fuerit S. Pontiani Episcopi Tudertini sub quo illi martyres passi sunt, haud à S. Cassiano nondum christiano conuerti potuerunt.

Hymnus in laudem S. Cassiani ex eius officio.

Accepit illum Brixina
Pastorem primùm nobilem
Vita, doctrina, moribus,
Quam custos rexit optimus.
Furore donec impio
Illis expulsis sedibus
Ducente sancto spiritu
Cornely foro constitit.
Pastor, & doctor inclytus
Humanas docet litteras
Vt vera Christi dogmata
Tenellis ferat animis.

Huius passionem describit Prud. in suo Peristeph.

Augusti die 14.

DE S. EVSEBIO PRESBYTERO ROM.

Evsebius Presbyter Romanus vir doctrina, & pietate clarus, quo tempore Ariani Liberio Sum. Pont. catholicos Constantio Augusto, qui illis maximè fauebat, freti diuexabant, illis se se docendo, & prædicando opposuit, catholicorumque patrocinium suscepit, nec in ipsum Imp. vti hæreticum inuehi veritus est. Quod vbi Constantius accepisset, illum in angusto propriæ domus cubiculo, in quo ægrè volutari posset, concludi iussit, vbi cum 7. menses orationibus, & vigilijs, pijsque meditationibus vacans, ærumnis confectus 19. Kal. Septembris obdormiuit in Domino. An. sal. 347. Cuius corpus à Gregorio, & Orosio Presbyteris in crypta in cœmeterio Callisti via Appia sepultum est. Quod cum Constantio delatum fuisset Gregorium, & Orosium comprehendi, ac viuos in eadem crypta sepeliri præcepit: Sed Orosius fuga lapsus, cum post tres dies ad cryptam accessisset, viuum adhuc Gregorium reperit, quem tamen illicò mortuum ibidem reliquit. *Ex Beda Adone, & alijs Martyrol. scrpt. ac ex Pet. in Cat. lib. 7. c. 62.*

Eusebius in Imp. vti hæreticum inuehi minimè veretur.

Greg. viuus sepelitur nec per tres dies decedit.

A N-

ANNOTATIO.

EXtat Romæ ecclesia S. Eusebio dicata, vnus ex Cardinalium titulus. Acta S. Eusebij censura indigere videntur in eo, quod Liberium Papam vti hæreticum publicè vna cum Imp. obiurgaret; Nemo enim huic Pont. hanc notam inussit ex antiq. scriptorib. licet ab exilio reuocatus Arianos dissimularet.

DE S. CALLISTO EPISCOPO TVDERTINO, ET MART.

CAllistus Episcopus Tudertinus insignis pietate eo tempore Ecclesiam Tudertinam administrauit, quo Gothi Ariani Italiam occuparant. Qui cum munus Episcopale magna constantia, & religione in ea temporum calamitate gereret ecclesiam suam immunem ab ea labe Arianæ hæresis seruauit. Ecclesiã S. Ioannis Baptistæ Cathedralem prope Forum ciuitatis ædificauit. Fortunatũ Pictauensem virum sanctissimum ex Gallia Romam proficiscentem hospitio accepit: quem & redeuntem curæ Episcopalis adiutorem fecit: ac postea in Episcopatu successorem habuit. Cilicio asperrimo: quod adhuc suauissimũ mittit odorem, corpus suum macerabat. His & alijs piè gestis clarus S. Episcopus dum quorundam perditos mores increparet, familiariũ illorũ hastis gladijsq; crudelissimè confossus ad sempiternam martyrij palmam euolauit 19. Kal. Septembris An. post Christum natum 528. Cuius corpus in æde S. Fortunati honorificè requiescit. *Ex offic. Eccles. Tudertinæ.*

Cilicium S. Callisti suauissimum ad hæc vsque tẽpora emittit odorem.

ANNOTATIO.

NOn Calixtus, vt in prædicto off. Sed Callistus legendum est. Calixtus enim, Ethimologia caret, at Callistus nomen gratum est, quod optimum, pulcherrimumvè significat. Καλὸς enim, idem quod bonus, & pulcher est, κάλλιστος verò idem quod optimus, siue pulcherrimus.

De S. Callisto Episcopo, & mart. carmen.

„ *Hostili, vt posses vrbem seruare furore,*
„ *Arma tibi infestus corpori amictus erant.*
„ *His vrbem Calliste potes seruare, salutem*
„ *Cur nequeas tutam reddere ab hoste tuam?*
„ *Hoc erat optatum, vt sequerer vestigia Christi,*
„ *Vt possem in clypeo figere signa ducis.*
„ *O felix Calliste feres diademata bina,*
„ *Vitam alys seruas, negligis ipse tuam.*

DE S. GREGORIO PRESBYTERO, ET MARTYRE ROMÆ.

Vide in vita S. Eusebij Presbyteri supra hac eadem die, qua etiam die S. Orosij Presbyteri, & Confessoris prædictorum socius, & familiaris memoria adnotatur.

DE SS. FELICE, ET FORTVNATO MARTYRIB. AQVILEIÆ.

FElix, & Fortunatus fratres, & ciues Vincentini, cũ essent Aquileiæ in Diocletiani, & Maximiani persecutione, apud Euphemium Præfidem, quòd Chri-

christiani essent, accusati, iussu illius comprehensi, cum se christianos esse libere faterentur, primùm fustibus cæsi deinde in equuleo suspensi ardentibus facibus ad eorum latera admotis exuruntur: tum igne diuinitus extincto oleo feruenti perfusi, cum nec sic ad Deorum cultum adduci possent, sed in fidei christianæ confessione immobiles permanerent; demum securi feriuntur. Quorum corpora à christianis sepulta, postea Vincentiam translata honorifico sepulchro in templo eorum nomini extructo; quod monachi Benedictini tenent, condita sunt, & magnam habent apud Vincentinos venerationem. *Ex monum. Eccles. Vincent. in Cod. Pergameno peruetusto.*

ANNOTATIO.

Horum martyrium in Martyrol. Rom. ad diem 11. Iunij refertur. Quare hac die Vincentia non natalis, sed transl. illorum celebratur.

Augusti die 15.

DE S. THARSICIO MARTYRE ROMÆ.

THarsicius S. Stephani Papę Acolythus in Valeriani, & Galieni Imperatorũ persecutione, cum ex S. Stephani præcepto Sacramenta corporis Christi alijs christianis deferret, incidit in Paganos qui ab eo, quid gereret, disquirere cœperunt, cumque illi indignum iudicans, margaritas porcis prodere, taceret, tandiu ab illis fustibus mactatus est, donec exhalaret spiritum. Cum autem Pagani diligenter reuoluto eius corpore quod gereb. t, perquisiuissent, nihil tamen Sacramentorum (quæ disparuerant) inuenire potuerunt. Corpus illius à christianis collectum in cœmeterio Callisti via Appia honorificè sepultum est. *Ex pass. & Gest. S. Stephani Papa.*

Sacramenta Eucharistiæ disparet.

ANNOTATIO.

EX Gest. S. Steph. a Sur. tom. 4. rel. apparet eadem die Tharsicium martyrio affectum, qua S. Steph. Sed fortè in Martyrol. Rom. hac die memoratur quando corpus sepulturæ traditum fuit, licet tot dies insepultum fuisse tempore æstiuo haud verisimile sit.

DE S. ARDVINO PRESBYTERO ARIMINENSI.

ARduinus Arimini natus, mortuo patre, Venerio Presbytero ecclesię S. Gregorij rectori viro spectatæ vitæ adhæsit. Quo cum vigilijs, orationibus, ieiunijs, eleemosynis, & alijs pijs operibus vacare cœpit. Qui, vt Deo Liberius inseruirent, vrbem egressi, in ecclesiam S. Apollinaris se recipiunt, ibi in vnum orantes psallentes, ac etiam laborantes. Vbi Arduinus adhuc iuuenis, vt carnis incendia extingueret, se se quoties ardor inuaderet, intra vrticarum condensa volutabat, grauioraque remedia adhibebat. Sacris initiatus, & denique factus Sacerdos non tam ætate quam vitæ sanctitate, famaque crescebat. Quare multi ad eum in dies consilium poscentes confluebant: quos instruebat, & increpabat: in quibus Rodulphum Com. Ariminensem. Cum multa sibi in dies donarentur, omnia pauperibus erogabat. Cœnobium S. Gaudentij per eos dies pastore destitutum, cui cum Ioannes Episcopus Venerium tanquam seniorẽ præfecisset, isque onus detrectaret, tandem Arduini hortatu illud suscepit. In quo cœnobio quanta Arduinus, humilitate, obedientia, patientia, abstinentia, virtęq; auste-

austeritate fulserit, vix dici potest: denique vir S. assiduis vigilijs, & macerationibus confectus migrault è vita 18. Kal. Septembris An. Dominicæ Incarnationis 1009. Henrico Iuniore Imp. in eadem ecclesia S. Gaudentij sepultus. Ad cuius tumulum plures ægroti, & infirmi diuinitus sanati sunt. In ijs puer pedibus contractus, puella paralytica, cæci duo: vnus Bononiẽsis, & alter Rauennas, præter Dæmoniacos alijsque morbis laborantes. *Ex eius vita M.S. Eius mem. Baron. in Annal. ad An. D. 993. præter Pet. Damianum.*

ANNOTATIO.

ILlum Baron. in albo SS. descriptum absque tamen consueta Eccles. solemnit, ex Pet. Dam. refert. In Tab. tamen Eccles. Arimen. haud descriptus est.

Augusti die 16.

DE S. TITO DIACONO, ET MARTYRE ROM.

TItus Diaconus Romanus vir sanctitate vitæ conspicuus, dũ Romæ; in qua Gothi Ariani, qui tunc occupata vrbe catholicos persequebantur, erant, eleemosynas pauperibus distribueret, iussu Felicis magistri militum ab Impio Tribuno interfectus est, 17. Kal. Septembris. Anno sal. 426. Cœlestino I. Pontifice, Theodosio, & Valentiniano Iunioribus Imperantibus. *Ex S. Prosp. in Chron. & Martyrol. Rom.*

ANNOTATIO.

GOthi; qui vrbem occuparant, ijdem fuere, qui illam sub Alarico Rege inuadentes depopulati sunt, ijs tantum parcentes, qui ad ecclesias confugissent: idque an. D. 410. Honorio, & Theodosio Iuniore Impp. Ex Panuin. & Baron. in Annal.

DE S. AMBROSIO CENTVRIONE, ET MARTYRE Ferentini patrono.

AMbrosius natione Ligur, Pytagoticis disciplinis instructus, Mediolanum veniens ibi se ad militiam transtulit Centurio à Damiano Præside factus. Inde Ferentinum (quæ Hernicorum in Latio vrbs est) profectus, cum Christũ occultè coleret, Præsidi denunciatus, quòd christianus esset, ab eo accersitur, blãdèque (erat enim illi præchatus) monetur, vt iuxta Imperatorum edicta Deos coleret, spatio ei ad resipiscendum præfinito. Quo elapso Præses Ambrosium in sententia colendæ christianæ religionis persistentem militaribus ornamentis exuit, carcereque, in quo nemo illum alloqui posset, sine cibo, & potu, donec aliquot vrbibus visitatis rediret, includit. Post mensem reuersus, Ambrosium vegetiorem, & constantiorem reperit. Quare illum frustrà admonitum diuerso tormentorum genere aggreditur. Primùm enim in ignem ipsum iniecit; deinde cum illæsus exisset, in aquam altam demergi iubet: Denique cum etiam ex aqua incolumis euasisset, capitalem sententiam excepit. Passus est 17. Kal. Septembris Diocletiano Imp. Corpus à christianis sepultum in Ecclesia Ferentinate, cuius tutelaris est, religiosissimè asseruatur. *Ex off. Eccl. Ferentinatis Roma approb.*

ANNOTATIO.

PRo Daciano Præside Damiano per errorem positum videtur. Licet autem Ligur natione dicatur, ex monumentis tamen Eccl. Mediolan. patria Mediolanen fuit. Nec mirum videri debet; cum Mediolanum apud Anton. Aug. in itinere, & alios in Liguria reponatur.

DE S. SIMPLICIANO EPISCOPO MEDIOLANENSI.

Simplician. adiutor primùm dein successor D. Ambr.

SImplicianus Mediolani natus, vt ferũt, ex Catanea familia, & educatus, à teneris litteris, & religioni operam dedit, ac pietatis causa multas vrbes peragrauit. Romæ Victorinum Rhetorem egregium ad Christum conuertit. Mediolanum reuersus, reliquias SS. Apostolorum secum detulit. Tanta autem sanctitate, doctrina, & virtutibus effulsit, vt à SS. Ambrosio, & Augustino non semel laudatus fuerit. Senio propè confectus S. Ambrosio in Episcopatu successit; cui adiutor ab initio à Damaso datus fuerat; quem Anastasio Summo Pont. sanctissimè rexit. S. Gaudentium Episcopum Nouariensem ordinauit.

Legatos concilii Carthaginenses excipit.

Legatos concilij Carthaginensis, qui ad se consulendum venerant, excepit. Ritum officij Ecclesiastici Ecclesiæ Mediolanen. auxit. His, & alijs præclarè gestis obdormiuit in Domino, 17. Kal. Septembris An. Dominicæ Incarnationis 409. Innocentio I. Pont. Corpus in Ecclesia S. M. conditum, postea in templũ suo nomini dicatum, translatum est. ***Ex Breu. & monum. Eccl. Mediolanen.***

ANNOTATIO.

QVòd Simplicianus patria Mediolanen. fuerit, ei quod S. Aug. lib. 8. Confess. c. 2. teste Baron. in Annal. ad an. D. 376. aduersatur. Nam; vt ibid. Baron. scrib. cum S. Ambros. præter ecclesi. regulam Episcopus ordinatus fuisset, Damasus Papa Simplicianum Romanæ Eccl. Presbyterum illi adiutorem, & monitorem dedit.

Onuph. Panuin. in Fast. & Cronol. Ecclesi. Simplicianum sub vltimo Siricij Papæ, anno Episcopum creatum annis 12. sedisse ait, quod monum. Ecclesi. Mediolanen. repugnat. Scripsimus autem illum obijsse Innoc. I. Pont. non Anastasio, vt in Actis Ecclesi. Mediolanen. legitur.

Extat apud S. Ennodium Episcopum Ticinen. S. Simpliciani sequens elogium.

„ *AMbrosius linquens viduatæ munia Plebis,*
„ *Transtulit ad curam Simpliciane tuam.*
„ *Successoris opes spoliati viscera Regni*
„ *Creuerunt merito temporis alterius.*
„ *Ac veluti annosam Zephiris spargentibus ornum,*
„ *Ne metuat bellum longa quies solidat,*
„ *Tiro tamen felix cana ad rudimenta vocatus,*
„ *Non flexit patris degenerans apicem,*
„ *Nil timuit gelidis anima feruente medullis,*
„ *Pontificis instus flores habet seniam.*
„ *Aequora qui recto pressit terrena patenti,*
„ *Mollibus, & cultu sydera cum tetigit.*

DE S. SERENA AVGVSTA DIOCLETIANI IMP. VXORE.

SErena Diocletiani Imp. vxor à S. Cyriaco eo miraculo, quo Artemiam eius filiam à dæmone obsessam liberasset, ad fidem conuersa, & baptizata fuit. Quæ

Quæ clam Christum colens, vitam mœrore plenam ducebat, cum tot Christianorum millia iussu viri immaniter interfici cerneret; ipsa Susannam neptim martyrio affectam pluries osculata, proprijs manibus aromatibus conditam noctu sepelijt. Deum autem precata, vt se è tantis malis eriperet, 17. Kal. Septēb. febre correpta obdormiuit in Domino, apud corpus Susannæ sepulta. *Ex Gestis B. Susanna virg. & mart.*

ANNOTATIO.

Haud verisimile videtur, vt christiani vxorem Diocletiani apud S. Susannam sepelierint, vt Pet. in Cat. lib. 7. c. 69. refert. Maximè ipso Dioclet. in vrbe existente.

DE S. ROCHO CONFESSORE VENETIIS.

Rochus in M. Pesulano vrbe Galliæ Narbonensis clarissima, Ioanne patre, Libera verò matre eius vrbis Dominis rubea cruci insignitus in lucem editus traditur. Anno ætatis 12. parentibus orbatus, patria, amicisque relictis, facultatibusque amplissimis pauperibus diuisis, principatu verò patruo suo commisso, vili indutus veste cum pileo, & pera ex Gallia in Italiam peregrinari cœpit. Cum Romam profecturus Aqulam op. apud Peliam amnem peruenisset, se Vincentio, qui peste infectis in xenodochio inseruiebat socium adiungit, ac cum omnes signo crucis mirabiliter curasset, Cæsenam venit, eaque incolumitati reddita, Romam supra cæteras Italiæ vrbes peste vexatam contendit apud Cardinalem quendam Britannicum magnæ apud Pontificem authoritatis virū hospitatus. Cui Rochus, vt à peste illæsus seruaretur, crucem in fronte à se signato ita diuinitus impressit, vt is per vrbem egressus aliquibus esset ludibrio. Quare domum reuersus Rochum, vt sibi crucem à fronte demat, vehementer orat. Cui ille, nemo est inquit, qui non libenter Imperatoris sui insignia ferat: quod exemplo Andreæ Apostoli, & Francisci autoris Minorum comprobans, illud Saluatoris adiecit. *Qui vult venire post me tollat crucem suam, & sequatur me.* Quibus verbis Cardinalis acquiescens Rochumque reuerītus, illum ad Pontificem pro benedictione deductum Romæ triennio apud se retinuit. Cardinale vita functo, Rochus per vrbes peste infectas pergens, & eas curans, Placentiam venit truci pestilentia laborantem. Vbi ad nosocomium accedens ægrotantes pro more liberat, ac dum alios ab epidimiæ morbo sanat, eosque manibus contrectat, sæuissimo vlcere ei in inguine oborto, tanto, febre acutissima subsecuta, dolore afficitur, vt clamorem, & gemitus illius non ferentes, auri ac mentem non modò è xenodochio, sed etiam vrbe expellerent. Rochus apud syluam egressus ibi humi iacebat. Non longè Gothardus nobilissimus, & ditissimus ciuis Placentinus ruri habitabat, qui multam seruorum, & canum turbam alens venationibus operam dabat. Cum autem Rochus ad illius domum accessisset, nec quisquam eleemosynam illi porrigeret, obseruatus est canis, qui è mensa acceptum panem ad tugurium Rocho deferebat. Quod vbi Gothardus accepisset, ea re valde commotus, & dolens quod feræ hominibus humaniores essent, ad Rochi tugurium accedens, humi prostratus, crudelitatem suam incusans, illi vel nolenti inseruire cœpit. Acceptus à Rocho in discipulum, spretisque omnibus, quæ possidebat, cum canis panem de more afferens non adueniret, ad tantum sui contemptum vir nobilis deuenit, vt à Rocho missus Placentiam, ostiatim mendicare prout iussus erat inciperet. Sed apud plurimos,

Rochus signo crucis infirmos sanat. Cæsena peste infecta à S. Rocho mirabiliter liberatur.

Signum crucis in fronte Card. Britannici indelebile remanet.

Ægrotos quocunque morbo laborātes Rochus diuina virtute sanat.

Gothardus feris crudelior, suam impietatem agnoscens, Rochum colere cœpit.

qui illum ditissimum norant, ludibrio habitus, apud amicos, & cognatos (qui patrimonium amplissimum eum profudisse putabant, ac dicebant, *cur panem canibus parcius non exhibuisti?*) conuicijs, & contumelijs oneratus, vacuus pane rediit. Quare Rochus Gothardo in tuguriolo relicto donec rediret, baculo innixus, vrbem ingressus est, crucis signo in xenodochio, & per ciuitatem iacentes omnes curans, sole ad occasum properante in syluam ad tugurium redit prorsus incolumis. Qui Gothardo prius in vita eremitica erudito, ac in sylua relicto, in patriam reuertitur, vbi in paterno castro vti explorator in vincula coniectus, patruo incognitus quinquennio carceris squalorem inuicta animi patientia sustinuit. Quo tempore exacto peste corripitur, ac finem sibi adesse sentiens, sacris munitus, Deumque precatus, vt quicunque patrocinium eius cũ fide postulasset, à pestis contagio esset immunis, migrauit in cœlum 17. Kal. Septembris an. sal. 1327. Corpus ex tabella, in qua nomen suum descriptum erat, recognitum à patruo non sine lacrymis summo honore conditum est. Venetias postea inde furtim sublatum deductum in maxima habetur veneratione, extructis iam toto ferè orbe terrarum in Rochi honorem templis. *Ex eius vita prolixè scripta, & a Sur. tom. 4. relata, & ab al.*

Gothardus insignis euadit eremita. Rochus incognitus quinquennio carceris squalorem in paterno castro sustinet. S. Rochus omnibus eum inuocantibus sanitatem impetrat.

ANNOTATIO.

Gothardus cuius tam multa in vita S. Rochi fit mentio, ex nob. Palastrella familia fuit; cuius imago in æde S. Annæ Placentiæ (quæ ecclesia Fratrum Ord. Seru. est) vnà cum vita eiusd. S. Rochi in pariete ab eodem Gothardo (vt ferunt) depicta cernitur. Is passim sanctus nominatur. Sed qua die decesserit, nec vbi corpus illius conditum fuerit, hactenus mihi incompertum.

DE S. LIMBANIA VIRGINE MONIALI GENVÆ.

Limbania virgo sanctimonialis in Cypro nata nobilissimo loco annos 11. nata spreto connubio clam naui cum nutritio, & nutrice conscensa Genuam appulit aliquot in ea nauigatione miraculis perpetratis. Nam cum nautæ illam in Insula quadam reliquissent, nunquam loco dimoueri potuerũt licet ventus secundus flaret, quoad eam reuersi ad litus recepissent. Cum apud Genuam nauis scopulos apud monasterium S. Thomæ cursu concito peteret, nautas conterri vetitos consolatur, ne sibi timerent, aut naui, quæ eò ferebatur, quò ipsa optauerat. E naui itaque egressa, moniales quibus nomen, & patriam, & votum virginitatis pandit, orat, vt se in suum contubernium recipiant. Facta autem monialis post emissam professionem, in specu sub ecclesiæ pauimento licẽtia ab Abbatissa impetrata habitauit, orationibus assiduis, ieiunijs, & vigilijs dedita. Vino enim, & ab esu carnium perpetuò abstinens, quotidie ieiunabat, mẽbraque ferreo pectine dilacerans verberabat. Cum Abbatissa ad eam visendam locum ingrederetur, illum cœlesti luce perfusum videns, moniales ad rei nouitatem vocans, & cum illis ingressa Limbaniam flexis genibus erecta ceruice extensis in altum manibus in morem orantis defunctum inuenit. Cuius corpus odore suauissimo fragrans sepeliendum curauit, 17. Kal. Septembris. *Ex eius lectionibus nuper Romæ an. D. 1609. approbatis.*

Nautæ sine Limbania dimoueri non possunt, nauis in scopulos illæsa petit.

Limbania vini, & carniũ abstemia.

ANNOTATIO.

Vidimus Romæ diploma Pauli V. Pont. Max die Prid. Non. Martij, an. prædicto: in quo lectiones eæ, quæ supra narrata sunt, continentes insertæ sunt. Sed in ijs temporis, in quo vixit, nulla fit mentio.

Augusti

Augusti die 17.

DE S. ANASTASIO EPISCOPO INTERAMNATE.

ANastasius ex nobili Castellorum familia Interamnæ ortus circa sal. annum 550. doctrina, & sanctimonia vitæ floruit. Abstinentia erat incredibili, maximaque humilitate; sed & in pauperes beneficentia excelluit, omnibus facultatibus in subleuandis illorum miserijs penè consumptis. Quapropter mortuo Episcopo summo omnium consensu illi subrogatur. Munus pastorale aggressus reliquias pestis Arianæ sustulit: Ecclesiam sanctissimis institutis reformauit: multa per diœcesim erexit templa, collapsaque instaurauit: in vrbe téplum Assumptionis B.M.V. in quo sedem Episcopalem constituit, ædificandũ curauit. His & alijs operibus clarus ex hac vita ad perennem patriam migrauit 16. Kal. Septembris. Cuius corpus in ecclesia à se ædificata conditum cum diu iacuisset ignotum Leone VII Pont. Max. circa an. sal. 1039. repertum fuit, cum is rustico cuidam apud Carsulam in somnis locum, in quo corpus latebat, indicasset. Terra enim defossa arca marmorea, in qua corpus iacebat & ex qua suauissimus odor efflabatur, reperta est: & in ea corpus S. Episcopi integrum, sacris adhuc vestibus indutum: quod intra aram sibi magnificentissimè extructam accito Lintargo Episcopo Spoletino reconditum est. In qua translatione præter infirmos diuersi generis, & Dæmoniacos curatos, illud narratione dignum videtur: quod quidam ita à natiuitate incuruus, vt manibus pedibus reptans cœlum adspicere nequiret, vt opẽ ab Anastasio tota fiducia poposcit, mox in pedes erectus omnibus spectantibus, & mirantibus liberè cœpit incedere. Cæco quoque, qui se illi commendarat, lumen oculorum restituit: & puerum paralyticum, quem nobilis fœmina ex Campania alendum susceperat, sibi ab ea commendatum sanauit. *Ex eius vita, & ex monum. Eccl. Interamnen. M.S.*

Incuruus manibus, pedibusque reptans erectus incedit.

Cæco oculorum lumen restituitur.

ANNOTATIO.

Corpus eius Greg. XIII. An. D. 1575. die 15. Iunij rursus inuentum repositum fuit, in sacello ex marmore suo nomini extructo.

DE S. CLARA VIRGINE APVD M. FALCVM.

CLara virgo in M. Falco (oppidum est Vmbriæ non obscurũ Fulginio proximum) anno à partu virginis 1266. Clemente IV. Pont. nata pijs parentibus, sub Ioannæ sororis, quæ reclusorio extructo aliquot virginibus præerat, disciplina vitam prorsus admirandam egit. Tanta fuit verecundia, vt nulla se parte corporis nudam videri pateretur. Cum dormiens pedem extulisset, à sorore reprehensa, id quasi piaculum lacrymis expiauit. Dicere verò solebat: ne medico quidem vllam corporis partem detegendam esse, quòd visus plurium fons malorum sit, oculisque animæ hostis acerrimus. Silentij adeò obseruans fuit, vt illud semel in vita causa matris se alloquentis fregerit. Abstinentiã item sic coluit, vt, cum ouum ob debilitatem hortatu sororum degustasset, facti pœnitens ad lacrymas cõfugeret. Cũ Ioanna soror carnis modicũ ad ægrotæ restaurandas vires detulisset, illã abeũte sorore proiecit. Altero reclusorio extra oppidũ à se constructo, à Ioanna; quæ & illi præerat obtinuit, vt cũ alijs virginib⁹ ad quæstũ exiret; sed licentia reuocata est, quòd illa sub dio imbres, & ventos potius pati vellet, quã in domũ alicuius diuertere. Cũ se virgis, & flagellis durius

Spectabilis Claræ uerecundia.

Visus plurĩ fons malorũ.

Clara clarissimis virtutibus prædita.

cæderet, sanguisq; copiosus e vulneribus flueret, soror illi non sine mœrore, ea, quibus se verberaret, abscōdit. Mortua sorore cœnobij administrationē inuita suscepit: nec tñ quicquā de austeritate remisit, cū cilicinis interius vestibus induta, se funiculis, & vrticis flagellaret: dies integros cibo, & potu abstineret, orationibus intenta, omnia humana despiciebat, miseros appellare solita, qui ea quęrerēt, & magis miseros, qui bona appellarēt. Pacem inter vrbes finitimas dissidentes per litteras conciliabat, (erat autem in litteris diuinitus erudita) spiritu prophetiæ non caruit. Iacobo .n. columnæ Cardinali dignitatis post exauthorationē restitutionem prædixit. Margaritæ mulieris Gallicæ Romam peregrinantis aduentum, & nomen diuinauit. Nouitiam, quæ occultum peccatum in Sacramentali confessione tacuerat, reprehendit. Cum aliquando cum alijs communicare non potuisset, à Christo Domino corpus suum meruit accipere. Christū peregrini specie suscepit; à quo (cum de illius passione non sine copiosissimis lacrymis ad sorores sermones haberet) passionis suæ mysteria cordi illius impressa non dubitantur. Denique assiduis vigilijs, ieiunijs, & alijs carnis macerationibus confecta in morbum incidit: ex quo anno ætatis 33. breui migrauit ad sponsum. Cuius cor ingens, vt caput pueri, diuisum multis inspectantibus mysteria dominicæ passionis continere repertum est. Illud etiam mirum, tres cordis globulos, siue pillulas haud vni ex illis præponderare. Plura viuens patrauit miracula, in quibus monialem defunctam suscitauit, Arenarium mole arenæ obrutum, quoad peccata sua confiteretur, vitæ restituit. Post mortem verò puerum palearum ingenti cumulo oppressum, & duas mulieres cum viro aquis suffocatas ad vitam reuocauit. Sanguis, qui ex corde illius effluxit, in ampulla ebullire, cum graue aliquor imminet vrbi infortunium, fertur. *Ex monum. Eccles. M. Falci, & ex vita eiusd. Bononiæ an. D. 1601. edita.*

Pacem inter vicinas vrbes componit. Spiritu prophetię clara. Suscipit Eucharistiæ Sacramentum à Christo Domino nostro. Eundem excipit peregrini specie. Mira res narratur. Monialē defunctam excitat. Arenario pariter vitæ restituitur. Puerum, ac duas mulieres post mortem ad vitam reuocat. Sanguis in ampulla ebullit.

ANNOTATIO.

ET si nondum in SS. virgines solemni ritu relata est: extant tamen processus hac de causa confecti: quos Romæ vidimus in Biblioth. Baroniana. Eiusque dies festus summa celebritate agitur.

DE B. DONATO MONACHO PETINENSI, Ord. M. Virginis.

DOnatus Ripæ Candidæ in Lucania natus vix 14. annum agens ætatis Petinam ad Abbatem cœnobij Ord. M. Virginis, vt ad habitum monasticum reciperetur, contendit: à quo ob eius teneram ætatem reiectus, post aliquantum temporis spatium necdum annos 15. natus parentibus, & propinquis vale faciēs ad Abbatem redijt: & magnam vim profundens lacrymarum orat genuflexus recipi, & obtestatur per Deum, ne vti prius, repulsam patiatur. Receptus ianuæ custodiæ deputatur. Qui carnem suam præter flagella, & ieiunia, adeò cœpit affligere, vt noctu cæteris somnum capientibus hyeme cella egressus in stagnū gelidissimum, glacieque constrictum nudus descenderet, statisque horis nihilominus nocturnis, & diurnis interesset. Cum autem sibi furni cura demandata fuisset, orationique, & meditationi intentus, illum accensum, & calefactum mundare oblitus esset, adueniente Ab. horā panis coquendi, illumq; negligentiæ obiurganti, vt erat habitu indutus, illicò furnum ingressus eum proprijs vestibus purgauit, exiuitque nulla in eius carne, aut veste apparente læsione non sine maxima Abbatis, & adstantium monachorum admiratione, clibano adhuc flammis,

flammis, & excensis carbonibus candente. Ex quo cœpit apud omnes esse venerationi. Sed & illud quoque mirandum fuit. Erant in horto examina aliquot apũ, & faui, ob quos consumptos examinibus dispersis Abbas querebatur. Donatus itaque maleficij authorem obseruans, vrsum inuenit fauos noctu comedentem: quem zona, qua præcingebatur, alligatum, velut agnum ad Abbatem adduxit, maximè rei euentum mirantibus monachis, & in obedientia deinceps proficientibus, præsertim cum ad Donati præceptum vrsum abire, neque rursus in hortum redire vidissent. Denique cum tantus euasisset 19. ætatis anno migrauit è vita Anno sal. 1198. Cuius corpus cum Ripam Candidam (ita ciuibus illis suppliciter postulantibus) deferretur conquerentibus monachis, quòd se desereret, nihil sui apud eos relinquens, ferunt illum in feretro resedisse, sibique brachium detractum monachis porrexisse. *Ex monum. & Chron. M. Virg. à quibus Paul. Reg. acceptam vitam refert.*

ANNOTATIO.

Arnoldus Vuion lib. 3. leg. vitæ hunc SS. numero adscriptum asserit: quod tamen incertum est; cum nondum illum monachi M. Virg. off. Ecclesiastico colant.

Augusti die 18.

DE S. AGAPITO MARTYRE PRÆNESTINO.

Agapitus Prænestinus annorum 15. martyrij cupidissimus Aureliano Imp. ob christianam religionem tentus, & neruis primùm dirissimè cæsus, cum nihil è supplicio moueretur, Antiocho Præsidi cruciandus traditur: qui in terrũ carcerem coniectum quatridui, in quo nihil degustauit, inedia afflixit. Eductus è custodia vehementer carbonibus ardentibus capiti eius impositis cruciatur, & gratias agens Deo, iterum verberibus afficitur, pedibus suspensus, ita vt ingens fumus è subiecto igne os eius obrueret. Quibus in supplicijs Agapitus inuictus Præsidi dicebat: *Sapientia tua, & vanitas in fumo laborat.* Exasperatus ijs verbis Præses aquam feruentem in eius ventrem effundi, maxillasque cõfringi iussit: quod cum fieret, ipse è tribunali lapsus, paulò post moritur, Imperator audita Præsidis morte, & martyris constantia, ita inflammatus sanctum Iuuenem leonibus obiectum, cum illi martyrem non attingerent, sed pedes illius prostrati incredibili mansuetudine lamberent, eductũ è Theatro inter duas columnas Præneste gladio percuti iussit 15. Kal. Septembris. Cuius corpus à christianis in nouo sarcophago reuerenter sepultum est. *Ex Adone, & Breu. Rom. Mombrit. tom. 1. & Pet. in Cat. lib. 7. c. 74.*

Agapit⁹ martyrij cupiditate, immani tate, ac multiplicitate insignis.

Præses interim è tribuna li lapsus moritur.

Leones mitissimi in martyrem efficiũtur.

ANNOTATIO.

Corpus S. Agapiti Parmæ in Cathedrali eccl. asseruari tradunt eiusd. Eccl. Tab. cum tamen Prænestini illud se habere, vt probabile videtur, asserant, & Baron. in Annotat. idem testetur. Quæ in re, quod alibi diximus, hic quoque dici potest, partem multoties pro toto per synecdochen accipi.

DE SS. IOANNE, ET CRISPO PRESBYTERIS, & martyribus Romæ.

Ioannes, & Crispus Presbyteri in Diocletiani, & Maximiani Imperatorũ persecutione inter cœtera pietatis opera, in corporibus martyrum perquirẽdis,

& tumulandis occupantur: nam Ioannes S. Cyriacum cum alijs multis ad thermas Sallustianas sepeliuit, aliosque alibi cum Crispo condidit. Quapropter iussu Diocletiani comprehensi, cum fortes in Christi confessione permanerent, ad palmam martyrij peruenientes consortes eorum, quos sepelierunt, facti sunt 15. Kal. Septembris. *Ex Adone, & alijs.*

ANNOTATIO.

Vbi horum corpora sepulta fuerint, nec Beda, nec Ado, neque Pet. in Cat. lib. 7. c. 75. paucis admodum martyrium illorum referentes, docent.

DE SS. HERMA SERAPIONE, ET POLYÆNO martyribus Romæ.

Hermas, Serapion, & Polyænus Romani christianæ religionis apud vrbis Præfectum accusati, & delati insuper, quòd Deos contemnerent, cõprehenduntur. Qui ante Iudicem producti, cum se christianos esse liberè faterentur, in tenebricosum carcerem detruduntur, si fortè sententiam mutarent. Sed in illa persistentes educti per loca saxosa, angusta, & difficilia eousque raptantur, donec animas exhalarant, 15. Kal. Septembris. *Ex Menologio Græcorum.*

ANNOTATIO.

Græcorum monumenta circa horum mart. passionem Henricus Canis. tom. 2. antiquarum lect. refert, sed nulla in ijs de tempore, neque de Imp. sub quo passi sunt, habetur mentio.

DE S. HELENA MATRE CONSTANTINI MAGNI ROMÆ.

Helena natione Britanna Constantini mater, quem Eboraci in Britãnia peperit, fœmina incomparabilis fide, & religione fuit, quam multò, antequã filius Christi nomen daret, christianam coluisse religionem ferunt. Ea, vbi Cõstantinus baptismo expiatus est, quod ipsa maximè optauerat, in somnis admonita, quanuis iam ingrauescente ætate, (annum enim ætatis 79. vt nonnulli scribunt, agebat) terram Christi Domini quondam vestigijs pressam deuotionis ergo lustrare, & crucem Dominicam perquirere statuit. Eò igitur profecta, & debita sacris locis veneratione exhibita, loco, in quo sanctissima crux latebat, inuento, (qui idcirco ad inueniendum difficilis erat, quòd antiqui fidei hostes simulachrum in eo Veneris ad Dominicæ passionis tollendam memoriam defixerant) terra altius defossa tres cruces cum titulo separato reperit, ac Dominica ab alijs miraculo discreta (siquidem Macarius Hierosolymorum Episcopus præmissa oratione singillatim eas mulieri decumbenti, ac moribundę admouit: cui cum reliquæ nihil profuissent, illa, in qua saluator pependerat, mulierem ad vitam, & sanitatem subito reuocauit) partem illius ibi thecis argenteis inclusã reliquit, partem Romam cum clauis Constantino filio detulit, multas sacras ædes extruxit: in quibus duo templa cæteris augustiora, vnum vbi Dominus nasci dignatus est, alterum, in monte, ex quo in cœlos ascendit. Sed & eleemosynas prout Regia dignum erat magnificentia Hierosolymis præcipuè elargita est: vt vix numerari possent, quæ varijs data sunt munera, & quæ ipsa proprijs manibus pauperibus distribuit. Alios enim nouis vestibus induit, alios à vinculis dissoluit, alios ad metalla damnatos liberauit, alios ab exilio reuocauit. Quascunque ecclesias in eo itinere tam iens, quam rediens ingredi contingeret, omnes beneficio aliquo afficiebat. Illud quod insignis eius humilitatis, & benignitatis

Crux Saluatoris ex trib' miraculo discernitur.

Præclarissima Helenæ gesta Hierosolymis.

tis argumentum fuit, non prætereundum: quod Hierosolymis virginibus in cœnobio degentibus mensæ iussis accumbere ipsa ancillæ officio fungi haud dedignata est: nam manibus aquam ministrare, cibaria apponere pocula, porrigere, cæteraque ad cœnæ finem vsque præstare voluit. Romam reuersa haud multò post ad æternam adspirans beatitudinem, testamento, præsente filio, prius condito, in quo multa locis pijs legata sunt, 15. Kal. Septembris octogenaria feliciter migrauit in cœlum. Cuius corpus via Lauicana, in basilica SS. mart. Marcellini, & Petri, vbi templum suo nomini postea extructum fuit, conditum est. *Ex vita ipsius à Sur. ex varijs histor. Eccles. collecta, & rel. tom. 4. Plura apud Euseb. in vita Constantini.*

Egregiũ Augustæ humilitatis exemplum.

ANNOTATIO.

Plura de Helena apud Pet. in Cat. lib. 7. c. 73. sed, quæ multa egent censura. De eiusdem corpore lis est: nam Veneta tab. illud Venetijs in propria eccl. asseruari indicant: Altouillaren. verò monast. apud Rhemos illud se habere gloriatur eò translatum an. D. 829. seu 849. vt Sigeb. in Cron. ad dictum an. & Mol. in Addit. ad Vsuard. testantur. Cuius translationis extat historia ab Altmanno monacho Altouillaren. scripta. Annus certus obitus eius ignoratur; putatur obijsse anno D. 326. & Imperij Constant. 21.

DE S. PROIECTITIO DIACONO, ET MART. BERGOMATE.

Proiectitius Bergomi honesto loco natus, à tenerisq; liberalibus disciplinis eruditus, cum adolescente ætate in litteris haud mediocriter profecisset, Archidiaconus maioris ecclesiæ Bergomensis creatur. Qui munus illud strenue gerens, sugestum marmoreum in æde S. Alexandri, de quo ad populum côciones habebat, extruxit: domum ecclesiæ adiacentem, in qua cum clericis cohabitaret, & conuiueret, ædificauit. Dum itaque maiores in dies progressus faceret, Edicta Diocletiani, & Maximiani in christianos euulgantur: quare Proiectitius priuatim, & publicè per domos, & vicos fideles admonere, & confirmare, atque ad persecutiones perferendas incendere haud destitit. Cum verò Diocletianus, & Maximianus imperium à se abdicassent, Proiectitius persecutionem, quoque desijsse ratus ad pristinum prædicationis munus reuertitur; quod dum in ecclesia S. Alexandri securius exequitur, Gentiles armati in ecclesiam irrumpentes Proiectitium capillis captum rapiunt, vt illum Idolis immolare cogerent. At is zelo correptus, in Idola irruens, ea conspuit, & in terram deiecta pedibus proterit. Quapropter Gentiles illum illicò fustibus contusum lapidibus obruunt, qui ab hostibus vti mortuus relictus, cum paulò post se erexisset, & ingenua procumbens pro percussoribus suis Deum precaretur, ab illis rursus impetitus, vsque adeò cæditur, donec animam exhalaret. 15. Kal. Septembris. Cuius corpus à Fidelibus iuxta S. Hesteriæ corpus sepultum est. *Ex offic. Eccl. Bergomen.*

Proiectitius Idola conspuit, & in terram deiecta pedibus proterit. Pro persecutoribus Deũ precatur.

ANNOTATIO.

Illum alij in quib. Gales. in suo Martyrol Proiectum appellant, sed Proiectitius prout ab Eccles. Bergomen. appellatur, dicendus est.

DE S. AGAPE VIRG. ET MART. APVD TVSCANAM.

Sanctus Agapes virgo, & martyr ab Ecclesia Tuscanẽsi colitur hac die. Ibi .n. corpus in ecclesia maiore asseruatur, vt marmorea inscriptio antiqua indicat. Quæ an eadẽ sit cum ea, quæ Interamnæ die 15. Februarij celebratur, an diuersa nõ ausim affirmare, cũ huius acta minimè viderim. *Ex Tab. Eccl. Tuscanẽ.*

DE

ANNOTATIO.

De *Agape virg. & mart. de qua agitur Interamnæ in Vmbria ad diem 15. Febr. prout in Martyrol. Rom. mem. Vsuard. & Vuandelbertus dicta die: cuius extat Carmen hoc.*

„ *Hinc decimo, & quinto meritum clarescit Agapes.*

Incertum tamen est, an hæc eadem sit cum illa, vel diuersa, vti supra diximus.

DE S. RAYNALDO EPISCOPO RAVENNATE.

Raynaldus pacem inter Philippum Galliæ, & Eduardum Angliæ Regem conciliat.

Raynaldus Henrico Imper. VII. charus.

Robertus Siciliæ Rex regno exauthoratur.

Raynaldus Templarierũ causam cognoscit.

Iacobus Benincasa à podagræ doloribus liberat.

Blenda à dæmone exagitata absoluitur.

Monialis mẽbrorum dissolutione languẽs Raynaldo inuocato sanatur.

Raynaldus patria Mediolanensis, ex familia Cõcoregia, primùm canonicus Ecclesiæ Laudensis, (cum illum Bonifacius Papa VIII. ad pacem inter Philippum Galliæ Regem, & Eduardum Regem Angliæ conciliandam in Galliam misisset) deinde Præses totius Æmiliæ, tum Vincentinus Episcopus fuit. Cum verò Opizo Archiepiscopus Rauennas decessisset, Rauennates in templũ vrsianum de more conuentum habentes Raynaldum, & Leonardum Fliscum Ecclesiæ Brugensis Præpositum eligunt. Ex quibus Benedictus IX. Papa, qui Bonifacio successerat, Raynaldum, cuius mores perspectos haberet, & coram se sacram rem fecerat, approbauit. Is cultum diuinum, sanctissimis legibus editis, promouit, & auxit. Concilium Prouincialium Episcoporum anno Domini 1307. in quo plura ecclesijs saluberrima decreta sunt, celebrauit. Eo Henricus Imp. VII. quandiu in Gallia Cisalpina fuit, vsus est, consilio illius omnia ferè administrans, donec in peius mutatus Italiam omnem perturbationibus impleuit, Roberto Siciliæ Rege Regno, edicto publico, exauthorato. Illi quoque Clemens V. Pont. causam templarierum cognoscẽdam, quòd sciret eum virum æquissimum, & legum peritissimum esse, commisit: Denique multis pro ecclesia perfunctus laboribus anno sal. 1331. 15. Kal. Septembris non fine ingenti sanctitatis opinione obdormiuit. Clarus post obitum miraculis: Ex quibus adnotare libet aliquot. Iacobus Benincasa Iurisconsultus Rauennas desperata prorsus à medicis salutẽ præ acerrimis podagræ doloribus animam agens, voto nuncupato se diem Raynaldi festum quotãnis celebraturum, postridie eius diei non modò doloribus, sed & morbo solutus est. Mulier, cui nomen Blenda, in agro Rauennate à cacodæmone agitata, ducta ad B. Raynaldi tumulum illicò liberatur. Pari facilitate monialis virgo cœnobij S. Mariæ omnium membrorum dissolutione languens, patrocinio S. viri inuocato repentè sanitatem recuperat. *Ex monum. Eccl. Rauenn. & ex Hieron. Rub. in Hist. Rauenn.*

ANNOTATIO.

Nondum quod sciam SS. Catal. adscriptus: pro sancto tamen ab Eccles. Rauenn. colitur, vt ex Tab. eiusd. eccl. apparet.*

Augusti die 19.

DE S. IVLIO SENATORE ROM. ET MARTYRE.

Iulius Senator Rom. Commodo Imp. ad prædicationem SS. Eusebij, Vincentij, & soc. ad Christum conuersus, mox accito Rufino Presbytero, se cum vniuersa familia aquis lustralibus expiari curauit. Cumque Christum palam profiteretur, aliosque ab infelici dæmonis seruitute ad veram Christi pietatem, libertatemque perducere conaretur delatus est Imperatori: qui illum catenis vinctũ

Vitellio

Vitellio Iudici viro truci flagitioso, & crudeli examinandum tradidit. Is cum animo esset in christianos infensissimus, Iulium constanter Christum confitentem post carcerem & vincula, adeò atrociter fustibus mactari iussit, vt in eo supplicio spiritum emiserit 14. Kal. Septembris. Cuius corpus ante Amphitheatrũ canibus obiectum, ab Eusebio, & socijs collectum in cœmeterio Cale podij sepultum est. *Ex Gest. & pass. S. Eusebij, & soc. à Sur. tom. 7. rel.*

ANNOTATIO.

P*Et. in Cat. lib. 7. c. 79. eadem refert, sed nominibus aliquot deprauatis.*

DE S. MAGNO EPISCOPO ANAGNIÆ, ET MARTYRE.

MAgnus Tranij in Apulia parentibus Etruscis natus, à puero pietate præditus fuit, & sermone affabilis. Is, à puerili leuitate alienus, aliorum vitabat consortia; ecclesias frequentabat. Vt autem parentum inopiam subleuaret, adolescens oues cuiusdam pascendas suscepit; cui dolenti, & nondum baptizato Angelus apparens dixisse fertur; *Cur Magne tristaris? mœstitiam depone: sum enim missus ad te ad depellendum absste mœrorem.* Quo dicto, Angelus cœlestia repetit, & Magnus auri massam librarum decem mox inuenit: quam parẽtibus detulit: qui, ita Magno consulente, medietatem in pauperes erogarunt, ex altera tot oues emerunt; ex quibus, cum eas Magnus in montibus pasceret, se ipsos, & pauperes plures alebant. Orbatus parentibus, diuino cultui deditus, multò magis pietatis officia prosequebatur. Cumque multis patratis miraculis fama sanctitatis ipsius peruagaret, Ecclesiæ Anagninæ Episcopus ordinatur. Qui cum prædicatione plurimos ad Christum conuerteret, ac in Inanium Deorum cultum inuehens fidem mirè propagaret, re ad Decium delata, ille statim satellites misit, qui Magnum Dijs sacrificare recusantem interficerent. Qui S. Episcopum perquirentes in propria cella inuentum extraxere, omni substantia è domo illius sublata, & combusta; cumque illũ ad immolandum Dijs vrgerẽt, Magnus breui temporis spatio impetrato, oratorium ingressus inter orandum expirauit. Quare satellites illum diu foris præstolati, oratorium ingrediũtur, & mortuo caput amputant. *Ex monum. Eccles. Anagnina.*

Angelus alloquitur Magnum ouium pastorem.

Magnus auri massam inuenit.

ANNOTATIO.

P*Assus est eodem tempore, & ab eisdem satellitibus, à quibus S. Secundina virg. licet illa aliquot dies ante: ex eiusdem Secundinæ passione. Huius vita paucis in subiecto hymno continetur.*

Pangat mater Ecclesia
Summi Regis præconia
Magna Dei magnalia
Magna Regni solemnia.
Hic primò Pastor ouium
Forma factus humilium
Conscendit votis omnium
Pastorale fastigium.
Cura, doctrina splenduit,
Insignis signis clamat,
Plus fecit, minus docuit,
Sic præfuit, quòd profuit.
In corporis exilio
Ex quodam priuilegio
Castus in ministerio
Angelorum consortio.
Post ab apparitoribus
Tentus, & carnificibus,
Pijs profusis precibus
Iungitur cœli ciuibus.
Ergo mater ecclesia &c.

DE

DE S. RVFINO CONFESSORE APVD MANTVAM.

RVfinus confessor apud Mantuã in propria colitur ecclesia: qui Ferrarię quoque vbi eius reliquiæ habentur, venerationem habet. Ferunt eius Imaginẽ in ecclesia sibi dicata prope Mantuam in pariete depictam habitu Sacerdotali indutam conspici. Ex quo illum Presbyterum fuisse intelligitur. *Ex Martyrol. Rom.*

ANNOTATIO.

ACta nullibi reperire potuimus, & licet in Rom. Martyrol. & alijs sit descriptus; non tamen in Tab. Eccl. Mantuana.

DE S. RVFINO MART. APVD ASSISIVM. *Vide die 30. Iulij.*

DE S. BERTVLPHO ABBATE BOBIENSI.

BErtulphus S. Arnulphi Episcopi Metensis propinquus, sæculi pompis spretis, suisque pauperibus distributis, ad Eustasium Abbatem Luxouiensem se contulit: à quo ad habitum monasticum receptus vitæ religiosæ obseruantia clarere cœpit. Cum autem Attala ex Ausoniæ partibus aduenisset eò rediturus, Bertulphus fama sanctitatis viri commotus impetrata ab Abbate suo licentia, cum eo Bobium venit, ibique sub illius disciplina ita vixit; vt ab eo successor declaratus, illi post mortem in regimine subrogatus fuerit. Cumque monasterio summa cum sanctitatis, & prudentiæ laude præesset, antiquus hostis aduersus illum Procum Episcopum Cleronẽsem excitauit: qui ab Arioualdo Rege Longobardorum in monasterium Bobiense potestatem postulauit: ac Rege respondente, vt prius monasteria ab vrbibus dissita Episcopis subdita esse probaret, cum id probare conaretur, Bertulphus re cognita ad Regẽ misit, qui, ne se ei Episcopo subdi pateretur, illum rogarent. A quo (licet Arianus esset) illud responsum tulit. *Non est meum Sacerdotum causas discutere: quas Synodalis examinatur, ad purum debet iudicari.* Obtenta autem ab Arioualdo Romam petendi licentia, eò profectus ab Honorio I. Pont. Max. priuilegium, ne vllus Episcoporum in monasterium Bobiense ius aliquod sibi vendicaret, impetrauit. Bobium autem rediens, in itinere intra montes tanta vi febris opprimitur, vt mori crederetur: sed nocte, cum Ionas discipulus, qui solus apud eum remanserat, dormiret, S. Petrus Apostolus (cuius vigilia celebrabatur) apparens ait: *Surge, & sospes ad sodales tuos abi*, quod cum fecisset, morbus cum prorsus, & illicò reliquit. Bertulphus itaque fusis in ecclesia SS. Petri, & Pauli precibus, egrediens hominem nomine Viatorem ab immũdo spiritu liberauit, ac non multò post infantulum à Dæmone obsessum, & leprosum ad se perductum oratione, & signo crucis mirabiliter sanauit. His alijsque præclarè gestis S. Abbas 14. Kal. Septembris post an. sal. hum. 626. migrauit ad Dominum Bobij sepultus. *Ex vita per Ionam Ab. & discip. scripta, a Sur. tom. 4. rel.*

ANNOTATIO.

MEm. inter alios S. Bertulphi, & Baron. in Annal. ad an. D. 626. quem Bertolphum vocat. Quod Cleronen. Episcopus S. Bertulphum exagitasse refertur, mirum videtur, cum nulla ciu. in Liguria neque in finitimis regionibus sit, qua Cleronen. nominetur. Puto pro Derthonensis. Cleronensis scriptum fuisse.

Augusti

Augusti die 20.

DE S. PORPHYRIO PRESBYTERO, ET CONFESS. ROM.

Porphyrius Presbyter Rom. Romæ Aureliano Imp. vixit, ac sanctitate floruit: qui S. Agapitum Prænestinum martyrem à teneris in christiana religione erudiuit, & educauit. Cum autem Agapitus martyrio coronatus fuisset, & ipse Porphyrius vir Dei sancto fine quieuit 13. Kal. Septembris. *Ex pass. S. Agapiti, & Martyrol.*

ANNOTATIO.

An Porphyrius eodem anno obierit, quo Agapitus martyrio decessit, an illi superuixerit, incertum est, cum Acta propria ipsius desiderentur.

Fuit alter huius nom. Presbyter Camerini passus: de quo ad diem 4. Maij actū est. Hunc Pet. in Cat. lib. 7. c. 102. martyrem facit, inquiens illum ab Antiocho à quo & Agapitus, martyrio affectum fuisse.

DE SS. MARTYRIBVS LEONTIO, ET CARPOPHORO Vincentiæ patronis.

Leontius, & Carpophorus fratres ciues Vincētini; ac medici ex Arabia profecti Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus cum Aquileiam peruenissent, & in Christi nomine mederentur languoribus apud Lysiam Præsidem christianæ religionis accusati comprehendūtur, ac de religione interrogati, se christianos esse libera voce professi, se nullà ratione ab agnita semel veritate abduci posse respondent. Quare primùm neruis crudeliter cæsi cum in fide stabiles essent, catenis constricti, & colligati in mare demergi iubentur. Sed cum diuinitus erepti ad littus incolumes delati fuissent, rursus comprehensi in accensum rogum inijciuntur. Vnde etiam illæsi cum exissent, equuleo diu torti, lapidibus, & sagittis, quæ mirabiliter in ipsos sagittarios, & lapidantes retorquebantur, feriuntur. Verùm cum ex his omnibus SS. martyres diuino beneficio in fide constantes euasissent, denique iubente Præside capitis obtruncatione martyrium fæliciter consumarunt 13 Kal Septembris. Quorum corpora Vincentiam translata in ecclesia Cathedrali condigno honore condita sunt. Agitur eorum dies festus maxima celebritate. *Ex monum. Eccles. Vincent. qua in Cod. antiquo pergam. M. S. legimus.*

Sagittæ in sagittarios retorquentur.

ANNOTATIO.

Pet. in Cat. lib. 7. c. 87. pluribus horum martyrium refert. Non sunt autem contraria, quod ex Arabia profecti ciues fuerint Vincentini: nam fieri potest, vt ex Arabia venientes Vincentiam, ibi diu morati ciuitate donati fuerint; vel ex Arabia ducentes genus, Vincentiæ nati, & educati sint.

Augusti die 21.

DE S. CYRIACA VIDVA, ET MARTYRE ROM.

Cyriaca Vidua Valeriano Imp. christianos domi suę plures alebat, in ijs Presbyteros, & Clericos, apud eam ob persecutionis acerbitatē latitantes. Habitabat, in M. Celio, in quo cum suo viro annos 11. in viduitate verò 32. vixit. Ad eius domum veniens Sanctus Laurentius Leuita paulò ante passionē pedes omnium christianorum lauit: ipsique oranti, vt manus capiti suo imponeret, statim,

Laurentius omniū christianorum pedes lauat.

statim, vt manus imposuit, dolor capitis, quo maximè affligebatur, omnis abscessit. Cum itaque christianos hospitio excipere perseueraret, accusata comprehenditur, ac cum Diis immolare renueret, arctæ custodiæ tradita fustibus contunditur: cumque percussionis signa nulla appareret, & in confessione Christi immobilis permaneret, tandiu scorpionibus, & plumbatis cæsa est, donec emitteret spiritum 12. Kal. Septembris. Cuius corpus à christianis in agro Verano tumulatum, postea in Equitij titulum translatum est à Sergio II. Pont. *Ex Actis eius M.S. & ex pass. S. Laurentij.*

A N N O T A T I O.

HAec S. Vidua non modò christianos domi sua fouebat; sed & cœmeterium, quod de ipsius nomine appellatum est, corporibus martyrum tumulandis construxit in agro prædicto: cuius Prudent. in hymno 2. de S. Hippol. mem.

DE S. PATERNO MARTYRE APVD FVNDOS.

PAternus natione Ægyptius, apud Fundanam ciuitatem passus est. Cū enim is ex Alexandria Romam, vt SS. Apostolorum memorias visitans veneraretur, venisset; ac postea persecutione commota in agrum Fundanum secedens martyrum corpora conquisita sepeliret, deprehensus ab hostibus fidei, & à Tribuno comprehensus in vincula conijcitur; in quibus malè habitus expirauit. 12. Kal. Septembris. *Ex monum. Eccles. Fundana.*

A N N O T A T I O.

TEmpus, & nomen Imp. sub quo Paternus passus est, in Actis prad. eccl. minimè exprimuntur.

DE SS. MARTYRIBVS LVXORIO, CESELLO, & Camerino Calaritanis.

LVxorius miles Sardus Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus Christum colens, cum sacras litteras legere cœpisset, relicta vita militari pietatis officia colere cœpit. Quapropter M. Delasio Præsidi Calari accusatus, ab eoque, cur militiæ renunciasset, & Deos non coleret interrogatus, Respondit, quia longè præstantiorem Christum inuenisset, quam Deos, & Imperatores. Data autem ei optione, aut Deos venerandi, aut mortē subeundi, cum se mori pro Christo paratum diceret, vinculis ferreis constrictus in tetrum carcerem truditur. Post aliquot dies eductus, cum Præsidis consilijs non acquiesceret, verberibus acerbissimè cæditur, ac tortoribus iam defatigatis fustibus crudeliter mactatur; cumque in supplicijs diuinas laudes caneret, extra vrbem ductus capite plectitur 12. Kal. Septembris, & à christianis ibidem, vbi postea templum suo nomini excitatum est, sepelitur. Eodem tempore passi sunt Cesellus, & Camerinus impuberes; qui Calari nati, & enutriti, ac à teneris Christi fidem edocti, & ipsi apud Delasium accusati: licet nondum verbis accommodatis respondere scirēt, quod essent adhuc pueri, firmo tamen animo fidem ita retinebant, vt nullo pacto Dijs honorem habere adduci possent. Quare in carcerem traditi sunt donec Luxorius expediretur. Eo in cœlos transmisso, Cesellum, & Camerinum eductos, vbi se frustrà illis minis, & blanditijs suadere animaduertit, gladio eadem die percuti iubet. Quorum corpora à christianis eo loco sepulta sunt, vbi

postea

postea B. Lucifero Episcopo Calaritano templum ædificatum fuit. *Ex Io. Arca de SS. Sardinia, & Io Franc. Fara lib. de Reb. Sard.*

ANNOTATIO.

Horum corpora Pisis eò translata, quo tempore Saraceni Sardiniam depopulati sunt, siue quo Pisani classe eam Insulam sibi subegerunt, vt alijs videtur, habentur. Quorum dies festus ibi die 26. huius agitur, vti ex Tab. Eccl. Pisana apparet. Corpora etiam Papia esse feruntur, eò vnà cum corpore S. Augustini translata.

DE SS. MARTYRIBVS DONATO, ET SOCIIS PATRONIS Ciuitatensibus.

Donatus Diaconus Singidonensis ecclesiæ (vrbs est Singidonum Mysiæ superioris apud Danubium) In persecutione Diocletiani, & Maximiani à Victoriano Præside ob Christi fidem comprehensus, ac ab eo, cur Deos, quos Imperatores, & alij colunt, non coleret, interrogatus respondit: *Deos mutos, & surdos non colo; colo autem Iesum Christum Deum verum, & omnipotentem, qui fecit Cœlum, & Terram.* Dicente aũt Victoriano, *Recede ab hac stultitia tua*, audenter respondit, *Tu stultus es, & tui similes stulti sunt, Deos, qui nec sibi, nec alijs prodesse possunt, adorantes.* Quibus verbis Præses incensus Donatum capite plecti iubet. Post quem Presbyterum eiusdem ecclesiæ fortiter pro fide dimicantem decollari præcepit. Tum Venustum S. Donati fratrem in vrbe Cibalitana captum, vt Dijs sacrificaret, hortatur, ne sibi, vt Donato fratri contingeret. Cui Venustus subridens ait, *Deos, quos dicis, nescio; vnum scio Deum verum patrem, filium, & spiritum sanctum, cui sacrifico, non Dijs tuis vanis.* Quare Victorianus ira percitus Venusto extra vrbem ducto caput amputari iussit 12. Kal. Septemb. Quorum martyrum corpora à christianis sepulta, Forum Iulium translata: ibi præcipuo honore coluntur, Ciuitatenses enim SS. martyres suæ vrbis tutelares sibi asciuere. *Ex monum. Eccl. Ciuitaten. & ex Breu. Antiq. Aquileien.*

Donatus Victorianũ Prę- fidem stultũ appellat.

ANNOTATIO.

Et si in Italia passi non sunt: paucis tamen eorum passionem commemorare libuit, quod vrbis Italicæ sint protectores, ibique eorum corpora quiescant.

DE S. ATTALO MARTYRE PRÆNESTINO.

Attalus Cornicularius cum S. Agapiti martyris, quem ad Idolorum cultum perducere conatus erat, miracula vidisset, ad Christum conuersus, & ipse in eadem persecutione captus frustraque, vt ad Idolorum cultum rediret, tẽtatus, eodem anno, quo Agapitus, paucis interiectis diebus: hoc est. 12. Kal. Septembris martyrium sub Antiocho Præside subijt. *Ex pass. & Gest. S. Agapiti.*

ANNOTATIO.

Eius meminit Pet. Gales. in suo Martyrol. hac die.

DE S. RICARDO EPISCOPO ANDRIENSI.

Vide die 9. Iunij.

DE S. NATALI PRESBYTERO, ET CONFESS. CASALENSI.

Natalis Beneuentanus S. Euasij socius, & Comes, cum eo Romã, inde Astã Pompeiam (cuius vrbis Euasius Episcopus ordinatus fuerat) venit, ibiq;

ab

ab eo Presbyter factus est. Cum verò post aliquot annos Ariani in S. Episcopum,& suos conspirassent, Euasiusque vrbe cedens Volusianum venisset, illū Natalis secutus est: cumque hostes eos insequerentur,& Euasius celeri fuga cū socijs elapsus pedum reliquisset, Natalis ad illud accipiendū missus, terræ defixum fronduisse reperit. Ex quo in ijs locis, ibi consistendum esse intelligentes apud Sedulam (cui Casalensis ciuitas successisse videtur) ecclesia S.Laurētio extructa, ibi Domino in populorum finitimorum conuersione ministrantes commorati sunt, quoad ob fidem Euasius Episcopus, Proiectus Diaconus cum alijs martyrio coronati sunt: quorum corpora Natalis absens, cum rediјsset, sepelienda curauit: ipseque post aliquot annos, cum orationibus, vigilijs, & alijs pijs exercitationibus Deo fideliter famulatus esset, 12. Kal. Septembris sancto fine quieuit. *Ex vita S.Euasij, Tridinij, An.D.1566. edita.*

ANNOTATIO.

IN ea vita (in qua plura de Casalensi ciuitate narrantur) nonnulla videntur emendatione indigere, quemadmodum in vita S. Proiecti monuimus.

Augusti die 22.

DE S. TIMOTHEO MARTYRE ROMÆ.

TImotheus Antiochenus Romam veniens Melchiade Sūmo Pont.& Constantino Imp. à Syluestro hospitio excipitur. Cum per annum, & amplius, ibi Christi fidem prædicasset, & multos conuertisset, à Tarquinio vrbis Præfecto comprehensus in vincula conijcitur; & post diuturnas carceris macerationes ad Idola perducitur, vt eis sacrificaret. Quam impietatem summa libertate detestatus, acerbissimè cæditur; cumque constantior in fide videretur, vngulis ferreis excarnificatus, viua calce perfunditur. In quibus supplicijs,& alijs immotus in Christi confessione perseuerans, demum martyr capite plectitur 11.Kal.Septembris. Corpus eius via Ostiensi propè sepulchrum B. Pauli sepultum est. *Ex Breu. Rom. & vet. M.S. S. Mariæ Maioris.*

ANNOTATIO.

NEmo miretur, quòd Timotheus Constantino Imp. martyrio affectus dicatur. Nā, & si Constantinus legitimus Imp. erat, Roma tamen Imperium per tyrannidē occuparat Maxentius; sub quo S. Marcellus Papa, & S. Melchiadeus, qui illi post S. Eusebium successit, passi sunt, sicuti & S.Timotheus: de quo agimus. Syluester autem, a quo Timotheus exceptus fuit, is est, qui Melchiadi successit in Pont.

DE S. HIPPOLYTO EPISCOPO PORTVENSI, ET MART.

HIppolytus Episcopus Portuensis doctissimus Alexandro Imp. insigni eruditione, & pietate claruit. Is cum Christi Domini fidem prædicaret, & multos passim conuerteret, ac præsentes christianos compellans adhortaretur, vt quam fidem à SS.Apostolis Petro,& Paulo traditam Romana coleret ecclesia, retinerent, Vlpiani Præfecti christianis infensissimi iussu comprehensus ob præclaram fidei confessionem manibus,pedibus ligatis, in altam foueam aquis plenam præcipitatus martyrio coronatus est 11.Kal.Septembris. Cuius corpus ibidem à christianis sepultum fuit, vbi eius extat memoria. *Ex Breu. Rom. & passione S. Aureæ.*

AN-

ANNOTATIO.

VSuard. & Ado de Hippolyto (celebratissimo apud Hieron. lib. de Scrip. Eccles. Euseb. lib. 6. c. 16. Hist. Eccles. & alios) die seq. passum scribunt cum Cyriaco, & Archilao. De quibus in Martyrol. Rom. seorsum agitur cum Max.

DE SS. MARTYRIBVS, MARTIALI, SATVRNINO, Epicteto, Maprile, Felice, & sociorum in Portu Rom.

MArtialis, Saturninus, Epictetus, Maprilis, & Felix cũ aliquot alijs, christianis & peregrinis in portum Rom. aduenerant; quo tẽpore S. Hippolytus Episcopus martyrio affectus est. Qui ob eiusdem fidei confessionem iussu Vlpiani Præfecti eadem die, qua S. Hippolytus, martyrij palmam adepti sunt. *Ex Martyrol. & Gest. S. Hippolyti Episcopi Portuen.*

ANNOTATIO.

HOrum Acta in Actis S. Hippolyti Episcopi Portuen. & mart. continentur, vt Card. Baron. in suis Annotat. monet. De eisd. Beda, & Vsuard. qui pro Maprilis, Aprilis habent.

DE S. ANTONINO MARTYRE ROMÆ.

ANtoninus carnifex, cum iussu Vitellij Iudicis SS. martyres, Eusebium, Vincentium, Peregrinum, atque Potentianum cum alijs torqueret, iuuenem illos circunstantem, & nimio splendore coruscantem, eorumque latera spongia extergentem conspicatus eo spectaculo commotus exclamare cœpit: Vnus, & verus Deus est, quem colunt christiani. Nec mora, concito cursu Rufinum Presbyterum adijt, supplexque se ab eo sacro fonte expiari postulat. Regeneratus summa cum festinatione, & alacritate incredibili ad Vitellium reuertitur: cũq; Iudex Eusebio linguam præcidi iussisset, Antoninus ad illum conuersus, *O hominum*, inquit, *immanissime, non te pudet sanctissimis viris tam dira supplicia inferre?* Ad quæ verba Vitellius diuinam sentiens vindictam ingentem sanguinis copiam ore euomuit, Antoninum verò via Aurelia ductum capite plecti iussit 11. Kal. Septembris. Passus est Commodo Imp. *Ex Gest. SS. Eusebij, & soc. & ex Pet. in Cat. lib. 7. c. 94.*

Antonini carnificis in Vitellium Iudicem crudelissimum obiurgatio acerrima.

ANNOTATIO.

DIuersus est ab alijs huius nom. martyribus, Romæ passis: quorum vnus die 6. alter die 29. Iulij, cum alijs coronati in Martyrol. Rom. referuntur.

DE S. GVNIFORTO MARTYRE PAPIÆ.

GVnifortus nobili genere in Scotia natus, & in christiana fide enutritus, cũ in christianos persecutio ferueret, cum Gumboldo fratre, & duabus sororibus in Germaniam venit: vbi licet christiani varijs tormentis interficerentur, Christum tamen prædicare non destitit. Sororibus autem martyrio affectis, ipse & frater superatis Alpibus Comum perueniunt. Vbi cum libera, & magna voce Christum annunciaret, Guniboldus gladio necatus est. Gunifortus verò Mediolanum pergens magno afficiebatur mœrore, quòd sororibus, & fratre pro Christi gloria coronatis, solus in sæculo relictus esset. Mediolanũ ingressus, vbi christiani diuersis cruciatibus perimebantur, aduersus fidei catholicę persecutores argumenta adeò perlucida obiecit, vt non valentes resistere in eum, ira in rabiem versi furerent. Qui Gunifortum extra vrbem pertractũ, sagittis confossũ, atque innumeris affectum vulneribus totoque corpore proprio cruore conspersum in via, quòd mortuum crederent, abeuntes reliquunt. Sed Gunifortus, qui sepulchrum in christiana vrbe optabat, cum respirare cœpisset, Papiam tanto

gradu tandem peruenit. Vbi cum sagittis corpore suo adhuc infixis à pia fœmina hospitio acceptus, post diem tertium 11. Kal. Septembris ad martyrij palmam euolauit. Cuius mors magnis miraculis illustrata est. Nam splendorem ingentem corpus illius circunstantem visum esse, campanasque omnes per vrbem nullo pulsante sonuisse, ac Dæmoniacos, cæcos, leprosos, claudos, aliosque diuersi generis languidos diuinitus sanatos ferunt. Corpus in propria ecclesia quiescit. *Ex eius vita M. S. quam Iacob. Gualla in sanctuar. lib. 6. c. 9. & Steph. Breuent. lib. 3. c. 4. Hist. Ticinen.*

Corpus Guniforti insolito splendore coruscat. Campanæ Papiæ impulsæ sonant.

ANNOTATIO.

H*Vius martyris historia satis manca videtur nec suspicione caret. cum nulla in ea Pontificis, Imp. aut Regis temporisque mentio fiat. Tametsi Constantio Imp. illum martyrio affectum esse probabile est: quo tempore Ariani, quibus ille mirum in modum fauebat, catholicos maximè diuexabant. Quæ persecutio etiam sub Vuandalis, & Gothis viguit.*

DE S. MAVRO MONACHO, ET MARTYRE PARENTINÆ vrbis patrono. *Vide die 22. Nouemb.*

DE S. ALDROVANDO EPISCOPO BALNEOREGII.

ALdrouandus Episcopus, qui & Androuandus, & Aldrebandus dicitur Balneoregij in Hetruria colitur ex antiqua traditione hac die: cuius caput ibi religiosè asseruatum, solet per vrbem Clero, populoque comitante circunferri, sanctique intercessione, quod suppliciter postulatur, impetrari. *Ex Tab. Eccl. Balneoregien.*

ANNOTATIO.

A*N huius vrbis, vel alterius Episcopus fuerit incertum est, cum acta illius desiderentur. Est & S. Aldrebandus Episcopus Forosempronien. de quo* Kal. *Maij.*

DE S. ANDREA DIACONO FÆSVLANO.

ANdreas natione Scotus S. Donati Episcopi Fæsulani discipulus, cum illo ex Scotia in Italiam causa peregrinationis veniens Fæsulis constitit: vbi ob eius virtutes, & probos mores sacris à Donato initiatus, postea Ecclesiæ Fæsulanæ Archidiaconus creatus est. Quo in munere inter cætera ab eo præclarè gesta, sacram ædem D. Martini extra vrbem ad Minsolam amnem collapsam restituit. Monasterium construxit: in quo cum aliquot alijs vitam austeram ad extremum vsque spiritum duxit. Eius sanctitatem multa ab ipso patrata miracula cæcis, Dæmoniacis, & alijs infirmis mirabiliter curatis testata sunt. Vixit Karolo Magno Imp. Denique pijs exercitationibus confectus obdormiuit in Domino 11 Kal. Septembris: qua die natalis illius ab Ecclesia Fæsulana celebratur. Corpus in ecclesia à se constructa conditum est. *Ex monum. Eccl. & ex lib. Franc. Diaceti Episcopi Fæsulani de SS. eiusdem Eccl.*

ANNOTATIO.

E*St huius quoque nom. Episcopus Fæsulanus; qui licet SS. Catalogo nondum adscriptus sit, vti S. tamen in sua eccl. celebratur. De quo die 14. Ianuar. egimus.*

DE

DE B. BERNARDO SENENSI ORD. M. OLIVETI Inſtitutore.

BErnardus ante Ioannes Senis ex nob. Ptolemæa familia natus à prima ætate litteris humanioribus, deinde legibus operam dedit: quas & publicè factus doctor ſumma cum laude eſt interpreratus. Cum autem publicam habiturus diſputationem in grauem oculorum ægritudinem incidiſſet, ſanctiſſimã Virginem precatus eſt, vt ſi ſibi lumen, & priſtinã oculorum ſanitatem reſtitueret, ſe ſuo famulatui relicto ſæculo perpetuò addicturum pollicitus. Qui mox compos voti factus, loco lectionis, diſputationisque grauem habuit de ſæculi huius contemptũ concionem in maxima auditorũ, quibus, quæ ſibi accidiſsent, narrauit, frequentia. Nec mora promiſſionis ſuæ memor, rudi amictu indutus, vrbeque egreſſus ſe in M. Oliuetum apud M. Ilcinum contulit, quem Patricius ex Patricia familia, & Ambroſius Picolomineus ambo nobiles Senen. eodẽ propoſito ſecuti ſunt. Ibi ædicula, cellulisque extructis ordinis fundamenta iecit facultaribus ſuis ei dicatis, aſperamque cœpit in ieiunijs, vigilijs, & orationibus vitam ducere; viditque inter orandum ſcalam ad cœlos vſque pertingentem, Angelosque deſcendentes monachos albi veſtitus per ſcalam ad ipſum Angelorum Regem eiusque genitricem candido amictu fulgentes deducere conſpexit. Cum autem multi in dies ad eum diſcipuli confluerent, ecce SS. viros æmuli quidam quaſi hæreticos apud Ioannem XXI. Pont. Max. Auenione agentem deferunt: qui eos ad ſe extemplò accerſiuit. Cum verò Pont. ab ijs, quos Bernardus miſerat, omnem vitæ eorum rationem, intellexiſſet, illos tanquam innocentes ad Guidonem Epiſcopum Aretinum, in cuius diœceſi erat locus, qui eis regulam præſcriberet, approbaretquę ſodalitatem, remiſit. Epiſcopus itaque, cũ ſibi ſanctiſſima Deipara in ſomnis albis induta veſtibus apparuiſſet, recentemq; congregationem commendaſſet, illos inter miſſarum ſolemnia in eccleſia Cathedrali habitu candido ſolemni adhibita benedictione die 21. Martij, An. ſal. 1319. induit, eisque D. Benedicti Ab Regulam ſeruandam pſæſcripſit; Congregationique S. Mariæ M. Oliueti, & Ioanni Bernardi nomen indidit. Reuerſi ad propria Patricium, Bernardo primatum detrectante, I. Congregationis Oliuetanæ Ab. elegerunt: quo defuncto in Domino, Ambroſius ſuectus eſſe, eoque ex humanis ſublato, Simonem III. loco ſubrogatunt Senenſem. Sed & illo ſanctè defuncto Bernardus regimen inuitus capeſſere cogitur An. ſal. 1322. Qui nihilominus nihil de vitæ ſuæ aſperitate remiſit, aſſiduis orationibus, vigilijs, meditationibus, ieiunijs, alijsque carnis macerationibus intentus. Sub eo multis in locis extructis cœnobijs ſodalitas propagara eſt. Denique Bernardus vbi ſui ordinis confirmationem ab eodẽ Pont. Auenionem profectus obtinuiſſet, annosque 27. ei optimis legibus communito præfuiſſet, Senis, dum ſuis monachis peſtilentia, quæ tunc graſſabatur in ea vrbe, infectis proprijs manibus inſeruiret, & ipſe percuſſus peſte ſpiritum Deo reddidit. An. ſal. 1348. 11. Kal. Septembris. *Ex Chron. eiuſd. Ord. M. Oliuetani.*

Bernardus à morbo oculorum liberat° conuertitur. Ad M. Oliueti cum Patricio, & Ambroſio pergit.

Viſione iucũdiſſima recreatur.

Acruſantur apud Pont.

Pont. cognita eorum innocentia eos ad Ep. Aretinũ remittir.

Epiſcopus Aretinus Albo habitu eos induit, & Regulam S. Bened. præſcribit.

B. Bernardus recuſat fieri Abbas.

Cogitur adminiſtrationem ſuſcipe.

Cõfirmationem Ord. à Pont. impetrat.

Peſte Senis decedit.

ANNOTATIO.

ET ſi eum vti Beatum in M. Oliueto, vbi corpus aſſeruatur, venerantur; haud tamen officio eccleſ. colunt, nondum ab Apoſt. ſede facultate impetrata.

Augusti die 23.

DE SS. MARTYRIBVS QVIRIACO EPISCOPO, MAXIMO Presbytero, Archelao Diacono, & alijs Ostiæ.

SS. mirabilia operantur.

QViriacus Episcopus, Maximus Presbyter, & Archelaus Diaconus vnà cùm Eusebio, & Concordio Presbyteris Ostiæ orationibus vacantes mira circa infirmos operabantur, quo tempore S. Hippolytus Episcopus Portuensis passus est, & Aurea virgo Ostiæ relegata fuerat. Nam Dæmones ab obsessis corporibus expellebant, cæcos ad lumen reuocabant: ægros, & languidos à varijs morbis liberabant. Cum Maximus, & Archelaus quadam die ad Censorinum, qui primas apud Vlpianum obtinebat, ob fidem Christi in carcere detentum, visitādum venissent, in ipso carceris ingressu catenæ omnes, quibus Censorinus constrictus fuerat, repentè sponte sua ceciderunt. Quo miraculo Theodorus Tribunus, & Felix, Maximus, Taurinus, Herculanus, Hiberius, Storacinus, Mēnas, Commodus, Hermes, Maurus, Eusebius, Rusticus, Monasius, Amādinus, Olympius, & Cyprius milites carceris custodes ad Christum conuersi, post triduanū ieiunium aquis salutaribus expiati sunt, & à Quiriaco in fide confirmati sacratissimo Christi corpore refecti. Cum verò Quiriacus cum socijs multis christianis comitatus illā transiret, vbi Faustinus puer duodennis sartoris filius defunctus iacebat, patris lacrymis permotus oratione illum ad vitam reuocauit. His ad Vlpianum Præfectum delatis, Vlpium Vicatium Ostiam misit, qui christianos Dijs immolare recusantes diuerso pœnarum genere interficeret. Is itaque omnibus comprehensis, ac frustrà minis à fide Christi deterritis, Maximū Archelaum, Censorinum, Faustinum, cum eius patre, Theodorum Tribunum, cum militibus supra memoratis nudatos fustibus cædi, ac Deo gratias agentes capite plecti, Quiriacū verò in carcere necari præcepit 10. Kal. Sept. Quorū corpora Eusebius Presbyter diuersis in locis sepelienda curauit. *Ex Gest. & pass. S. Aurea virg.*

Defuncto vita restituit.

ANNOTATIO.

PAssi sunt sub Alex. Imp. licet is christianis nullam inferri molestiam ob Mammeam matrem christianam præcepisset. Cuius autem vrbis Episcopus esset Quiriacus, an Ostia vel alterius, ex Actis non apparet. Huius Maximi, & Archelai, corpora Parmæ in templo Cathedrali asseruantur, vt Tab. eiusd. Eccl. indicant.

DE S. PHILIPPO CONFESSORE ORD. SERVORVM.

Cælestis B. Philippi visio.

Seruitæ habitum à B. V. suscipiunt.

PHilippus Florentiæ ex nobili Benitiorum familia ortus, Lutetiæ Parisiorum Medicinæ adolescens operā dedit. Reuersus in patriam, cum ecclesiam Seruorū (quæ D. Annunciatæ nominatur) ob singularem erga Deiparā virginem deuotionem frequēs visitaret, qua die ea verba ex actibus Apostolorū *Philippe accede, & adiunge te ad currum istum*, legebantur, actus in extasim currū aureum, quem ouis, & leo trahebant, & in eo sanctissimam Dei matrē comitantibus Angelis insidentē, nigraq; sibi indumēta porrigentē vidit. Sequenti nocte ab eadē Dei genitrice seruos suos adire iubetur. Quare sūmo mane consurgens Bonfiliū vnū ex septē Ord. Fundatoribus illius cœnobij Priorē adit, oratq; vt inter cōuersos recipiatur. Receptus vitam aliquandiu in M. Senario solitariam duxit. Vbi spelunca, in quam pœnitentiæ causa ingredi, & vim lacrymarum profundere solitus erat, nomen ipsius retinens, & aquam emittens adhuc visitur. Elucebant in eo præter cæteras virtutes, mira patientia, & insignis humilitas. Factus Sacerdos paulò post in capitulo Florentiæ celebrato Prior Generalis, quinto loco licet inuitus eligitur. Quod munus ab eo sæpius, sed frustrà renunciatum, 18. annos tanta prudentia administrauit, vt non modò in Italia: sed & in Germania, & alibi ordinem Seruorum multis extructis monasterijs mirificè pro-

Fons S. Philippi.

propagarit. Tanta fuit in eo humilitas, vt non nisi post 7. annos, quòd Generalis esset, à suis agnitus fuerit. Dissidentium paci, & errantium studuit emendationi. Nam Pistorij Guelphorum, & Ghibellinorum factiones per seipsum: Florentiæ vnà cum Fratre Latino Cardinale Ord. Prædicatorum Legato, Seruorumque Protectore sedauit. Foroliuienses, quòd à Martino IV. Pont. Max. defecissent, inter concionandum reprehendit: à quibus verberibus affectus Peregrinum vnum ex percussoribus conuertit: qui eandem religionem ingressus, vitæ sanctitate floruit. Visitando, & prædicando Embdam vsque Frisiæ occidentalis metropolim peruenit, multis ab hæresi, & alijs vitijs per ciuitates ad Deum conuersis. Plura viuens edidit miracula. Nam apud Camillianum agri Senensis vicum ad curiam pergens leproso nudo eleemosynam petenti propriã vestem concessit: qua ille indutus statim à lepra conualuit. Quo miraculo peruulgato, dum Viterbij Cardinales Clemente IV. Pont. Max. vita functo de successore eligendo dissiderent, nonnullis Philippum proponentibus, ille recognita, clam inde recedens (quod maximæ humilitatis argumentum fuit) apud M. Tuniatum delituit; vbi balneis; quæ vsque in hodiernum diem S. Philippi nominãtur, virtutem sanandi morbos impetrauit. Arreti cum fratres ob maximã victus penuriam fame conficerentur, pius accurrens pater eos blandè consolatus, dum ad imaginem sanctissimæ Virginis orat, ecce duos cophinos candidissimorum panum plenos ad ianuam monasterij, diuinitus delatos. Cum in Germaniam Euangelium prædicaturus Rodulphi Imp. inuitatu proficisceretur apud Lauinum amnem inter Bononiam, & Mutinam sub arboris vmbrã sole ardentissimo diuersatus nonnullis blasphemantibus diuinam vltionem prædixit: quæ illos statim, vt ab eis recessit, secuta est: nam ignis de cœlo in morem turbinis descendens arborem cum illis prorsus absumpsit. Ex Germania rediens, ingressus nemus inextricabile, cum socij media triduò afflicti, non possent vlterius progredi, Philippus facta oratione voces quasdam secutus, nemine tamen viso, panem, & aquam, quibus recrearentur, inuenit. Demum Tudertum veniẽs meretricibus, quæ sibi in via illudere ausæ fuerant, sic persuasit, vt in monasterio apud Carsulam (quæ vrbs nunc iacet) inclusæ perpetuò pœnitentiam egerint. In vrbis ingressu totam ciuitatem sibi tanquam patri obuiam habuit. Ecclesiam ingressus, & ad altare B. Virginis orans, cum quasi diuinans ea verba. *Hæc requies mea* pronunciasset, paulò post in Festo Assumptionis B. V. in morbũ incidit, ex quo octauo die Fratres ad obseruantiam regularem hortatus, sacrisq; munitus 11. Kal. Septembris an. sal. 1285. migrauit ad Christum. Eius sanctitas multis miraculis declarata est. In ijs, mulier manibus, pedibus contracta, vt sacrũ corpus attigit, statim incolumis domũ remeauit. Cæcus ad tumulum illius delatus, illicò visum recepit. Puer in agro Tudertino à lupo strangulatus, eius meritis ad vitam reuocatus est. Mulier, quæ & miracula negare, & seruum Dei irridere præsũpserat, mox effecta est muta: quę resipiscẽs, & ad illius pedes prostrata veniamq; precata pristinam loquẽdi facultatem recuperauit. Viduæ filius vnicus ex diutino morbo defunctus, dum mater gemebunda opem Philippi implorat, rediuiuus surgens Philippum sibi succurrentem vidisse testatus est, stupentibus, qui, vt matrem solarentur, aduenerant. Quare Leo X Pont. Max. cognita viri sanctitate, cũ illũ grauissimis curis impeditus, non potuisset in SS. numerũ referre, Fratribus sui Ord. vt de illo officiũ duplex 10. Kal. Septemb. recitarent, concessit. *Ex off. & monum. eiusd. Ord. Quæ Baron. in Annot. fide dignissima testatur. Vitam fusissimè lib. quinque descripsit F. Archangelus Ianius Florentinus Sac. Theol. Magister eiusd. Ord.*

Mira Philippi humilitas.

Ghueltorum ac Ghibellinorum factiones sedantur.

Peregrinus Foroliuien. Philippi percussor conuertitur.

Leprosus mũdatur.

Philippus Põtificatus apicem despicit.

In maxima victus penuria duos candidissimorũ panũ cophinos ad ianuã monast. Philippus comperit.

Ignis de cælo blasphemantes absumit.

Philippus in densissimo nemore panem, & aquam inuenit.

Meretrices duæ in monasterio pœnitentiã agunt.

Mulier contracta sanat.

Cæcus visum recipit.

Puer à lupo strangulatus excitatur.

Mulier incredula effecta muta resipiscens consequitur loquelam.

Filius viduæ vnicus defunctus ad vitam reuocatur.

ANNOTATIO.

Et si nondum solemni ritu SS. Catalogo adscriptus est. Paulus tamen V. Pont. Max. vitam, quam ipsi conscripsimus, in lectiones reductam, a 4. Cardinalibus examinatum nobis, dum fungeremur Generalis officio, humiliter petentibus, Apostolico Diplomate approbauit. Quem off. ecclesiast. in Tuscia venerandum Mag. Hetr. Dux nuper à B. Apost. sede postulauit.

„ *Huius, quem genuit Florentia Virgo vocauit,*
„ *Ossa Tuder retinet, spiritus Astra colit.*

DE SS. HERMOGENE, ET FORTVNATO martyribus Aquileiæ.

Hermogenes Lector, & Fortunatus Diaconus Ecclesiæ Singidonẽsis in persecutione Diocletiani, & Maximiani sub Victoriano Præside passi sunt; eodem tempore, quo S. Donatus, & socij ex eadem vrbe. Cum enim Fortunatus diuersis tormentorum generibus affectus in fidei confessione persisteret, capitis obtruncatione martyrium compleuit. Inde Hermogenes ob eandem causam comprehensus dicenti sibi Victoriano, *& tu Hermogenes seductus es?* Respondit: *Tu seduceris miser*. De religione, & officio interrogatus respondit: *Hermogenes christianus sum, & lector. Quorum lector?* ait Præses, Respondit S. martyr, *lego populo scientiam Dei, hoc est Domini mei I. C mandata*, Monitus Dijs immolare, cum liberè Dijs inanibus immolare recusaret, & ipse demum gladio animaduersus palmam martyrij adeptus est, 10. Kal. Septembris. Quorũ corpora Aquileiæ requiescunt. *Ex pass. S. Donati, & sociorum, ac ex Breu. antiq. Aquileien.*

ANNOTATIO.

Quando, & quomodo corpora horum mart. Aquileiam, translata fuerint, acta paucis in dicto Breu. recitata minimè docent.

DE S. MODERATO EPISCOPO VERONENSI.

Moderatus Episcopus XXIV. Veronæ, S. Felici in Episcopatu successit. Hic verè Moderatus fuit nomine, & re. Nam moderationem in rebus omnibus præterquam in amando Deo adhibuit: ac iuris seueritatem ita clementia contemperabat, vt illum omnes, & amarent, & vererentur: voluntatemque eius & authoritatem libenter sequerentur. Erat in pauperes præsertim liberalis. Cum aliquot annos sanctè suæ præfuisset Ecclesiæ, non sine ciuium mœrore migrauit è vita 10. Kal. Septembris Saluino sibi in Episcopatu succedente. *Ex Tab. & monum. Eccl. Veronen. ac ex lib. de SS. Episcopis eiusd. eccl.*

ANNOTATIO.

Corpus huius S. Episcopi in æde S. Stephani conditum est, in columna, cui aqua Bened. vas affixum est, ex inscript. & constitut. synodali.

DE S. ANTONIO MONACHO, ET CONFESS. LOCRENSI.

Antonius patria Locrensis, (quæ vrbs Hieracium nunc in vlteriore Calabria nominatur) factus monachus S. Basilij, in cœnobio apud Locros vnà cum

cum B.Nicodemo eiusdem instituti monacho vitam sanctissimam degit, ab omni rerum humanarum cura alienam; etenim in abstinentijs, orationibus, meditationibus, & carnis macerationibus Deo dignè meruit famulari. Qui multis cumulatus meritis, & miraculis clarus 10.Kal.Septembris, obdormiuit in Domino, in eodem monasterio, in quo vixerat sepultus. *Ex Cron. Calabriæ. Dauid Rhom. in Cat. SS. Regni Neapolit.*

ANNOTATIO.

Vixisse fertur circa ea tempora: quibus tot Monachi per Calabriam sanctitate florebant, in quibus SS. Nilus, Bartholamæus, Fantinus, Zacharius, Helias, Ieiunius, & alij.

Augusti die 24.

DE S. BARTHOLOMÆO APOSTOLO.

Bartholomęus Galilęus obscuro loco natus, sic dictus, quasi Tholmai filius, in Apostolorum numerum ex piscatore cooptatus primum in Asia prædicauit, vbi cum Philippo Apostolo captus in carcere missus est. Inde eductus ad Indos ad prædicandum Christi Domini Euangelium, profectus traditur. Ex India in Maiorem Armeniam veniens ibi Astaroth Idolum destruxit, gentéq; veritatis semitam docuit. Cum autem Dæmones solo iussu è corporibus obsessis eijceret, Polymijque Regis filiam à Dæmone mirè vexatam liberasset, ipsum Regem remissis eius amplissimis muneribus, in fide prius instructum, & inde magis confirmatum, quod Bartholomæus Dæmonem, quem gens illa Deum colebat, Christi fidem veram, ipsumque verum Dei filium esse, se verò falacem, & mendacem præsente Rege, & populo fateri coegit, cum vxore, & liberis, ac ingenti populi multitudine aquis salutaribus expiauit. Quod Astyages Regis frater indignè ferens, à Sacerdotibus Dæmonum stimulatus Bartholomæum ad se accersitum, quibus artibus Regem seduxerit interrogat: Cui Apostolus, *nulla alia arte, nisi Deum, quem colebat cohercendo, & obstringendo*. Dicenti autem Astyagi; *efficiam ego, vt tu Deo meo supplex fias, eique thura adoleas*, respondit, Apostolus: *quid si & tuum Deum solo verbo, confringam, comminuamque; nunquid & tu, vt frater tuus Rex Christum verum Deum veneraberis?* Cumque Astyagi nunciatum esset, Deum suum cecidisse, perfractumque iacere, ille subito furore correptus Bartholomæum fustibus cædi, viuoque pellem detrahi, ac demũ securi percuti iussit. Corpus à Polimio Rege populo comitante magno cum honore elatum honorifico sepulchro conditum est. Cum verò multis magnisque miraculis in dies emicaret, Idolatræ illud clam extractum, loculisque plumbeis inclusum in mare proiecerunt. Sed diuina prouidentia factum est, vt illud Liparam Siciliæ insulam mirabiliter deferretur: vbi in magnificentissimo ei templo extructo conditum fuit: quoad anno reparatæ salutis 840. Inde Beneuentum summa celebritate translatum est. Anno verò 983. Beneuento ab Othone II.Imp.capto ab ipso Imp.Romam in Insulam Lycaoniam, vbi magnam habet, vrbe per octo dies eius ecclesiam frequentante, venerationem, delatum fuit. *Ex Breu.Rom. Metaph. Gregor. Turonen. Niceph. Callisto.*

Bartholomęus ex piscatore Apostolus.
In India prædicat.
In Armenia Idola destruit, & Regem conuertit.
Dæmones cogit ad confitẽdum Christũ verum Deũ.
Deum Astyagis solo verbo absens deijcit.
Iussu Astyagis decoriat[*] securi percutitur.
Corpus ab Idolatris in mare proiectum Liparã defertur.
E Lipara Beneuentũ transfertur.
Inde Romam ab Othone II. Imp. delatum.
Beneuẽtanos dicere apud se adhuc esse corpus Apostoli controuersia de martyrio S. Barthol.

ANNOTATIO.

Beneuentani corpus S.Barthol. se adhuc habere asserunt locum indicant; et corpus ipsum ostendunt, dicentes se Othonem Imp. sibi iratum fefellisse alterius corpore loco corporis Apostoli supposito. Non mediocris quoque inter scriptores de Bartholomæi martyrio lis est. Metaphr. enim, & Niceph. illum cruci affixum capite deorsum verso tradunt; cæteri ferè omnes excoriatum scribunt.

DE S. AVREA VIRGINE, ET MART. APVD OSTIAM.

AVrea virgo Romana nobilis ab ineunte ætate christiana, apud Vlpianū vrbis Præfectum Alexandro Imp. accusata, iussu illius comprehensa obscuro carcere sine cibo, & potu 7. dies includitur: quibus elapsis Præfecto sistitur; à quo primum blanditijs, & promissis tentatur, vt abiecta christianorum religione Deos coleret: deinde cum illa se Christo, quem Deum vnum, & verum toto corde diligeret, desponsam diceret, eam immaniter cædi, ac in fronte (quod ignominiosum erat) notatam Ostiam in exilium deportari iussit. Cum autem sancta virgo Censorinum martyrem in vinculis Ostiæ detentum visitasset, eiq; necessaria ministraret, domique suæ SS. Quiriacum, Maximum, Archelaum, cū socijs, & milites ad Christum conuersos exciperet, ac Faustinum puerum defunctum à S. Quiriaco suscitandum curasset, his cognitis Vlpianus Præfectus Vlpium Vicarium Ostiam misit: qui christianos cruciatibus Deos colere compelleret. Is Auream aggressus, vt magia, & dementia depositis Deos veneretur hortatur. At illa Deos dæmones esse, & miserum Iudicem, qui factorem suum non agnosceret, dicens, in equuleo suspensa acriter torquetur: qua machina diuinitus dissoluta, virgo absque omni læsione fuit. Quare Vlpius iratus illā fustibus dirissimè mactari, ac faces ardentes lateribus eius admoueri præcepit: in quibus cruciatibus constans, & Christo gratias agens in carcerem reducitur. Post Quiriaci, Maximi, Archelai, & aliorum martyrium, Aurea educta Iudicem interpellare cœpit, & vt Deum verum, qui cuncta creauit, Dijs inanibus omissis, adoraret, hortari. Qui illam in fidei confessione semper constantiorem plumbatis cæsam, ac ingenti saxo ad collum alligato in mare demergi iubet. Cuius corpus ad littus reiectum Nonnus Episcopus in prędio ipsius virginis sepeliuit. 9. Kal. Septembris: quo in loco postea ecclesia suo nomini dicata cum corpore eiusdem virginis perseuerat. *Ex Actis illius M.S. à quibus Anton. Gallon. vitam contexuit.*

Aurea in frōte notata exulat.

Aurea Iudicem interpellat.

ANNOTATIO.

DE Nonno Episcopo, qui S. Auream sepelijt, lis est inter scriptores: nam alij illum eundem cum Hippolyto Episcopo Portuensi, cuius in Actis S. Aureæ fit mentio, esse putant; vt Baron. & Anton. Gall. sentire videntur: quod tamen historia veritati repugnat; siquidem S. Hippolytus Portuen. ante S. Auream passus est, ex Martyrol. Rom. & ex actis vtriusque, quomodo igitur corpus Aureæ potuit sepelire? Alij Nonnum Episcopum Edessæ, qui Pelagiam conuertit, fuisse arbitrantur: in qua sententia Pet. Damianus est in epistola ad Nicolaum Papam II. Sed ille non sub Alex. sed sub Theodos. Iuniore, & Valentiniano Impp. vixit, vt apud Niceph. in Hist. Eccles. in vita Impp.

De corpore etiam Aureæ dubium suboritur: nam Anton. Gallon. & Baron. illud Ostia in propria eccl. extare testantur. Tab. verò Eccl. Parmen. in Cathedrali eiusd. vrbis quiescere indicant.

DE S. SABINIANO MARTYRE APVD OSTIAM.

PAssus est post S. Auream Sabinianus, qui illi inseruierat, cum Thesauros dominæ suæ prodere, nec Dijsque sacrificare noluisset, plumbatis cæsus, in equuleo tortus, & facibus circa latera adustus. Cuius corpus in puteum proiectū, à Concordio Presbytero extractum apud Aureæ corpus sepultum est. *Ex pass. S. Aureæ.*

DE

DE SS. EPISCOPIS, ET MARTYRIBVS PTOLEMÆO, & Romano Nepetæ.

PTolemæus patria Antiochenus S.Petri Apostoli discipulus, cum eo Apollinare Hermacora & alijs Romam venit. Vbi Romanum Nepesinum Philosophũ ad Christi fidẽ perduxit, in eaq; erudiuit. Vterque postea ab Apostolo Episcopus ordinatus est, Ptolemæus quidem Pentapolis in Tuscia (quæ vrbs Nepetæ, & Sutrio finitima erat) Romanus verò Nepetæ. Cum verò prędicatione, & mirandis signis multos ad Christi cognitionem adducerẽt, ab Idolorum cultoribus apud Aspasium Comitem, & Tribunum Claudio Imp. Tusciæ Præfectum accusati comprehenduntur, ac in vincula coniecti variè cruciantur, quod Idolorũ, quibus sacra facere iubebantur, impietatem detestantes, in Christi cõfessione fortes perseuerabant. Primùm itaque verberibus cæsi, in equuleo suspẽsi grauiter torquẽtur: deinde ignibus exurũtur: demum cũ nullis tormentis ad impietatẽ adigi possent, capitis abscissione vnà cũ alijs 30. christianis martyriũ compleuerunt, 9. Kal. Septembris. Quorum corpora Sauinilla Deo amabilis fœmina aromatibus condita in crypta sepelienda curauit. *Ex monum. Eccl. Nepes. & Sutrina, & ex lectionib. Nepeta in eorum Festo solitis recitari.*

ANNOTATIO.

B*Aron. Ptolemai mem. in Annot. in Martyrol. ad diem 19. Oct. & in Annal. Eccles. ad an. D.46. vbi primos Italia, & Gallia Epp. recensens, Ptolemaum Ep. I. Nepe memorat, qui tamen non Nepe, sed Pentapolis Episcopus fuit, vt Acta illius habent.*

DE S. ORONTIO EPISCOPO I. ALETINO, ET MART.

ORontius, cui prænomen Publius erat, nobilis Aletinus cũ S. Iustũ D. Pauli Apostoli discipulum Romã properantẽ hospitio excepisset, (Aduenas .n. ab adolescentia consueuerat domi suæ excipere) ab eo fidem in Christũ Dñm edoctus vnà cũ tota eius familia baptizatus est, & ab eodẽ Roma reuerso vnà cũ Phebe muliere sanctissima Corinthũ ad Paulum Apostolum và cum Fortunato ciue Aletino propinquo suo perductus. A quo primus Aletinorũ Episcopus ordinatus, & vnà cũ Iusto, & Fortunato in patriam reuersus breui illã ad Christi fidem adiuuante Iusto perduxit. Quo tempore excitata à Nerone in christianos immani persecutione, B. Orontius ab Imp. satellitibus in baptizandis, quos Iustus conuertebat, deprehensus, nunquam adduci potuit, vt fidem abnegaret, cumque eos ad eandem fidem amplexandam hortaretur, tandem ab ipsis interfectus ad martyrij præmium euolauit in cœlum circa An. hum. sal. 68. *Ex monum. Eccl. Aletina M.S. & Paulo Reg. lib. 1. de SS. Regni Neapol.*

Orõtius adhuc Gentilis peregrinos hospitatur. A S. Iusto cõuertitur ad Christum. Corinthi à S. Paulo Apostolo I. Episcopus Aletij ordinat. In persecutione Neroniana martyrio coronat.

ANNOTATIO.

D*ies martyrij SS. Orontij, & Iusti pracisus ignoratur. Orontij tamen natalis die postrema Dominica mensis Augusti, siue vt Paul. Reg. testatur 1. Dom. Septembris insignis celebritate colitur Aletij; vbi per dies 8 solemnes nundina habetur, sequenti verò die S. Iusti pariter Episcopi Aletini festiuitas celebratur, licet simul cum Orontio martyrium obierit, vt Acta testantur.*

Augusti die 25.

DE SS. MARTYRIBVS EVSEBIO, PONTIANO, Vincentio, & Peregrino Rom.

EVsebius, Pontianus, Vincẽtius, & Peregrinus christiani Romæ in Vico Carnario christianæ pietati vacãtes, quo tẽpore Cõmodus Imp. & populus Rom. sacra Dijs faciebãt, in proximas vrbes, & vicos digressi populos ab ea impietate

& er-

& errore prædicantes abducere studebant, quod cum in vrbe Roma quoque fecissent, Iulium Senatorem inter alios ad christianam fidem perduxere: quem ét martyrio affectum à Vitellio in cœmeterio Calepodij sepelierunt. Quod vbi Vitellius accepisset, eis comprehensis horrenda minatur supplicia nisi Senatoris facultates detegerent, ac Dijs immolarent, cum verò Eusebius audenter respon

Horrenda sanè supplicia.

disset; *quid nos minis terrere laboras, quibus nihil antiquius esse potest, quam eadē pro Christo, quæ Iulius pati?* His verbis Iudex incensus eos in equuleo facie ad faciē suspēdi, & neruis, ac fustibus sine intermissione cædi iubet; In eo supplicio martyres ad tortores dicebant: *Nolite remittere; ante enim vobis tempus, quàm nobis animus pro Christo patiendi deficiet.* Cumque Vitellius constantiam martyrum miratus, eos magia præditos in tormentis lætari diceret, Vincentius respondit, *non Gaudemus nisi in Domino nostro Iesu Christo.* Ad hæc Iudex iratus eos flammis lateribus admotis exuri mandat, psallentes, & canentes (quo tempore Antoninus vnus ex tortoribus conuersus ad Christum martyr occubuit) Vitellius quòd martyres canentes, & laudantes Deum sua tormenta contemnerent, Eusebio linguam iubet præcidi: qui tamen Christi laudes multò clarius prosequebatur. Posthæc in profundum carcerem martyres detrusi christianorum nouorum multitudinem ad eos confluentium erudiebant, ac ex Gentilibus aliquos veritatis lumine illustrabant, in quibus Lupulum Capitolij Sacerdotē annos iam quatuor oculorum lumine destitutum, qui lustralibus vndis à Rufino Presbytero eò accito expiatus visum illicò recepit; quo miraculo, & carceris custos permotus Christo nomen dedit. Denique cum admirandis signis in dies illustriores fierent, iussu Vitellij ante Amphitheatrum educti tandiu plumbatis cæsi sunt, donec animas exhalarent. Quorum corpora Rufinus Presbyter haud longè ab vrbe Roma 8. Kal. Septembris sepeliuit. *Ex M.S. Sanctæ Mariæ Maioris, ex quibus Sur. tom. 7. sumpsisse videtur. Agunt de eis Pet. in Cat. lib. 7. c. 3. Vincent. in Spec. lib. 10. c. 109. & Bonin. Mombrit. tom. 1. sed paulò diuersè. Pet. enim pro Pontiano Romanum habet.*

Mira SS. patientia, ac patiendi cupiditas.

Lupulus Capitolij Sacerdos lumen oculorum recipit.

ANNOTATIO.

Corpus Pontiani, qui apud Vincent. in Spec. & Sur. Potentianus appellatur, Lucæ in propria ecclesia asseruatum piè colitur.

DE S. GENESIO MIMO MARTYRE ROMÆ.

Genesius Mimus, qui iocis scenicis christianos frequenter irridere solitus erat, vt Diocletiano, & suis spectaculum gratum exhiberet, cum christianorum mysteria diligenter obseruasset, & accuratè didicisset, comœdiam multa ingenij dexteritate instruxit, ac partib' discipulis distributis in theatro nō sine Imp. & adstantium applausu, & risu christianis illudere cœpit. Se ægrotum simulans in lectoque decumbens, socios alloquitur: qui posset à graui morbo liberari. Respondent per iocum nullam artem profuturam, nisi christianus fiat. Eò assentiente, illi, qui exorcistam, & Presbyterum ironicè repræsentaret, vt cōstitutum erat introducunt; quibus Genesius, se aquis salutaribus expiari velle ait. Perficiuntur circa eum quæcunque, à veris Presbyteris circa baptizatos fieri solent, aqua prolatis verbis abluitur, interiùsque diuina virtute operante commotus, ad Christum re vera conuertitur (socijs, & populo, & Imp. eū vt à principio simulare putantibus) Albis induitur vestibus neophytorū more, panēq; bellaria, & cereos adstantibus elargitur nō sine maximo populi cachinno. Mox

Singularis Genesij conuersio, qui ioco baptizat', baptismi verum sensit effectum.

milites

milites ab Imp. ad nouum christianum per iocum comprehendendum, & ad se perducendum mittuntur. Vbi ad Imp. peruenisset, ascenso fugesto non per iocum, sed seriò alloqui cœpit. *Audi Imp. vosque, qui adestis sapientes; ego quidem hactenus in errore versatus christianum nomen execratus sum, & persecutus: huc et christianorum mysteria ludificaturus accessi: at vbi aqua illa illis verbis caput meum perfudit, vidi supra me manum cœlitus porrectam, & Angelos Dei cœlesti splendore fulgentes me circumstare, flagitiaque mea in libro descripta omnia delere. Quapropter qui sacris Christi mysterijs illudere volui, diuino beneficio veritatis radio illustratus christianus ex animo factus Christum verum, & vnum Deum, quem vobis adorandū suadeo, agnosco, confiteor, & mente veneror.* His auditis Imperator incredibili in Genesium furore percitus virgis, & fustibus illum immanissimè cædi iubet donec sanguis copiosius ex vulneribus proflueret. Altero die Plutiano Præfecto traditus, in equuleo suspenditur; vngulis dilaceratur; lampadibus aduritur: & cum diceret: *non est Deus præter Christum: pro quo si millies occidar, ipsum mihi de ore, ipsum mihi de corde auferre non poteritis*, tandem capite plectitur, 8. Kal. Septemb. *Ex eius pass. à Sur. tom. 4. rel.*

ANNOTATIO.

PEt. in Cat. lib. 7. c. 110. *Acta huius cum actis alterius Genesij qui eod. Imp. Arelati in Gallia passus est, confundit: ille enim officio exceptoris fungebatur: hic verò Mimus erat, siue histrio.*

DE S. FELICE PRESBYTERO PISTORIENSI.

FElix Pistoriensis, vt Deo liberius inseruiret, locum extra vrbem in rupe quadam vltra Buram amnem solitarium incoluit: vbi orationibus, ieiunijs, pijs meditationibus, carnisque macerationibus vacabat. Verùm multis a Dæmone insidijs expetitus Angelico admonitu inde discessit. Cum fluuium verò, qui pluuijs nimis intumuerat, traijcere non posset, ab auriga prætereunte curru excipitur: cuius rotam in medio fluminis Diaboli impetu fractam Felix oratione restituit. Cum autem plures annos in loco prope vrbem, in diuinis officijs vigilijs, lectionibus sacris, & Dominicæ passionis assiduis meditationibus versatus habitasset, à Deoque educi de carnis huius ergastulo postulasset, exauditus 8. Kal. Septembris migrauit è vita. Cuius corpus cum diu fuisset ignotum, dum Episcopus ædes S. Martini, & S. Mariæ exornaturus terram effodi iussisset, arcā inuenit: intra quam capsella ex alabastro corpus S. Felicis continens, mirumq; & suauem mittens odorem (in qua auriga, currus, & equi depicti erant) reperta est, An. sal. 1410. *Ex monum. M. S. Eccles. Pistorien.*

Currus rotā fractam, Felix oratione integram reddit.

ANNOTATIO.

COrpus in ecclesia Cathedrali in proprio sacello (*in quo aliquot eius miracula depicta leguntur*) *asseruatur. Eius dies festus hac die Pistorij celebratur; licet in Rom. Martyrol. seq. die adnotetur.*

DE S. PATRICIA VIRGINE NEAPOLITANA.

PAtricia Constante Constantini Magni filio nata post patris excessum Constantinopoli sub Constantio patruo educata est. In liberalibus disciplinis erudita, Lactantium Firmianum præceptorem habuisse fertur. Cum illam Con-

Constantius inuitam (quod virginitatem Deo vouerat) cuidam nobilissimo adolescenti despondisset, adueniente nuptiarum tempore naui clam cũ aliquot ancillis, & eunuchis conscensa Neapolim appulit: vbi ecclesias aliquot sacris reliquijs, pretiosisque muneribus exornauit. Romam profectæ fores basilicæ S.Petri sibi ab Angelo reseratas,& oranti Constantij patrui mortem nunciatam fuisse,& ipsam à Liberio Papa sacrum capitis velamen accepisse ferunt. Inde in Palæstinam ad sacrosanctum Domini sepulchrum venerandum discedens Cõstantinopolim venit, (vbi multa ex thesauro pauperibus distribuit) ac nauigationem prosequens vi tempestatum, & ventorum iactata non Hierosolymam, vt optarat,sed Neapolim rursus delata est. Non multò post ægrotans, cum se ad discessum è vita diligenter præparasset,& quo loco cõdi vellet,significasset, migrauit ad sponsum,voce de cœlo illam inuitante à circunstantibus audita, 8. Kal.Septembris an. post Christum natum 365. Cuius corpus plaustro impositum à duobus indomitis iuuencis (de eo enim orta fuerat controuersia) in ædẽ SS.Nicandri, & Marciani mirabiliter delatum est: vbi cœnobium virginum ab Aglaa eius nutrice extructum vnà cum ecclesia S.Patriciæ nominari cœpit. Ad cuius tumulum plures Dæmoniaci, varijsque morbis oppressi curati sunt. *Ex vita illius Neapoli typis excusa; quam etiam Paul. Reg. Ep. Equen.lib.2.de SS.Regni Neapolit.*

Fores basilicæ S.Petri ab Angelo reserantur.

A N N O T A T I O.

Constans, qui Imperio occidentis præerat, an.D.350. excessit. Cum autem Romæ ageret, ibi Patriciam non Constantinopoli natam esse, & educatam oportet, licet mortuo patre ad patruum Constantinopolim perducta fuerit.

DE S. GRATA VIDVA BERGOMENSI.

Grata SS. Lupi, & Adleidæ Bergomatum filia, vitæ morumque probitate conspicua post viri,cum quo tempore vixit,excessum, castam viduitatis vitam in sanctis precibus, ieiunijs & operibus pijs duxit. Ipsa caput S.Alexandri martyris Maximiani Imp. iussu decollati sustulit, pannoque inuolutum cum reliquo corpore honorificè sepeliendum curauit; & patrem adhuc Idolorum superstitione tentum ad veram Christi religionem crebris admonitionibus perduxit, Mortuis parentibus,qui ciuitatem administrabant,communi ciuium cõsensu:ob eius singularem prudentiam, Reipublicæ Bergomatis suscepit gubernacula. Quare virili animo prædita, ita vrbem administrauit,vt ciues magis beneficijs,quam metu sibi deuinciret,magisque exemplo, quam iussis regeret, illud præcipuè accurans,vt christiana religio quam maximè propagaretur. Nec tamen in publicis negotijs occupata,à pietatis studijs, quoties licebat per occupationes, vacabat. Nam tres sacras ædes extruxit magnificè: nosocomium, in quo pauperes ægrotantes curarentur ædificauit: in quo ætate iam ingrauescente vitam aliquandiu transegit: ac ægrotis summa charitate inseruiens, non modò medicamenta illis ministrabat: sed & vlcerum saniem proprijs manibus abstergebat. Denique graui morbo oppressa, bonorum operum plena ad præmium in cœlos euolauit. 8.Kal.Septembris An.ætatis 60. cum annos 4. Reipublicæ Bergomatum præfuisset. Cuius corpus in ecclesia à se erecta conditum, postea anno sal.1027. in ecclesiam Sanctimonialium S. Mariæ translatum est. *Ex off. Eccl.Bergomen. & ex lib. qui vinea Bergomen. appellatur.*

Grata Reipublicæ Bergomatis gubernacula suscipit.

ANNOTATIO.

IN Martyrol. Rom. & alijs virgo pro vidua posita est. Nisi propterea virgo dici putetur, quod in matrimonio virginitatem seruauerit; quod tamen historia non docet.

DE S. IOANNE EREMITA RVSELLI IN APRVTIO.

IOannes eremita Ruselli pago Aprutij Citerioris Triuentinæ diœcesis, apud quem vitam solitariam duxisse, ac miraculis coruscasse fertur, venerationem habet, hac die. Cuius corpus ibidem asseruatur.

ANNOTATIO.

ACta illius nondum legimus: idcirco eius tantum meminisse voluimus.

DE S. IVSTO EPISCOPO ALETINO, ET MART.

IVstus natione Corinthius S. Paulo Apostolo Corinthi christianam fidem annuncianti adhæsit, illius discipulus effectus. A quo Romam missus naui ad Aletij littora appulsa ab Orontio nob. Aletino hospitio excipitur, eoque ad fidem perducto Romam tandem peruenit. Vnde negotijs sibi ab Apostolo demandatis ex sententia confectis Aletium, vti Orontio pollicitus fuerat, reuertitur, ac illum aliquot ex Aletinis ad fidem conuersis, vnà cum Fortunato ad Paulum Corinthum adduxit. Cum autem S. Apostolus Orontium Episcopum Aletinorum ordinasset, illique Iustum adiutorem, ac verbi diuini præconem adiũxisset; Aletium cum Orontio profectus, dum munus sibi commissum securus, & diligenter exequitur à Neronis satellitibus comprehẽsus vnà cum Orontio, ob prædicationem fidei, & quòd nollet Deos venerari trucidatur. *Ex Aletina vrbis Annalibus, & Paulo Reg. lib. 1. de SS. Regni Neapol.*

Iustus Corinthi natus efficitur Discip. S. Pauli Apost. Romam ab Apostolo mittitur. S. Orontium Corinthum perducit. Aletium cũ Orontio redit. Martyr ob prædicationem Euãg. efficit.

ANNOTATIO.

HVius, & Orontij corpus extra vrbem sepultum ad portam, qua adhuc S. Iusti nominatur: postea inuentum in ecclesiam eorum nomini extructam vtrunque illatum est. Ipsique ab Aletinis vti vrbis tutelares coluntur. Ex eisd. monum.

Augusti die 26.

DE S. ZEPHYRINO PAPA, ET MARTYRE.

ZEphyrinus Romanus post S. Victorem rexit Ecclesiam Seuero Antonino Caracalla, & M. Aur. Antonino Heliogabalo Imperatoribus. Is multa Ecclesiæ vtilia sanciuit, in ijs, vt qui ordinãdi essent, oportuno tempore, & multis præsentibus clericis, & laicis de more sacris initiarentur, & non nisi spectatæ vitæ, officioque idonei. vt rem diuinã facienti Episcopo omnes Sacerdotes adstarent: Vt Patriarcha, vel Primas, aut Metropolitanus aduersus Episcopum sentẽtiam nisi Apostolica autoritate fulti non ferrent. Scripsit duas epistolas vnam ad Siciliæ Episcopos, alteram ad Episcopos per Ægyptum: in quibus memorata decreta præcipit. Vixit in Pontificatu annos 28. dies totidem. Habuit ordinationes 4. mense Decembri: quibus creauit Presbyteros 13. Diaconos 7. Episcopos per diuersa loca 13. martyrio coronatus sub Antonino Heliogabalo sepultus est in proprio cœmeterio via Appia propè cœmeterium Callisti. 7. Kal. Septembris an. sal. 221. *Ex Breu. Rom. Damas. Plat. & alijs.*

Nullus et Patriarcha absque Apostolica autoritate aduersus Episcopum sententiã ferre valeat.

AN-

ANNOTATIO.

B Aronius in Annal. ad an. 221. in dubium reuocat; an Zepherinus martyrio vitā finierit; inquiens eum fortasse martyrem appellari, quia licet sponte seu naturali morte decesserit, antea tamen pro fidei confessione supplicia pertulerit. Damasus quoque nullam martyrij mentionem facit; qui & huic Pont. annos tantum 8. & mens. 7. tribuit (licet id potius scriptorum vitio qui denarium numerum prætermiserunt, accidisse putandum sit) Cum autem, & Martyrol. & Breu. Rom. apertè Zepherinum martyrio coronatum habeant, non est, cur quisquam de re hac dubitet.

DE SS. IRENÆO, ET ABVNDIO MARTYRIBVS ROM.

IRenæus, qui abiectæ conditionis vir victum sibi cloacis expurgandis alijsq; huiusce modi munijs quæreret, à Porphyrio milite (qui gemmam aliquam, vel aliquid pecuniæ se repertuum sperabat) vbi corpus S. Concordiæ in cloacam proiectum (quod Iustinus Presbyter reperire non potuerat) iaceret, admonetur, qui cum occultè Christum coleret, martyris prædictæ corpus è cloaca extraxit, ita mundum, & immaculatum, vt Porphyrius etiam miraretur; quod accito Abundio viro pio, Iustino Presbytero detulit, qui non sine lætitiæ lacrymis illud apud S. Hippolytum sepelijt. Interea Porphyrius miles cum nihil in Concordiæ vestibus auri, aut gemmarum, vt sperarat, inuenisset, tristis abiens nunciat Concordiæ corpus ab Irenæo, extractum, ab eo, & Abundio ad sepulturam delatum fuisse. Quare Valerianus Imp. illos comprehendi, & in eandem cloacam viuos demergi iubet, 7. Kal. Septembris: quos inde extractos Iustinus Presbyter apud S. Laurentium in agro Verano tumulauit. *Ex pass. & Gest. S. Laurentij.*

ANNOTATIO.

HOrum pass. Pet. in Cat. lib. 7. c. 116. refert. Sur. verò in Gest. S. Laurentij, vbi 27. die post eorum martyrium tumulatos fuisse scribit.

DE S. SECVNDO MARTYRE, APVD ALBINTEMELIVM.

SEcundus miles Thebæus ex præcipuis illius legionis, vnà cum Mantitio, & tota ferè legione Christum colebat. Cumque apud Maximianum alpes in Galliam cum exercitu traijcere parantem delatus fuisset, quòd non tam Ducis, quam christianorum prædicatoris munus exequeretur, accersitus ad Imp. atque frustrà à christiana religione deterritus, cum is, non esse alium Deum præter Christum diceret, in carcerem, & vincula conijcitur: pœna capitis nisi Deos venerari in animum induceret intra certos dies proposita. Quo tempore à Mauritio ad persistendum in fidei confessione animatur. Cum verò quidam ex militibus iniqua commiseratione commoti, illi, vt Imperatoris, à quo diuitijs, & honoribus attollendus esset, obtemperaret, suaderent. Secundus è contra longa, & luculenta oratione omnia, quæ hic bona habentur cum vita ipsa, caduca cum sint, flocipendenda esse illam verò vitam, quæ hanc subsequitur, sine fine duraturam, diligendam, cœteraque pro illa danda demonstrauit. Vbi itaque Maximianus Secundum in sua persistere sententia accipit, illum ad Egrestium Prouinciæ Præsidem capite plectendum amandat. Qui Secundo iuxta Imp. iussum caput amputari præcepit apud Victimulum M. haud procul à Cæsariano oppido iuxta Alpium Graiarum radices: cuius animam ab Angelo Mauritius

tius Commilito deferri adspexit: qui vespere collecto corpore, vt sepulturæ traderetur, dum cum alijs vigilias ageret, noctu illis somno captis illud ab alijs furtim sublatum Augustam Taurinorum delatum est, ibique honorificè conditum est. *Ex Actis M.S. Eccles. Vercellen. in cuius diœc. Secundus passus est, & Bon. Mombrit. pass. tom. 2. referente.*

ANNOTATIO.

IN Martyrolog. pro Victimulum M. Albintimelium irrepsisse videtur, similitudo enim vocis non modica est inter Victimulum, & Vintimilium (sic enim Albintimelium apud vulgares appellatur) Quæ enim causa fuit, vt Maximianus Alpes subiens Secundum decollandum ad vrbem maritimam tàm longè distantem ablegaret? Adstipulantur vet. M.S. Eccl. Taurinen. & Hist. mart. Thebæorum nuper edita Augustæ Taurinorum.

Quanquam Acta à Momb. rel. & M.S. correctione egent, in eo maximè quod de M. Victimolo habent. Plin. enim .... illum Ictimulum non Victimolum vocat.

DE S. ALEXANDRO MARTYRE, ET PATRONO Bergomensi.

ALexander miles legionis Thebææ, quæ in finibus Sedunorum sè à reliquo Maximiani Imp. exercitu, ne se impijs sacrificijs pollueret, separauerat vnus è numero eorum: qui Imperatoris immanitatem deuitantes in Italiam refugerant. Is Mediolanum veniens cum alijs ab Imp. satellitibus comprehensus in carcerem truditur, vsque ad Imp. aduentum. Interea Syllanus carceris custos, Xanthus, & Carpophorus satellites ab Alexandro ad Christum conuertuntur. Maximianus ex Sedunis Mediolanum reuersus cum Alexandrum, & alios ante se eductos in sententia persistere, nec mortem, quam illis, nisi Dijs sacra facerēt, comminatus fuerat, formidare cerneret, eos rursus in vincula conijci imperat. Paulò post emissi in agrum Comensem secedunt: vbi mortuò ad vitam reuocato, cum multos ad Christum perducerent, Alexander denuò comprehensus Mediolanum reducitur ad carceres; è quibus post aliquot dies eductus ad Idola ea venerari iussus trahitur: at ille zelo fidei incēsus omnem sacrificiorum apparatum præsente ipso Imp. calce deiecit. Maximianus ea re maximè offensus Alexandrum in carcerem reduci, ac inedia diutina macerari præcipit. Qui post paucos dies dimissus, Bergomum; contendens, Abduam flumen, cum nauem non reperisset, siccis plantis mirabiliter traiecit. Sed cū Bergomi Christum prædicans plures ad fidem conuerteret ab Imp. satellitibus tentus, dirisque affectus supplicijs, postremò capite truncatus martyrium feliciter absoluit. 7. Kal. Septembris. Cuius caput S. Grata sublatum cum corpore linteoque inuolutum in proprio horto sepeliuit: ibique ecclesia S. martyri ædicata fuit, qua excisa corpus Alexandri in ædem S. Vincentij translatum est. *Ex off. Eccl. Bergomen. & Martyrol. Adonis.*

Mortuus ad vitam reuocatur.

Alexander Abduā flumē siccis vestigijs traijcit.

ANNOTATIO.

ACta hæc Eccl. Bergomen. valdè ab actis ab Adone recitatis: quibus maior est habenda fides, diuersa sunt. Ado enim Alexandrum Bergomi præsente Maximiano, cum calce mensam sacrificiorum euertisset, à milite ferriri iussum narrat (quod verisimilius est, qua enim irati animi erat ostensio, martyrem in carcerem reductum paulo post liberum dimittere?) cumque milis gladium. vt Alexandrum perouteret, distringentis brachium obriguisset, ab alijs iussum fuisse capite plecti.

DE

DE S. RVFINO EPISCOPO CAPVANO.

RVfinus Episcopus Capuanus magnæ sanctitatis vir ante S. Decorosi Episcopi tempora vixit: Cuius corpus ab ipso S. Decoroso, Sergio Pont. Max. in æde S. Petri Apostoli inuentum in ecclesiam SS. Stephani, & Agathæ solemni pompa translatum est. Cum verò ob miracula, & antiquam in eum populi deuotionem tumulus ipsius à multis frequentaretur, in ijs nobilis fœmina fuit, quæ lacrymans filium suum omni spe vitæ destitutum, iamque animam agentẽ ad ecclesiam detulit, vt S. Rufini opem imploraret. Cumque illum apud tumulum sibi à S. Decoroso ostensum deposuisset, seque in orationem dedisset, ipso quoque Decoroso pro pueri salute orante, filius rediuiuus mox surgens, & ambulans ad matrem adhuc orantem venit omni prorsus languore liberatus. Quo miraculo vota S. Rufino plurima nuncupari in dies cœpere. *Ex Breu. antiquo Capuana Eccl.*

Puero animã agenti sanitas restituit.

ANNOTATIO.

ACta huius S. Episcopi non extant, & hic dies non natalis, sed translationis esse videtur.

DE S. ALEXANDRO MARTYRE BRIXIENSI.

ALexander Brixiæ nobili genere natus, ac in christiana religione eruditus Claudio Imp. christianos persequente adolescens Massiliam ad B. Lazarũ eius vrbis Episcopum venit: inde Aquas Sextias ad B. Maximinum Episcopum profectus, ab eoque in fide confirmatus, & ad martyrium pro Christo Domino subeundum incensus Brixiam redijt. Vbi re familiari vendita, pauperibusque diuisa, martyrij cupidus. Dianæ templum ingreditur, ac Dæmones in Christi nomine compellit, vt Idola confringerent: quo facto ab Idolorum Sacerdotib⁹ tentus ad Felicianum Præfectum adducitur: qui cum ad Neronem rem per litteras significasset, responsumque esset, vt Alexander, aut Dijs sacra faceret, aut exquisitis supplicijs cruciatus interficeretur: mandatum ei Imp. exponit, hortaturque, vt Marti immolaret: qui genuflexus, quasi Martis Idolum adoraturus, Christo Domino preces fudit, moxque Martis statua corruens in puluerem redacta est. Quare Felicianus indignatus Alexandrum loris concidi, & feruens oleum cum pice, & sulphure in os eius infundi iubet. A quibus eum minimè læsum cernens Præfectus, manus illi perforari, funemque per foramina tractum indomiti tauri collo alligari, sicque martyrem per vrbem raptari, ac demum, præcisis brachijs, & lingua caput amputari præcepit. Quo in loco cum faces 4. accensæ ad martyris corpus diuinitus apparerent, multique eo miraculo ad Christũ conuerterentur, illud ab Anathalone Episcopo sepelitur: ibiq; postea à Brixianis eius nomini templum ædificatum est. *Ex monum. Eccl. Brixien. M.S.*

Statua Martis in puluerem comminuitur.

Quatuor faces circa Alexandri corp⁹ refulgent.

ANNOTATIO.

HVnc ab eo, qui Bergomi colitur diuersum esse non solum tempore, sed etiam martyrij genere ex Actis apparet vtriusque. Acta enim huius Alexandri (quem ex Madiorum familia natum esse tradunt; si tamen ea familia illis temporibus fuit) in æde parochiali suo nomini dicata, quam Fratres Seruitæ possident, in parietibus eleganter depicta conspiciuntur. Corpus illius in Gallias Karolo Mag. Imp. delatum in quadam hist. Brixiæ an. D. 1584. edita legimus: in qua, & illud continetur, ex eo tempore

pore Brixianos SS. Faustinum, et Ionitam in patronos sibi asciuisse, cum antea S. Alexandrum vrbis tutelarem habuissent.

DE SS. SIMPLICIO, CONSTANTIO, ET VICTORIANO martyribus apud Marsos.

Simplicius nobili genere natus ex Burgundionibus ortum ducens in Gallia vnà cum Constantio, & Victoriano filijs à Pontio Præfecto in persecutione Antonini Imp. de religione interrogatus, cum se christianum liberè professus Præfecti persuasionibus haud acquiesceret; sed Christi fidem alijs prædicaret, ipse, & filij comprehensi virgis ferreis crudelissimè cæsi sunt; sed cum tortores illi immanissimi statim, quasi maxima febre correpti diuinitus expirassent, multique eo miraculo, obsessos à Dæmonibus liberari, cæcisque lumen restitui cernentes ad Christum converterentur, illos Præfectus non ausus ob generis nobilitatem interficere vinctos ad Imp. misit. Qui in itinere aliquot editis miraculis, in quibus Rauennæ puellæ nobili luminibus orbatæ visum restituunt, Romam ingressi, & è satellitum manibus elapsi in basilica SS. Apostolorum preces fundunt. At rursus comprehensi, ductique ab Imp. qui eo tempore in Marsis agebat, cum Deos venerari renuissent, in locum obscurissimum, serpentibus plenum detruduntur. Inde educti, ac funibus ligati ab indomitis iuuencis raptantur: denique ad Aureum fontem apud Montis Peficini radicem decollantur. Quorum corpora à Crescentio Presbytero ibidem sepulta sunt 7. Kal. Septẽbris vno ex lictoribus Cæsareo nomine viso ingenti terræmotu ad fidem conuerso. *Ex lectionib. in eorum off. recitari solitus.*

Tortores subitò expirãt.

Puella visum adipiscitur.

Cæsareus lictor conuertitur.

ANNOTATIO.

Antoninus, qui persecutionem in christianos quartam excitauit, non Pius; sed M. Aurel. & L. verus fuit. Licet M. Aur. post L. veri obitum erga christianos ob victoriam illorum precibus ex Marcomannis reportatam se mitiorem exhibuerit.

Augusti die 27.

DE S. RVFO EPISCOPO CAPVANO, ET MARTYRE.

Rufus Patricius, & Consul, Rauennatisque militiæ Dux à S. Apollinare ad fidem miraculo conuersus est. Cum enim S. Apollinarem vrbe eijcere cogitaret, filia, quam vnicè diligebat, ægrotare cœpit: ad quam sanandam cum S. Episcopus accersitus fuisset, non modò curata non est, sed Deo volente moritur: quò maioris miraculi daretur occasio. S. itaque Apollinaris cum supplices Deo preces effudisset, defunctam Rufi filiam ad vitam reuocauit. Quo miraculo ille cum tota familia, in qua vtriusque sexus 400. erant, ad fidem perductus ab Apollinare baptizatus. Postea verò cum se totum christianæ seruituti mancipasset factus est Capuanus Episcopus: vbi cum eius vrbis ciues ad Christum conuerteret, à Messalino Præside tentus ob christianæ fidei confessionem martyr occubuit 6. Kal. Septembris, circa sal. an. 80. *Ex monum. Eccles. Rauenn. & Capuana, ac ex Hieron. Rub. lib. 1. Histor. Rauenn. De eo plura in vita Sancti Apollinaris.*

Apollinaris filiæ Rufi vitam restituit.

ANNOTATIO.

Rufus II. Episcopus Capuanus fuit, cum primus S. Priscus Discipulus Apost. proprio sanguine Ecclesiam Capuanam consecrauerit. Ex monum. M.S. eius vrbis, & Eccl.

Pet. in Cat. lib. 7. c. 119. Rufum mart. non Episcopum facit.

DE SS. RVFO DIACONO, ET CARPONIO MARTYRIBVS Capuanis.

Rufus Capuanus Diaconus in immani Diocletiani, & Maximiani Imperatorum persecutione cum alijs christianis in cryptis extra vrbem latitabat: ad quem Carponius Medicus quotidie accedere solebat. Qui prius Calfurnius dicebatur; at à S. Syluestro baptizatus Carponius nominatus est. Is persecutionē fugiens Roma Capuam venit, Vbi à populo deprehensus, quòd christianus esset, vnà cum Rufo apud Cassellianum Præsidem defertur: à quo vterque tentus carceri mancipatur, quoad Imp. certior factus eos ad se perduci, & cum Dijs sacra facere recusarent, plumbatis cædi iussit. Quos in fide Christi constantes in Campaniam ad Proconsulē puniendos remittit. Proconsul vtrumque in equuleo tortum in carcerem trudit: ac primo Rufum eductum plumbatis immaniter cædi iubet donec spiritum exhalaret, cum is in tormentis hilari vultu Christo gratias ageret: tum Carponium saxo prius ore contuso, in catasta extensum tandiu cruciari præcepit: quoad & ipse animam redderet. Corpora à christianis condita sunt 7. Kal. Septembris. *Ex Bren. Capuano.*

ANNOTATIO.

Mirabitur quispiam, qui in Diocletiani, & Maxim. persecutione passi dicantur Rufus, & Carponius, quorum alter sub S. Syluestro Papa baptizatus refertur? qua in re dicimus, vel corrigenda esse Acta ipsorum quantum ad tempus attinet. Vel eos passos quidem esse in Diocl. & Maxim. persecut. quæ tandiu sub alijs Impp. perdurauit, donec à Constantino Mag. edicto sublata est. Qui enim sub Maxentio, & Galerio Maximiano, ac sub Licinio, atque sub ipso Constantino non tamen ipso iubente coronati sunt, in Dioclet. & Maxim. persecutione passi dici possunt, à Præfectis seu Præsidibus, qui adhuc prædictorum Impp. edicta in christianos seruabant occisi. Quod autem Carponius à Syluestro Papa baptizatus dicitur, id vel antequam Pontifex esset, vel initio Pontificatus ante Constantini conuersionem intelligendum est.

DE S. EVTHALIA VIRGINE, ET MART. LEONTINA.

Euthalia virgo nobilis Leontina à SS. tribus fratribus cum eos in carcere visitaret, in Christi fide erudita pro Christo sanguinem fundere peroptabat. Eutropię enim matri interroganti an libenter pro Christo pateretur, se ad oēs cruciatus perferendos, & mortem quamuis subeundum paratam esse respōdit. Quod re ipsa præstitit: nam cum Seruilianus frater Idolorū cultui addictus, ab inquisitione cadaueris Tertulli Præsidis à feris deuorati domum rediens matrē & sororē christianos cōperisset, furijs agitatus sacrilegas in matrē manus iniecit; & cū Euthalia ipsū his verbis obiurgaret, *Heccinè reddis miser genitrici tuæ? Dabis infelix, dabis meritas pœnas.* Qui virginem in cubiculum secretum adductā à christiana religione abducere conatur: ac in proposito perseuerantem vestib⁹ exutam, funèque appensam diris verberibus afficit, Christum, & SS. fratres Alphium, Philadelphium, & Cyrinum, vt adessent inuocantum. His nondum exaturatus

Seruilianus sacrilegas in matrem manus iniecit.

Vox sororis in fratrem.

Idem in sororem Euthaliam fæuit.

turâtus ferme, vt cubiculum ingressus vim illi inferat, præcipit inquiēs, *experiar an iuuenes, quos innocauit, & Christus, quem colit, eam valeant è manibus meis eripere*. Seruus facinus adorturus in SS. fratres incidit, qui virginem nudam operiētes, illum terræ illiserunt. Seruilianus autem ingressus, ac seruum exanimatum cernens sorori districto gladio caput amputauit 5. Kal. Septembris. Cuius corpus à Tecla, Iustina, & Eutropia matre apud SS. fratres sepultum est. Seruilianus verò post amissum oculorum lumen in impietate sua decessit. *Ex off. Eccl. Leontina nuper Romæ approb.*

Seruus virginem violaturus occidit.

ANNOTATIO.

Hanc virg. & Græci in Menolog. acta, & certamen illius describentes celebrant hac ipsa die.

DE S. NARNO EPISCOPO BERGOMENSI.

Narnus nobilis Bergomas opibus, & ingenio præstans ad S. Barnabæ Apostoli in eam vrbem aduentum, & prædicationem ad Christum conuersus, se illi in christiana religione instituendum tradidit. Quo doctore tantum breui profecit, vt cum cœteros rerū diuinarum scientia anteiret, ab Apostolo primus Bergomensis Episcopus crearetur: quod onus, cū primùm ex humilitate vti nouus in fide recusaret, postea tamen Barnabæ hortatu, & persuasione suscepit. Quanuis autem imperitam multitudinem Idolorum cultui assuetam à vana Deorum superstitione ad nouam Christi crucifixi religionem in maxima Principum sæuientium persecutione abducere difficillimum erat; prudentia tamen, & paterno studio Narni effectum est, vt pluribus, & grauibus: quæ in dies occurrebant, superatis difficultatibus, tum publicis, tum priuatis locutionibus varijs animarū morbis medicina adhiberetur. Narnus itaque Ecclesiam Bergomensem, quam rudem, & infirmam acceperat, adeo excoluit, vt in fide stabilitam, corroboratamque reliquerit. Cum verò multos annos magno cum vitæ discrimine eam Ecclesiam autoritate, doctrina, exemplo, ac peruigili cura sanctissimè rexisset, ingrauescente ætate, Viatore Brixiensi sibi in Episcopatu suffecto, migrauit ad Dominum 6. Kal. Septembris, magno sui desiderio apud ciues relicto. Corpus primò in Sancti Petri sacello à se constructo conditum, postea in ædem S. Alexandri delatū, tandem ea collapsa in basilicam S. Vincentij translatum est. *Ex offic. Eccl. Bergomen.*

Narnus S. Barnabæ discipulus; primus Bergomensis Episcopus.

ANNOTATIO.

Barnabam Apostolum Ecclesiam Mediolanen. fundasse, alijsque Italiæ vrbibus Christum annunciasse antiqua traditio, & Eccles. Mediolan. vet. monum. fidem faciunt; vt & Baron. in Annal. ad an. D. 51. monet.

DE S. IOANNE EPISCOPO PAPIENSI.

Ioannes Episcopus Ticinensis 30. post Petrum eius nominis II. Ecclesiæ Papiensi annos 20. summa vigilantia, & vitæ sanctitate præfuit. Is dicere solitus erat, Episcopū haud soli contemplationi addictū esse oportere: sed ei in actione præsertim iugiter versandū esse; id .n. nomē ipsum Episcopus significat: quod assiduum erga gregē studiū, & vigilantiam indesinentem præseferat. Id S. Episcopus cum nō modo verbis, sed re ipsa egregiè præstitisset, tandem de sua Ecclesia optimè meritus ad cœlestes sedes 6. Kal. Sept. euolauit. *Ex Gualla, Breuent. et Spel. in vit. Epp. Papien.*

ANNOTATIO.

Huius S. Episcopi desiderantur acta, prout sæpe aliorum gesta propria & floruit, et obijt tempestate Karoli Magni, & Leoni III. Pont. Max. eius memoria dupl. ritu ab Eccl. Papiens. hac die celebratur: lit. in Martyrol. Rom. haud descriptus.

DE S. MARGARITA VIDVA SEPTEMPEDANA.

Margarita Sepiépedæ in Piceno (quæ vrbs nunc S. Seuerinus appellatur) obscuro quidem loco nata: at fide, & charitate clara, cum annum 15. circiter ageret ætatis, gregem pascens Christo peregrini specie stipem poscenti panem, qui sibi in diem datus erat, concessit, qui statim multa ibi odoris fragrantia relicta disparuit. Margarita ieiuna domum reuersa cum mater panem in arca non esse affirmaret, fidenter ad arcam accedens, panem ingentem, candidum, & suauissimum inuenit: qui familiæ, & viciniæ distributus satis fuit. Coacta virum accipere, ex eo filiam concepit. Defuncto viro, officia pietatis ardentius colere cœpit, vitam austeriorem degens. Sarmenta illi lectus erant, puluinar lapis, cibus, & potus, simplex panis, & aqua: nudis pedibus etiam hyeme incedebat, vnica veste contecta. Romam peregrinata loca sancta inuisit, Sacramenta frequentissimè sumebat: primo quoque diluculo ad ecclesiam ad missam pergens suas preces fundebat: reliquum diei visitandis ægrotis, quibus inseruiebat, laborando, eleemosynasque, quas pauperibus distribueret, colligendo insumebat. Supra cilicium corda adeo constringebatur, vt ex sanguine sanies fieret. Orantí noctu Diabolus ei dicens apparuit, *Frustrà te ieiunijs, & disciplinis affligis misella, cum id facias, vt ab hominibus videaris: Vinum non bibis, nec edis carnes; vuas tamen, & ficus auidissimè deuoras*: quibus dictis Margarita diuinã opem implorante disparuit; ipsaque deinceps ficus non attigit. Cũ rursus Dæmon specie capræ in domum per fenestram esset ingressus, totaque flãmis completi videretur, filia perterrita matrem inclamabat: quæ accurrens hostẽ subitò fugauit. Septuagenaria cũ esset, die obitus præscito, & prænunciato, filiæ amoris monumentum aliquot petenti, calceos reliquit: dicenti autem *quos calceos, cũ eos nunquam gestaueris?* respondit, *illos mihi detrahes vbi defuncta fuero*. Ea itaq; defuncta filia, è pedibus eius calceos quosdam tenues quasi ex mẽbranulis detractos abscondit in capsula; sed eo miraculo peruulgato, illi in ecclesiam reuerenter delati, & asseruati, infirmos à varijs languoribus tacti sanant. Corpus in æde S. Dominici conditũ est: ad cuius tumulum ægroti, & Dæmoniaci curari solent. Obijt 6. Kal. Septembris an. sal. 1395. *Ex eius vita, & monum. Eccl. Septemp.*

Margarita panem Christo Peregrino cõcedit.

Panis in arca candidus, & suauissimus comperitur.

Magna vitæ austeritas.

Diabolus ad Margaritam.

Margaritæ calceis lãguidi sanantur.

ANNOTATIO.

Nondum in SS. mulieres solemni ritu relata est; dies tamẽ natalis ipsius ex Apost. sedis licentia celebratur, sanctaque in Martyrol. & passim nominatur.

Augusti die 28.

DE S. AVGVSTINO EPISCOPO, ET ECCLESIÆ Doctore Papiæ.

Augustinus Tagaste in Africa honestis parentibus natus, puer ingenij docilitate æquales longè superans breui omnibus doctrina antecelluit. Adolescens Carthagine in Manichæorum sectam incidit. Romam profectus, matre illum insequente, inde Mediolanum, vt ibi rhetoricam doceret veniens, cum frequens Ambrosij Episcopi esset auditor, eius opera catholicæ fidei studio incensus annos natus 30. ab ipso baptizatur: quo tempore hymnus, Te Deum laudamus: quo Ecclesia in gratiarũ actione vti consueuit, ab ipsis ex tẽpore decantatus. Reuersus in Africã, cũ religione vitæ sanctimoniã coniungens à Valerio notæ sanctitatis Epõ Hipponensi Presbyter factus familiam instituit religiosorũ: quibus cũ victu communi, & cultu vtens, eos ad Apostolicæ vitæ, doctrinæq; disciplinam diligentissimè erudiebat. Cum aũt Manichæorum hæresis vigeret, in eam inuectus Fortunatũ hæresiarcam confutauit. Hac Augustini pietate cõmotus

Augustinus, acerrimus hæreticorum hostis.

motus Valerius, illum adiutorem adhibuit Episcopalis officij. Nihil illo humilius fuit, nihil continentius, lectus, ac vestitus moderatus; vulgaris mensa, quā semper sacra lectione, vel disputatione condiebat. Tanta benignitate fuit in pauperes, vt cum non esset alia facultas, sacra vasa frangeret ad eorum inopiam sustentandam: fœminarum, & in eis sororis, & fratris filiæ contubernium, familiaritatemque vitauit: dicebat enim, & si propinquæ mulieres suspectæ non sunt, tamen ad eas ventitantes posse suspicionem efficere. Nullum finem prædicandi Dei verbum fecit, nisi graui morbo oppressus. Hæreticos perpetuò insectatus, & coram, & scriptis, ac nullo loco passus consistere Africam à Manichæorū, Donatistarum, Pelagianorum, aliorumque præterea hæreticorū errore magna ex parte liberauit. Tam multa piè, subtiliter, & copiosè scripsit, vt christianam doctrinam maximè illustrarit. Quem in primis secuti sunt, qui Theologiam via, & ratione tradiderunt. Vuandalis bello vastantibus & Hipponem tertium iam mensem obsidentibus, in febrim incidit: cumque discessum è vita sibi instare intelligeret psalmos Dauid pœnitentiales in cōspectu positos profusis lacrymis legebat, dicere solitus, neminem, & si nullius sceleris sibi conscius esset, cōmittere debere, vt sine pœnitentia migraret è vita. Itaque sensibus adhuc integris, in oratione defixus, astantibus fratribus: quos ad charitatem, pietatem, virtutesq; oēs erat adhortatus, migrauit in cœlum 5. Kal. Septembris, An. sal. 430. ætatis 77. Episcopatus 36. Cælestino Pont. Max. Theodosio, & Valentiniano Imperatoribus. Cuius mors miraculo nobilitata est huiusmodi, quidam .n. ad Augustinum ægrotantem, mortique propinquum ægrotum sanandum attulit: cui Augustinus se nihil in his posse, nam hoc primitus sibi si posset præstitisset, tandem cum is se in somnis admonitum fuisse, vt ad Augustinum ægrotū deferret manus illius impositione sanandum diceret; Augustinus ægroto manum imposuit, illeque statim à grauissimo morbo dimissus liber domum non sine adstantium maxima admiratione remeauit. Corpus primū in Sardiniam à B. Fulgētio Episcopo Ruspensi à Trasamundo Rege cum alijs Episopis Catholicis in eam Insulam relegato an. sal. 504. delatum, postea à Luitprando Longobardorū Rege magno pretio à Saracenis redemptum Ticinum, vbi adhæc vsque tempore loco thesauri inæstimabilis (licet locus ignot⁹ sit) in æde S. Petri in Cœlo Aureo asseruatur, trāslatum est. Aliud autem post illius excessum mirum accidit: quod capta Hippone, eaque à Barbaris, & ab Arianis Augustino infensissimis incensa, opera tamen illius non nisi diuinitus seruata ab incendio, cœteris omnibus concrematis, illæsa fuere. *Ex Breu. Rom. & ex Possid. qui vitam fusissimè scripsit.*

Fœminarum contubernīū vitandum.

Augustinus ægrotum manus impositione sanum dimittit.

Hippone à barbaris obsessa diuinit⁹ seruatur.

ANNOTATIO.

Possidius, qui et Possidonius Episc. Calamen. intimus August. discip. qui vitam illius prascripsit, apud Mirandulam vbi corpus eius quiescit, venerationem habet, est enim vrbis illius tutelaris.

Rhytmus in S. Augustini laudem.

Alma parente genitus,
Doctor Doctorum maximus
Est primis puer deditus
Augustinus in studijs.
Hic omne, quod in litteris,
Quod artibus in libris,
Et quicquid in scientijs,
Nullo tradente concipit,

Summè peritus apicem
Tenebat, rumor omnium,
Replebat aures; tollitur
Augustinus ad sidera.
Baptizat hunc Ambrosius:
Deum laudamus intonat:
Simplicianus monachùm
Habitum dat, & cingulum.

Hymnus Sapph. de eodem.

Qui tot inuictus domuit rebelles
Tot feros veræ pietatis hostes
Monstra tot, tantam rabiem repressit
Maximus vltor.
Qui tot errorum laqueos nocentes
Dissipans tanta tenebrasque noctis.
Extitit nulli meritis nec vlla
Laude secundus.

DE S. HERMETE MARTYRE ROMANO.

Hermes vrbis Præfectus à S. Alexandro Papa Hadriano Imp. cum vxore, sorore, filijs, & vniuersa familia, in qua 1250. ex vtroque sexu censebantur, ad Christum conuersus, & baptizatus est. Quod vbi Imp. accepisset Aurelianum Comitem è Seleucia Romam misit; qui christianos omnes ad vnum interficeret. Is Hermetem in vincula coniectum Quirino Tribuno custodiendum tradidit. Cuius opera, & ipse Quirinus, cum Balbinam illius filiam Alexander sanasset, christianus effectus est, & martyr. Aurelianus itaque vti Quirinum tortum, martyrio affecisset, Hermetem in confessione fidei constantissimum nō ausus tormentis exagitare, neque ob generis nobilitatem publicè interficere, in carcere decollari iussit 5. Kal. Septembris. Cuius corpus Theodora soror via Salaria vetere haud longè ab vrbe Roma sepeliuit. *Ex Gest. S. Alex. Papa, à Sur. tom. 3. & al. rel.*

Quirinus Tribunus, cuius filia ab Alexandro sanatur, christianus efficitur.

ANNOTATIO.

Pet. in Cat. lib. 7. c. 129. quem Pet. Gales. sequitur Hermetem sub Aureliano Imp. passum scribit aduersus Martyrol. Rom. autoritatem, & Gest. historiam.

DE SS. MARTYRIBVS FORTVNATO, CAIO, ET ANTHE patronis Salerni.

Fortunatus, Caius, & Anthes in Diocletiani Imp. persecutione vnà cum Felice Episcopo Byzacienfi, Donato, & Adaucto Presbyteris comprehensi à militibus ad Magdellianum Procuratorem seu Procons. ducuntur: à quo vinculis, carcere, alijsque pœnis afflicti sunt. Felice autem, Donato, & Adaucto in Apulia martyrio coronatis, Fortunatus, Caius, & Anthes à Leontio Proconsule Salernum perducti, ibi primùm eorum constantia blanditijs tentata, cùm in fide stabiles permanerent, supplicijs varijs post longam de Dijs disputationem afficiuntur; cumque ad impia adigerentur sacrificia, & mortè illis hostes fidei, nisi sacrificassent, intentarent, Fortunatus cum socijs numquam se tantum facinus, vt Deos, qui nusquam sunt, pro Deo verò adoraret, admissurum esse constātissimè aiebat. Quare Proconsul iratus protinus illis capita amputari, corporaque auibus, & feris discerpenda relinqui præcepit. Passi sunt apud Salernum 5 Kal. Septembris. Quorum corpora à tribus aquilis tandiu diuinitus defensa sunt, quoad à christianis ad Lirnum fluuium, vbi passi fuerant, sepelirentur. Ea postea in ecclesiam Cathedralem translata honorificè condita sunt. Qui SS. martyres

martyres vrbis Salernitanæ tutelares hac die præcipuo honore coluntur. *Ex monum. Eccl. Salernit. & ex lectionib. in eorum festo solitis recitari.*

ANNOTATIO.

Acta horum SS. martyrum cum actis SS. Felicis, Ianuarij, Adaucti, Fortunati, ac Septimij, qui Venusiæ passi sunt, confundi videntur. Nisi dicamus duos fuisse Fortunatos, hosque illorum socios esse.

DE S. VICINIO EPISCOPO SARSINATE.

Vicinius natione Ligur, vigente adhuc Gentilium in christianos persecutione, Sarsinam vrbem intra Appenini M. radices sitã fidei prædicandæ causa veniens, cum virturibus præcelleret, eius vrbis Episcopus creatur. Mira sanctitate, & miraculis in morbis insanabilibus curandis, & Dæmoniacis liberandis effulsit. Cum autem Ecclesiæ suæ annos 27. sanctè præfuisset, 5. Kal. Septembris in cœlos ad præmium euolauit, in sarcophago ex marmore in ecclesia Cathedrali sepultus plurimis post mortem miraculis clarus: ex quibus referre non pigebit. Colonus quidam agri Aretini à dæmone obsessus, ad sepulchrũ S. Donati Episcopi ductus cum liberari non potuisset, dæmone ipso dicente: *nulli martyrum, nemini confessorum, nisi Vicinio, qui dum viueret, mihi, & meis aduersus fuit, cedam.* Ductus itaque Sarsina post varios conatus, vt B. Vicinij catena collum obsessi attigit, liberatus est. Ea catena, quæ Dæmoniacum collo admota eos statim curare consueuit, aliquando furtim sublata, & in fluuium à fure ne furtum deprehenderetur, proiecta, super aquas natans à ciuibus, fure crimen fasso, reperta est. Mulier cum in die festo S. Vicinij frumenta terreret, ac reprehensa S. viro illuderet, illicò diuinam vltionem sensit, manibus, & brachijs ita pectori hærentibus, vt nulla ratione ea mouere posset, nisi pœnitens ad tumulum S. Episcopi veniam impetrasset. Quidam Aretinæ diœcesis ex alto præcipitatus, cum manibus, pedibusque cõfractis more pecudis incederet, post sexennium ad Vicinij tumulum delatus, pristinam recuperauit sanitatem. *Ex monum. Eccl. Sarsinatis, qua inde accepimus; in quibus aliqua corrigenda sunt, & ex eius vita typis excusa, an. D. 1609. ex antiquiss. Cod. Arminen. Eccles. ante 600. annos scripto.*

Obsessus à dæmone liberatur.

Catena, qua Dæmoniaci curabantur, super aquas natat.

Præcipitatus ex alto, totusque cõfractus sanatur.

ANNOTATIO.

Memoria S. Vicinij etiã ab Ecclesijs Casenate, & Parmen. celebratur, vt in Tab. earumd. Eccles. vidimus: licet Parma de eo die 27. agi consueuerit. Postremo die Dominico mensis Maij, apud M. Musellam festiuitas illius magno accolarũ concursu celebratur, vel quod ille translationis dies sit, quando ex eo M. corpus Sarsinam translatum est, vel ordinationis. In vita memor. S. Vicinij illum Blera apud Viterbium coli; quod ibi caput eius habeatur, inter alia continetur. Sed Blera S. Viuentius, non Vicinius colitur.

DE B. AGNETE VIRGINE ASSISINATE ORD. MIN.

Agnes V. Assisinas S. Claræ V. soror ab ea inuitis parentibus, & propinquis ad religionem conuersa, cum sororis vestigia sectaretur, à S. Francisco Florentiam mittitur; cœnobiumque monialium M. Celij appellatum construxit, virginibusque illis præfuit. Erat enim obseruantiæ regularis obseruantissima, vitam pane, & aqua tantùm traducens. Orationi sic erat intenta, vt in ea mente

Agnes à S. Clara ad relig. cõuertit, Florentiam à S. Franc. mittit ad fund. cœnob.

mente rapeuetur, & visionibus donaretur. S. Claræ sorori morienti Assisij adfuit: cuius sacrum velum Florentiam ad suum cœnobium misit. Ipsa quoque Assisij paulò post sororis decessum cessit è vita in ecclesia S. Damiani apud sororem sepulta, multis clara miraculis in morbis curandis, & spiritibus immundis effugandis. *Ex Chron. Ord. Min. par. 1. lib. 8.*

S. Claræ morienti adfuit. Assisij, & ipsa decedit.

A N N O T A T I O.

ETsi in sanctarum numerum nõ relata est: sancta tamen passim nominatur Assisij, ac in Prad. Chron.

Augusti die 29.

DE S. SABINA MARTYRE ROM.

SAbina illustrissima fœmina Valentini clarissimi viri coniunx à Seraphia virgine christianæ fidei præceptis instituta, eiusdem virginis martyrio affectæ reliquias collectas pijs exequijs sepeliuit; quæ ob eam causam paulò post Hadriano Imp. comprehensa Elpidio Iudici sistitur. Cui is, *Tunè illa Sabina, & genere, & matrimonio nobilissima?* At illa, *sum*, inquit, *sed Domino meo I. Christo gratias ago, qui me intercessione Seraphia famula sua è Damonum potestate liberauit.* Quam variè tentatam, vt propositum mutaret, cum à fidei constantia mouere nõ posset, Præfectus, pronunciata in eam sententia, quòd Deos contemneret, facultatibus eius publicatis, capitis damnauit. Eius corpus a christianis in eodem sepulchro conditum est, ad Arcum Faustini: in quo ipsa magistram fidei suæ Seraphiam posuerat 4. Kal. Septẽbris. *Ex Breu. Rom. & Adone in Martyrol.*

A N N O T A T I O.

EXtat Roma in colle Auentino titulus S. Sabina: quam eccles. Fratres Prad. tenent. Corpus illius Parma in ade S. Bartholomai asseruari in Tab. Eccl. Parmen. apparet: cum tamen Roma in propria eccl. requiescere Tab. & inscriptiones doceant, & in Tab. Venetis illud in ade S. Zacharia asseruari legatur.

DE S. CANDIDA VIRGINE, ET MARTYRE ROM.

CAndida virgo Romæ pro fidei christianæ confessione martyrio affecta refertur. Cuius corpus à Paschali Pont. Max. primo huius nominis in sacrã ædem S. Praxedis translatum ibi cum aliorum SS. plurium corporibus, vt inscriptiones marmoreæ monent, vsque in præsentem diem quiescit. *Ex Martyrol. & Baron. Annotat. hac die.*

A N N O T A T I O.

VSuard. hac die S. Candida V. meminit: sed nulla loci, & martyrij facta mentione. Cuius adhuc in ade S. Praxedis V. marmorea inscriptio inter cat. visitur.

DE S. EVTHYMIO CONFESSORE PERVSIÆ.

EVthymius Romanus Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus in Christi fide vnà cum vxore, & Crescentio filio ab Epigmenio Presbytero instructus ab eodem baptizatus est. Cum autem persecutio in christianos Romæ ingrauesceret; inde Perusiam cum filio profectus est, vt ibi dies in pace in sanctis operibus transigeret, & si enim Christum clam coleret, ratò in publicum prodiens, diu Perusiæ occultè commoratus; illum tamen veraciter, & ex corde dilige-

ligebat. Cum itaque filium in fide educasset, & ne vnquam ob impiorum minas, vel supplicia ab ea excideret, neglectis inanium Deorũ simulchris, admonuisset, isque iam 11. ætatis annum ageret, Euthymius confessor Perusiæ migrauit ad Christum 4. Kal. Septembris. *Ex pass. S. Crescentij mart.*

ANNOTATIO.

DE Crescentio puero S. Euthymij filio agitur in Martyrol. Rom. ad diem 14. Septemb. De Euthymio hac die Perusia tantum fit commem.

DE S. PELAGIO MARTYRE, ET PATRONO Æmoniensi.

PElagius Æmoniæ in Histria nobilibus, & copiosis parentibus ortus annum ætatis 7. agens Vranio Presbytero instituendus traditur: à quo in christiana fide, & sacris litteris eruditus est. Mortuis parentibus, seruis manumissis, facultates suas pauperibus, & ecclesijs distribuere cœpit. Quo tempore Numerianus christianos persequens misit in Histriam, qui eos ad Deorum sacrificia cõpelleret. Pelagius autem cum multos metu tormentorum Dijs immolare cerneret, voce cœlitus ad eum facta, roboratus Præfectum vltrò adijt: seque christianum confessus est; à quo in vincula, & carcerem obscurissimum coniectus, luceque cœlesti perfusus, postero die Iudici sistitur, & Dijs sacrificare renuens virgis diu ac dirè flagellatur: cumque in fidei confessione persisteret, fustibus cædi iubetur. Quibus in morem ceræ emollitis in equuleo suspensus vngulis excarnificatur: ac depositus feruenti oleo perfunditur, cum autem carnificum manus eo oleo incenderẽtur; corpus verò martyris nulla læsione affectum illud velut aquam refrigerantem sentiret; multi Gentilium ad Christum eo miraculo conuertuntur. Pelagius autem colligatis manibus, & pedibus per loca testarum fragmentis strata iussus raptari, denique abscissione capitis 4. Kal. Septembris martyrium compleuit. Corpus ab Vranio Presbytero collectum eo loco, vbi decollatus fuerat, extra vrbem sepeliuit. *Ex monum. Eccl. Æmonien. & Pet. in Cat. lib. 7. c. 120.*

Carnificum manus oleo incenduntur.

ANNOTATIO.

ACta huius cum actis Pelagij: qui Constantia in Germania passus est, confunduntur: ex quo quis hunc eundem cum illo esse suspicari possit: cuius corpus Constantia Æmoniam delatum sit; sicque Pelagius Æmonia tutelaris effectus, nisi Constantienses sui martyris corpus haberent.

DE S. ALBERICO EREMITA APVD M. FERETRANVM.

ALbericus eremita ex Hetruria vitam asperam intra M. Apenninum in agro Sarsinate apud Balneum op. duxit: vbi locus adhuc cella S. Alberici nominatur atque ab eremitis vsque in hodiernum diem incolitur. Cuius corpus in ecclesia S. Anastasij apud vallem Feretranæ diœcesis asseruatum hac die religiose colitur: confluentibus eò ad diem festum finitimis populis, Balneatoribus maximè: quòd S. Albericum balnea illa excitasse fama sit. *Ex monum. Abbatia S. Anastasij.*

ANNOTATIO.

ACta nondum vidimus: nec si extent, intelleximus.

Augusti die 30.

DE SS. FELICE, ET ADAVCTO MARTYRIBVS ROMÆ.

FElix Diocletiano,& Maximiano Imperatoribus à Draco vrbis Præfecto ob christianam religionem comprehensus, & in Serapidis templum vt ei sacrificaret ductus, os simulachri conspuit, statuaque ærea statim corruit. Quod cum ad ædem Mercurij & Dianæ factum esset, magicæ artis accusatus equuleo torquetur. Mox ad secundum ab vrbe lapidem via Ostiensi securi feriendus cum duceretur in via oblatus est quidam christianus: qui Felicem agnoscens,& ad supplicium duci videns, *Ego quoque*, inquit, *clara voce eadem qua iste, lege viuo: ego eundem Iesum Christum colo*. Itaque Felicem osculatus, cum eo securi percussus est 3. Kal. Septembris: cuius nomen, cũ christianis esset ignotum, is Adaucti nomine appellatus est, quòd S. Felici Adauctus sit ad coronam. *Ex Breu. Rom.*

ANNOTATIO.

SVr. tom 4. Copiosius acta horum mart. recenset; nam Felicem Presbyterum facit, cui frater erat, etiam nomine Felix, & Presbyter. Et Felicem eductum via ostia, arborem cum fano, & simulachro, cui immolare iubebatur, oratione prorsus deiecisse ait. Addit Paganos altera die horum mart. corpore à christianis humata refossa terra eruere conatos statim à Dæmone arreptos inde amentes recessisse; insignemque in loco illo martyribus sacram ædem excitatam: in qua Christi beneficia in præsentem vsque diem exuberarunt.

DE S. GAVDENTIA VIRGINE, ET MART. ROMÆ.

GAudentia virgo cum tribus alijs Romę martyrium pro Christi fide subijsse à Beda, & Martyrologio Rom. refertur: Sed quo martyrij genere,& sub quo Imp. coronata sit, nullibi explicatur. *Ex Martyrol.*

ANNOTATIO.

VSuardus illam virginem nulla martyrij facta mentione facit: quæ an Romana fuerit incertum est: cum in lib. de Virgg. Rom. ab Anton. Gallon. prætermissa fuerit.

DE S. BONONIO ABBATE LOCEDENSI.

BOnonius Bononiæ natus, à teneris mundi huius delicias deuitans S. Stephani cœnobium factus monachus ingreditur: in quo cum haud pœnitendos in rerum diuinarum contemplatione progressus fecisset, ad maiorem adspirans perfectionem omnibus relictis in solitudinem apud Babylonem in Ægyptum se recepit antiquam patrum in eremo degentium virtutem æmulatus: vbi fama sanctitatis peruagante, feris Barbarorum mentibus delinitis, à Proceribus Regionibus adiutus non modò diruta templa, sed & monasteria iacentia restaurauit, ac monachis dispersis ad ea reuocatis, Abbatibusque Præfectis, pristinam disciplinam, vt temporum conditio ferebat, restituit. Ipse Ægypto peragrata, miraculis,& doctrina nouos Christo cultores aquisiuit; cum aliquando Alexandriam cum mercatoribus Ægyptijs nauigaret, ijsque Christum incassum annũciaret, orta sæuissima tempestate, illi, cum se in summo vitæ discrimine constitutos viderent, omni spe salutis destituti, Bononium orare, ac si periculum preci-

bus

bus illius euadant, se in Christum credituros polliceri. Mox vbi ille preces fudisset, tempestate discussa serenitas cœlo, marique trãquillitas reddita est. Quare cum Alexandriam incolumes peruenissent, vndis salutaribus expiati nouam instituere vitam. Inde Bononius ad amicam apud Babylonem solitudinem tendens, vigilijs, ieiunijs, orationibus, pijsque alijs bonorum operũ exercitijs, diligentius vacare cœpit. Pauperum ei præcipua cura erat; quibus, à diuitibus, opẽ assiduè postulabat; cum ipse in sua vitæ austeritate, quasi sui oblitus perduraret. Erant illi pro molli lecto dura humus; pro linteaminibus asperum cilicium, pro ceruicali lapis, atque talis erat post assiduos labores illi requies. Cum christiani, qui eo tempore, ad sacrum bellum proficiscebantur aduerso Marte cum Ægyptijs manus conseruissent, plurimique in captiuitatem deuenissent, in ijs Petrus fuit Episcopus Vercellensis. Ad quem solandum Bononius accedens, bono animo illum esse iussit. Nam cum apud Reginam ob sanctitatis famam plurimum posset, illam, vt apud Regem pro Episcopo, & concaptiuis intercederet, orauit. Quæ cum Regem allocura esset, captiuos omnes Bononio donari obtinuit. Quibus omnibus ad suas sedes remissis, Bononius ad M. Sena, ante cum Episcopo visitatum, reuersus: ibi se totum diuinæ legis contemplationi addixit, fama virtutum & signorum Hierosolymam, & finitima loca peruolante. Interea Locedensis monasterij Abbate defuncto, illi Petri Episcopi opera Bononius sufficitur: accitus itaque Vercellas inuitus monasterij gubernacula suscepit, sed concitata in eum tempestate in Hetruriam venit, vbi veteri monasterio instaurato monachos sanctissimis legibus instituit. Reuersus ad monasteriũ Locedense paulò post creatori spiritum reddit. 3. Kal. Septembris An. sal. 1026. à Ioanne XX. Pont. Max. in SS. relatus. *Ex monum. memorati monast. & vita à Sur. tom. 4. rel.*

Tempestas maris, sereno cælo, precibus Bononij extinguit.

Asperrima Bononij austeritas.

Bononius Petrum Episcopum Vercellen. cum alijs multis captiuum in libertatem vindicat.

ANNOTATIO.

Karol. Sigon. lib. 2. de Epp. Bononiens. Loceden. monast. à Bonifacio Marchione M. Ferrati erectum, eique Bononium præfectum fuisse scribit; cum ex vita eiusd. Bononij appareat ante Bononium illud cœnobium Abbatem habuisse; cui defuncto ille successit.

Augusti die 31.

DE S. CÆSIDIO PRESBYTERO, ET SOCIIS martyribus Transaquis.

Cæsidius S. Rufini Episcopi Marsorum filius ante Episcopatum generatus, ad Presbyterium promotus, Maximiano Imp. Misini municipio apud lacũ Fucinum in finibus Marsorum prædicãs magnam eius populi partem ad Christi fidem perduxit. Cum autem Rufinus ob eandem causam Romam perductus in carcerem detrusus esset, Cæsidius ab Imp. satellitibus conquisitus; at nõ inuentus, spontè Romam ad visendum patrem venit, ac noctu carcerem per fenestram ingressus tandiu ibi fuit, quoad cum patre, & alijs dimissus Transaquas redijt. Vbi cum christianam fidem prædicare non desisteret, quadam die cum in ecclesia sacra missæ mysteria faceret, ab Idolorum cultoribus inuasus vnà cũ alijs christianis permultis gladio perimitur. 3. Kal. Sebtembris. Ibi à christianis conditus *Ex pass. S. Rufini Episcopi, & ex antiq. lectionib. Eccles. Transaquen. in eius festo sol. recitate.*

ANNOTATIO.

Acta huius martyris cum actis sancti Rufini permixta sunt: eaque diuersè referuntur, in aliquibus enim M.S. eos in pace quieuisse legitur, quod Martyrol. Rom.

Rom. & antiqua Eccl. Transaquen. quæ illum suum tutelarem maximè veneratur, repugnat.

DE S. AMATO EPISCOPO, ET PATRONO NVSCANO.

Mutus loquē di vsum recipit. Claudus sanis cruribus ambulat. Venator, qui Amatum in capite percusserat, è carcere liberatur. Energumena mulier sanatur. Clericus semimortuus surgit, ministratque. Paralytica curatur, & obsessa liberatur.

AMatus Nusci (vrbs est in Irpinis vlterioris Principatus) natus castitatem à puero colens, litterisque, & moribus excultus in clericorum numerū adscribitur, suis facultatibus pauperibus erogatis. Breui doctrina, & vitæ sanctitate fulgens ad Sacerdotium peruenit. Is viduarum, & pupillorum patrocinio suscepta, peregrinos etiā domi suę excipiens, alijs pietatis operibus vacabat. Cū autem S. Gulielmus monasterium in M. virginis construxisset. Amatus se illi cū alijs discipulis adiunxit, ac ecclesiam in M. Lacinio apud Fontilianum Dei genitricis excitat An. sal. 1182. ad quem cum adolescens quidam mutus accessisset, ad S. viri præceptum alta voce, stupentibus, qui aderant, locutus est (qui postea Abbas S. Amato successit.) Claudus item, pro quo Amatus cum fratribus orauerat, surgere iussus, illicò sanatus ambulare cœpit. Quadam die extra cœnobium in venatores incidit; à quibus grauiter in capite percussus, cum percussor in carcere detentus crimen confessus esset, ab Amato mirabiliter è carcere liberatur. Paulò post à Rogerio Siciliæ Rege, Beneuento vrbe potito, Nusco Episcopus præficitur: quod onus, à ciuibus exoratus, vix tandē à Sum. Ponr. iussus suscepit: Abbate à se prius sibi subrogato. Ordinatus itaque ab Archiepiscopo Salernitano Nuscum ingressus energumenam mulierem sanat, templum cathedrale ædificat: Clericum iacentem semimortuum surgere, & in ecclesia ministrare, sibi sanitate impetrata, iussit. D. Laurentio martyri ecclesiam ædificat; in cuius consecratione mulierem paralyticam sanat, & alteram Acernensem à dæmonis vexatione liberat. Migraturus è vita missam celebrat, qua peracta, cū populo post verba exhortationis benedixisset, inter manus Sacerdotum animā suam Deo reddidit 15. Kal. Iunij, An. sal. 1193. ætatis 89. Cœlestino III. Ponr. Max. Henrico VI. Imp. *Ex Fel. Renda Priore M. V. qui vitam scripsit multis à Paul. Reg. lib. 2. SS. Regni Neapolit. relata.*

ANNOTATIO.

PLurima post mortem edita miracula Paul. Reg. loco memor. prosequitur. Vbi à successore ecclesiam, in qua iacebat S. Amati corpus instauratam, & auctam, eidemque S. Amato dicatam, & cathedralem effectam fuisse habetur.

DE S. PRIMIANO MARTYRE SPOLETANO.

PRimianus (quem Spoleti natum, ibique pro fidei confessione martyrium subijsse tradunt) in Diocletiani, & Maximiani Imperatorum persecutione ob christianam religionem comprehensus diuersa tormentorum genera expertus est. Primùm enim in equuleo suspensus vngulis ferreis excarnificatus est: deinde ardentes lampades ad eius latera admotæ sunt: denique cum neque his cruciatibus à fidei proposito dimoueretur, capite truncatus martyrium consumauit. Pridie Kal. Septembris. Eius reliquiæ in ecclesia maiore asseruantur. *Ex monum. Ecclesiæ Spoletinæ, quæ ibi legimus.*

ANNOTATIO.

PRimianum Spoletij passum, antiqua illius imagines in parietibus depictæ, ac mos peruetus illius na... em in Eccl. Spoletina celebrandi persuadere videntur.

DE

DE SS. MAVRENTIO, ET SOCIIS MARTYRIBVS APVD Forum Sempronij.

MAurentius S. Paterniani Episcopi Fanensis discipulus vnà cum Vrbano, Auito, Materniano,& Vincentio in cœnobio inter Fanum,& Forū Sempronij sub ipsius Paterniani disciplina degebat. Verum cum S. Paternianus Fanensis Episcopus creatus fuisset, ipseque Maurentius cœnobio præpositus esset; ab Idolorum cultoribus, vigente adhuc Diocletiani, & Maximiani Imperatorum persecutione, tentus pro Christi confessione vnà cum socijs martyrio affectus est Prid. Kal. Septembris. Quorum corpora à christianis sepulta, posteà in Ecclesiam Sempronienſem delata sunt. Vbi caput eiusdem S. Maurentij ab alijs reliquijs separatum religiosè asseruatur. *Ex monum. Eccl. Sempronien. & vita S. Paterniani.*

ANNOTATIO.

ACta non extant, nomina sociorum deprauata in Tab. eiusd. Eccl. leguntur. Festum Horum cum octaua celebratur.

Horum commem. quotidie fit in Eccl. Forosempron. cum hac Antiph. Maurentius Præpositus miles Christi fortissimus cum fidelibus socijs miraculis splēdet in Marchia.

DE S. FELICE PRESBYTERO, ET CONFESSORE.

FElix Presbyter,& Confessor Venetijs colitur: vbi ecclesiā habet Parochialem. Is idem videtur cum eo, qui Nolæ die 14. Ianuarij celebratur,& si .n. ab ecclesia in Breuiario Rom. martyr adnotatus; Nolæque vti martyr colitur; cum tamen post persecutionem in pace Nolæ obdormierit, potest ēt Confessor appellari: quod alij quoque sanctis euenisse, vt passi᷑n martyres, & confessores dicantur, non ignoramus. *De quo Petrus Equilinus hac die in Catalogo libro 7. c. 138. eum Confessorem vocans agit.*

ANNOTATIO.

EIus memoria Venetijs celebratur, vbi extat illi ecclesia Parochialis dicata. Diuersus est ab eo, qui Pistorij colitur die 25. Augusti, vti acta testantur. Idem verò, vt videtur cum eo, de quo Nola, licet ibi die præcedenti recolatur.

DE S. IVLIANO CONFESSORE, PATRONO Maceratensi. *Vide die 29. Ianuarij.*

DE S. SYRO EPISCOPO PATAVINO IN TERRITORIO.

SYrus patria Patauinus, sanctitate clarus nono loco Patauinā rexit Ecclesiā, quo tempore Antoninus Caracalla in christianos sæuam persecutionem exercebat, in qua tamen sanctus Episcopus gregi sibi commisso nulla in re, vt poterat, defuit. Cumque Ecclesiæ Patauinæ annos 24. pręfuisset, deniq; Prid. Kal. Septembris in pace quieuit. Qui in pago sui nominis in agro Patauino templo sibi dicato venerationem habet. *Ex monum. Eccl. Patauinæ, & Bernardino Scardeonio, lib. 12. classe 6. Antiq. vrbis Patauinæ.*

ANNOTATIO.

POtius inter Beatos recolitur, quam inter SS. cum in Tab. Eccles. Patauinæ haud descriptus legatur. Acta propria non extant.

DE

Septembris die 1.

DE SS. DVODECIM FRATRIBVS MARTYRIBVS Beneuenti.

DVodecim fratres,Donatus,Felix Arcontius,Honoratus, Fortunatianus,Sauinianus,Septimius,Ianuarius,Felix, Vitalis, Satorius, & Repositus Hadrumeti in Africa Bonifacio patre, & Tecla matre christianis parentibus nati, cum multos Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus ad Christum conuertissent,& qua die populus Hadrumetinus Ioui sacrificabat,eum, quòd, qui vino,& vero Deo debebatur, honorem mutis simulachris haberet, reprehenderent,à Pontificibus,& Sacerdotibus Herculis tenti variè cruciati sunt. Inde in Italiam ducti,Beneuenti Imperatoris iussu acerbissimè torquētur: nam post carceres,in foro stipiti alligati ab subiecto igne exuruntur:posteà funibus in altum attracti deorsum præcipites demittuntur:ac Imp. præsente ferreis vncinis dilacerantur: tum facibus ardentibus ad latera admotis incenduntur. Quæ omnia cum æquo, & forti animo SS. fratres pertulissent, demum gladio animaduersi martyrium compleuerunt. *Ex monum. Eccles. Beneuentana.*

ANNOTATIO.

ALphanus Episcopus Salernitanus horum certamen versibus descripsit; qui non vna die passi sunt,vt Baron. in Annotat. monet. Sunt qui hos passos fuisse an. D.258.Valeriano Imp. quod si ita est,pro Dioclet. & Maxim. Valerianus Imp. reponendus est.

DE S. PRISCO EPISCOPO I. CAPVANO, ET MART.

PRiscus vnus ex 72. Discipulis cum B.Petro Apostolo Antiochia Romam venit: à quo Episcopus ordinatus, Capuam ad prædicandum destinatur.Cum itaque ad eius prædicationem multi videntes signa;quæ in expellendis dæmonibus cæcis illuminandis, & mortuis excitandis fiebant,conuerterentur ad Christum,Ecclesiamque Capuanam primus eius sedis Episcopus fundasset, & instituisset, fidem quoque in locis finitimis disseminasset, ab Idolorū Sacerdotibus apud Proconsulem accusatus fustibus martyrio affectus cæsus, pugionibusque confossus est. Kal. Septembris, apud Vicum Aquarum. *Ex antiquis monum. Eccl. Capuana, & Martyrol.*

ANNOTATIO.

ET si Priscus mart. tantum,non Episcopus in Martyrol. Rom. memoratur;ex antiqua tamen Eccles.Capuan. quæ illum vti suum primum Episcopum agnoscit,& veneratur, Episcopus fuisse creditur, id quod Baron. in Annal. Eccles. ad annum D. 46. asserit.

Hunc Pet. in Cat. lib 8.c.17. vbi de Prisco paucis,& non pluribus,vt ait Baron. in Annotat. agit,illum patrem familias (in cuius domo,Saluator noster cum discipulis vltimò cœnauit, lauitque pedes illorum) fuisse opinatur.

DE S. TERENTIANO EPISCOPO I. TVDERTINO, ET martyre, eius vrbis patrono.

TErentianus Episcopus Tudertinus Hadriano Imp. Letiano Proconsuli captus sistitur: à quo cum Dijs,vt sibi bene esset, immolare suaderetur, illū è contra,

contra, vt omisso inanium Deorum cultu, Deum verum agnosceret, hortatur. Cumque Lecianus causam à Terentiano, cur Dij christianis prædicantibus consueta responsa non darent, sciscitaretur, respondit, vt prius veritatē addisceret, hoc est Christum Dei filium, vnà cum patre, & spiritu sancto in trinitate, & perfecta vnitate persistentem crederet, sic enim saluus esset, causamque eius quod quærebat, intelligeret. Explicatis autem Leciano præcipuis fidei christianæ mysterijs, ergo inquit Proconsul Dij nihil sunt, nec quicquā Reipublicæ prosunt. Cum tamen vera vaticinentur, & futura responsis prænuncient. Respondit Terentianus hoc dæmonibus esse concessum, vt vera falsis miscentes homines decipiant. Sed Lecianus Terentiani verbis aurem non præbens, vt Dijs sacrificaret, illum minis vrgere cœpit, ac diceti Diabolum esse ipsius Leciani patrem, saxo os confringi iussit, ac vestimentis exutum Ioui, & Herculi (statuis ab Idolorum Sacerdotibus allatis cum omni sacrificiorum apparatu) sacrificare compellebat. Verùm ad Terentiani preces, Flaccus Sacerdos excæcatur, Deorumque simulachra confracta sunt, & in puluerem redacta. Quibus ira incensus Lecianus S. senem tanquam magum in equuleo suspendi, scorpionibus cædi, & corpus eius pertractum dilaniari præcepit, & quia voce magna clamabat, *Benedico te Iesu Christe fili Dei*, Lecianus ignem ad illius latera apponi iussit dicens, videamus, si magica ars te liberet; & vbi tuus est Christus? Cui Terentianus, *mecum est, in quem si credere volueris, misericordiam consequeris.* Cumque Lecianus diceret; *si mihi eum feceris agnoscere, credam te non magum, sed virum probum esse.* At cum Terentianus dixisset, *fac quod cœpisti, nam si cessaueris, nihil mihi beneficij præstabis*; Lecianus linguam ei præcidi, & pedibus conculcare iussit; qui statim mutus effectus est, Terentiano absque lingua loquente, quo in carcerem reducto, Proconsul expirauit. Cum verò Cessus, & Leontius viri consulares Terentianū eduxissent, is Flacco cæco ad illius pedes in via prostrato, petenti in Christi nomine illuminare, lumen oculorum restituit, ac illum in Christum credentem baptizauit: iuxta murum ciuitatis decollatus est Kal. Septembris. Quorum corpora Exuperantius Presbyter, & Laurentia fœmina sublata octauo ab vrbe Tudertina milliario in loco, qui Colonia dicitur, sepelierunt. *Ex lectionib. Eccl. Tudertina, in quib. passio prolixè narratur.*

Flaccus Idolorum Sacerdos excæcat, atque simulachra confringuntur.

Lecianus mutus efficitur, ac paulò post expirat.

ANNOTATIO.

Illud dubitari potest cur in huius mart. historia Hadrianum persecutionem in christianos edicto excitasse dicatur, cum nulla sub Hadriano qualis sub alijs Imperatorib. persecutio legatur exercita fuisse. Sed forte dici potest Hadrianum non commouisse persecutionem generalem, vt Nero, Claud. Traianus, Antoninus, & cæteri.

Huius S. mart. memoria alibi etiam viget, Derthona præsertim, vbi corpus asseruari traditur, Theani, vbi brachium illius habetur, & Parmæ vbi reliquia, Tuderti verò summa celebritate cum octaua, & off. proprio sicuti, & Theani colitur.

Hymnus S. Terentiani: in quo eius martyrium describitur, ex off. Eccl. Tudertinæ.

Laudes pangimus martyri
Terentiano Præsuli,
Omnes venite supplices
Senes, simulque Iuuenes.

Quem in annis senilibus
Lecianus nequissimus
Pœnis afflixit plurimis,
Deum rogantem precibus.

Hic

Hic Hadriani tempore
Retrusus est in carcere
A sæuissimo Tusciæ
Leciano Proconsule.
Quo compellente martyrem
Christum negare Dominum,
Statim miser obmutuit:
Vita cum voce caruit.

Sacerdos Flaccus cæcus est:
Orante sancto sanus est:
Eo iubente, Lotus est
Sacro fonte renatus est.
Ambo truncati gladio
Pari fruuntur gaudio,
Cœli tenentes ostia,
Ac Paradisi præmia.

DE S. REGVLO EPISCOPO, ET MARTYRE Populoniæ.

Regulus Archiepiscopus Africanus, in Arianorum aduersus catholicos cōmota persecutione. Ex Africa cum Cerbonio, & Felice Episcopis in Italiam nauigauit, atque inter nauigandum ortam tempestatem oratione sedauit. Cum Populoniam in Tusciam venisset, ibi in proxima solitudine aliquandiu vixit: quo ad fama sanctitatis ad Totilam Gothorum Regem perlata, à millitibus ab eo missis, vt ad se illum perducerent, à puella capras pascente detectus, captus est & ad Regem Idolatram venire nolens capite obtruncatus. De quo illud memorabile fertur; caput suum manibus acceptum ad duo stadia gestasse, resedisseque quasi non occisus esset, ita vt Cerbonius & Felix ab Angelo admoniti aduenientes sedentem inuenirent, & ipse ab eis vocatus surgens caput ad lapidis iactum deferret; quo in loco ab illis non sine lacrymis sepultus est, inter sectoribus vnà cum puella (vno excepto, quem patrati criminis pœnituerat) à dæmone suffocatis. Ibi templum S. martyri dicatum ob crebra miracula, quæ ad illius tumulum fiebāt, magnam habuit apud accolas venerationem; donec corpus à Ioanne Episcopo Lucense Lucam translatum in æde S. Martini honorificè conditum est. *Ex monum. Eccles. Lucen. quæ illum colit cum oct.*

Regulum decollatum caput ad duo stadia gestasse, memoratur.

ANNOTATIO.

Hac die Pisis vnà cum Regulo etiam Felix Episcopus, & mart. eius socius celebratur, vt ex Tab. Eccl. Pisana apparet: licet vbi martyrium passus sit, ignoretur: tametsi Felicem quoque sub eodem Rege & circa Populoniam, sicuti, & Cerbonius eius comes, martyrio affectum probabile est.

DE S. PRISCO EPISCOPO, ET SOCIIS CAPVÆ.

Priscus Episcopus Africanus vnà cum Castrensi, Tammaro, Rosio, Heraclio, Secundino, Adiutore, Marco, Augusto, Elpidio, Canione, & Vindonio in Vuandalica persecutione ob fidem catholicam variè afflictus, sedeque pulsus, & naui vetustæ absque remigio impositus, ex Africa ad Campaniæ littora Deo gubernāte peruenit: vbi socij diuersis ecclesijs præfecti, ac in diuersa loca profecti christianam religionem maximè propagarunt. Ex quibus Priscus Capuę consedit. Castrensis Suessæ Tammarus Beneuenti, Adiutor apud Cauam, Vindonius, & Canion Atellæ, & alij alijs locis prædicantes, ac pastoris officio fungentes. Priscus autem hac die Capuæ migrasse traditur. *Ex Breuiario Capu. antiq.*

AN-

ANNOTATIO.

Extant Acta horum Epp. M.S. quæ à Baron. in Annotat. citantur, sed deprauata valdè, cum eos sub Valenti, & Valentiniano suis sedibus pulsos, quòd nollent militiam exercere prout Impp. edicto iubebantur, in eis legatur. Quod prorsus à veritate alienum est, cum Valentinianus, qui Africæ præerat cum reliquo occidentis, pius, & Catholicus fuerit.

Breuiar. quoque Capu. Priscum hunc cum priore confundit: dum martyrio affectum à Proconsule tradit, quod ab Idolorum Sacerdotibus accusatus fuisset. Qui Sacerdotes eo tempore non extabant.

DE S. CONSTANTIO EPISCOPO AQVINATE, & patrono.

Constantius Episcopus Aquinas Ioanne Pontif. Max. qui Gregorium Magnum præcessit, sanctitate floruit, inter cœtera dono prophetię clarus. Cum enim è vita discessurus, à clericis, & ciuibus mortem eius propinquam lugentibus, de successore interrogatus esset, respondit, post Constantium Mulionem, post Mulionem Fullonem, post Fullonem finē habebit Aquinum. Quod ita euenit; nam illi Andreas Diaconus successit, qui olim in stabulis, & cursibus curam gesserat equorum, & mulorum: post quem Iouinus, qui prius fullo fuerat in ciuitate, sedem tenuit; sub quo ciuitas Barbarorum gladijs, & peste ita vexata est, vt post Iouinum Episcopo diu caruerit. *Ex S. Greg. Papa lib 3. c. 8. Dial.*

Constantius dono prophetiæ clarus. Post Constantium Mulionem, post Mulionem, Fullonem.

ANNOTATIO.

Ioannes sub quo S. Constantius vixit 3. est. qui Pontif. gessit post Gelasium I. circa an. D. 561. quo tempore Gothi à Narsete profligati fuerant. Aquinum autem bis vastatum est, primò sub Iustiniano Imp. secundò sub Conrado. Post quem nunquam readificatum fuit, licet Episcopatus perseueret.

DE S. NEOPHYTO EPISCOPO LEONTINO.

Neophytus antea Alexander vocatus Tertulli Præsidis Consiliarius in SS. Alphij, Philadelphij, & Cyrini passione ad Christum conuersus, patrimonio pauperibus distributo in montem fugit, vbi à B. Agathone Episcopo Lyparēsi instructus baptizatus est, & sacris initiatus ad Sacerdotium promotus fuit: Cui Episcopo quadriennio inseruiens, carne, & vino abstinens, quotidiano ieiunio, quod in reliqua vita seruauit, corpus suum afflixit. Post Tertulli mortem Leontinos reuersus cœpit ad populum prædicare. Orantibus autem Agathone, & Tecla ad SS. puerorum sepulchra B. Andreas Apostolus apparuit: qui Neophytum Episcopum Leontinum consecratum Romam Pontificem adire, & benedictionem ab eo recipere iubet, cumque Summus Pont. Neophytum Episcopum consecraturus esset, per somnium à SS. Apostolis Petro & Paulo illum à B. Andrea Apostolo mirabiliter ordinatum accepit: quod cum manè Episcopis, qui ad consecrationem venerant, retulisset, manum eiusdem Apostoli super Neophyti caput adspexit, illumque quædam in auribus eiusdem Neophyti verba secretò proferre. Roma post tres annos in patriam cum corporibus SS. martyrum Erasmi, Cleonici, & Stratonici rediens, ingenti gaudio à ciuibus susceptus est. Cumque concionari cœpisset, maximam, & ferè omnem populi multitudinem ad Christū conuersam sacro fonte regenerauit: corpora triū SS.

S. Andreæ apparitio.

Nn fratrum,

fratrum, quæ diu latuerant, indicauit. Cum autem Ecclesiæ Leontinæ annos 37. à se optimè cóstitutæ præfuisset; miraculis,& sanctitate clarus 15.Kal.Maij, quo die mater ipsius Neophyta obierat,ad cœlestem beatitudinem euolauit,anno ætatis 80. *Ex offic.Eccles.Leontina Roma nuper approb.*

ANNOTATIO.

H*Ac die non natalis, qui in 17. Aprilis incidit: cum eo die obierit, sed consecratio, seu ordinatio celebratur, quod circa alios SS.Epp. aliquando obseruat Ecclesia.*

DE SS. MARTYRIBVS ORONTIO, ET IVSTO Aletij patronis.

IVstus Corinthius, Pauli Apostoli discipulus, ab eo Romam missus Aletium peruenit: vbi ab Orontio nobili Aletino hospitio acceptus illum à se conuersum ad fidem in reuersione ad Apostolum Corinthum,cum Fortunato perduxit. Vtroque autem ab Apostolo ad Aletinorum conuersionem destinato, ac Orontio primo eius vrbis Episcopo ordinato, illi Iustus adiutor, & prædicator adiungitur. Vbi itaque Aletium peruenissent, principioque magnam Romanæ legionis partem, ac ciuium plurimos ad christianam fidem perduxissent, in persecutione Neronis ab Imperatoris satellitibus comprehensi Ioui, & Marti iubentur sacra facere: quam impietatem detestantes post multos, & diros cruciatus publicè interfecti martyrij palmam adepti sunt. Quorum corpora à christianis condita,cum diu latuissent,inuenta thecis argenteis inclusa,& in templo eis dicato recondita sunt. *Ex monum.Eccl.Aletina,& Paul.Reg.lib.1.de SS.Regni Neapolit.*

ANNOTATIO.

C*Orpora horum mart. non eodem loco condita sunt, sed seorsum in propria ecclesia illis extra vrbem extructa. Quorum tamen natalis simul prima Dominica Septembris anniuersaria celebritate recolitur.*

DE S. AREALDO MARTYRE CREMONÆ.

ARealdus Brixiæ martyrio coronatus, ibidemque sepultus est. Cuius ossa Gerardus Brixiensis ciuis ex nobili Madiorum familia Episcopus Cremonensis à Clemente V.Pont.Max.anno sal.1305. creatus, à Brixiensibus, apud quos plurimum valebat autoritate, & gratia, impetrata Cremonam transtulit, & in sacello ei dicato reposuit, vnde postea in ecclesiam Cathedralem translata sunt, ibique piè asseruata coluntur. *Ex monum. Eccles.Cremonen.& Tab. Epp. Cremonens. Dypthychis.*

ANNOTATIO.

Q*Vandò, & quo mortis genere hic S. mart. affectus fuerit, nondum sciri potuit; cum nulla extet eius in Annalib. Brixiens. memoria.*

DE S. ALBERTO I. ABBATE PONTIDENSI.

ALbertus ciuis Bergomensis à sæcularibus curis absolutus, vt Christo liberius inseruiret, relictis propinquis,& patria Cluniacum profectus habitū monasticum sub S.Vgonis Abbatis Cluniacensis disciplina induit: quo doctore tantum in obseruantia Regulari profecit,vt ab eodem Vgone primus Abbas Pon-

Pontidensi monasterio, cuius ipse fundator fuit, præfectus fuerit. Eius hortatu Toperga Lotharij Regis Gallorum ecclesiam, & cœnobium S. Mariæ vulgò de Fontanella dictum ædificauit. Ipse annosus migrauit Pontidæ Kal. Septembris anno sal. 1095. Ibidem sepultus, ac posteà Bergomum in ædem S. Mariæ translatus. *Ex monum. prædicti monast. & lib. qui vinea Bergomen. inscribitur.*

DE SS. ARCANO, ET ÆGIDIO EREMITIS BVRGI Protectoribus

ARcanus ex Arcadia, & Ægidius Hispanus Anno sal. 1430. Ioanne XI. Pont. Max. & Othone I. Imp. Hierosolymam voti causa profecti; inde Romam veniunt ad Apostolorum limina: quibus inuisis, sacris reliquijs onusti, dum Venetias pergunt, in locum, in quo nunc Burgum S. Sepulchri ciuitas est, nemorosum diuertere eos contigit. Ibi dum tantisper ad fontem recreantur, Arcanus somno correptus, vocem sibi audire visus est; *Locus hic sanctus est, hic siste gradum, & aram erige.* Quod cœleste monitum prodigium subsequitur: nã pera, in qua erãt reliquiæ, arbori alligata, spontè soluta in sublime volãs haud prius, quam voto se ibi ecclesiam constructuros facto, descendit. Sacello itaque in eo loco extructo, fama sanctitatis ipsorum peruagante, tantus cœpit esse ex vicinis oppidis, & pagis ad eos concursus, vt breui noua vrbs circum ecclesiam, (quam Burgum S. Sepulchri placuit appellare) ædificata sit; cui B. Arcanus nonnullos præfecit; qui eam administrarent. Qui cum aliquot annos in ieiunijs, vigilijs, orationibus & alijs pijs exercitationibus vitam solitariam duxisset, migraturus è vita, cum ciues ad diuinorum mandatorum obseruantiam hortatus esset, eisq; nonnulla prędixisset, obdormiuit in Domino Kal. Septembris in ea ecclesia, quã cum Ægidio ædificauerat, honorificè sepultus. Ægidius verò orbatus comite, quem loco patris habebat, in patriam reuersus est: & monasticam vitam ducẽs factusque Abbas, & ipse sancto fine quieuit. *Ex Annalib. Burgensib. M.S.*

Cœleste monitum.

Ædificatio vrbis S. Sepulchri.

ANNOTATIO.

H*Orum diem festum hac die Burgenses celebrant, ab opere cessantes, vti vrbis suæ fundatores, & patronorum.*

Septembris die 2.

DE S. MAXIMA MARTYRE ROM.

MAxima mulier Romana Christum colens, quo tempore S. Ansanus ad fidem conuersus est, illum de sacro fonte leuauit. Cumque persecutio in christianos sub Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus summoperè ebulliret, martyrij cupida Imperatorem spontè adire, seque christianam cum Ansano prodere decreuit. Dum irent, cæcum in via obuium habent, cui in Christum credenti lumen mirabiliter restituunt. Vbi ad Imperatorẽ venissent, Is sibi eos præsentari, & thura Dijs adhibere iubet. Quod cum facere detrectarent, Ansanum quidem in carcerem trudi; Maximam verò tandiu nodosis fustibus cædi, donec spiritum emitteret, præcepit. Cuius corpus à christianis sublatum sepultum est 4. Non. Septembris. *Ex pass. S. Ansani.*

Maxima martyrij cupida spontè Imperatorẽ adit.

Cæco lumen restitui tur.

ANNOTATIO.

P*Et. in Cat. lib. 1. c. 14. vbi de Ansano agit, Maximam virginem facit ex territorio Tanagritano.*

DE S. ELPIDIO ABBATE IN PICENO.

Mira Elpidij parsimonia.

Elpidius Genere Cappadox vitam in specu austerissimam duxit: nam per anno 25. Dominico tantū, & Iouis diebus cibum sumens, alijs diebus nihil prorsus degustabat: noctes omnes insomnes orando, & psallendo ducebat. Quadam nocte à scorpione morsus, eo calcato adeò dolorem contempsit, vt nequicquam de standi spatio intermitteret. Per annos 25. illum nunquam ad occidentem solem se vertisse, neque aspexisse declinantem ferunt. Cuius exemplo Sisinnius discipulus 7. annos se sepulchro inclusit: in quo triennio semper stans orauit, nunquam sedens, vel aut incedens. Sarmentum vitis aridū importuno tēpore plantauit; quod adeò creuit, vt intra annū totā ecclesiam operiret. His & alijs clarus innumeram habuit discipulorum turbam. Posthæc in Cappadociam reuersus, factus Presbyter, cum cœnobium extruxisset fratrum, & sororum; ijsque aliquandiu præfuisset, 4. Non. Septembris quieuit in pace. Cuius corpus in Piceno conditum est, in oppido præclaro ab eo denominato. *Ex Palladio c. 37. & Heracl. in vit. Patrum, ac Pet. in Cat. lib. 8. c. 28.*

Mirandum sanè de Elpidio narratur.

S. Sisinnius 7. annos sepulchro se includens semper stans orat.

Sarmentum aridum virescit.

ANNOTATIO.

AN S. Elpidius in Piceno in oppido, quod S. Elpidius nominatur, obierit, vel corpus illius ex Cappadocia eò translatum fuerit, mihi incompertum est; cum monumenta Eccl. Elpidien. nondum viderim.

DE S. NONNOSO ABBATE M. SORACTIS.

NOnnosus in monasterio M. Soractis vitam egit. Is miræ fuit humilitatis, & mansuetudinis vir. Cum enim Abbati viro seuerissimo, & iracundo subesset, summa animi æquitate mores illius tolerabat, & iracundiam humilitate frangebat: ita vt inferior humilitate, superior mansuetudine præstaret. Admiranda fuit sanctitate, & mirabilium patrator, vt meritò Thaumaturgus cognominari possit. Nam cum ingentis saxi moles paruuli horti (erat enim monasterium in M. cacumine constructum) planitiem occuparet, vt pauca propterea olera prouenirent, illudque nullis humanis viribus loco dimoueri posset, ad orationem confugit: qua effectum est, vt inde saxum illius tantum recesserit, quantum ad hortum excolendum satis esset. Illud quoque haud minore admiratione dignum est; cum sub Abbatis adhuc disciplina esset, accidit, vt inter lauādas lampades vitreas, vna è manibus elapsa in minutissima fragmenta abiret, Nonnosus Abbatis furorem veritus vehementissimum, collecta fragmenta ante arā composuit; seque maximo cum gemitu orationi dedit: qui ab oratione consurgens lampadem integritati restitutam inuenit. Quibus in rebus Donatum Episcopum Aretinum, qui calicem chrystalinum fractum restituit, & Gregorium Episcopum Neocæsariensem, qui montem transtulit, imitatus est. Cum autem fratres operas extra monasterium in colligendis oliuis, alijs locarent, vt oleum quo carebant, lucrarentur, Nonnosus id fieri prohibuit, ne dum lucra olei quærebant, detrimenta animarum paterentur: iussitque oleum ex paucis oliuis in monasterio collectis, & prælo expressis sibi afferri: quod ante altare positum, postquam orasset, auferri præcepit, modicumque ex eo in vasa vacua immitti: quæ altera die omnia plena reperta sunt. His & alijs diuinitus gestis, cum aliquandiu monasterio præfuisset, obdormiuit in Domino 4. Non. Septembris. *Ex lib. 1. Dialog. c. 7. D. Greg. Papæ.*

Saxum ingēs Nonnosi oratione alio recedit.

Lampadem vitream perfractam Nonnosus integritati restituit.

Vasa oleo vacua, plena deinde inueniuntur.

AN-

ANNOTATIO.

IS S. *Anastasij Ab. Supentonia (qui locus haud longè abest à M. Soracte, in quo S. Nonnosi monasterium fuit) Syncronus fuit, vixitque paulò ante S. Greg. Papa, tempora, ex loco citato eiusd. Greg.*

DE SS. MARTYRIBVS FACVNDINO, IVVENTINO, Peregrino, & Felicitate Arimini.

FAcundinus, Iuuētinus, Peregrinus fratres, & Felicitas soror apud Ariminū: vt habet traditio, tempore persecutionis pro Christi confessione tenti, & cruciati martyrio coronati sunt 4. Nonas Septembris. Quorum corpora in ecclesia Cathedrali sepulta asseruantur. Eorum verò memoria aniuersaria celebritate hac die Arimini, & per diœcesim recolitur. *Ex Tab. & monum. Eccles. Ariminen.*

ANNOTATIO.

ACta horum SS. mart. desiderantur: neque plura, quàm dicta sint, sciri de eis potuerunt.*

DE S. OCTAVIANO PRESBYTERO, ET CONFESSORE Volaterris.

OCtauianus Presbyter Africanus in Vuādalica persecutione ex Africa cum SS. Regulo, Cerbonio, Felice, Iusto, & Clemente in Hetruriam venit; quo tempore Gothi Italiam vexabant. Cum autem Regulus Cerbonius, & Felix circa Populoniam consedissent, ipse cum Iusto, & Clemente germanis Volaterras contendit; vbi Iusto, post conuersam ab hæresi ciuitatem, Episcopo à Sum. Pont. creato, Octauianus in proximam solitudinem ab vrbe ad 3. M. P. distantem apud Heram amnem se recepit: ac intra syluam densissimam in arboris cōcauo plures annos omnibus ignotus mirabiliter vixit, cibo syluestro sustentatus, donec à quodam venatore, cuius accipiter in auem dimissus arbori illi insederet, nec sæpius accitus redibat, deprehensus est. Ex quo tempore agnitus multis in dies miraculis coruscare cœpit, multis ad eum ægrotis, & infirmis, qui sanabantur, assiduè confluentibus. Denique senio, & vitæ asperitate confectus migrauit, è vita 4. Non. Septembris, in eodem loco, in quo sibi extructa fuit ecclesia, sepultus. Cuius corpus postea Volaterras delatum in maiore ecclesia reconditum fuit. *Ex monum. Eccles. Volaterrana, & Raphaele Volaterr. in Comment. lib.*

Octauianus in concauo arboris plures annos mirabiliter vixit.

ANNOTATIO.

TRanslatio corporis S. Octauiani post 300. annos ab illius obitu, die 17. Iul. celebrata est. Cuius reliquiæ ad obtinendam pluuiam maximo totius pop. conuentu circumferri solent.*

Septembris die 3.

DE S. SERAPHIA VIRGINE, ET MARTYRE ROMÆ.

SEraphia virgo Antiochena christiana Romæ in domo Sabinæ nobilissimæ fœminæ, quam ab Idolorum ad Christi cultum perduxit, morabatur. Quam Beryllus Præses Hadriano Imp. comprehensam cum Sabinam, quæ se illi comitem adiunxerat, reueritus, vtramque dimisisset, rursus captam, nec dimissam (quanuis Sabina Præsidem obiurgaos, ei dixisset: *canis rabide*

Constantissima Sabinæ, & Seraphiæ in Præsidem verba.

Asiatice, noli tuā in perniciem S. Dei virginem, & Dominam tuam iniurijs afficere: prope enim est Christus Dominus, qui, te, & Imperatores tuos æternis afficiet pœnis) ad immolandum Dijs compellebat: cui Seraphia, *Deum omnipotentem cæli, & terræ opificem veneror, Deos autem vestros, qui Dæmones sunt non adoro, dixit*. Cum Præses diceret, *Vbi est templum Christi, quem adoras, & quo sacrificio?* Respondit, *ego castitatem colens templum sum Christi, cui me ipsam in sacrificium offero*. *Ergo*, Præses ait, *si castitas tibi ablata fuerit, Christi templum esse desines*. Ad quem virgo, si quis templum Dei violauerit, disperdet illum Deus. Traditur itaque virgo iubente Præside duobus Iuuenibus Ægyptijs, qui illa nocte abuterentur: Quæ in cubiculum ab illis obscurum perducta Christi opem implorare cœpit: statimque terribilis exortus est terræmotus, qui vicinas ædes cōcutiens, iuuenes illos exanimes humi prostrauit. Mane aduenientes satellites Præsidis, Iuuenes humi prostratos, & extinctos, Seraphiam verò lætam, & orātem se compertisse nunciant. Præses itaque virginē sibi sisti imperat, ac quibus magijs iuuenes prostrauerit interrogat, Cui illa, non magia, sed Christi diuina virtute id effectum fuisse, cum verò Præses diceret. *Si tanta virtutis est Christus tuus, fac igitur, vt mortui Iuuenes reuiuiscant*. Tunc Seraphia iussit afferri mortuos, qui mox Christi nomine inuocato rediuiui resurgunt. At Præses obstinatior rem magicis artibus assignans virgini lampades ardentes admoueri præcipit; quæ repentè diuinitus extinctæ sunt, tortoribus in terrā cadentibus. Iratus Præses illam fustibus cædi imperat, quo tempore terræmotus exoritur, & fustis fragmentum Præsidis oculum, quem triduò amisit, offendit. Quare is Seraphiam gladio iussit animaduerti. 3. Non. Septembris. Cuius corpus à Sabina in suo monumento conditum est. *Ex eius pass. à Sur. tom. 5. rel. & Pet. in Cat. lib. 8. c. 30.*

Iuuenes stupraturi S. virginem ab ingenti terræmotu prosternuntur, quos deinde Seraphia viuos reddidit.

Tortores in terrā cadunt. Præses oculū amittit.

ANNOTATIO.

Corpus S. Seraphiæ in æde S. Sabinæ in colle Auentino (vbi quondam op. Vindinense fuit) vnà cum corpore S. Sabinæ asseruatur. Quæ eccl. est Frat. Prædicat. & Stat. habet.

DE S. AVXANO EPISCOPO MEDIOLANENSI.

Avxanus Mediolanensis ex nobili Cribellorum familia genitus, ob eius insignem pietatem, & vitæ innocentiam à Ioanne III. Pont. Max. Vitali Episcopo Mediolanensi, qui S. Datio successerat, subrogatur. Qui omni studio partes officij sibi commissi sic egit, vt euangelicam disciplinam maximè auxerit. Multa passus incommoda (quod eo tempore Alboinus Longobardorum Rex Mediolanum obsessum cœpit, & diripuit) cum Ecclesiam Mediolanensem biēnio, quo vixit in Episcopatu, sanctissimè rexisset, sanctitatemque suam miraculis comprobasset, in cœlos hic corpore relicto euolauit 3. Non. Septembris an. sal. 569. Ioanne III. adhuc Pont. in æde S. Stephani ad Rotam tumulatus. *Ex Brev. & Tab. Actisque Eccles. Mediolanen.*

Alboinus Longobardorum Rex.

ANNOTATIO.

Onuphr. Panuin. in Fast. Auxano tres Episcopatus annos tribuit, sed tempora huius cum Honorati successoris confundit. Baron. in Annal. ad an. D. 570. Alboinum Mediolanum, & cæteras Insub. Liguriæ, ac Venetiarū vrbes cœpisse adnotat, Honorato Episcopo Mediolanen. Genuā ex fuga profecto. Ex quo apparet Mediolanum sub Auxano obsessum, captum verò sub Honorato fuisse.

DE

DE SS. VIRGINIBVS ET MARTYRIBVS, EVPHEMIA, Dorothea, Tecla, & Erasmæ Aquileiæ.

EVphemia, & Dorothea sorores, Valentio patre Gentili Aquileiæ natæ, Tecla verò, & Erasma Valentiano patre christiano Valentij fratre genita, à S.Hermacora Episcopo in fide erudita baptizatæ sunt; cū enim Valentius iuxta super Natisone fluuio cum duabus fenestris extructa inclusisset, donec eas matrimonio iungeret, quo tempore is Tergestum perexerat, cum ad eas Tecla, & Erasma dudum baptismo expiatæ aduenissent, orantes, vt aqua fluminis turbida, quò possent in ea ablutæ regenerari, mundarētur, ad eamque descendentes, cum Natiso limpidus effectus (mirandum) stetisset, ab Hermacora, qui eò cum Valentiano venerat, salutaribus vndis regenerantur. Interea Valentius pater confectis negotijs reuertitur: cumque Euphemia, & Dorothea iam nubiles à multis in matrimonium ob generis claritatem, & earum pulchritudinem expeterentur, patri se Christo Domino, cui virginitatem perpetuò dicarant, desponsas esse respondent: ac ab eo illas districto gladio interficere volente in domum patrui fugiunt. Quò Valentius profectus virgines omnes latentes à seruo (qui à dęmone arreptus se in Natisonem præcipitem dedit) proditas, absente Valentiano, domum suam abducit, & Sebasto Præsidi puniendas tradit. Qui eas constantes in fide nudas virgis cædi, pedibusque suspendi, ac capita malleis contūdi, donec sanguis in terram copiosius stillaret, à tortoribus præcepit. A plagis in carcere diuinitus curatæ, postera die eductæ, cum se à Christo, non à Dijs, qui Dæmones sunt, sanatas dicerent, in equuleo suspensæ torquentur accensis lampadibus ad earum latera admotis: tum iubēte Præside mammillæ illis immaniter abscissæ canibus proijciuntur: quas tamen attingere non sunt ausi. Sequenti die, dū per vrbē nudæ circūducerentur, ad Euphemiæ preces, Angelus affuit; qui vestibus albis eas induit, & sanas fecit. Quare Præses ad se adductas cum non modò vulnera non cerneret, sed nec cicatrices, capite plecti iussit. Quas Valentius ipse summa turre proprijs manibus decollatas in profluentem iactauit: Sed ipso, & suis cum turre funditus igne de cœlo consumptis, sequēti nocte corpora ipsarum à duobus viris splendētibus nauicula ad ripam amnis aduecta ab Hermacora, & Valentiano cum clero in sepulchro marmoreo in propria Valentiani domo, quæ in ecclesiam illis dicatam conuersa est, condita fuere. Ipse autem Valentianus seruis libertate donatis, & baptismo ablūtis, bonisque suis ecclesiæ concessis in pace quieuit. Passæ sunt SS. virgines 3. Non. Septembris Nerone Imp. *Ex Breu. Aquileien. & Pet. in Cat. lib. 8. c. 29.*

Valentius Euphemiam, & Dorotheam filias gladio interficere contendit.

SS. VV. truculenta proferunt supplicia.

Pater cū suis dignas dat pœnas.

ANNOTATIO.

HAc die in Martyrol. Rom. harum virgg. & mart. natalis adnotatur; sed ab Eccles. Aquileien. die 19. huius celebratur. De eis tamen Venetijs, & de Euphemia Rauenna vbi corpus est, hac die agitur.

DE S. NYMPHA VIRGINE, ET MART. PANORMITANA.

NYmpha virgo Aureliani Præfecti Panormitani filia, ab infantia à S.Mamiliano Episcopo, in fide erudita Christum coluit. Eam pater neque blanditijs vllis, neque minis inducere potuit, vt à Christo deficiens Deos coleret. Quin etiam virgines seruitio illius addictę, vt eam à christiana religione remo-

 uerent,

uerent, ita ab illa persuasæ fuerunt, vt non modò baptizatæ Christo nomen darent; sed & causa illius pati essent paratissimæ: quas Aurelianus exutas, & de honestatas eiecit, Nympham verò tenebricoso carcere inclusit: in quo Mamilianus Episcopus cum aliquot clericis detinebatur. Aurelianus, itaque filiam grauissimas illi pœnas intentans aggreditur: illamque cum cœteris in feruentis olei dolium immisit; sed, igne ab Angelo extincto, tortoribus aufugientibus, in carcerem, vt ibi fame necarentur, omnes reduci iubentur. Ex quo ab Angelo erepti, naui conscensa, Romam versus nauigant; cumque vinum deficeret, Mamilianus modicum in vasculo ita auxit benedictione, vt socijs, & nautis 29. vsque ad Ægilium Insulam satis fuerit. Inde Romam, vt loca sancta inuiserent, nauigaturi nautas, vt se naui exciperent, rogant; at illi abeuntes mox horribili tempestate perculsi ad littus, vbi sanctos, quòd pecuniam pro naulo soluendam non haberent, reliquerant, redire, eosque eo miraculo recipere in nauim compulsi sunt. Ad Pharum itaque portus Romani appulsi ad locum pergunt; in quo Proculum, & Eustochium B. Mamiliani discipulos in crypta propter paganos latentes inueniunt; quibus cum Romam iter capientes, cum Nympha leprosum in via, pane ei porrecto, sanasset, loca sancta inuisunt, & cryptam repetût: vbi Mamilianus paulò post cessit è vita: quem Proculus, Eustochius, & Gobol deus intra sex menses secuti à Nympha ibidem sepulti sunt; Quæ cum pijs operibus vacans aduenientes ab Idolorum cultu retraheret, etiam paganos, qui ad eam interficiendam venerant, ingenti terræmotu perterritos ad Christum conuertit. Denique, & ipsa pijs laboribus defatigata ad præmium euolauit. Cuius corpus ibidem à christianis tumulatum, vbi & vetus eius extat memoria, aliquãdo Panormum translatum maximam, ibi habet venerationem. *Ex vet. M.S. S. Maria Maioris, & vita illius typis excusa.*

Aurelianus Nymphæ pater exquisitis eam afficit cruciatibus.

Modicum vinum Mamiliani benedictione copiosè auctum.

Nautæ sanctos in nauim recipere coguntur.

Nympha leprosum sanat.

Pagani Nympham interfecturi conuertuntur.

ANNOTATIO.

Panormi præcipuè: vti vrbis patrona, hac die, & 10. Nouembris colitur; sed 10. Nouemb. maiore solemnitate celebratur, cum octaua nimirum. Quorum dierum vnus natalis, siue obitus, alter translationis est. Eius mem. Baron. in Annotat. ad 10. diem Nouemb.

DE S. MARINO DIACONO, ET CONFESSORE M. Titani patrono.

MArinus, & Leus Arbæ Liburniæ Insula nati, lapicidæ, quo tempore Ariminensis vrbs instaurabatur, eò venientes, & operantes, ex lucro pauperibus succurrebant. Inde ad M. Titanum ad saxa, quorum ibi ingens est copia, excidenda profecti, triennium in eo loco transegere. Leo autem cum aliquot socij, in M. Feretranum; vbi solitariam vitam duxit, secedente, Marinus Ariminum redijt: ibique vsque ad instaurationis finem laborans mansit; nec tamẽ orationes, ieiunia, & eleemosynas propter laborem omittebat, atqui, quo magis ieiunabat, eò fortior in operibus apparebat. Cum autem Marinus fama sanctitatis coruscare cœpisset, Antiquus hostis inuidens mulierem ex Dalmatia excitauit, quæ Marinum suum virum diceret, & apud vrbis Præfectum expostularet. Quapropter ille aufugiens in antro M. Titani, in quo annum integrum hominem nullum videns egit, solis herbarum radicibus, & aqua ex rupe defluente sustentatus delituit. A pastoribus autem greges in eo monte pascentibus deprehensus, rursus à muliere prædicta eò profecta sollicitatur, cui ostio cellæ in faciẽ clauso,

Mulier ex Dalmatia Marinum; vt suum virum, falsò expostulat.

Admiranda Marini abstinentia.

clauso, sex dies sine cibo, & potu orans fuit: post quos mulier ab immundo spiritu liberata, venia à Marino petita, in vrbem rediens Diaboli insidias, & viri innocentiam detexit. Marinus autem ecclesia B. Petro Apostolo extructa, cum multi ad eum confluerent; in ijs, vnus inuidiæ liuore tactus virum S. magum appellans loco deturbare nitebatur: qui mox linguæ, & membrorum vsu destitutus, à Marino oratione sanitati restituitur. Interea Gaudentius Ariminensibus à Rom. Pontifice Episcopus datus, Marini, & Lei cognita sanctitate, eos ad se per litteras accersit, ac Leum, quidem seniorem Presbyterum, Marinum verò Diaconum ordinat. Marinus ad propria rediens asellum ab vrso deuoratum reperit: quem capistro alligatum aselli vices explere iubet. Cum verò Ariani catholicos persequerentur, & S. Gaudentius vrbe excedere coactus fuisset, Marinus in sua cella imperterritus, vsque ad vitæ terminum manens 3. Non. Septembris migrauit è vita. Corpus in ecclesia opp. S. Marini parochiali asseruatur. *Ex Pet. in Cat. lib. 8. c. 36.*

Inuidus linguæ, & membrorum vsu statim destituitur: atque à S. Marino oratione sanitati restituitur.

Vrsus aselli deuorati vices explet.

ANNOTATIO.

MVlta egent correctione acta hæc S. Marini à Pet. loco citato relata, non tam circa tempus (cum S. Gaudentius Episcopus sub Constantio Imp. Arianorum fautore vixerit, martyrio affectus verò ab Arianis an. D. 359. vt apud Baron. in Annal. ad an. prædictum, a Marciani Præsidis militibus fustibus, & lapidibus occisus) quam circa res: quis enim inter alia: illud de vrso Marinum loco aselli vehente fabulam non æstimet?

In Martyrol. Rom. natalis S. Marini Prid. Non. Sept. adnotatur, cum in M. Titano, M. Feretrano, Arimini, Papia, & alijs in locis 3. Non. celebretur.

DE S. MANIO EPISCOPO VERONENSI.

MAnius Episcopus Veronæ 36. post S. Luperium Veronensem rexit Ecclesiam. Hic perpetuò studio in id incumbere visus est, vt populi sibi commissi saluti non tam verbo, quam vitæ integerrimæ exemplo consuleret. Erat doctrina, & eloquentia præditus singulari: cuius vi plurimas Christo Domino animas lucrifecit. Ita verò cunctis amabilis erat, vt cum 3. Non. Septembris diē suum obijsset, non sine ciuium lacrymis in æde S. Stephani sepultus sit. *Ex lib. Aug. Valerij Episcopi de SS. Epp. Veronens.*

ANNOTATIO.

EXtat antiqua tabella ex membranis in prædicta S. Stephani eccles. in qua S. Manij mentio fit.

DE B. ALBERTO CONFESSORE BESVTIO, APVD Lacum Verbanum.

ALbertus ex Besutia familia Ioanne XXII. Pont. Max. augendis opibus per fas, & nefas operam dabat. Qui aliquando intrà Verbanum Lacum in summo vitæ discrimine ob repentinam, ac sæuissimam exortam tempestatem deprehensus se vitam in melius commutaturum vouit, si viuus euasisset. Sedata itaque post votum tempestate, Albertus domum reuersus vsuras restituit, bona sua pauperibus erogauit, & ab vxore, quæ & ipsa continentiam vouens

Albert. submergendus emittit votū.

Sua pauperibus distribuit vsuris restitutis.

vouens in monasterium se abdidit, licentiam agendæ vitæ solitariæ obtinuit, ac in montem excelsum in lacum prædictum prominentem nõ sine labore manibus, pedibusque reprans ascendit, nil aliud secum præter cistam, lagenam, & funem deferens: vbi speluncam; in qua diu vitam eremiticam exercuit, inuenit, panem à præternauigantibus cista, aquamque lagena fune demissis accipiens. Ibi grauissimas Dæmonum insidias, & tentationes Angelica visione roboratus superauit. Cum autem ab Angelis pastus cistam, lagenamque demittere per multum temporis cessasset, à nauigantibus, & Incolis finitimis mortuus crederetur, splendor quidam inusitatus circa illius tugurium apparens. quo tempore ingens vigebat pestilentia, Sacerdotem quendam induxit, vt Albertũ adhuc viuere, populisque finitimis suaderet, ad illum accurrere, vt opem eis in tanto flagello ferret. Nec mora, multis adhibitis machinis monte tandem conscenso, Albertum haud longè a specu digressum reperiũt: orantq; vt suis apud Deũ precibus populo subueniat. Qui arctioribus vsus ieiunijs, cum assiduis Deum precibus, ac D. Catharinam virginem, & martyrem orasset, Angelo sibi apparẽte, audiuit, fore, vt lues cessaret, si templum prædictæ virgini, & martyri in eo loco excitassent, viditque post Angeli discessum saxum quadratæ formæ sanguine conspersum, formam ædificandæ ecclesiæ præseferens. Post 8. dies iuxta condictum reuertentibus populis Albertus Angelicum exponit responsum. Qui mox inchoato sacro ædificio. quod breui consumatum est, à peste liberantur. Albertus autem iam senio, & vigilijs confectus, breui febre correptus animam Deo reddidit 3. Non. Septen b. Ann. reparatæ sal. 1359. Cuius corpus cum aliquãdiu latuisset à Domnina nob. fœmina Besutiensi in marmoreo sarcophago, effosa terra, repertum est miro, suauique odore inde exhalante: quod posteà in S. Catharinæ sacellum translatum fuit; multisque ad eius opem confugientibus beneficia diuina præstantur. *Ex monum. Eccles. S. Catharinæ, quam Fratres S. Ambrosij ad Nemus apud Mediolanum appellati possident, à populis lacum Verbanũ incolentibus frequentatam: ex quibus B. Alberti historia extracta typis excusa fuit Papia An. D.* 1601.

> In M. ascẽdit & habitat in specu.
>
> Ab Angelis pascitur. Splendor super eius tugu riũ apparet.
>
> Pestis ad preces Alberti cessat.
>
> Ecclesia S. Catharinæ de saxo ædificatur.
>
> Corpus eius cum odore suaui reperitur.

ANNOTATIO.

NOndum in SS. relatus est; neque officio Ecclesiastico colitur, licet Pet. Gales. illũ in suo Martyrol. sanctum appellet.

Septembris die 4.

DE S. CANDIDA SENIORE NEAPOLITANA.

CAndida cognomento senior ad alterius Candidæ discrimen, vidua Neapolitana, prima B. Petro Apostolo Neapolim venienti, cum Romam proficisceretur, occurrit, ac hospitio accepit; à quo ad Christum conuersa, in fideque erudita aquis salutaribus expiata est, à dolore capitis, quo assiduè laborabat liberata; cum ad Apostoli sermonem eo carere cœpisset. Hæc charitate flagrans, eo dolore liberata Aspren viri vitæ probitate insignis iam annos 20. ægrotantis, & in lecto decumbentis recordata Apostolum pro eo rogare cœpit. Qui Candidæ baculum, quo innitebatur, porrigens ait, *hunc Aspreni trades, & dices, Petrus, seu crucifixi discipulus, mandat, vt morbo illicò recedente pristinum recipias sanitatem*, accepto itaq; baculo (qui adhuc in ecclesia Metropolitana asseruatur) vbi illo Aspreni porrecto verba, quæ Apostolus mandauerat, pronunciasset, statim is è cubili sanus prodijt. Post Apostoli discessum, Candida Deo orationibus,

> Candida D. Petrum hospitio accepit.
>
> Aspren 20. annos ægrotans Candidæ baculo sanatur.

nibus, ieiunijs, & pijs operibus deseruiens ætate confecta obdormiuit in Domino Prid. Non. Septembris in æde ab Apostolo (vt creditur) dedicata, in qua ipse celebrasse fertur, sepulta. In cuius Præfesto post vesperas aqua quotannis à Sacerdote benedicitur reliquijs sanctæ signata, quam ferunt toto anno incorruptam seruari, ac febricitantibus ex ea bibentibus si fide accedant, prodesse. *Ex eius vita, in vita S. Aspren Episcopi contenta.*

ANNOTATIO.

DE *Candida hac & seq. Paul. Reg. Ep. Equen. libr. 2. de SS. Regni Neapolit.*

DE S. CANDIDA IVNIORE NEAPOLITANA.

CAndida Iunior Neapoli claris parentibus orta, circa annum sal. 532. à teneris à mundi voluptatibus abhortens, pietatem in Deum, & misericordiam in pauperis maximè coluit; nunquam otiosa: semper aut orabat; aut legebat, aut meditabatur, aut etiam sodales docebat, pacemque inter dissidentes conciliabat. Cum ex obedientia parentum viro probo nupsisset, ex eoque filium genuisset, quos vnicè diligebat, vterque in grauissimum morbum incidit; ex quo, salute à medicis desperata, cum breui morituros intelligeret, Deum ex animo precatur, vt viro, & nato, sanitati restitutis, sibi potius mori concederetur. Quare illis à morte penè ad vitam reuocatis, ac pristina recuperata sanitate, ipsa leui febre correpta, breui migrauit ad Dominum Prid. Non. Septemb. An. sal. 582. ætatis verò quinquagesimo Pelagio I. Summo Pont. & Mauritio Imp. Cuius corpus in æde S. Andreæ ad Nidum sepultum est: ex quo manna scatere traditur: quæ languores, & morbos depellit. Quidam enim Philippus Brancatius nomine à paralysi curatus est, & alter mutus ad sepulchrum S. Candidæ orans fandi facultatem recuperauit. *Ex eius vita, quam Paul. Reg. lib. 2. de SS. Regni Neapolit. refert.*

Candida Iunior viro, ac filio implorata sanitate, leui febre corripitur. Omissam fandi facultatē cuidam restituit.

ANNOTATIO.

EXtat *S. Candidæ Epitaph. in memorata ecclesia huiusmodi.* HIC REQVIESCIT, IN PACE CANDIDA G. F. QVÆ VIXIT PLVS MINVS ANNOS L. OB DIE III. SEPT. IMP. MAVRITIO PP. AVG. ANNO IV. PP. EIVSDEM INDICT. IV.

DE S. ROSA VIRGINE VITERBIENSI.

ROsa virgo Viterbij nata, cum adolescens conciones in sacra æde Fratrum Minorum frequens audiret. Sic mundi spretis illecebris Christo adhærere cœpit, vt corpus suum vigilijs, ieiunijs, ac verberibus etiam affligeret, cibūq; sibi subtractum pauperibus præberet. Cum in difficilem morbum incidisset, morti propinqua, apertis oculis cœpit de ijs, quæ in altera vita fiunt, coram adstantibus, ita; ac si ea vidisset, disserere: sorores, quæ multo ante ipsius ortum, obierant, proprij nominibus compellans. Quo tempore sanctissima Dei genitrix illi apparens, vt habitu Fratrum Minorum induta, Deo in domo paterna deseruiret, hortata est: ex qua visione subitò sanata, cœlestibus monitis paruit, officia pietatis maiore animi ardore in dies exercens. Cum eam iterum Beata Virgo In visu alloqueretur, D.N.I.C. speciem non sine maxima doloris acerbitate, & compassionis aculeo adspexit. Circa id tempus vrbs ab ijs, qui Friderici II. Imp. in concilio Lugdunensi abdicati partes sequebantur, diuexabatur: quos illa

Rosa semimortua, quæ in altera fiūt vita, enuntiat. Gemina B. V. apparitio.

illa liberrimè increpans manifestis, apertisque rationibus conuincebat. Quapropter ab vrbis Præfecto factiosorum persuasione Rosa cum tota eius cognatione eiecta difficillimo hyemis tempore Sorianum venit; vbi Angelica visione recreata vrbis liberationē prædixit: quæ breui mortuo Imp. subsecuta est. Inde Vicum Orchianum profecta ibi cæco à natiuitate visum restituit. Viterbium reuersa cum veluti rosa inter spinas splendesceret; demum Prid. Non. Septembris post An. sal. 1254 Alexandro IV. Summo Pont. migrauit ad sponsum. *Ex eius vita M. S. apud moniales S. Rosæ.*

Rosa cū tota eius cognatione eiecta Angelica visione recreatur.

Cæco visus restituitur.

ANNOTATIO.

NOndum in SS. virgines relata est: eius tamen natalis Viterbij solemniter, ecclesia ei cum monasterio dicata, ex Apost. Sed. concess. celebratur.

Septembris die 5.

DE S. VICTORINO EPISCOPO AMITERNINO, ET MART.

VIctorinus, cum vitæ sanctitate, & signis clarus multos ad christianam fidē conuertisset, vrbis Amiternīnæ totius populi consensu Episcopatum adeptus est. Sed, excitata in christianos sub Traiano Imp. persecutione, cum alijs comprehensus ab Aureliano Iudice exulare iubetur apud Cutilias 60. ab vrbe milliario vbi putentes, & sulphureæ emananraquæ. Nec eo contentus Aurelianus, quod fortè Victorinum contra prohibitionem fidem in Christum prædicare accepisset, illum in ipsis aquis capite deorsum verso suspendi iussit, quod supplicium triduò passus nouissimè gladio percussus martyrium cōpleuit. Cuius corpus cum iubente Aureliano per diem inhumatum iacuisset, altera die ab Amiternensibus raptum in sua ciuitate honorificè conditum est. *Ex Martyrol. & Actis SS. Nerei, & Achillei.*

ANNOTATIO.

FErè omnes scriptores acta Victorini Episcopi, & mart. cum actis Victorini confessoris apud Camerinum confundunt. Hunc Victorinum Baron. eundem esse putat cum eo; de quo in Martyrol. Rom. die 15. April & in Gestis SS. Nerei, & Achillei agitur: qui cum Marone, & Eutychete passus traditur. Sed si ita est, corrigendum esset Martyrol. quòd bis martyrium eiusd. mart. recenset; non enim dici hic potest vno tempore martyrium, alio inuentionem, vel translat. eiusd. memorari: deinde mirum esset, in actis prædictis SS. Nerei, & Archillei, vbi Victorini, & sociorum martyrium pluribus describitur, nullam fieri Episcopatus mentionem. Vereor ne acta huius cum actis illius: de quo die 15. Aprilis, confusa fuerint, ac proptereà eundem hunc cum illo videri.

DE S. HERCVLANO MARTYRE IN PORTV ROM.

HErculanus apud Portum Rom. martyrio affectus est, vt Beda, Vsuardus, & alij Martyrologiorum scriptores testantur. Quo tamen tempore, & quo martyrij genere occubuerit nullus docet. Illius corpus Parmæ in ecclesia Cathedrali asseruatur, prout tabulæ eiusdem ecclesiæ habent. *Ex Martyrol. & Tab. Eccl. Parmen. in quibus Herculianus appellatur.*

ANNOTATIO.

ALter Herculanus Romæ mart. celebratur: De quo infra ad diem 25. huius agetur.

DE

DE SS. MARTYRIBVS QVINCTIO, ARCONTIO, & Donato Capuæ.

QVinctius, Arcōtius, & Donatus Capuæ martyrium passi à Beda, Vsuardo, & alijs referuntur; licet tempus, & persecutoris nomen, neque in Rom. Martyrologio exprimatur. Quibus apud Bedam, & alios adiuncti leguntur Fantinus, Nymphus, & Saturninus socij. *Ex Martyrol.*

ANNOTATIO.

IN Tab. & Breu. Eccles. Capuanæ hos martyres adnotatos minimè vidimus, quod & in alijs SS. in Martyrol. memoratis quandoque obseruauimus, nulla eorum, in locis, quibus attribuuntur à Martyrol. extante memoria.

Septembris die 5.

DE S. SEPTIMIO EPISCOPO ÆSINO, ET MARTYRE.

SEptimius in Germania honestis parentibus ortus à teneris liberalibus disciplinis imbutus benignitate, mansuetudine, humilitate, alijsque virtutibus, licet nondum christianus, excellebat. Adolescens, vt parentibus morem gereret, militiæ nomen dedit. Cum autem Gentilium superstitionem, & inanium Deorum cultum animaduertisset, christianam religionem cōplexus paulò post inuitis parentibus baptizatur, & sacræ scripturæ sedulam operam nauare cœpit; pietatem cum eruditione coniungens. Is cum in magna hominum frequentia apud Iouis templum de diuini nominis gloria, & potētia concionem habuisset; templum illud subito terræmotu contremuit; simulachrumque cadens confractum est; quo viso plures ad fidem conuersi sunt. Posthæc Septimius in somnis admonitus patriam, & parentes deserens, cum Æmilio, Germano, & Valentino socijs in Italiā venit, ac Mediolani demoratus prædicationis officio functus est, donec fæuiente persecutione discedere coactus Romam, vt Apostolorum sepulchra veneraretur, contendit. Vbi à Glariano milite exceptus, filium illius sanguinis fluxu diu laborantem diuinitus sanat, totamque familiam ad fidem conuertit. Cæco item oculorum lumen restituit, aliaque doctrinæ, & sanctitatis signa edidit. Quibus cognitis à S Marcello Papa Æsinæ Ecclesiæ Episcopus ordinatur. Quò cum venisset, & munus Episcopale exequeretur, à Florentio Præside accersitus, illi nomen, religionis professionem, & causam aduentus interrogatus exposuit. Cui Præses, dies quinque ad sacra Dijs facienda præfinit; quod si facere recusaret, sibi certò moriendum sciret. Septimius intra id tempus de christianæ fidei veritate, deque falsa Deorum religione coram populo Æsino disserens, doctrinam signis comprobat admirandis. Nam paralyticum solo crucis signo populo inspectante sanat: eoque miraculo plures, in quibus Martēianum Præsidis filium, ad Christum conuertit, aquaque repente, & mirabiliter è saxo manante expiatos regenerat. Quibus Florentius ira incensus Septimio caput in eodem loco mandat amputari, Nonis Septembris. Cuius corpus à christianis aromatibus cōditum, & sepultum, cum diu latuisset, anno sal. 1469. ab Episcopo Æsino inuentum in propria ecclesia, quæ Cathedralis est, honore condignò reconditum est. *Ex monum. Eccles. Æsinæ.*

Templum Iouis ad concionem Septimij cadens cōminuitur.

Glariani filius sanguinis fluxu diù laborans diuinitus sanatur.

Cæco oculorum lumen restituitur.

Paralyticum signo crucis sanat.

A N-

ANNOTATIO.

Censura egent prædicta monum. circa tempus. Nam si à S. Marcello Papa Septimius ordinatus est, & initio Episcopatus occisus, id Maxentio Romæ Imp. vsurpante inter annum D. 305. & 310. euenisse oportet: quod in actis S. Septimij ann. 461. factum legitur, videntur itaque 151. anni fortè scriptoris errore adiuncti.

DE S. CRESCENTIANO MARTYRE ROM: VERONÆ.

Vide die 24. Nouemb.

DE S. MAMILIANO EPISCOPO PANORMITANO SVANÆ.

Mamilianus, & Nympha ad 20. dies sine cibo, & potu carcere includuntur. Hæc in vita S. Nymphæ supra die 3.

Mamilianus Episcopus Panormitanus Panormi fidem ob Aureliani Præfecti in christianos crudelitatem clam Constantino Imp. prædicabat, multosque ad Christum conuertit; in ijs Nympham eiusdem Aureliani filiam: quamobrem Præfectus 34. christianis, vt alijs timorem incuteret capite truncatis, Mamilianum, & filiam carcere ad 20. dies sine cibo, & potu inclusit, eductosq; cùm Deos colere constanter recusarent, in feruentis olei ollam immisit, & inde absque læsione extractos, rursus carceri fame necandos mancipauit. Sed ab Angelo educti cum Goboldeo in Ægilium Insulam naui deferuntur, vino modico à Mamillano benedicto ita aucto, vt socijs, & nautis durante nauigatione sufficeret. Aliquot dies in ea Insula demorati, nauem in littore Romam ituram conspiciunt: quæ cum eos absque naulo, quod soluendo non erant, recipere noluisset, orta horribili tépestate ad littus redire, sanctosque recipere coacta est. Vbi ad portum Rom. appulissent, egressi, Angelico admonitu, ad cryptam: in qua Proculus, & Eustochius ob Paganorum metum latebant, perueniunt; indeque cibo recreati Romam pergũt, leproso in itinere pane sibi à Nympha porrecto, illicò mundato. Cum sacris Romæ locis inuisis ad eandem cryptam rediissent, Mamilianus ab Angelo de morte, quæ sibi instaret admonitus, breui migrauit è vita, à socijs sepultus. Post quem Beati Proculus, Eustochius, siue Eustosius, & Goboldeus intra sex menses obdormiere iuxtà balneum à Bucina Insula milliario distans à B. Nympha tumulati; quæ & ipsa 4. Idus Nouembris quieuit in pace, apud socios sepulta, ecclesia ibi suo nomine extructa. Quorum corpora an. sal. 1098. Vrbano II. Pontifice, & Mauritio Episcopo Portuensi, in ecclesiam S. Mariæ in Monticello translata sunt. *Ex antiquo pergameno M.S. & vita S. Nymphæ Panormi an. D. 1573. typis excusa, atque ex monum. Eccl. Suanen.*

ANNOTATIO.

Exitus S. Mamiliani in M. S. variè refertur. Nam ex monumentis Eccl. Suanen. illum in Insula Dianio defunctum, in Ægilio insu. proxima sepultum, indeq; corpus, brachio ibi relicto, Suanam Pio II. Pont. Max. translatum apparet, vbi hac die, qua translationis esse videtur, Festiuitas illius celebratur. Videtur itaque vita S. Nymphæ, in qua Mamilianum apud Portum Rom. decessisse legitur, expurgatione indigere. De eo Baron. in Annotat. ad diem 10. Nouemb. nulla habet.

DE S. ALPERTO CONFESSORE APVD DERTHONAM.

Alpertus monachus, & Sacerdos apud Cecimam agri Derthonensis pagum vitam duxisse traditur: qui apud Summum Pont. quòd minimè ieiunus

cele-

celebraret, accusatus, ad illum profectus, innocentiam miraculo comprobauit. Nam aquam coram Pontifice, & tribus Cardinalibus à se benedictam in vinum conuertit. Domum reuersus; cum aliquandiu cum omni sanctitate Deo inseruisset, Nonis Septembris migrauit in cœlum. Corpus ibidem sepultum multis claruit miraculis, innumeris vndique ad eius tumulum ægrotis, & infirmis cōfluentibus, votaque ob adeptam sanitatem nuncupantibus. Quo in loco ecclesia suo nomini dicata (quæ in Abbatiam conuersa est, & S. Alperti Abbatia nominatur & Butrij) sarcophagum adhuc monstratur: in quo corpus illius ab incolis asseruari putatur. *Ex Tab. Eccles. Derthonen. quæ reliquias ipsius in ecclesia Cathedrali quiescere indicant, & propr. Eccl. monum.*

Alpertus innocentiam suam conuersione aquæ in vinum coram Pontifice patefecit. Miraculorū gloria eluxescit.

ANNOTATIO.

Acta Alperti nulla extant: nisi quod in Abbatia ipsius sub illius imagine in pariete iam pridem depicta hac verba leguntur: QVALITER S. ALPERTVS CVM ESSET AD MENSAM PAPÆ AQVAM IN VINVM CONVERTIT.

Septembris die 6.

DE S. PETRONIO EPISCOPO VERONENSI.

PEtronius Episcopus Veronæ 37. S. Manio in Episcopatu successit. Is admirabili vitæ sanctitate, doctrina eximia, singularique eloquentia præfulsit. Cuius tempestate, & studio diuinus cultus in ecclesia Veronensi mirificè propagatus est. Nam plurima edidit miracula: quibus ciues excitati in pietate proficiebant. Vbi Ecclesiæ suæ aliquot annos laudabiliter præfuisset, diem suum 8. Idus Septembris obiens, in cœlum abijt. *Ex monum. Eccles. Veronen. & libello toties citato Aug. Valer. Episcopi.*

ANNOTATIO.

Corpus in æde S. Stephani vnà cum corpore S. Andronici, & aliorum conditum est, vt Tab. antiqua marmorea indicat.

DE S. ELEVTHERIO ABBATE SPOLETII.

Vide die 18. Aprilis.

DE S. FRONTINIANO MART. ALBÆ POMPEIÆ.

FRontinianus Carcasone in Gallia christianis parentibus ortus, à prima ætate piè educatus; posteà, cum litteris, & religione floreret, Diaconus ordinatus est. Quo in munere cum vigilijs, eleemosynis, precibus, sacrisque lectionibus insisteret, sanctitatis suæ magnum specimen dedit; nam Romam ad SS. Apostolorum sepulchra veneranda cum Cassiano comite profecturus, muto loquelam, & cæco lumen mirabiliter restituit. Vbi ad Rhodanum flumen peruenissent, nauis; quæ in alto pelago submersa fuerat, eorum precibus ad ripam incolumis appulsa est. In reditu ad patriam apud Albam Pompeiam puellam à Dæmone obsessam liberarunt. Quo miraculo parentes cum suis omnibus credentes in Christum sacro lauacro expiati sunt. Id Præfectus impius indignè ferens, satellites suos mittit: qui Sanctum Frontinianum Alba cum socio; vt Carcasonem reuerteretur, egressum comprehendunt, ac in christianæ fidei con-

Mutum, & cæcum sanat. Nauem submersam liberant. Puellam obsessam à Dæmone liberant.

confessione fortiter persistentem capite plectunt. Cuius corpus à christianis sepultum in ecclesia Cathedrali religiosè asseruatur; eiusque natalis hac die anniuersaria celebritate recolitur. *Ex monum. & off. antiquo M.S. Ecclesiæ Albensis.*

Capite pro fide Christi truncatur.

ANNOTATIO.

NVlla temporis: neque Cassiani exitus, mentio in officio M.S. ad nos transmisso fit. Verisimile tamen est, Frontinianum persecutione adhuc in christianos perdurante passum esse.

DE S. CONSOLATA VIRGINE, ET MARTYRE.

SAncta Consolata virg. & mart. & Regij in Æmilia colitur in ecclesia Cathedrali: feruntque illi in diœcesi extare eccl. dicatã; cuius memoria die 8. Id. Septembris recolitur. Quæ illi patria fuerit: vbi & quando passa sit, haud mihi hactenus cognitum est: licet non semel inquisitum fuerit. Illud certũ hanc virg. nõ extitisse Regiensem maiore .n. in honore haberetur si à Regio ortum duxisset; vt consueuit. *Ex Tab. Eccl. Regiensis hac die.*

ANNOTATIO.

COmperitur aliam quoque existere: atqui virg. solũmodo: de qua ad diem quintã Decembris agemus. Huius fortè memoria prædicta die celebratur ob ei eccles. dicatam. Porrò huius nomen in Tab. seu Kalendario vrbis præfatæ assignatum perspeximus.

Septembris die 7.

DE S. ANASTASIO MARTYRE AQVILEIENSI.

Anastasius pauperũ cultor: ac martyrij percupidus.

ANastasius Aquileiæ natus Salonis in Dalmatia passus est Diocletiano Imp. Is fullonicam artem exercens, quicquid lucrari poterat, supra tenuem victum, in pauperes erogabat. Martyrij cupidus Salonas profectus, cum in hospitio crucis signum multis in locis pinxisset, eo inditio, quòd christianus esset, deprehensus, & accusatus, iussu Præfecti ingenti saxo collo eius appenso in mare demergitur. Cuius corpus Asclepia matrona christiana, à seruis suis; quibus libertatem pollicita erat, inquirendum curauit: qui per littora multo tempore discurrentes, tandem in Afros quosdam, qui corpus martyris inuenerant, offenderunt: à quibus corpus minis extorserũt, dicentes nisi corpus hoc tradideritis, vos homicidij apud Iudicem deferemus. Afri tamen caput martyris in patriam suam secum portantes; ibi sacra æde ei extructa condidere, multis ad eam ob dæmoniacos liberatos concurrentibus. Corpus itaque sine capite ad Asclepiã delatum ab ea in suo prędio donec desineret persecutio sepultum est; qua cessante ecclesiam S. martyri in agro Salonitano excitauit, corpore in illam cõportato. *Ex Pet. in Cat. lib. 7. c. 124.*

ANNOTATIO.

PVtamus hanc diem inuentionis, seu translationis, non natalis esse; nam Pet. loco citato illum 6. Kal. Septemb. martyrio coronatum scribit.

DE S. IAFREDO MARTYRE APVD ORTVM PADI.

IAfredus, qui & Theofredus miles Thebæus, Maximiani Imp. immanitatem fugiens, in fines Taurinorum apud ortum Padi fluminis venit; quo tempore plures

plures alij ex eadem legione, ne impijs sacrificijs contaminarentur, se de castris subtrahentes in varia loca concessere. Is itaque cum in ea loca apud Padi fontes refugisset ab Imp. satellitibus deprehensus ob fidem Christi martyrio affectus est. Cuius corpus apud Crizolium pagum Salutiensis diœcesis sepultum; cum ignotum esset, diuinitus detectum est. Nam cum boues bubulci cuiusdã ex altissima rupe in vallem subiectam se præcipites cum aratro dedissent, sine læsione reperti sunt, & martyris sepulchrum aratro deprehensum fuit: cui in proximo colle ecclesia extructa est; quæ à finitimis populis hac die præsertim, primaque Dominica Augusti ob miracula ad tumulum S. Iafredi patrari solita, deuotionis ergò maximè frequentari solet. *Ex Hist. Thebæorum nuper Augustæ Taurinorum edita.*

Boues ex altissima rupe se præcipitãtes illæsi reperiuntur, ac Iafredi sepulchrum ibidẽ deprehenditur.

ANNOTATIO.

AN ibi S. Iafredus passus sit non ita certum est: fuit tamen ex Thebæorum legione vnum ex inscriptione in eius tumulo inuenta apparet.

DE SS. MARTYRIBVS PARAGORIO, PARTHEO, Parthenopæo, & Seuerino Naulij.

PAragorius, Partheus, Parthenopæus, & Seuerinus in Cirno Insula passi feruntur, licet quo tempore, & quibus supplicijs ignoretur. Agitur hac die Naulij in Liguria ipsorum festiuitas. Extat ecclesia illis dicata prope vrbis mœnia: quæ olim Cathedralis fuit: in qua S. Paragorij equo insedentis imago, & sociorum peditum in antiqua tabula conspicitur. Ex quo conijcere licet, Paragoriũ nobilem fuisse cæteros verò eius famulos. Extabat ante aliquot annos antiphona in Pergameno scripta peruetusta; in eorum Festo decãtari solita, in qua hæc continebantur verba: *PASSI SVNT IN INSVLA CORSICAE.* Cætera prorsus iniuria temporum exciderunt. *Ex Tab. & monum. seu potius ex antiqua Eccl. Naulen. traditione.*

ANNOTATIO.

ECclesiam S. Paragorij extra vrbem Naulensem haud procul à mœnibus vidimus: quæ Cathedralis esse cœpit, noua in vrbe constructa.

DE S. GRATO EPISCOPO, ET PATRONO AVGVSTANO.

GRatus natione Græcus Lacedæmone illustri genere natus, Athenis liberalibus disciplinis, optimisque moribus excultus, cum adolescens contemplationis, ac rerum diuinarum cognitionis desiderio teneretur, Ephesum profectus, ibi monasticum habitum induit. Vbi breui ad eam regularis obseruantiæ, & doctrinæ perfectionem peruenit, vt cæteros humilitate, obedientia, modestia, grauitate, continentia, scientia, cæterisque virtutibus anteiret; & alijs diuinas scripturas interpretaretur. Cum apud Chalcedonem synodus aduersus Constantinum Imp. coacta: in qua 176. Episcopi conuenerant, celebraretur, affuit inter alios, & Gratus, cui ob doctrinæ præstantiam magni cognomen inditum fuit. Quem patres concilij ad Karolum Magnũ Francorum Regem, & occidentis Imp. pro pacis ecclesiæ reformatione legatũ destinarunt, peracta feliciter legatione, Romã ad Leonem III. Pont. Max. venit: à quo benignè acceptus nunquam adduci potuit, vt Cardinalis fieret, aut alios honores acciperet. Obierat per id tempus Episcopus Augustæ Prætoriæ, q cum Gratus in æde S. Mariæ

Grato Magni cognomen fuit.

Cardinalis honos à Grato respuitur.

Oo ad

ad martyres orâs visione didicisset, Pôtificiq; narrasset, ab eo mortuo Episcopo suffectus contradicere non est ausus. Cum Augustã venisset, breui assiduis prædicationibus, tum publicis, tũ priuatis, populũ varijs erroribus respersum repurgauit, ecclesiasticam in clero disciplinam restituit, diuinũ cultũ reformauit, & auxit. Profectus ad concilia nonnulla maximæ in eis fuit autoritatis, vt acta ipsa declarant. Reuersus ad ecclesiam suam; quæ illius absentiam ægrè ferebat, ad pristinum vineæ cultum populum sacris concionibus, ad mandatorum cælestium obseruantiam erudiens; seque, ieiunijs, orationibus, vigilijs, meditationibus exercens reduxit. B. Iucundum ita moribus excoluit, & in sacris litteris erudiuit, vt sacris initiatus ordinibus, ac Presbyter ordinatus sibi in Episcopatu succedere meruerit. Reliquias S. Mauritij martyris, & sociorum sordido loco ad Rhodani fluminis ripam iacentes diuino admonitu vnà cum S. Theodulo Episcopo Sedunensi in Agaunensi monasterio loco decentiore reposuit; quarum pars aliquo Sedunum à Theodulo; pars Augustam ab ipso Grato delata est. Cũ his temporibus caput sanctissimi Præcursoris in puteo apud Sebastem Samariæ vrbem diuinitus detectum fuisset, & vox audita, solum Gratum Augustæ Episcopum illud inde extracturum; mox Summus Pont. ab Hierosolymorum Episcopo certior factus, Gratum accersit; qui cum Iucundo Romam profectus (cãpanis in vrbium ingressu, vt ferunt, spontè sonantibus, quod & Ptolemaide factum traditur) naui cõscensa, in Palæstinam, tempestate sæuissima suis orationibus mirabiliter sedata peruenit; cumque ad puteum accessisset, & sacrũ caput coruscans adspexisset, illud (mirabile dictu) statim de putei profundo in manus Grati prosilijt: quod cum Summo Pont. detulisset, mentum ab eo à capite auulsum dono accepit, quod in Augustensi ecclesia maximo totius populi, & cleri iubilo collocauit. Denique S. Episcopus annis, & pijs laboribus confectus 7. Idus Septembris obdormiuit in Domino, ante, & post mortem miraculis clarus. Ex quibus vnum libet referre. Cum Bona Sabaudiæ Comitissa dentem S. Grati anno 700. circiter ab illius obitu ægrè obtinuisset, dum euelleretur, illud sanè post tanti temporis spacium planè mirandum, accidit, quod sanguinis recentis guttæ ex loco dentis auulsi stillare visæ sunt, & quod admirationem auxit, abeunte Comitissa tantus fragor in æthere, tot tonitrua, & fulmina, tot nimbi, & procellæ cœpere, vt vrbem mox ruituram ciues metuentes, post Comitissam festinantes ab ea precibus dẽtem recuperarunt: statimque aer, & cœlum serenum redijt. *Ex vita M.S. quam ab Eccl. Augusten. accepimus.*

> Gratus in cõcilijs summa autoritate refulsit.

> B. Iucundus S. Grati discipulus.

> Mira de capite sanctissimi Præcursoris, recensentur. Campanæ vrbis aduentui Grati vltrò sonantes gratulantur.

> Bona Sabaudiæ Comitissa dentem S. Grati dum euelli mãdat, guttæ recẽtis sanguinis ex loco dentis stillare visæ sunt.

ANNOTATIO.

Qvædam ab autore illius vita admixta animaduertimus à veritate prorsus aliena: veluti quod tempore S. Grati, Karolo Mag. Imp. concilium Carthaginen. celebratum sit, ad quod S. Gratus accesserit; nam carthago eo tempore non extabat, & locus cum finitimis Africa Prouincijs sub Arabum Imperio erat. Gratus autem, qui Carthaginen. conc. interfuit, Episcopus Carthaginen. fuit, non Augusten.

De cap. S. Io. Bapt. difficultas incidit, quod in Gestis Theodosij Sen. legitur; eum illud inuentum intulisse in eccles. ei dicatam an. D. 391. vt apud Baron. in Annal. ad eum an. Sed illud ex monasterio Spelei in propriam Eccles. Emesa translatum an. D. 760. Paulo I. Pont. Max. ex Theophane legitur, cuius rei etiam Baron. mem. in Annal. ad eum an.

Qua quidem hic de S. Ioan. Baptista capite dicuntur historia inuentionis eiusdem capitis apud Niceph. Callist. & alios repugnant, vide Annot. S. Ioan. Baptista ad eandem diem.

DE

DE S. IOANNE EPISCOPO EVGVBINO.

IOannes patria Laudensis; qui propterea Laudensis cognominari solet, vitam sub B.Petri Damiani disciplina eremiticam duxit apud Eugubium: cuius vrbis Episcopus ob eius vitæ sanctimoniam an. sal. 1076. factus eam Ecclesiã sanctissimè rexit. Ædem S.Crucis cum cœnobio, & xenodochio extruxit. S.Vbaldum ex D.Secundi ad SS.Mariani, & Iacobi ecclesiam Cathedralem transtulit, eumque Sacerdotem ordinauit. Ecclesiam S. Saluatoris M. Acuti, quæ nunc eremitarum est M. Coronæ dedicauit. Cum in Episcopatu annos 36. quibus multa sanctè & præclarè gessit, vixisset 7. Idus Septembris an. sal. 1106. migrauit è vita In æde Cathedrali sepultus, cuius corpus sic integrum, & incorruptum, ac si recens sepultum fuisset, asseruatur. Illum miraculis clarum Paschalis II. Põt. Max. cuius iussu Ioannes Cardinalis super eius vita; quam scripsit, processus, vt aiunt, confecit; in SS. numerum retulit. *Ex monum. Eccles. Eugubina, & Lauden.*

ANNOTATIO.

Libet hic Epitaphium Sancti Ioannis referre.

D. O. M.

D. IOANNI LAVDENSI EVGVBINÆ ECCLESIÆ PONTIFICI: QVI OB VERAM, INVICTAMQVE PIETATEM, ET SPLENDIDISSIMAS ANIMI SVI DOTES AN. CHRISTI M.CVI. IMMORTALITATE DONATVR AETATIS SVAE ANNO LXXX.

Septembris die 8.

DE SANCTISSIMA DEI GENITRICE MARIA.

NAscitur sanctissima virgo in Nazareth ciuitate Galilææ ex Ioachim, & Anna parentibus sterilibus ex tribu Iuda, & progenie Dauid: prout Archangelus Gabriel pro suscipienda prole orantibus prædixerat: appellaturq; Maria (quod nomen Dominã significat) Ablactata in templũ adducitur, vt ibi cum alijs puellis, quemadmodum parentes vouerant, ministraret, non tam ætate, quã moribus, & virtutibus adolescens: nunquam ociosa, orando, operãdo, litteris q; diuinis operã dãdo occupata. Cum 11. esset annorũ, mortuis parentibus (qui propè Octogenarij erant) virginitatem Deo vouit exemplo suo secum alias puellas trahens: cum aũt Sacerdotes illã effectam nubilem in matrimonio, vt mos erat, collocare vellent, ipsa illis votum suum exposuit. Quibus Dñm super re hac cõsulentibus responsum est, vt omnibus ex familia Dauid accersitis illi virginẽ desponsarent, super quem sors cecidisset. Ioseph igitur ex eadem tribu viro castissimo, & integerrimo sorte diuinitùs electo in matrimonium annos 13. nata traditur. Cumque Nazareth cum sponso in domo paterna veluti hæres habitaret, paulò post à Gabriele Archangelo sibi diuini Verbi in vtero suo incarnationẽ nunciante salutatur, quo abeunte ad Elisabeth cognatam Ioanne Baptista grauidam visendam perrexit, ab ea mater Domini appellata; vbi canticum illud *Magnificat anima mea Dominum* cecinit: cum aũt tres menses ibi demoratæ iã vterus intumesceret, Iosephq; ea re perturbatus (licet vxorem innocentissimã sciret) illam dimittere cogitaret, adfuit Angelus, qui ab eo timorem omnẽ excussit, & dubitationem propulsauit. Interim Bethleẽ venit, vt ibi cũ vxore iuxta

Natiuitas B. M.

Nomen Mariæ quid.

Templo offertur.

Virginitatẽ vouet.

Sortè Ioseph nubit.

Ab Angelo salutatur.

Elisabeth inuisit.

Cur Ioseph turbatur.

Imperatoris edictum profiteretur, & cumq; tẽpus partus aduenisset filium suũ peperit, quem in præsepio reclinatum (non enim illis locus erat in diuersorio) ac octauo die circuncisum, & vocatum Iesus, prout Angelus præceperat, Magi ab oriente stellæ indicio delati adorarunt, & munera ei obtulerunt: expletisque purgationis suæ diebus in tẽplo in Hierusalem illum præsentauit manibus Symeonis Senis prophetantis, canentisque *Nunc dimittis seruum tuum Domine*, acceptum, portatumque: Furente autem Herode, puerumque ad necem conquirente, Ioseph illum cum matre ab Angelo admonitus tulit in Ægyptum Matareæque vico inter Heliopolim, & Babylonem inde ad III. Leucas distantẽ (cayrum nunc vocant) habitauit, donec mortuo Herode eiusdem Angeli admonitu rediit in Iudæam, Nazarethque repetiit. Inde cum puero iam duodenni Hierosolymam venientes, illum amissum cum in via requisissent, post tres dies Hierosolymam reuersi in templo interrogantem, & respondentem inter Doctores inuenerunt. Reuersis Nazareth, Iesus qui parentibus subditus erat, crescebatq; ætate, sapientia, & gratia, cum ad annum ferè 30. peruenisset, abiit ad Ioannem in Iordane baptizantem, à quo baptizatus, & in desertum profectus, cœpit postea prædicare matre illum comitante (Nam adfuit, nuptiis in Cana Galilææ; quando filio dixit, *vinum non habent*. & cum is Iudæis ab eo signum quærentibus diceret, *signum non dabitur, ei nisi signum Ionæ*, ipsa stabat foris quærens loqui ei) cum mortis filii adueniente tempore illum captum audisset, accurrens ad supplicium comitata, & particeps effecta passionis, (impletũ est enim; quod Symeon prædixerat, *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius*) mortem vnici filii tanto dolore, quãto prosequebatur amore, tulit, licet in perturbationem mentis ratione dolorem comprimente non inciderit, cumque cruci adstaret, filium sibi dicentem, *Mulier ecce filius tuus*, audiuit. ac de cruce depositum in manibus, & super genibus excepit, donec in sepulchro positus est. Cui ille ex mortuis resurgens primum apparuit, eamque blandè solatus est. Cum autem in Cælum ascendisset, ipsa mater in cænaculo cum discipulis apud Hierosolymã morabatur, spiritus sancti aduentum præstolans: diuinisque vacans contemplationibus. Post aduentum spiritus sancti ad illam tanquam ad oraculum Hierosolymam ex vtroque sexu confluebant, vt miraculum miraculorum quod Deum genuerat, quodque diuinum quiddam præseferebat, intuerentur, venerarenturque: in quibus Dionysius Areopagita, & Ignatius Antiochenus fuere. Ephesi cum Ioanne Apostolo cui à filio commendata fuerat, aliquandiù commorata Hierosolymam rediit. Vbi ab Angelo dormitionis suæ præmonita, re à Ioanne detecta, cum omnes in cænaculum ad eam visendam conuenissent, ipsaque omnibus præsentibus cum Apostolis, Hierotheo, Timotheo, & Dionysio, vale dixisset, Ioannique, vt duas tunicas duabus puellis, quæ secum vixerant, distribueret, præcepisset, anno ætatis 62. natiuitatis verò filii 57. & passionis eiusdem 23. sanctissimã efflauit animam in morẽ potius dormientis, quã morientis exaudita illicò cælestium potestatum melodia. Corpus aromatibus, vt mos erat, conditum in villam Gethsemani ab ipsis Apostolis delatum, in sepulchrum Angelico durante concentu per tres dies illatum est: quo cessante cum Thomas, qui fortè aberat, aduenisset, sepulchrumque ad illius preces fuisset apertum, vt corpus virginis Dei genitricis adoraret, illo minimè reperto (licet à tumulo discipuli, & Apostoli per id tẽpus nunquã recessissent) in sublime raptũ fuisse, & in cælũ assumptũ cũ anima, ab omnib⁹ intellectũ est. Vbi sanctiss. virgo super oẽs Angelicos ordines cõstituta, apud filiũ facta humani generis aduocata assiduè nobis diuina præstat beneficia, sæpius hominibus apparens, eos alloquens, & ab hoste

Parit in præsepio.
Puerum præsentat in templo.
Fugit in Ægyptum, & ibi habitat.
Redit in Nazareth.
Comitatur filium prędicantem.
Adfuit filio cruci affixo, & morienti.
Particeps fuit passionis.
A filio resuscitato prima visitatur.
Moratur cũ discip. in cænaculo.
Ad eum vti ad oraculum vndique veniebant.
Fuit Ephesi.
Mors illi ab Angelo prædicitur.
Migrat in cæneculo.
Qua ætate.
Sepelitur Gethsemani.
Cantus Angelicus durat tres dies.
Corpus aperto sepulchro non inuenitur in cælum delatum.
Effecta est aduocata humani generis.

hoste liberans. *Ex D. Dionyſ. Areopagita lib. de Diu. Nom. c. 3. D. Ambroſ. lib. 10. epiſt. D. Io. Damaſc. orat. de Natiuit. & Dormit. illius Greg. Nyſſeno Symeone Metaphr. Niceph. lib. 2. c. 12. D. Bernardo in ſerm. de Aſſumpt. eiuſd. & alijs.*

ANNOTATIO.

Hic tantùm, quæ ex euang. & grauiſſimis Authoribus patent recenſere, ſeu potius more compendij innuere libuit. A miraculis prorſus, quòd innumera ſint, abſtinuimus: nam præterea, quæ in domo Lauretana, Florentia in æde D. Annunciatæ, Regij in æde Seruorum perpetrata ſunt, & in dies perpetrantur, nulla ferè orbis eſt Italia, in qua Sanctiſſima Dei matris apparitiones, prodigia, & aſſidua opitulationes nõ celebrentur. Vbique ei aræ, & templa auguſtiſſima extruuntur, vt non tantùm in cælis, ſed & in terris tanquam vniuerſi Regina longè, latèque regnare videatur: quam qui colunt, & ad opem illius ex corde confugiunt, ſpe nunquam fruſtratos, aut ab ea deſtitutos legimus.

Confugientes ad B. M. V. non deſtituuntur.

DE S. HADRIANO MARTYRE NICOMEDIENSI.

HAdrianus Nicomediæ vnus ex Maximiani Imp. familia; qui chriſtianorum cruciatibus præerant, vehementer illorum conſtantiam, & virtutem admiratus: qui tot tantaque poſſent ſuperare tormenta, ad Chriſtum ſe ſe conuertit. Quod vbi Imperatori renunciatum eſt, in carcerem cum alijs 23. chriſtianis conijcitur. Vbi à Natalia vxore, quæ & ipſa antea in Chriſtum crediderat, viſitatus ad martyrium incenditur. Itaque eductus multis verbis vltrò cittòque inter ipſum, & Imperatorem habitis, cum in percepta fide immobilis permanerent, tandiu cædi iubetur, donec illi inteſtina diſfluerent. Poſtremò, fractis cruribus, manibus, pedibusque præciſis, vna cum alijs martyriũ feliciter conſumauit, 4. Non. Martij, cuius corpus primò Byzantium, deinde hac die Romam translatum eſt. Demum in Belgium in M. S. Gerardi. *Ex Breu. Rom. Martyrol. & Mol.*

ANNOTATIO.

AVtor Floris SS. S. Hadrianum paſſum ait. an. D. 306. ſub Dioclet. & Maximiano: qui tamen iam an. 304. Imperium à ſe abdicarant. Quare ſi eo anno paſſus eſt ſub Maximiano Galerio, non Herculio id contigit, ſed hoc Martyrol. Rom. repugnat eum paſſum ſub Diocl. & Maxim. aſſerenti, vel ante eum annum paſſus ſit oportet, ſi ſub Diocl. & Maxim.

DE B. BONFILIO, ET SOCIIS SACRI ORD. SERVORVM B. M. V. Fundatoribus.

BOnfilius ex clara Monaldorum familia, Bonaiuncta ex Manettis ante Ioannes, Bendictus ex familia Antella poſteà Manettus appellatus, Vgucio ante Ricouerus ex Vgucionia familia, Alexius Falconerius, Gherardinus ex Meliotibus poſteà Soſthenius nominatus, & Amideus, ſiue Amadeus ex Amidea familia ciues Florentini, cum in antiquo B. M. V. Sodalitio Valdenſium cognomine adſcripti ad Aſſumptionis eiuſdem B. V. Feſtũ celebrandũ de more conueniſſent, dũ ſacra agunıur myſteria, ita ſe interius rapi, & ſanctiſs. Dei genitrici famulandi deſiderio incendi ſentiunt, vt miſſa peracta, quiſque ſocijs immiſſam inſpirationẽ patefaceret, omnesq; mũdo vale dicere, & cœteratũ rerũ cura abiecta, eidẽ ſanctiſs. virgini inſeruire decernerent. Interim donec conſtitutũ tẽpus

aduenirat, ieiunijs, & orationibus, dediti, vt, an ex Deo hæc esset inspiratio, probarent, terrenarum rerum maximè domesticarum curis se se expediunt: ac in ipsius V.M. Natiuitatis Festo, vt constituerant, Ardingo prius Episcopo Florentino consulto, sacraque post exactam peccatorum cōfessionem Eucharistia refecti, vestitu, quo ciues eius temporis, vtebantur, deposito, vilem, humilemque induunt; atque ex oratorio ad salutandum Episcopum bini, vt mos Religiosis est, incedunt, tota penè vrbe ad rei nouitatem concurrente, puerisque eos Dei genitricis seruos vbique acclamantibus. Quod nomen, illis per vrbē ad eleemosynas exeuntibus etiam ab infantium, & lactentium ore prolatum (matribus enim necdum scientes loqui dicebant, vt seruis Mariæ V. benefacerent) ab Episcopo eis inditum est: atque à Summ. Pont. confirmatum. Bonfilio autem tanquam seniori (qui primus Ordinis Generalis fuit) sibi præfecto in Montis Senarij à Florentia 9. M.P. distantis solitudinem secedunt: cumque eos, qui se ad eorum societatem in dies adiungebant, ægrè reciperent, inusitato prodigio ad eā augendam inflammantur. Cum enim tempore vitem in hortulo plantassent, ea in ipso Annunciationis B. M. festo palmites vndique emisisse, floruisseque, & vuam (quod mirabilius fuit) procreasse visa est. Sacratissima quoque Deipara noctu multis Angelis comitata nigra indumenta, quibus in filij passionis, suæque viduitatis memoriam induerentur, ostendens illis apparuit: & Ardingo Episcopo per quietem præcepit, vt seruos suos nigra veste contegeret, & regulam, quam seruarent, præscriberet. Qui summo mane consurgens montē conscendit, Missam celebrat, eosque Sacra Communione refectos nigris vestibus à se benedictis induit, ac S. Augustini regulam obseruandā illis præscripsit. Bonfilius itaque cum iam inchoatæ Religionis propagandæ licentiam à Legatis Pontificijs impetrasset, cumque sanctitatis vitæ fama peruagante plura in dies in Hetruria, Germania, & alijs locis loca extruerētur, Innocentio IV. Pont. Max. Auenione (vbi sedes erat Pontificum) Romam proficiscenti Bononiæ occurrit; à quo benignè exceptus Ordinis approbationem, eiusdemque primum Protectorem Gulielmum Diac. Cardinalem, Pontificis nepotem obtinuit. Is Templi D. Annunciatæ celeberrimi constructionem Bonfilio Episcopo Senensi pro Legato primum in fundamentum lapidem mittente aggressus est. Is etiā B. Philippum in Ordinem recepit, & erudiuit. Denique assiduis vigilijs, carnis macerationibus, laboribus, diuturnaque infirmitate confectus anno à partu Virginis 1261. inchoatæ vero Religionis 26. non sine prodigijs migrauit è vita. Nā post matutinas horas, quibus etiā infirma valetudine interesse cōsueuerat, vox sanctum senem ad se vocantis audita est: ad quam fratres accurrentes, exanimē illum, vultu splendorem proferentem, corporeque odorem suauem emittentē inuenere; moxque dum illi iusta persoluere parant, voces cœlestes canentium *Subuenite Sancti Dei, &c.* exaudiuntur. *Ex monumentis Cœnobij D. Annunciatæ, ex Chron. Ord. seruorum. ex lib. de eiusd. Ord. Orig. à F. Archangelo Ballottino Theologo Bononien. conscripto, ex vita S.P.N. Philippi lib. 1. autore F. Archangelo Giamo Florentino Sac. Theol. Magistro, & alijs.*

Initiū Ord. Seru.
Nomen Seruorū ex ore infantium.
Bonfilius primus Gener. Seruorum.
Miraculum insigne.
Apparitio B. V. M.
Bonfil. ab Innocentio IV. Ord. approbat. & protectorē ipetrat. Agreditur tēplum D. Annunc.
Recipit B. Philippum.
In eius morte vox cœlestis auditur. Vultus splendet, & corpus suauē odorē mittit. Voces canentiū audiuntur.

DE B. BONAIVNCTA FLORENTINO.

Bonfilio nondum ex humanis subtracto Bonaiuncta in regimine successit. Cuius tantus propagandæ Religionis ardor fuit, vt nihil ad eam rem spectans prætermiserit: nam, & illam sanctissimis legibus communiuit, & Alexandri IV. Pont. Max. auctoritate in Prouincias diuisit, singulis priores Prouinciales

Religionē in prou. diuidit.

les

les attribuens. Neque verò ob Ordinis occupationes assiduas, aliquid de suæ vitæ austeritate remisit, quò minus ieiunijs, vigilijs, orationibus, flagellis, cilicio, quod super nuda carne gerebat, se ipsum affligeret. Sed, & de proximorum salute maximè sollicitus erat, eos, quos in aliquo delicto perseuerantes cernebat acrius, & liberius increpans. Quod cum erga ciuem Florentinū vsuris deditum sæpius fecisset, immortale illius in se odium concitauit. Qua in re mirandū planè contigit: cum enim ciuis ille beneuolentiam simulans viro Dei cibos venenatos per famulum misisset (erat autem venenum illud ex efficacissimis) ille eos à se benedictos sine vlla prorsus læsione comedit: ac seruo abeunti ait, ***vade fili, nam quod herus mihi tuus parauerat, sibi accidisse comperies***: qui domum reuersus herum expirasse inuenit. Is iam ætate vigilis confecta, obitus sui præscius, vbi sacrum Missæ in M. Senarij ecclesia celebrasset, fratresque ad obseruantiam esset adhortatus, dum de Dominica Passione feruentius loquitur, sacris adhuc indutus vestibus spiritum Deo reddidit. Anno ab orbe instaurato 1258. cum ordinem Biennio administrasset. *Ex eisdem.*

Vitæ austeritas.

Mirandum.

Venenum benedictione superat.

Mortem eius qui venenum miserat prognosticatur.

Mortem suā prædicit.

Expirat loquens de Pas. Domini.

DE B. MANETTO FLORENTINO.

Manettus post Iacobum Senensem qui B. Bonaiuncta suffectus fuerat, Religionis gubernacula suscepit à Clemente IV. Pont. Max. confirmatus. Vir admirandæ sanctitatis fuit; qui solo crucis signo dæmones è corporibus hominum effugasse traditur: vi quoque orationis, & eloquentiæ (erat enim in dicendo, ac inter concionandum vehemens) è multorum animis eos eiecit, peccatores famosos ad bonam frugem conuertens; ac morbos insanabiles curauit. Cum enim nobilis quidam Florentinus corpore contractus, surdus, & mutus à propinquis ad eum adductus fuisset, ei, vbi Missam celebrasset, & sacram infirmo Eucharistiam porrexisset, gradiendi, loquendi, & audiendi facultatem, non sine ad stantium admiratione restituit. Ipse verò pijs curis perfunctus Ann. sal. 1269. obdormiuit in Domino. Cui in D. Annunciatæ Templo insigne ex marmore precioso sacellum excitatū fuit miraculis eius vtrinque depictis. *Ex eisd.*

A Clem. IV. Gener. confir.

Dæmones à corporib. hominū fugat.

Contractum, mutum, & surdum sanat.

DE CÆTERIS ORD. SERVORVM INSTITVTORIBVS.

Amideus, quem alij Amadeum vocant, inter cœteras eius virtutes patientiæ dono maximè commendatur: nam diutina infirmitate pressus longum æquo animo tolerans duxit martyrium. Cuius sanctitatem Deus miraculis testatam esse voluit. In quibus puerum in lacuna propè M. Senarium præfocatum, & ad se delatum signo crucis, & oratione ad vitam reuocasse legitur. eo autem è vita abeunte mira odoris fragrantia percepta, & flamma ignea super ipsius caput cęlitus descendens visa traditur. Obijt autem An. Domini 1264. Vgucio, & Sosthenius ille ex Gallia, hic ex Germania: vbi ordinem signis, & virtutibus fundauerant, redeuntes in M. Senario ægritudine correpti breui ad præmia cœlestia euolarunt Anno Incarnationis Dominice 1282. Quorum animas S. P. Philippus per quietem in Cœlum deferre vidit; Alexius uerò cuius hortatu frater D. Annunciatæ inchoatam basilicam prosecutus est, & B. Iuliana nepris virginitatem vouit; cum ad an. ætatis centesimum decimum peruenisset. An. sal. 1310. caducam cum immortali vitam cōmutauit, candidissimis auibus circū cellam volitare, atque in sublime ferri, cū exhalasset animā, visis. Horum corpora sub ara maiore ecclesiæ M. Senarij 7. fulcita columnis quiescūt. *Ex eisd. scriptoribus.*

Patientia insignis.

Puerum in aquis suffocatum ad vitam reuocat.

Flāma ignea super caput apparet.

B. Philip. animas Vgucionis, & Sosthenij in cœlum ferri vidit.

Alexius B. Iulianam ad virginitatem inducit.

ANNOTATIO.

Montis Senarij, qui & Sanarius, quasi sani aeris dicitur, eremum collapsam P. Lelius Balionius Florentinus vir doctissimus, qui Theologiam in Gymnasio Pisano summa cum laude hoc tempore interpretatur, restituendam, & à Ferdinando Magno Hetruriæ Duce nouis ædificijs augendam curauit, eremitis, cum Ord. Generalis esset, nouis in ea collocatis: qui hac tempestate numero (sunt enim ad 40.) & obseruantia in dies crescunt, nullis eremitis vitæ austeritate, ecclesia cultu, regularique disciplina inferiores. Quæ eremus etsi rectorem habet eremitam, cœnobio tamen D. Annunciatæ subiecta est ex Clem. VIII. Sum. Pont. diplom.

Distichon Iulij Roscij Hortini de 7. Beatis memor.

„ *Septem diua viros vox excitat, aggregat, armat.*
„ *Virginis è manibus veste nigrante micant.*

Septembris die 9.

DE SS. MARTYRIBVS HYACINTHO, ALEXANDRO, & Tiburtio in Sabinis.

Hyacinthus, Alexander, & Tiburtius in Sabinis trigesimo ab vrbe milliario à Beda, Vsuardo, Adone, & alijs passi referuntur. Cœterum, quandò; & sub quibus principibus passi sint; ac vbi ipsorum corpora asseruentur, nullus scribit. Sed neque ipsorum alia præter, quæ in Martyrologio Rom. simplex memoria reperitur quod in alijs sæpe vsu venit. *Ex Martyrol. Rom.*

DE S. SERGIO PAPA I. HVIVS NOMINIS.

Sergius patria Antiochenus, Panormi in Sicilia educatus; Romæ verò ad omnes gradus promotus S. Cononi in Pontificatu successit An. sal. 687. Iustino Imp. Is multa Ecclesiæ beneficia præstitit. Nam anteriorem basilicæ S. Petri partem musiuo opere, altare verò vasis, crucibus, candelabris ex auro, & argento exornauit. Partem Dominicæ crucis à se inuentam in loco decētiore reposuit. Constituit, vt in missa post sacræ hostiæ fractionem ter *Agnus Dei* diceretur, decantaretur ve. Ceduallam Britanniæ Regem Romæ baptizauit. S. Vuillebrordum Archiepiscopum Traiectensem ordinauit, ac S. Hubertum Episcopum Leodiensem consecrauit; quo tempore Saraceni Africam, adhæc vsque tempora ab eis possessam, occupant. Cum annos 13. menses 8. dies 14 Ecclesiæ præfuisset, & Episcopos per diuersa loca 97. creasset, 5. Idus Septembris Tiberio Absimaro Imperante, moritur non sine multorum lacrymis apud Sanctum Petrum sepultus. *Ex Anastasio Biblioth. Platin. & Baron. in Annal. ad An. 701.*

Ceduassa Britanniæ Rex baptizatur. Saraceni Africam occupant.

ANNOTATIO.

Sub hoc Pont. Beda vir doctiss. & sanct. sub Ceolfridi Ab. disciplina educatus floruit. Et Ecclesia Aquileien. quintam Synodum vniuersalem Constantinopolitanam, cui hactenus non consenserat, receptis litteris Sergij permota.

DE S. TVTIO CONFESSORE AQVILANO.

Tvtius, siue Tucius eremita in territorio Aquilano in Monte vitam solitariam degebat, Innocentio IV. Pont. Maximo; quo tempore B. Peregrinus in ea loca venit: quem etiam hospitio excepit, cum per somnium, quis

esset

esset diuinitùs accepisset. Cumque post S. Peregrini necem aliquandiù in ea solitudine vixisset, denique assiduis vigilijs confectus clarusque miraculis ad præmium in cœlum euolauit 5. Idus Septembris: qua die eius memoria in Ecclesia Aquilana quotannis celebratur. *Ex Tab. eiusdem eccl.*

S. Tatius Innoc. IV. Pót. vixit. Miraculis clarus migrat.

ANNOTATIO.

De eo in vita S. Peregrini mart. de quo ad diem 18. Nouemb. agitur, mentio habetur. Acta præcipua, miraculaque illius minimè vidimus, siue quòd non extent, siue iniuria eorum; à quibus ea postulauimus.

Septembris die 10.

DE S. NICOLAO CONFESSORE TOLENTINATE Ord. Eremitarum.

Nicolaus Tolentinas dictus, quòd in ea vrbe diu vixerit, in oppido S. Angeli Firmanæ diœcesis pijs, sed sterilibus parentibus, postquã illi Barium ad S. Nicolai corpus voti causa, vt prolem susciperent, venerandum profecti redijssent, natus ab infantia virtutum, & in primis abstinentiæ specimen dedit. Nã annum vix 7. agens B. Nicolaum imitatus plures hebdomadæ dies cœpit ieiunare, quam consuetudinem solo pane, & aqua contentus in finẽ vsque retinuit. Adulta ætate in clericorum numerò adscriptus, & posteà factus canonicus, cum quadam die concionatorem ordinis Eremitarum S. Augustini de mundi contemptu dicentem audisset, eo sermone commotus, statim eum ordinem est ingressus: in quo tam exactam vitæ regulam secutus est, vt aspero vestitu, verberibus, ferrea catena corpus suum domans, à carne, & omni obsonio abstinens, charitate, humilitate; patientia, cæterisque virtutibus alios præcelleret. A dæmone multis petitus insidijs; à quo et flagellis interdum cæsus est, orandi studium assiduum nunquam intermisit. Sex ante obitum mensibus singulis noctibus Angelicum concentũ audiuit: cuius suauitate, quasi paradisi gaudia prægustaret, affectus, crebrò illud Apostoli, *Cupio dissolui, & esse cum Christo*, habebat in ore. Denique cum diem obitus Fratribus prædixisset, 4. Idus Septembris migrauit è vita, an. sal. 1306. ab Eugenio IV. Pont. Max. SS. Catalogo adscriptus an. D. 1446. multis clarus miraculis: siquidem viuenti, in eo loco, in quo posteà sepultus est, sidus radiantissimum, quoties oraret, apparebat. Fœminam à sanguinis fluxu; quo quinque mensibus laborauerat, signo crucis liberauit; quo signo puerulum in ignem prolapsum, ac luminibus orbatum pristinæ sanitati restituit; aliosque complures à diuersis morbis, & languoribus liberauit. Post mortem verò per annos 25. continuos innumera miraculorum genera ad eius tumulum patrata sunt. *Ex Breu. Rom. & vita apud Sur. tom. 5.*

Nicolaus B. Nicolai in abstinentia eximius æmulator. Nicolaus in ordine S. Augustini innumeris, diuinisque virtutibus auget. A Dæmone etiam flagellis cæditur. Angelicis cõcentibus recreatur. Loc° in quo orabat Nicolaus, sydus radiantissimũ collustrat. Fœmina à sãguinis fluxu liberatur. Infans in ignem prolapsus, ac luminibus orbat° pristinam recuperat sanitatem.

ANNOTATIO.

Inter eius miracula illud etiam recenseri solet; quod auis cocta sibi ægroto, vt vires eo cibo recrearet, delata, cum Deum precatus esset, ne se carne vesci permitteret, redintua auolarit: quodque pane à sanctissima Dei genitrice D. Augustino comitante loco auis refocillatus fuerit: ex quo panes in die eius festo; qui panes S. Nicolai dicuntur, benedicendi quotannis mos processit.

DE S. AGABIO EPISCOPO NOVARIENSI.

Agabius S. Gaudentij discipulus, dignus fuit, qui illi in Episcopatu succederet: quod ei aliquandò S. Episcopus prædixerat, & antequã decederet,

eundem

eundem clero, & populo successione dignum commendauit. Is factus Episcopus basilicam à Gaudentio inchoatam perficiendam, in eamque corpus magistri transferendum curauit. Is assiduis prædicationibus, & eloquij suauitate reliquias infidelitatis sustulit, se verò vigilijs, & ieiunijs, quo caro spiritui subijceretur, affligens animum rerum cælestium meditatione pascebat. Maxima verò erga Sacratissimum Eucharistiæ Sacramentum deuotione affectus fuit, vt aliquandò suprà celebrantis caput Angelica species fulgens a circunstantibus visa fuerit. Claruit viuens miraculis. Nam, & paralyticum magna cum fiducia ad se accedentem, orantemque, vt manum sibi imponeret, solo tactu sanauit, & leproso pristinam impetrauit sanitatem. Cum diem 4. Idus Septembris post feliciter exantlatos labores obijsset, corpus extrà portam ciuitatis (quæ adhuc S. Agabij nomen retinet) æde suo nomini dicata sepultum est; donec post aliquot sæcula in maiorem ecclesiam summa populi, & cleri frequentia translatum est. Cuius funus miraculis fuit illustratum. Nam quidam ex morbo viribus corporis planè destitutus, vbi fide fretus super feretrum transijsset, illicò sanus effectus est, visæ etiam fuere albæ nubeculæ duæ, quasi columbæ, cælitus descendere, ac cum ea, quæ ex S. Episcopi ore prosilit, cœlum repetere. Illum Nouarienses post S. Gaudentium, vti alterum patronum venerantur. *Ex lectionib. ab Eccl. Nouarien. recitari solitis.*

Agabius singulari ergà Eucharistiæ Sacramentū deuotione affectus.

Paralyticū, & leprosum sanat.

Quidam corporis viribus destitut᷑ pristinæ sanitati restituitur.

A N N O T A T I O.

TRanslatio corporis S. Agabij à Gandulpho Episcopo 3. Kal. Septemb. celebrata est, ex monum. eiusd. eccles.

DE S. THOMA ABBATE FABARENSI.

THomas natione Gallus in Mauriana regione (quæ in Sabaudia est) natus, & enutritus Sanctissimæ Virginis Deiparæ admonitu in Italiam venit, & apud Fabarense seu (vt nunc vocant) Farfense monasterium consedit. Quod primò à Laurentio Syro circa an. sal. 220. constructum, ab eoque cum Susanna sorore vsque ad obitum inhabitum, cum diu vetustate collapsum iacuisset, à Thoma An. D. 680. à fundamentis refectum est, eique S. vir primus Abbas annis 26. in omni sanctitate præfuit. Qui senio confectus, multisque meritis cumulatus 4. Idus Septembris An. à Christi natiuitate 706. migrauit ad Dominum. *Ex Martyrol. monast.*

A N N O T A T I O.

VIta illius copiosè descripta in monasterio Farfen. (quod in Sabinis est, ditissimum, & in Cardinalium tutela multis ab hinc annis) haberi fertur.

DE S. HILARIO PAPA.

HIlarius, siue Hilarus natione Sardus Leoni I. in Pontificatu Leone I. Imp. subrogatur An. sal. 461. Is initio Pontificatus epistolam encyclicam per orientem sparsit, qua tres Synodas Nicænam, Ephesinam, & Chalcedonensem confirmauit. Philotheum Macedonianum hæreticum Anthemio Imp. fretum noua in vrbe dogmata spargere conantem compescuit. Baptisterium Lateranensis ecclesiæ elegantibus picturis, auròque, & gēmis exornauit: & duas adiecit bibliothecas. Paschalem solemnitatem iuxta lunæ cursum celebrandam decreuit;

Hilarius tres Synodos confirmat.

Philotheum hæreticum damnat.

creuit; Victorini Aquitani viri doctissimi in ea re opera vsus. Nonnullas sacras ædes ædificauit, veteresque à se instauratas muneribus auxit, in pauperes valdè benignus, & liberalibus fuit. Multa sub eo concilia celebrata sunt: & plures sanctitate,& doctrina floruerunt. Multis denique rebus benè gestis clarus obdormiuit in Domino 4. Idus Septembris, cum annos 6. menses 10. sedisset. *Ex Anastas. Bibliothec. & Baron. in Annal.*

ANNOTATIO.

P*Latina in eius vita Hilarium annos 7. & menses 3. in Pontif. vixisse, obijsseque 5.* Kal. *Aug. scribit aduersus Martyrol. Rom. autoritatem.*

DE S. HILARIO EPISCOPO PATAVINO.

Hilarius Episcopus Patauinus; quem hactenus crebra miracula in cœlū inter SS. Pontifices receptum testantur, circa annum sal. nostræ 346. decessit. Cui apud maris Hadriatici æstuaria templum dicatum, & pagus de eius nomine dictus extat. Ecclesiæ Patauinæ 17. Episcopus fuisse traditur. *Ex monum. eiusdem eccl. De quo Bernard. Scardeonius lib. 2. classe 6. de Antiq. vrbis Patauinæ.*

ANNOTATIO.

H*Oc loco eius meminisse libuit: quòd ipsius natalis diem ignoremus.*

DE S. LEOLINO EPISCOPO PATAVINO.

Leolinus, quem alij Leoninum, vulgus verò Violinum vocat, obscuro loco natus, ob eius vitæ sanctitatem 11. loco Maximino Imp. Ecclesiæ Patauinæ præfuisse fertur. Qui in ea temporum acerbitate Ecclesia administrata, sanctitate celebris in pace obdormiuit, apud S. Prosdocimi oratorium sepultus. Vnde non longè in proprium delubrum, quod adhuc extat, translatus est. Dies obitus illius ignoratur. *Eod. Bernard. Scardeon. & alijs Eccl. Patauinæ monum.*

Septembris die 11.

DE SS. PROTHO, ET HYACINTO MARTYRIBVS ROMÆ.

PRotus, & Hyacinthus S. Eugeniæ virginis eunuchi in Philosophia versati, ab eaque conuersi, & cum illa ab Heleno Episcopo Alexandriæ baptizati, ac diuinarum litterarum studijs dediti aliquandiu in Aegypto, in monasterio mira humilitate, & vitæ sanctitate vixerunt. Postea verò Eugeniam Romam prosecuti Gallieno Imp. in vrbe propter fidei christianæ professionem comprehensi sunt, ac à Nicetio vrbis Præfecto ad Iouis templum duci, illique immolare iubentur. Quod cum facere negligerent, & ad eorum preces Iouis statua subitò concidisset, & in puluerem mirabiliter redacta esset, acerbis verberibus cæsi, denique iussu Præfecti extra vrbem ducti via Salaria securi feriuntur. Quorum corpora eadem via in cœmeterio Basillæ à christianis condita sunt 3. Idus Septembris. *Ex Breu. Rom. & pass. S. Eugeniæ virginis; quæ post illos passa est.*

Iouis statua concidit.

ANNOTATIO.

P*Et. in Cat. lib. 8. c. 62. paulò diuersè horum martyrium describit: nam ait eos post Eugeniam virg. passos fuisse, cum ex passione S. Eugeniæ, liquidò illos ante Eugeniam martyrio affectos appareat. Horum corpora Papiæ in æde S. Felicis quiescere dicuntur.*

DE

DE S. ÆMILIANO EPISCOPO VERCELLENSI.

Æmilianus natione Hispanus, loco obscuro natus, à Felice Episcopo ad religionem eruditus fuit: qui iam vitæ religiosæ addictus, vt cæterarum rerum cura abiecta, rerum diuinarum contemplationi vacaret, se in eremum abdidit; vbi incredibili abstinentia, assiduis ieiunijs, alijsque corporis macerationibus carnem domans, & in oratione frequens, dulci perfruebatur spiritus libertate. Verum fama sanctitatis peruagante, Episcopo Vercellensi defuncto, in demortui locum subrogatur. Quod munus sic administrauit, vt non solū contemplationis, sed & actionis partes egregiè sustineret. Maximè in eo elucebant humilitas, doctrina, & pietas: quibus Ecclesiç Dei multum profuit: concilijs enim Rom. III. IV. & VI. sub Symmacho Papa celebratis interfuit. Vercellas reuersus; cum aliquot annos Ecclesiæ suæ sanctissimæ præfuisset, ac illius libertatem, immunitatemque intrepidè, & strenuè aduersus laicos defendisset, ad extremum pijs laboribus cōfectus migrauit è vita 3. Idus Septembris, cuius corpus cum diu omnibus fuisset ignotum, an. sal. 1181. inuentum in ecclesiam Cathedralem translatum congruo honore conditum est 16. Kal. Iunij; qua die translatio illius recolitur in Ecclesia Vercellen. *Ex vit. Epp. Vercell. & off. eiusd. Eccles. nuper approb.*

Æmilianus Cōcilijs Roman. III. IV. & VI. sub Symmacho interfuit.

ANNOTATIO.

Aliter quantum ad originem attinet, in vita M. S. & antiq. Eccl. Vercellen. monum. habetur, in ijs enim illum Cæsariani pago antiquo agri Vercellen. ex nob. familia ortus legitur; sed in re hac nouis lectionibus Romæ approbatis, ex quibus nos vitā paucis contexuimus, fides adhibenda est.

Miraculis eum claruisse, ex eo probatur, quod An. D. 1192. ob miracula, quæ in dies ad eius tumulum fiebant, maximè verò quòd vrbem ab imminenti flagello liberasse, B. Albertus Episcopus, qui posteà Hierosolymorum Episcopus fuit, vnà cum clero, hac die ex voto tam in Synodo decretam festiuitatem solemniter agendam decreuit.

DE S. VENERIO ABBATE APVD LVNAM.

Vide die 13. huius.

DE S. HELIA ABBATE APVD TAVRIANVM.

Helias Ennæ in Sicilia natus ab ineunte ætate pietati addictus, adolescens S. Basilij institutum suscepit, breuique ad eam vitæ perfectionem perductus est, vt multorum pater extiterit monachorum. Vitam primùm apud Taurianum vrbem in Calabria excisam in monte propè Parmam oppidum solitariam egit: vbi adhuc crypta S. Michaelis Archangeli (in qua is degebat, quæ posteà S. Heliæ dicta fuit) adhuc monstratur; posteà, multis ad eum, ob sanctitatis famam confluentibus, seque eius disciplinæ committentibus, extructo monasterio, illis aliquandiu, vt pius pater magis exemplo, quam autoritate præfuit. Vixit tēpestate, qua S. Nilus: à quo frequenter visitabatur. Miraculis, & sanctitate clarus obdormiuit in Domino 3. Idus Septembris. Corpus hoc tempore Galatri oppido proximo in ecclesia; quæ de illius nomine S. Heliæ vocatur, piè asseruatur, colitur autem non solum Bouæ, vbi natus ab alijs putatur, sed & Ennæ.

Helias complurium monachorū pater extitit.

Crypta S. Heliæ.

Helias à S. Nilo crebrò inuisitur.

tie,& alibi. *Ex Cron. Calabria, ex quib. apparet eum Bona, aut ex aliorum sententia Rhegij natum, cum tamen Ennenses suum eiusm pradicent.*

ANNOTATIO.

MEminit illius Paul. Reg. in lib. de SS. Regni Neapolit. vnà cum Dauid Romhao, in Cat. SS. eiusd. Regni; sed illum Episcopum loco Abbatis appellat.

Septembris die 12.

DE S. SILVINO EPISCOPO VERONENSI.

SIluinus Episcopus Veronæ 38. S. Petronij eiusdem Ecclesiæ Episcopi 37. Successor fuit. Hic in doctrina christiana tradenda plurimum insudauit; cum enim magna ciuium pars à christiana religione aliena videretur, adeò industria elaborauit; vt omnes ad fidem reuocarit. Erat in pauperes maximè pius, & liberalis, ita, vt numquam lætior appareret, quam cum egenis eleemosynas impertiret. Ieiunijs, & orationibus ita deditus erat, vt in ijs suas delicias collocasse videretur. Vbi aliquot annos assiduis laboribus Ecclesiæ suæ præfuisset, repentè à Domino vocatus ad præmium Pridie Idus Septembris cessit è vita. Corpus in æde S. Stephani apud alios conditum est. *Ex monum. Eccles. Veronens. ex quib. libell. de SS. Epp. Veronens. ab August. Valer. Episcopo Veronen. & Card.*

Siluinus in pauperes maximè pius. Quæ Siluini deliciæ.

ANNOTATIO.

ET si S. Siluinus, qui & Syluinus scribitur, in æde S. Steph. conditus fuit; nunc tamen in Eccl. S. Petri in arce corpus eius quiescit, ex inscript.

Septembris die 13.

DE S. VENERIO ABBATE REGII.

VEnerius Presbyter, & Abbas apud Lunam honestis ortus parentibus, piè educatus, sacrisque litteris eruditus, relicto sæculo, in Palmariam Insulã pœnitentiæ ergò se contulit, vbi in loco, qui Zyrus maior appellatur, vitã herbis, & pomis agrestibus agebat. Ad quem Agrestis quidam nomine accedens, & vitam salutis edoctus, sarculum attulit, & hordeum, quod cum Venerius eo tempore quo meti solet, seminasset: statim diuinitus natum, ad maturitatem creuit. Erumpente iam fama sanctitatis illius; quidam pauper Domealis nomine ad eum visendum veniens puerum reliquit in naui: qui cum dormiret, latrante cane expergefactus, & perterritus, lapsus in mare suffocatus est, naui huc illuc vacante. Quod vbi Venerius accepit, oratione sua, & puerum reuocauit ad vitam, & nauim ad littus reduxit. Dracone ingentem; qui apud Lunam naues sæpè submergebat, post orationem, & ieiunium triduanum Episcopi Lunensis rogatu extinxit; nam cum ad rupem; in qua Draco latebat, in qua vestigia impressa lapidi velut in cera reliquit, venisset, eique in nomine Episcopi, vt recederet præcepisset, nec pareret, illi in nomine sanctissimæ Trinitatis; vt abiret, mãdauit; qui statim in mare se præcipitẽ dedit, nec amplius visus est. Inde Venerius, vt nominis celebritatem fugeret, in Cirnum Insulam venit; vbi 40. dies cũ bestijs moratus dimidiũ panis & frustum bubulæ quotidiè à coruo accipiebat. Ibi mortuũ in littore iacentẽ suscitauit. Cum autẽ Dei admonitu ad pristinũ locũ redire iussus esset, nec eũ nautæ vellent deducere, quod in Sardiniã irent repente tãta

Hordeum statim ac seritur ad maturitatem flauescit. Veneri* puerũ aquis suffocatum excitat; cymbãq; ad littus reducit. Draco à S. Venerio iussus, vt abiret, præcipitem se in mare dedit. Venerius à coruo cibat. Mortuum ad vitã reuocat. Nauis absq; Venerio vela nequit facere.

Saxi ictu mortuus ad vitã excitatur.
Venerius Angelicis manibus tumulat.
Oleum emanans omnes ægrotos sanat.

orta est procella, vt non, nisi eo in nauim recepto, inde soluere potuerint: cumq; ex nautis vnus ab alio saxo percussus interijsset, Venerij oratione vitæ restitutus est. Qui tandem assiduis vigilijs, & macerationibus confectus 3. Idus Septembris, obdormiuit in Domino Angelicis manibus sepultus in loco, in quo oleum omnes ægritudines sanabat. Posteà verò Lucius Episcopus Lunensis cũ populo ad Insulam profectus, cum oleum manans, & corpus Venerij integrum, ac mira odoris fragrantia redundans reperisset ecclesiam suo nomini extruxit. Verùm cum Saraceni eas Insulas vastari cœpissent. Ludouico Pio Imp. Apollinaris Episcopus Regiensis fama sanctitatis S. Venerij adductus ad eius reliquias venerandas profectus; & ab eodem in somnis, vt corpus suum inde propter Saracenorum aduentum transferret admonitus illud summa lætitia Regiũ delatum debito cum honore in æde S. Prosperi 3. Nonas Nouembris collocauit. *Ex off. Eccles. Regien. qua à Pet. Equilino accepit.*

ANNOTATIO.

Pet. in Cat. lib. 8. c. 65. pluribus de S. Venerio agit. Sed Apollinarem Episcopum; qui corpus illius Regium transtulit, non Regiens. at Lunen. vocat; quod haud verisimile est: si enim Lunensis fuisset, potius Lunam, quam Regium illud asportasset.

DE S. VENERIO MONACHO APVD TIBVR.

Venerius austerissimam vitam rigidissimo in loco degit.
Defunctus in morem orantis depræhenditur.

Venerius monachus in cœnobio S. Benedicti apud Tiburtinam ciuitatẽ degens, cum se in solitudinem sine Abbatis sui licentia recepisset, quod à fratribus ob simplicitatem ludibrio haberetur à S. Romualdo Abbate, qui ad Othonem Imp. vrbem Tudertinam obsidentem venerat, reprehensus, ad monasterium compunctus redijt. Cum verò solitudinis desiderio flagraret, ab Abbate tandem impetrauit, vt in eremo solus degeret. Quare intra montes excelsos secedens saxum hominibus inaccessum conscendit; in quo tribus annis tribus panibus; quos secum detulerat, pomisque syluestribus, & herbarum radicibus, ac aqua, quæ in saxi cauitate, ex niuibus, & pluuijs colligebatur, sustentatus est: cumque multi cibos ei deferrent, eos ipse pastoribus, & egentibus diuidebat. Ibi ecclesiam fieri, & consecrari hortante Episcopo Tiburtino permisit: in qua mortuus in morem orantis ab accedentibus deprehensus, ibidem sepultus fuit; multisque miraculis coruscauit. *Ex Chron. Camaldulens. & Pet. in Cat. lib. 8. c. 66.*

ANNOTATIO.

De eo Pet. Damianus in vita S. Romualdi Ab. At in Tab. Eccles. Tiburtina nihil de illo legimus; quod ibi ipsius memoria haud celebretur.

DE S. MAVRO EPISCOPO PLACENTINO III.

Maurus Placentiæ III. Episcopus admirabili continẽtia, & humilitatẽ fuit. Erat ab omni rerum humanarum cupiditate alienus: in orationibus, & diuinis laudibus frequens; in ieiunijs, & vigilijs assiduus. S. Sauini; qui Ecclesiæ Placentinæ ante ipsum præfuit, & SS. Gelasij Victoris, & aliorum plurium corpora honorificè sepelienda curauit. Multis demum laboribus pro Dei gloria, pro populo, & Ecclesia sibi commissa perfunctus; sanctisque virtutibus clarus ad cœlestem patriam euolauit Idibus Septembris, in æde S. Sauini prędecessoris sui sepultus. Cuius sanctitatem Deus miraculis aliquot illustrauit; maximè verò

verò in sacri corporis ipsius translatione à Fabritio Episcopo Placentino anno sal.1498. celebrata. *Ex officijs Eccles. Placent. nuper Romæ approb.*

ANNOTATIO.

QVanto tempore Eccl. sua Maurus præfuerit ex monum. eccles. Placent. haud apparet: sed cum an. D. 445. obijsse asseratur, S. autem Sauinus an. 305. colligitur illum in Episcopatu annos 50. vixisse tametsi Humbertus Locat. in Annalib. Placentiæ annos 49. illi tantummodo tribuit fortè quod annos 50. haud completè vixerit.

Septembris die 14.
DE S. CORNELIO PAPA, ET MARTYRE.

CОrnelius Romanus Gallo, & Volusiano Imperatoribus post S. Fabianum; cum sedes diu ob Decij persecutionem vacasset, circa An. sal. 254. Pontificatum gessit. Hic cum Lucina sanctissima fœmina corpora SS. Apostolorum Petri, & Pauli è catacumbis in oportuniorem locum transtulit, Pauli corpore via Ostiensi in prædio Lucinæ propè locum; in quo gladio percussus fuerat, reposito, Petri verò haud longè ab eo; in quo crucifixus est. Quod cum ad Imperatores delatum fuisset, & autore Pontifice multos christianos fieri, mittitur in exilium ad Centumcellas; vbi eum S. Cyprianus Episcopus Carthaginensis per litteras est consolatus. Quod officium mutua charitate persolutum in deteriorem partem accipientes Imperatores, Cornelium Romam accersitum tanquam maiestatis reum quasi contra Remp. scriberet, & reciperet litteras plumbatis cædi, raptumque ad Martis simulachrum ei sacrificare iubent. Quam impietatẽ detestatus capite plectitur 18. Kal. Octobris, cum annos vix duos Ecclesiæ præfuisset. Cuius corpus B. Lucina clericis adiuuantibus in arenaria prædij sui propè cœmeterium Callisti sepeliuit. *Ex Breu. Rom. & epist. 58. S. Cypriani ad Lucium, ex qua hac die illum obijsse apparet.*

Translatio corporũ SS. Apostolorũ Petri, & Pauli.

S. Cyprianus S. Cornelium ad Centũcellas relegatũ per litteras consolatur.

ANNOTATIO.

COrnelius Romæ concilium aduersus Nouatum, & Nouatianum Presbyteros; qui apostatas redeuntes etiam pœnitentes, non recipiendos esse contendebant, ac cõtra Felicissimum, qui omnes etiam sine pœnitentia recipi volebat, habuit multorum Epp. qui extremis sententijs damnatis, mediam approbarunt; hoc est recipiendos quidẽ esse, sed non sine pœnitentia. Ex quo primum schisma in Ecclesia ortum est, Nouatiano Pontifice à suis sectatoribus aduersus Cornelium creato.

Haud inter scriptores de tempore conuenit, quo Cornelius sedit. Nam Damasus illum supra duos annos sedisse, coronatumque fuisse sub Decio scribit, quem Plat. sequitur. Euseb. quoque lib. 7. c. 3. Hist. Eccles. illi tres annos circiter tribuit. Panuin. in Fastis supra duos annos menses aliquot assignat. Qua in re; cum Ecclesia in Breu. annos duos circiter illum in Pont. vixisse, & sub Gallo, & Volus. Imp. martyrium passum fuisse scribi decreuerit, illi, & non alijs acquiescere debemus.

Cum autem martyrio coronatus sit 18. Kal. Oct. ex Martyrol. non 3. Non. Maij, vt falsò scripsit Plat. (qui etiam perperam ait post Fabianum sedem sex tantum diebus vacasse) Natalis tamen illius ab Eccles. die 16. Septemb. non 14. nec 15. propter Festum exaltat. S. Crucis, & oct. Natiuitatis B. M. V. celebratur, vnà cum S. Cypr. Ep. Carthag.

DE

DE S. CÆREALI, ET SALLVSTIA MARTYRIBVS ROM.

S. Cornelius Salluſtiam Cærealis vxorem laborantẽ ſanat.

Cærealis cũ vxore, & milites ſalutari aqua expiantur.

CÆrealis Rom. cuius cuſtodiæ S. Cornelius Papa à Voluſiano Imp. commiſſus fuerat, cum illum virum ſanctum agnoſceret, ſupplex rogare cœpit, vt in domum ſuam ingreſſus Salluſtiam vxorem ſuam plures annos omni membrorum officio deſtitutam lecto affixam viſitaret, & ſanaret. Qui cum duobus Presbyteris, & vno clerico ingreſſus domum Cærealis orationem pro Salluſtia ad Deum fudit, illamque manu apprehenſa eleuauit dicens: *In nomine I.C. Nazareni ſurge, & ſta*: quæ protinus ſurrexit, & ſtetit, clamans, *Verè Chriſtus eſt Deus, & Dei filius*. Viſo tanto miraculo non ſolùm Cærealis cum vxore, ſed & milites, qui aderant, ad pedes Cornelij prouoluti, Baptiſmique gratiam poſtulantes aqua ſalutari luſtrati ſunt. Quibus ad Imperatores perlatis, cum ducti ad templum Martis extra muros via Appia illi ſacrificare noluiſſent, omnes numero 21. vnà cum Cornelio, Cæreali, & Salluſtia vxore decollati ſunt, 18. Kal. Octobris. Quorum corpora à Lucina auxiliantibus clericis, & ſua familia in crypta apud cœmeterium Calliſti ſepulta ſunt. *Ex paſſ. S. Cornelij Papæ*.

ANNOTATIO.

LVcina: de qua hic fit mentio, longè diuerſa eſt à Lucina Apoſtolorum Petri, & Pauli, & ab altera: quæ domum ſuam Eccl. conſecrandam à S. Marcello Papa, curauit Dioclet. & Maxim. Impp. haud ſanctitate, pietateque alijs inferior.

DE S. CRESCENTIO MARTYRE ROM. SENENSI Protectore.

Creſcentius cæcam lumine donat.

Antifridus Epiſcop. Senẽſis corpus S. Creſcen. à Steph. Papa impetrat.

CRefcentius S. Enthymij ciuis Romani filius adhuc puer à patre in chriſtiana religione educatus, in immani Diocletiani, & Maximiani Imperatorũ perſecutione cum parentibus Peruſiam fugit; vbi patre defuncto apud Turciũ Proconſulem delatus quòd chriſtianus eſſet, carcere incluſus de ſententia colendi Chriſti veri Dei nunquam dimoueri potuit. Quare vinctus Romam ad Imp. miſſus, Turpilio Iudici tradidit, cum in via militibus Chriſtum prædicaſſet, & in vrbis ingreſſu mulieri cæcæ lumen oratione reſtituiſſet. Ad Iudicem itaque perductus, cum nec ſe Deos credere, nec colere velle conſtantiſſimè diceret, capitalem excipere ſententiam iuſſus eſt. Ductus itaque extra portam Salariam 18. Kal. Octobris capite plexus eſt. Cuius corpus multis poſt annis repertum Antifridus Epiſcopus Senenſis à Stephano Papa impetratum Senas detulit: vbi honorificè conditum à Senenſibus præcipuo honore colitur. *Ex quodam M. S. veteri Romæ in Baron. biblioth. & monum. Eccl. Senen. quà die 12. Oct. celebratur.*

ANNOTATIO.

MIrum, de matris S. Creſcentij exitu nullam in actis illius fieri mentionem: cum tamen ex eiſd. actis illam vnà cum filio chriſtianæ fidei delatum conſtet, fortè manus perſequentium fuga euaſit.

DE SS. MARTYRIBVS DOMINATA, SENATORE, VIATORE, & Caſſiodoro Argentani in Brutijs.

DOminata nobilis matrona cum tribus filijs Senatore, Viatore, & Caſſiodoro Argentani in Brutijs (S. Marcus ea vrbs nunc in Calabria citerione nominatur)

minatur) illustri martyrio coronata est. Accusata enim apud Præsidem cum filijs christianæ religionis, & comprehensa, variè excruciata est, sed cùm omnes fortes in fidei confessione persisterent, tandem nobilem martyrij palmam adepti sunt. Quorum corpora à christianis sepulta, posteà in ecclesiam Cathedralem translata, ibi honorificè condita sunt. Illos Argentanenses maximò honore prosequuntur, & hac die summa celebritate colunt. *Ex monum. illius Eccles. & Cron. Calab.*

ANNOTATIO.

Horum meminit hac die Vsuard. in suo Martyrol. (licet in aliquib. codicibus nihil legatur) his verbis, IN CALABRIA SS. MARTYRVM SENATORIS, VIATORIS, CASSIODORI, ET DOMINATÆ EORVM MATRIS.

Septembris die 15.

DE S. NICOMEDE PRESBYTERO, ET MART. ROM.

Nicomedes Presbyter; qui Petronillæ virgini à Flacco Comite adamatæ Eucharistiam adminiftrauit quando, vt optauerat, migrauit è vita, Domitiano christianos persequenti, quòd corpus Feliculæ virginis; quam idem Comes propter christianæ fidei confessionem, & quòd sibi nubere noluisset interfecerat, sepelisset, comprehensus est, & ad Deorum statuas ductus, vt eis sacrificaret; cum id facere constantissimè recusasset, diceretque, *Ego non sacrifico, nisi Deo omnipotenti, qui regnat in cœlis*, plumbatis dirissimè tandiù cæsus est, donec animam in eo martyrio Deo reddidit. Cuius corpus eiusdem Comitis iussu in profluentem Tyberim proiectum, à Iusto Nicomedis clerico diligēter conquisitū, & inuentum ad muros vrbis via Nomentana in suo horto honorificè conditū est 17. Kal. Octobris. *Ex Breu. Rom. & Gest. SS. Nerei, & Achillei.*

ANNOTATIO.

Pet. in Cat. lib. 8. c. 82. Nicomedem S. Petri Apost. discipulum, & in prædicatione adiutorem fuisse: illique Apostolum; cum ad supplicium duceretur, Petronillam filiam commendasse scribit ex Marcello Petri discipulo.

Septembris die 16.

DE SS. MARTYRIBVS ROM. LVCIA, ET GEMINIANO.

Lvcia Romana nobilissima matrona annorum 75. plus minus, virtutibus illustris; cum castam annos 30. in viduitate vitam egisset, christianamque coluisset religionem, à filio Eutropio; quem ad christianam fidem perducere conabatur, apud Diocletianum Imp. accusatur: qui Iebalem assessorem ad illā cum Iouis statua, cui thus offerret, protinus misit. At illa domo egressa, velut Idolo polluta, ad Imp. deducitur. Cui ille, *Audio te sacrilegam reum illum crucifixum colere, Deosque nostros irridere, nunc si tibi vitam prorogari cupis, parati sunt Dij tibi esse propitij, si eis thura offeras. Nec sibi, nec alijs isti tui Dij sunt propitij*, respondit Lucia: *mihi propitiabitur Christus; pro quo ignē, & quas voles pœnas sufferre parata sum.* Quare carcere teterrimo iubetur includi: & post aliquot dies educta fustibus diutissimè cæditur; sed ei tortoribus insultātibus, mox ingēs terræmot⁹ exoritur; quo tēplū Iouis prorsus subuertitur. Quapropter S. matrona in

Sacrilega Dioclet. verba.

In maximo terræmotu tēplum Iouis conteritur.

Lebetem pice,& plumbo liquato feruentem, iubente Imp. immittitur; in quo ille triduo illæsa manens psallebat. Quod vbi Imp. accepisset,illam ferro,plūboque onustam per vrbis plateas ad ludibrium duci imperat; cumque ea ante Geminiani viri nobilis, & præpotentis domum; in qua plurima Deorum erant simulachra,transiret,columbam niuei candoris super Geminiani caput,rer cœlitus delapsam vidit:qua re ille repentè mutatus,Luciam ad supplicium ductam sequitur;seque christianum publicè profitetur. Vterque itaque in carcerem abreptus est;vbi Geminianus à Protasio Presbytero baptizatur, & ad certamen accenditur. Cum autem vterque exquisitissimis affectus cruciatibus, immobilis in fide permaneret, peruersissimo Iudici traditur: qui eorū ceruices fustibus contundi,martyribus insultans,iussit; at domus subitò terræmotu corruens, illū miserè oppressit. Imperator neque eo miraculo deterritus eos Abosrasio cruciandos exhibuit:qui dum varijs supplicijs martyres à Christo separare nititur; alij 75.constantia,& virtutibus martyrum permoti Christo nomina dedere,ille verò quasi gloriabundus equitans,equo à dæmone concitato de ponte in flumē præcipitatus miserè suffocatus est. Denique Lucia, & Geminianus à Megalio viro consulari post gloriosa certamina capite plecti iubentur, 16.Kal.Octobris. *Ex Brev.Rom.& pass. à Sur.tom.5.rel.*

Lucia in feruentem lebetem immissa triduò illæsa mansit. Columba super Geminiani caput ter volitat. Qui Luciam ad suppliciū comitatur. Domo terræmotu diruta, Iudex opprimitur. 75.dant Christo nomina. Abosrasius Iudex equitans de ponte in flumen præcipitatus aquis obruit.

A N N O T A T I O.

Corpora horum mart. Lucæ asseruari Tab. illius Eccl.testantur: cum Romæ in propria ipsorum ecclesia apud 4.portas iuxta Tiberim quiescere affirmentur.

DE SS. MARTYRIBVS ABVNDIO, ABVNDANTIO, Marciano, & Ioanne Rom.

Abundius Presbyter,& Abundantius Diaconus cum alijs 23. quos ipsi conuerterant; & quibuscum ministrantes degebant, Romæ apud Diocletianum Imp.accusati, quòd eius edicta in christianos non curarent, iussu illius cōprehensi post longam disputationem,de Dijs Gētium, & de Deo christianorū, de creatura,& creatore cum Imp. habitam in custodia Mamettini detinentur, alijs 23.extra vrbem via Salaria capite proChristo truncatis,& à Theodora Matrona, ac Ioanne Presbytero ad cliuum Cucumeris in crypta sepultis. Post dies 22. ad Imp. euocati,rursusque de Christi abneganda fide frustrà tentati, in equuleo suspensi diù torquentur;cumque fortiores euaderent iratus Imp.eos statim decimo ab vrbe milliario via Flaminia ductos capite plecti iubet. Sed dum irent apud Lubram ciuitatem (quæ modò non exiat) Marcianum virum illustrem mortem Ioannis filij lugentem obuium habent:cui Abundius, & Abundantius dixere,fore,vt filius eius viueret; si in Christum crederet. Is verò statim se in Christum crediturum, & baptizatum iri pollicitus, ante illos mortuū filium collocat. Qui fusis Deo precibus, mox filium mortuum,ingenti populo spectāte, ad vitam excitant;statimque Marcianus,& Ioannes baptizati à satellitibus tenti vnà cum Abundio,& Abundantio 16. Kal.Octobris decollantur. Quorum corpora Theodora prædicta noctu vehiculis imposita,& in prædium suum apud M.Soractem 28.ab vrbe milliario delata, honorificè sepeliuit; quo in loco ecclesia in Abundij, & Abundantij memoriam ædificata fuit. Sed horū corpora Othone III.Imp.Romam in ædem S. Adelberti Episcopi, & martyris inter duos pontes translata, denique Gregorio XIII. Sum. Pont. in basilicam Societatis Iesu magna celebritate deducta: ibi condigno honore condita sunt.

Marciani filium mortuū vitæ restituūt.

Corpora

Corpora verò SS. Marciani, & Ioannis à Crescentiano Episcopo in æde S. Hippolyti martyris primùm: deinde in ecclesiam S. Mariæ ciuitatis Castellanæ accitis Episcopis Polymartiēsi, & Gallesino translata sunt, miraculis aliquot perpetratis; nam apud ecclesiam S. Eutychij martyris ex B. Theodoræ: quæ hos martyres sepelijt, imagine aqua mirabiliter profluxit, & in vltima translatione lilia arida, hyemis tempore refloruere, ac translatione inchoata tempus pluuiū subitò in serenum conuersum est. *Ex monum. Eccles. Castell. & eorund. mart. pass. nuper à Soc. Iesu typis excusa.*

Ex imaginè B. Theodoræ aqua mirabiliter manat. Lilia arida hiemali tempore reflorescunt.

ANNOTATIO.

E*Cclesia S. Adelberti Episc. & mart. nunc S. Bartholomæi nominatur. Ex qua ecclesia corpora SS. Abundij, & Abundantij in proximam ædem SS. Cosmæ, & Damiani translata, ibi diù ignota iacuere, quoad Greg. XIII. Pont. Max. an. 11. Pont. inter demoliendam, & instaurandam posteriorem templi partem, inuenti sunt loculi, aliquot, in quorum vno corpus erat S. Felicis cum hac inscriptione. HIC REQVIESCIT S. FELIX PAPA, ET MARTYR; QVI DAMNAVIT CONSTANTIVM HÆRETICVM, et in altero. HIC REQVIESCVNT CORPORA SS. MART. MARCI MARCELLIANI, ET TRANQVILLINI PRESBYTERI: & in altari lateritio reperti sunt duò alteri loculi ossium pleni: in quorum vno huiuscemi erat inscriptio. HIC REQVIESCIT S. ABVNDANTIVS PRESBYTER, MONACHVS, ET MART. in altero verò, HIC REQVIESCIT S. ABVNDIVS DIACONVS, ET MART. Qui duo loculi anno 12. Greg. XIII. in eccl. Societatis Iesu translati, ibi in maiore altari locati asseruantur.*

DE S. INNOCENTIA VIRGINE, ET MARTYRE Ariminensi patrona.

INnocentia virgo ex nobili genere nata Arimini in Diocletiani immani persecutione christianæ fidei, in qua enutrita fuerat, accusata comprehendi iubetur, ac modis omnibus, vt Christo renunciaret, & Deos coleret tentata, cū nullo pacto Dijs; quos inanes, & falsos asserebat, vellet immolare, carceri mancipatur; cumq; educta, varièque excruciata in fidei professione immobilis persisteret, iussu Imp. ad extremum gladio transuerberata ad palmam duplicem, virginitatis, & martyrij feliciter, peruenit 16. Kal. Octobris. Cuius corpus à christianis honorificè conditum est. *Ex monum. Eccl. Ariminen. quæ Romæ vidimus: in quib. acta illius pluribus enarrantur.*

ANNOTATIO.

C*Orpus in eccl. Cathedrali decentissimè asseruatur; illamque Ariminen. vti præcipuam vrbis suæ patronam colunt.*

DE SS. VIRGINIBVS, ET MARTYRIBVS EVPHEMIA, & Innocentia Vincentiæ.

EVphemia, & Innocentia virgines Germanæ, & Vincentinæ SS. Leontij, & Carpophori martyrum sorores fuisse feruntur, eodem tempore, quo fratres in eadem Diocletiani, & Maximiani persecutione Aquileiæ martyrium ob Christi Domini fidem passæ, quod tamen non ita certum est. Illud indubita-

Pp 2 tum,

tum, corpora ipsarum circa annum salutis 1350. inuenta in ecclesiam Vincentiæ Cathedralem translata fuisse; cumque miraculis ad ipsarum tumulos refulgere cœpissent, & ipsas à Vincentina Ecclesia coli cœptas, esse, *Ex monum. Eccles. & Annalib. vrbis Vincentinæ.*

ANNOTATIO.

De Euphemia, an eadem sit cum illa, quæ Aquileiæ vnà cum Dorothea, Tecla, & Erasma passa est. De Innocentia, verò an diuersa ab ea, quæ Arimini colitur, quis dubitare posset. Verùm cum corpus Euphemiæ Aquileiæ cum prædictis passæ Rauennæ, & Innocentiæ patronæ Ariminen. Arimini ex Tab. Eccl. habeatur, videtur dubitationi non esse locum, cum corpora harum de quib. agimus Vincentiæ asseruentur, nisi corpora earundem SS. virgg. per partes in diuersis ecclesijs quiescere dicatur: quæ in re inspectione opus esset.

DE S. GISLEMERIO MARTYRE, ET CIVITATIS Burgi patrono.

Gislemerius miles Thebæus. Martyrium apud Iuliam passus. Epitaphium S. Gislemerij.

Gislemerius vnus ex Thebæis militibus; cùm ex Gallia ex finibus Sedunorum vnà cum alijs in Italiam refugisset, ne Maximiano Imp. qui christianos Idolis immolare cogebat, immanibus eos supplicijs afficiens, militaret, ab hostibus fidei comprehensus, martyrio affectus apud Iuliam: ibique conditus putatur. Nam & latet martyris sanguine conspersus in templo eius vrbis maiore cernitur adhuc, & epitaphiū huiuscemodi legitur: HIC REQVIESCIT SANCTVS GISLEMERIVS THEBÆVS MARTYR. Illum Burgenses vti præcipuum post S. Domninum patronum hac die venerantur. *Ex Tab. & monum. Eccles. Burgen.*

ANNOTATIO.

Iulia vrbs recens.

Iulia, quæ & Fidentia apud Anton. Aug. in Itiner. nominatur, olim Parmen. agri op. fuit: nunc vrbs est Episcopali Sede recens insignita in via Æmilia inter Parmam, à qua in occ. 15. M. P. abest, & Placentiam occurrens, & Borgo di S. Donnino, *ex S. Domnini, qui ibi passus maximè colitur, nomine vocitatur. De ea in nostra topographia in Martyrolog. Rom. & Epitome geographica.*

Septembris die 17.

DE S. IVSTINO PRESBYTERO, ET MARTYRE Rom.

Iustinus Presbyter à S. Xysto Papa ordinatus, in crypta Nepotiana in vico Patricij Valeriano Imp. eos, qui ad fidem conuertebantur, baptizans, corporaq; martyrum sepeliens cum alijs christianis latebat. Is S. Xysti, & sociorum corpus tumulauit. Ad eum S. Laurentius Leuita nocte venit; vbi ipsius, & eorum, qui cum eo erant, pedes lauit, & osculatus est: quem martyrio affectum in agro Verano in prædio Sanctæ Cyriacæ viduæ sepelijt, & post illum SS. martyres Hippolytum, Cōcordiam, Irenæum, Abundium, Cyrillam Decij filiam cū alijs plurimis in eodē agro cōdidit. Tryphoniam Decij vxorem: quæ in Christū cum Cyrilla filia crediderat, sacro lauacro regenerauit, & septimo post die inter orandū defunctā in crypta S. Hippolyto apposuit. Exēplo Tryphoniæ, & Cyrillæ milites

Triphonia Decij vxor cū Cyrilla filia sacro lauacro regenerātur.

Milites 46. permotos, cum vxoribus, & liberos ad pedes suos prostratos in fide erudiuit; & confirmauit (quos postea S. Dionysius Papa Xysto suffectus baptizauit) cum verò Iustinus S. Laurentio, & alijs martyribus vsque ad Claudium Imp. qui Gallieno successit superuixisset, comprehensus, & ipse martyrio coronatus est 15. Kal. Octob. *Ex Gest. & pass. S. Laurentij, & ex antiquo M. S. Sanctæ Mariæ Maioris.*

Milites 46 à Xysto baptizantur vnà cum vxorib*, & liberis.

ANNOTATIO.

ADo in suo Martyrol. Iustinum sub Valeriano, & Gallieno confessorem occubuisse scribit. Vsuardus verò sub Decio, & Volusiano. At probatiora exempl. M. S. quæ Martyrol. Rom. secutum est, martyrio sub Claudio affectum habent.

DE S. SATYRO CONFESSORE MEDIOLANI.

SAtyrus nobilis Rom. S. Ambrosij Episcopi Mediolanensis frater, non solum aspectu, sed etiam moribus simillimus fuit. Qui fratrem tanto amore prosequebatur, vt relictis omnibus, illum Æmiliæ Præpositum, & postea Mediolani Episcopum creatum secutus sit, & domũ illius sine offensione administrarit, curę particeps, in consilijs arbiter, depulsor mœroris, bonorumq; actuum assertor. Erat illorum spiritus indiuiduus, & indiuiduus affectus. Cum illi contigisset nauigare, nauisq; in qua vehebatur, scopulo illæsa dissolueretur, ab ijs, quos Sacerdotes agnouit, illud diuinum Fidelium Sacramẽtum poposcit, quod in orario inuolutum collo appendit, sicque in mare deiectus ad littus incolumis delatus est, nihil de rebus, quas amiserat, quærens; sed vt quam primum pro salute Deo gratias ageret, sollicitus, dicebat enim; *si homini pro beneficio non referre gratias simile est homicidio, quantum crimen est non referre Deo?* Sed cum loci Episcopus Luciferianus esset, referre gratias distulit, donec ad catholicum perueniret. Castitatem adeò coluit, vt ne à fratribus diuideretur, vxorem neque ab illis sollicitatus ducere voluerit, mira enim erat animorum coniunctio, & singularis consensus inter ipsum, & fratres, hoc est Ambrosium, & Marcellinam virginem, cum in Africam iterato nauigare decreuisset, nunquam adduci potuit, vt conderet testamentum: sed, & omnia pauperibus iudicio fratrum distribuenda reliquit. In Siciliam itaque, & inde in Africam nauigans Ambrosio dissentiente peruenit, & negotijs confectis incolumis Mediolanum remeauit à fratre Ambrosio, & Marcellina sorore tanta lætitia exceptus, quanto mœrore discesserat. Et si enim eo tempore Italia bello arderet; ac propterea illum Symmachus vir nobilis Satyrum in Africa retinere conabatur, ille tamen fraterni discriminis potius consors, quam solus incolumis esse voluit. Sed paulò post reuersionem corporea tactus ægritudine, breui morbo ingrauescente, non sine omnium mœrore, & luctu, maximè verò Marcellinæ; quæ sibi illum, pro quo absente tot preces effuderat, tot lacrymas sparserat, tam citò præsentem rapi videbat, abijt in cœlum 15. Kal. Octobris. *Ex Breu. Mediolan. & vita per Paulinum Presbyterum scripta; quam Mombrit. tom. 2. refert.*

Satyrus Sacramento collo adhærente mare incolumis traijcit.

Pulcherrimũ Satyri dictũ.

ANNOTATIO.

EXtat Mediolani Ecclesia S. Satyro dicata: in qua corpus illius asseruatur. De eius obitu S. Ambr. lib. edidit. Extat, & epitaphium huiusmodi.

„ *Vranio Satyro supremum frater honorem*
, *Martyris ad læuam detulit Ambrosius.*
„ *Hæc meriti merces, vt sacri sanguinis humor,*
, *Finitimas penetrans abluat exuuias.*

DE SS. NARCISSO, ET CRESCENTIONE martyribus Rom.

NArcissus,& Crescentio eodem anno,eademque persecutione:quibus Sanctus Laurentius,passi sunt; Narcissus enim Christum colens,in Vico Canario christianos persecutionem declinantes domi suæ excipiebat.Ad quem cũ S.Laurentius paulò ante passionẽ venisset, & multos ibi ex christianis collectos comperisset, ablutisque illorum pedibus ex thesauro Ecclesiæ partes pauperibus dedisset,Crescentionem cæcum orantem sibi à B. Laurentio manus imponi, vt ipsum adspicere posset, manuum impositione dictocitius visu restituto sanauit. Comprehensi autem Narcissus,& Crescentio simul sub eisdem persecutoribus martyrio coronati sunt, 15.Kal.Octobris. *Ex Gest. S. Laurentij.*

Crescentioni cæco B. Laurentius visũ restituit.

ANNOTATIO.

BAron. in suis Annot. extitisse aliquandò cœmeterium Crescentionis ait; sed an huius Crescentionis, vel alterius incertum est.

DE S. THEODORA MATRONA ROM.

THeodora nobilis matrona Rom.Christum colens Diocletiano, & Maximiano christianos persequentibus,SS.martyribus viuentibus sedulò ministrabat: & post necem corpora illorum conquisita, & collecta sepelienda curabat. Hæc corpora SS. martyrum Abundij, Abundantij, Marciani, & Ioannis,noctu ad martyrij locum accedens,cum pueris suis, proprio vehiculo imposita,in prædium suum apud M.Soractem 28.ab vrbe milliario deportata, ibi apud Arinianum aromatibus condita, & linteaminibus inuoluta sepeliuit. Quæ in huiuscemodi pietatis officijs diu versata tandem ad præmium euolauit in cœlum 15.Kal.Octobris. *Ex Martyrol. & pass. SS. Abundij, & Abundantij.*

ANNOTATIO.

QVod dicitur Theodoram SS.martyres apud Arinianum oppidulum 28. ab vrbe milliario sepelisse, correctione eget: nam Arinianum ab vrbe 20. M. P. circiter abest.

Hæc matrona diuersa est ab illa, de qua in Martyrol. Rom. prima die April. agitur: illa enim soror S.Hermetis Præfecti, et mart. sub Hadriano Imp. et Alex. Papa vixit.

DE SS. MARTYRIBVS IOANNE, VICTORE, ET STEPHANO apud Marsos.

IOannes, Victor,& Stephanus apud Marsos in Antonini Imp. persecutione in antris latitantes vitam herbarum radicibus diu egere pane aliquandò sibi diuinitus ministrato,quoad à venatoribus deprehensi, ad Imp. quòd christiani essent perducuntur. Qui cum frustrà eis suaderet; vt Deos venerarentur, illos diuersis tormentorum generibus affici iubet; cumq; ab ijs nihil obtineret, ad extremum in loco, qui Formulæ dicitur, variè Imperatoris iussu necati sunt. Ioanni clauus capiti infigitur: Victori prius decoriato caput abscinditur: Stephano vngulis ferreis excarnificato, manibusque præcisis caput gladio in duo secatur. Quorum corpora Ioannes eremita (qui postea martyr occubuit) vnà

cum

cum suis discipulis in ecclesiam; quam S. Ioanni Euangelistæ extruxerat, noctu luce cœlitus orta detulit, ac sepelijt. 15. Kal. Septembris. Vbi & miraculis coruscarunt. *Ex monum. Eccles. Marsicanæ M.S.*

ANNOTATIO.

IN horum martyrum passione vita admirabilis Io. eremitæ; qui illos sepeliuit, continetur; sed finis illius desideratur, & dies obitus sicuti, & ipsorum martyrum patria.

Septembris die 18.

DE S. EVSTORGIO I. HVIVS NOMINIS EPISCOPO Mediolanensi.

EVstorgius I. huius nominis natione Græcus non obscuro loco natus, sapiẽtia, & religione clarus S. Materno in Episcopatu successit, Siluestro Summ. Pont & Constantino Imp. Is inter cætera; quibus Ecclesiam Mediolanensem illustrauit, corpora SS. trium Magorum Constantinopoli; quò ex Parthia delata fuerant, Mediolanum mirabiliter transtulit, & in sacra æde illis dicata, quæ postea nomen ab eo accepit, condigno honore collocauit. Sedit in Episcopatu annos 19. quem ita administrauit, vt à S. Ambrosio non modò sanctitatis, sed etiam gloriæ, & magnitudinis miraculorum laudatus fuerit. Obijt autem in Domino 14. Kal. Septembris eisdem Pontifice, & Imp. *Ex Breu. Mediolanen. & Actis eiusd. eccl.*

Corpora SS. trium Magorum.

ANNOTATIO.

PEt. Galesi. lib. de Epp. Eustorgium non Materno immediatè; sed Orosio successisse scribit; quare non 10. vt Onuph. Panuin. in Fastis ait: in quib. illi annos Episcopatus tantum 17. tribuit; sed 11; esset. Vitam scripsit Mombrit. tom. 1.

DE S. FLACCO MARTYRE TVDERTINO.

FLaccus Idolorum Sacerdos Tuderti; cum coram Læciano Proconsule ad S. Terentiani I. Episcopi Tudertini (qui Idolis ab ipso Flacco allatis immolare compellebatur) preces obcæcatus, simulachris confractis. & in puluerem redactis, fuisset, altera die Terentiano educto occurrit, & ad pedes illius prouolutus sic rogare cœpit; *Adiuro te per Deum viuum, quem prædicas, vt oculos meos illumines; nam hodie per visum vir mihi pulcherrimus præcepit dicens, vade ad Terentianum Episcopum, qui te illuminabit.* Adhæc verba, qui Terentianum vinctũ deducebant, & qui comitabantur, admirantes stetere. Terentianus autem genuflexus, vt poterat, (erat enim catenis vinctus) diuinamque potentiam prædicans super oculos Flacci (qui se ad eius pedes submiserat) manus imponẽs dixit; *Dominus N. I. C. qui est vera lux te illuminet*, statimque illuminatus clamare cœpit, *Credo in Dominum I. C. filium Dei, qui me per seruum suum Terentianum illuminauit*, quibus dictis, eos, qui S. Terentianum deducebant, orat, vt paululũ ibi sustinerent, isque cum aquam attulisset, à Terentiano baptizatus est, lætusq; S. Episcopum vsque ad Forum ante Leõtium, & Cassium viros cõsulares: à quibus vterque securi percuti iussus est, Kal. Septembris. Quorum corpora octauo ab vrbe milliario, in loco, qui Petrosus, & Colonia dicitur, condita sunt, miraculisque vsque in præsentem diem coruscant. *Ex off. Eccles. Tudertinæ, & pass. S. Terentiani.*

Terentianus Flacco obcæcato visum restituit.

SS. Flaccus, & Terentianus vnà coronantur.

ANNOTATIO.

ET si Kal. Septemb. passus est; natalis tamen illius in hanc usque diem translatus ob octauam S. Terentiani, & B. M.

DE SS. MARTYRIBVS CONSTANTIO, ET SOCIIS Dronerij apud Salutias.

COnstantius miles Thebæus christianus, & ex primis eius legionis Ducibus in Maximiani Imp. persecutione in finibus Taurinorum cum alijs a militibus Cæsarianis comprehensus in valle Macræ fluminis apud Dronerium, & Villarium territorij Salutiensis castra; cum socios pro fidei confessione morte affectos sepelisset, & ipse capitis obtruncatione Christo testimonium reddidit 14. Kal. Octobris. Cuius corpus cum ense, & vexillo sepultum diu fuit ignotũ, donec à quodam mago aperto sepulchro, in quo thesaurum latere putabat, detectum est cum huiuscemodi inscriptione: HIC IACET MARTYR DOMINI CONSTANTIVS EX THEBÆORVM LEGIONE: QVI AD DIEM XVIII. SEPTEMBRIS MARTYRIVM SVB DIOCLET. ET MAXIMIANO IMPERATORIBVS PASSVS EST. Qui magus ense sublato à 20. prædonibus inuasus licet ignauus esset, se se illo defendit, partim interfectis, partim verò in fugam coniectis. *Ex Tab. Eccl. Salutien. & Histor. mart. Thebaeorum recens Taurini edita.*

Magus detecto corpore S. Constantij à 20. prædonibus se se tuetur.

ANNOTATIO.

EXtat ecclesia in colle apud memorata castra; quæ à finitimis populis hac die præsertim magna cum religione visitari solet.

DE S. STEPHANIA VIRGINE, ET MARTYRE.

STephania virgo, & martyr Scalis (vrbs in Picentibus in monte olim; vt rudera indicant ampla, nunc exigua apud Amalphim) colitur; habetque ecclesiã Parochialem suo nomini dicatam. Hanc S. Eustachij martyris; quem Scalensem fuisse ferunt Scalenses, Romæ martyrio affecti sororem fuisse fama est. Acta tamen illius desiderantur. *Ex antiqua Scalen. Eccl. tradit.*

ANNOTATIO.

FOrtè hæc virgo eadem est cum Corona: quæ cum Victore passa est in Syria, quæque Feltriæ maximè colitur: nam Stephania, & Stephana nomen Græcum est, quod Coronam Latinè sonat.

Septembris die 19.

DE S. IANVARIO EPISCOPO BENEVENTANO, ET SOCIIS, martyribus patrono Neapolitano.

Ianuarius in ardentissimã fornacẽ iniectus, illæsus egreditur.

IAnuarius I. Episcopus Beneuenti Diocletiano, & Maximiano in christianos sæuientibus ob Christi fidem comprehensus ad Timotheum Cãpaniæ Præsidem Nolam perducitur; vbi eius constantia variè tentata, in ardentem fornacem iniectus, & illæsus exiuit, vt ne capillum quidem flamma violarit. Ea re incensus Præses martyris corpus eò vsque distrahi iubet, quo ad neruorum, &

artuum compages soluerentur. Inde Puteolos ante Præsidis rhedam vinctus cũ Festo Diacono, & Desiderio Lectore pertrahitur, & in eundem carcerem, in quo Sosius Diaconus Misenas, & Proculus Diaconus Puteolanus cum Eutyche, & Acutio laicis damnati ad bestias detinebantur, simul conijciuntur. Postero die omnes in Amphitheatro feris obijciuntur: quæ se ad Ianuarij pedes feritatis naturalis oblitæ prostrauere. Id Timotheus magicis cantionibus tribuens; vbi in martyres capitis sententiam pronunciasset, repentè oculis captus est. Qui mox orante Ianuario lumen recepit: eoque miraculo quinque hominum millia Christi Domini fidem suscepere. Verum Iudex tanto ingratus beneficio, conuersione tantæ multitudinis actus in rabiem, ac veritus principum decreta S. Episcopum cum socijs gladio percuti imperat. Horum corpora finitimæ vrbes pro suo quæque studio certum sibi patronum apud Deum adoptandi, sepeliendu curarunt. Misenates Sosium, Puteolani Proculum cum Festo, Desiderio, Eutyche, & Acutio, Neapolitani verò diuino admoniti Ianuariũ extulere. Cuius corpus primò Beneuentum, inde ad monasterium M. Virginis; postremò Neapolim relatum, in maiore ecclesia conditum multis claret miraculis: ex quibus illud memorandum; quod erumpentes olim è M. Vesuuio flammarum globos etiam longinquis regionibus vastitatis metum afferentes mirabiliter extinxit. Illud quoque præclarum; quòd eius sanguis concretus in ampulla vitrea asseruatus cum in conspectu capitis eiusdem martyris ponitur, colliquefieri, & mirandum in modũ ebullire, perinde atque recens effusus, adhæc vsque tempora cernitur. *Ex Breu. Rom. & Tab. Beneu. in quib. I. Episcopus eius vrbis adnotatur.*

Horrenda supplicia.

Feræ ad pedes Ianuarij mitescunt.

Iudex obcæcatur, lumeq; prece Ianuarij recipit.

5000. hominum fidem suscipiunt.

Ianuarius flãmarum globos extinguit.

Eiusdem sanguinẽ in conspectu capitis positum adhuc ebullire manifestũ est.

ANNOTATIO.

DE Festo, & Desiderio Puteolis Beneuentum relatis hac die simul cum S. Ianuario agitur ab Eccl. Beneuent. De Proculo Puteolis vbi corpus, die 23. huius; qua die etiam Neapoli agitur de Sosio, corpore in eccl. S. Seuerini existente. De Eutyche, & Acutio etiam Neapoli.

Miraculum ebullitionis sanguinis etiam Scalis de S. Eustachio mart. euenire fertur in eius tamen die festo.

Passus est an. D. 305. sub Maximiano Galerio Constantio absente in Britannia. Dicitur tamen passus sub Diocl. quia durante adhuc illius persecut. quæ non est ex extincta cum eius imp. Ex Baron. in Annal.

DE SS. MARTYRIBVS FELICE, ET CONSTANTIA Nuceriæ.

FElix Presbyter, & Constantia mulier ob fidei christianæ cõfessionem in Neronis Imp. persecutione Nuceriæ in Picentinis martyrio coronati sunt; cum enim comprehensi Dijs tenuerent immolare; sed fortes in fidei proposito persisterent, gladio animaduerti iussi sunt. 13. Kal. Octobris. *Ex Adone, & alijs.*

ANNOTATIO.

P*Et. lib. 8. c. 96. paucis passionem ab Adone acceptam refert.*

DE SS. VIRGINIBVS, ET MARTYRIBVS AQVILEIENSIBVS, Euphemia, Dorothea, Tecla, & Erasma. *Vide die 3. huius.*

Hym-

Hymnus SS. virg. & matt. Euphemiæ, Dorotheæ, Teclæ, & Erasmæ, ex Breu. Vet. Aquileien.

Paterni splendor luminis
Sanctorum spes, & gloria
Iesu Redemptor hominis
Exultet Aquileia.
Quam decorasti virginum
Flore sub quaternario,
Benedicente Dominum
Ore, Corde, martyrio.
Sunt hi flores Euphemia
Dorothea, atque Erasma
Teclaque stella pia
Templumque, Dei plasma.
Puellæ natu nobiles,
Nobiliores istæ sunt:
Quod fide prima stabiles
Cælesti sponso iunctæ sunt.
Quarum te Christe meritis
Precamur voto supplici
Nos liberari debitis,
Lætari stola duplici. Amen.

DE S. IOANNE EPISCOPO SPOLETINO, ET MART.

IOannes Spoletij loco minimè obscuro natus à puero in christiana religione educatus, & sacris litteris adolescens eruditus, totum se diuino ministerio mancipauit; in clericorum numerum adscriptus, & ab ecclesia non recedens. Factus Archidiaconus postea Meletio Archiepiscopo ex humanis sublato successit, cui etiam in Archidiaconatu successerat. In munere autem Episcopali adeò præclarè se gessit; vt non in Vmbria tantum; sed etiam per totam ferè Italiam fama sanctitatis illius peruagaretur. Erat pauperum pater, & oppressorum aduocatus, facultates suas alendis egenis, & ecclesijs reficiendis insumens. Floruit sub Theodorico Rege, cuius gratiam consecutus multa impetrauit; & multis profuit. At sub Totila multa passus populum tamen orationibus subleuauit. Visitaturus Apostolorum limina, vix iter aggressus in milites incidit; qui illum lanceis confossum obtruncant. Corpus, cum milites recessissent, à clericis non sine lacrymis, & ingemitibus suspirijs apud vrbem sepelitur; vbi cum ad centum annos delituisset, exactis ex Italia Gothis à Narsete cœlesti inditio repertum est; nam cum cœlum, quasi ignea columna super locum noctu coruscare videretur, odores suaues exhalarentur, cantusque resonantes exaudirentur, Gondecara nobilis fœmina monasterij S. Euphemiæ Abbatissa tot signis excitata, noctu comitata pergit ad eum locum, sublatisque lapidibus sacras reliquias latentes inuenit, & in suam transtulit ecclesiam. Quod vbi ciuitati innotuit, tumulus S. martyris venerationi esse cœpit, multis super diuersis morbis laborantibus miraculis subsecutis. *Ex monum. & lectionib. Eccles. Spoletinæ.*

Prodigium columnæ igneæ quo S. Ioannis corp⁹ manifestatū est.

ANNOTATIO.

MOnasterio S. Euphemiæ Othone II. Imp. disiecto, corpus S. Ioannis in basilicam S. Petri translatum, ibi adhuc vsque tempora requiescit.

DE S. THEODORO EPISCOPO VERONENSI.

THeodorus Episcopus Veronæ X. S. Mauro in Episcopatu suffectus est, vir eximia in Deum pietate, & omnibus Episcopalibus virtutibus insignis.

Vir

Vir acri iudicio in rebus decernendis præditus, erga se adeuntes perhumanus ac moribus optimis exornatus,& ecclesiastica eloquētia clarus, præ cęteris virtutibus sobrietatem maximè coluit, vbi autem Ecclesiæ suæ summa cum laude aliquandiu præfuisset, cessit è vita 13. Kal. Octobris in ęde S. Stephani sepultus: ex qua postea corpus eius in Cathedralem basilicam B. virgini Deiparæ dicatā, & ab Vrbano III. Pont. Max. consecratam vnanimi totius cleri, & populi consensu translatum est,& in marmoreo sarcophago reconditum. *Ex monum. Eccl. Veronens. & libello August. Valer. Episcopi Veronen. de SS. illius Eccl.*

ANNOTATIO.

NOn est, quod quis tot Epp. in ade S. Stephani conditos miretur; nam illa ante noua eccles. Cathedralis ab Vrbano III. Papa, ibi creato, dedicata constructionē Cathedralis erat.

DE S. NICANDRO ABBATE MESSANENSI, ET SOCIIS.

NIcander vnà cum Gregorio, Petro, Demetrio,& Elisabeth socijs apud Messanam in scapulo asperam vitam duxit. Ibi enim ecclesia, & cellulis extructis vitam planè cælestem in ieiunijs, orationibus, vigilijs, meditationibusq; agebant, Nicandro tanquam patri obtemperantes. Qui post multa virtutum, & sanctitatis signa; (ob quæ non Messanæ modò; sed & in locis Siciliæ finitimis magnam venerationem habet) 13. Kal. Octobris migrauit ad Christum. *Ex Franc. Maurolyco in Martyrol. & monum. Eccl. Messanen.*

ANNOTATIO.

ETsi socij diuersis diebus, & temporibus migrarunt; hac tamen die eorum simul memoria ob societatem (quod in alijs SS. etiam vsu euenit) celebratur. Extat in Messanen. Territ. castrum à S. Nicandro nomen habens.

Septembris die 20.

DE S. EVSTACHIO MARTYRE, ET SOCIIS ROMÆ.

EVstachius ante Placidus Decimæ legionis sub Traiano Imp. Dux, bellica fortitudine, & in pauperes pietate clarus, aliquādò ad venationem egressus, ceruum ingentem conspicatus, illum equo admotis calcaribus insequitur; donec ceruus in petræ verticem contra naturam insiliens, conatus venatoris elusit. Cumque Eustachius viam, qua verticem ascenderet, curiosius inquireret, supra cerui caput crucis Christi radiantis speciem videt, moxque vocem audit; *Placide, Placide quid me persequeris? Ego sum I. Christus, Rex cœli, & terra, humanique Redemptor generis: qui tuis delectatus virtutibus adsum, vt te è Dæmonum seruitute in cœlestis patria libertate vendicem.* Quibus verbis Eustachius pauore cōsternatus, vt se se ex timore,& stupore collegit, statim mutatus, fœdamque, & scceleratam Idolorum superstitionem execratus, domi vxori suæ, quæ Elpistes vocata est, cuncta narrauit: quæ haud dissimili visione excitata, *ad maritum, quæso te,* inquit, *ne socordes simus ad sacra christiana percipienda*; nec mora, nocte concubia Placidus, & Traiana (sic enim ante baptismum vocabātur) cum duobus filijs,& aliquot famulis pijs ad Ioannem Sacerdotem profecti, ab eo in fide instructi, aqua salutari lustrantur, Placido Eustachij, Traianæ Theopistis, filijs verò vni Agapij, alteri Elpistis nomine imposito: deinde corporis,& sangui-

Supra cerui caput radiantem Christi crucem Eustachius inspicit.

gui-

guinis Dñi viuificis misterijs refecti domũ redeunt. Eustachius ad locum visionis reuersus humi defixus Dominum obsecrat, vt se ad salutis iter perficiendũ instrueret: cui Dominus; *Scito tibi Eustachi fidei probationem magno animo subeundam; Diabolus enim hoc tibi donum inuidens, vt te deijciat, nullum non mouebit lapidem. Vide, ne animo concidas, donumue fidei cum pietate deferas.* Nec post multos dies sæua pestis domum illius inuadit; quæ breui seruos, ancillas, equos, & cuncta animantia depasta est, ipseque antea amicorum caterua comitatus, ab omnibus desertus ciuitati miserabile spectaculum esse cœpit. Quare, vt voluntario exilio miseriam minorem redderet, nauem conscendens cum vxore, & filijs in Ægyptum, ibi in extrema paupertate victurus contendit; sed nauclerus forma Theopistis allectus, in puroq; exardens amore, illã pro naulo ad se traxit, repugnantique Eustachio stricto ense necem intentat. Qui acceptis filijs iter suum tristis sine vxore prosequitur: & ad fluuium non facilè transuadabilem ob tumentes ventis fluctus perueniens, vnum ex filijs in humeros sublatum magno conatu traiecit, dumque ad alterum in ripa relictum transmittendum redit, ecce leo è latebris prosiliens per medium illum corripit, rapidoque cursu in syluas abducit. Dum verò ad iam transmissum reuertitur, eum lupa ore rapit, & catulis suis escam asportat. Omnibus, itaque Eustachius exutus (quanquam leo in pastores, & lupa in aratores incidentes filios illæsos dimiserint, illique à rusticis educati fuerint) in terra ignota victum sibi manibus parat, assiduis lacrymis immensum dolorem pondus sustinens apud Badisum vicum; in quo filij Eustachij ipso inscio educabantur. Theopistes verò à nauclero, vt altera Sara intacta ita Domino operante seruata est. Interea gens illa barbara; in aqua Theopistes erat, fœdere cum Romanis fracto, in eorũ fines incurrens Traianum impulit ad Placidum, quem contra Barbaros mitteret, inquirendum. Qui tandem inuentus, & agnitus ad Imp. venit, militem conscribit, in hostes proficiscitur. Inter milites autem aderant duo eius filij, qui licet ignoti, propter animi virtutem, & robur corporis illius mensa fruebantur, oppressis Barbaris, contigit, vt Theopistes filios videns quibusdam indicijs eos recognosceret: quæ, vt se matrem illis aperire quoquo modo posset, mane ad Ducem exercitus veniens, orat, vt se in patriam reducat: cuius annuentis dum oris figurã, corporisque lineamenta diligentiùs contemplatur, eum maritum suum agnoscit: nec vlterius valens præ lætitia lacrymas continere, quæ sit Eustachio, & filijs ordine pandit. Qui omnes immensas Deo referentes gratias Romam Hadriano (mortuo Traiano) imperante redeunt, cum verò Hadrianus pro parta victoria Dijs immolari vellet, Eustachius verò Christum victoriȩ auctorem, nõ Idola surda, & inania profiteretur, illum iratus Imp. zona militari exutum post blanditias, & minas vnà cum filijs, & vxore sæuis leonibus obijcit, & quidẽ famelicis, quibus cauda martyribus blandientibus, eos in bouem æneum vehemẽter incensum viuos immitti iubet, qui in eo supplicio horrendo prorsus inuiolati (nulla enim in eis læsionis vestigia apparuere) dum Christi numen collaudantes adorant, animas Deo reddidere 12. Kal. Octobris, vniuersa plebe eo miraculo commota, & clamante Magnum esse Deum christianorum. *Ex Symeone Metaph. quem Lipom. tom 6. Sur. tom. 5. refer.*

Dominus Eustachium alloquitur.

Eustachius veluti alter Iob grauissimis premitur calamitatib⁹.

Nauclerus vxorem Eustachij secum abstulit.

Geminos filios leo, & lupa abducunt.

Vxor intacta à Nauclero seruatur.

Placidus vxorem, & filios incolumes agnoscit, & amplectitur.

Omnes simul animas Deo reddunt.

ANNOTATIO.

Scalenses Eustachium ciuem suum fuisse arbitrantur, ex quo familia afflictorum processerit, sed id nullo neque probabili argumento; at sola traditione ipsorum nititur. Extat autem Scalæ illustris ecclesia nomine S. Eustachij.

DE

DE S. AGAPITO PAPA.

Agapitus Romanus Ioanni II. Pont. successit an. sal. 535. Iustiniano Imp. à quo rogatus, vt Arianos Episcopos pœnitentes ad pristinas dignitates reciperet, respondit: verè pœnitentes honores non quærere. Epistolam ad Cæsareum Episcopum Arelatensem de nō alienandis bonis Ecclesiæ scripsit. Cōstantinopolim ad Iustinianum potius Deo, quam Theodato Rege iubente, profectus Anthimum Episcopum hæreticum Eutychianum deposuit, Menna viro orthodoxo subrogato. Iustinianus aũt, qui antea Anthimo fauebat, Pontificē magno in honore habuit, Anthimo in exilium acto. In eo itinere claudũ, & mutum peracto sacro myssæ mysterio manu apprehensum, & sacra hostia ori eius immissa populo spectante in Græcia restituit sanitati. Ferunt aũt Iustinianũ post preces minas Agapito, vt Anthimum restitueret, adhibuisse, ad quem ille intrepidè responderit, optasse, se ad Iustinianum christianissimum Principem venire, quem alterum Diocletianum reperisset. Cum ei quidam Episcopus, quòd in sacro vase manducaret, delatus fuisset, isque in carcerem missus esset, die Dominico in somnis quidam illi visus est dicens; *hac die nec tu, nec alius Episcoporũ, qui sunt in vrbe præter eum, qui in carcere detinetur, sacrificium offerat*. Quare Agapitus euocatum, & interrogatum nil aliud respondentem nisi: *Peccator sum*, iubet celebrare, cumque is oblationis orationem eandem quarto repetijsset, cũctis moram molestè ferentibus, accedente Pont. & causam moræ percunctante, respondit, *quia nundum vidi spiritus sancti de more descensum*, amoto autem Diacono cum flabello, statim vidit Agapitus cum Episcopo spiritus sancti aduentum, velumque altari supra positum eleuatum Papam, Episcopum, & Diaconos adstantes ad tres horas texit: quo miraculo S. Episcopum per calumniam delatum absoluit, tristis, quod illum insontem afflixisset, Agapitus multis præclarè exiguo tempore gestis Constantinopoli anno 2. Pontificatus inchoato migrauit 12. Kal. Iunij. Cuius corpus solemni pompa elatum, loculo plumbeo inclusum Romam 12. Kal. Oct. delatum est. *Ex Annal. Baron. & Plat. De eo S. Gregor. lib. 3. c. 3. Dialog. vbi muti, & claudi miraculum narratur.*

Agapitus Anthimum Episcopum hæreticum Eutychianum deponit.

Mutum, & claudum mirabiliter sanat.

Intrepida Agapiti ad Imper. responsio.

Spiritus sancti descensio.

ANNOTATIO.

Hac die in Martyrol. Rom. non natalis, qui in diem 22. Maij incidit, sed translatio, seu reconditio eiusdem in basilica S. Petri memoratur.

Agapetus ab alijs dicitur, vti reuera nominari debet. Ἀγάπητος enim idem, quod amabilis signant.

DE S. CLICERIO EPISCOPO MEDIOLANENSI.

Clicerius Mediolanensis (quem ex Landriana familia ortum ferunt) Sancto Martiniano, à quo sacras litteras didicerat: sacrisque fuerat ordinibus initiatus, in Episcopatu successit. Is Ecclesiam sibi creditam vitæ exemplo sanctissimæ, maximè verò verbo prædicationis auxit, iuuit, & aluit. Arianis se se viriliter opposuit. Facultates pauperibus & ecclesijs impertiuit. Cumque Ecclesiæ Mediolanensi annos 8. sanctè præfuisset, in pace quieuit 12. Kal. Octobris circa annum sal. 422. in æde SS. Apostolorum sepultus. *Ex Breu. & Act. Eccles. Mediolanen.*

AN-

ANNOTATIO.

Concilio Ephesino interfuit, ferturque 18. Episcopus Mediolanen. fuisse, vt apud Panuin. in Fastis: licet in Tab. Epp. Mediolanen. 19. adnotatus sit. Corpus in eccl. S. Nazarij asseruatur.

Septembris die 21.

DE S. MATTHÆO APOSTOLO, ET EVANGELISTA.

Alphæus pater Matthæi. Matthæus Euangelium hebraicè scribit. Parthis primum prædicat, deinde Æthiopibus. Magorum fallacias detegit, & præstigias soluit. Regem, & populum conuertit. Filiam Regis mortuam resuscitat. Dracones in deserta redire iubet. Hirthaci iussu ad altare occiditur. Hirthacus ignem circa Iphigeniā accendi iubet, qui palatium suū cōburit. Hirthac' elephantia correptus mortē sibi cōscit filio à Dæmone arrepto, & interempto. Corpus Apostoli in Britāniā defertur. Inde in Lucaniam. Diu latuit. Mirac. circa monachū, quī corp. Apost. inuenit.

Matthæus, qui & Leui Alphæo patre natus, Capharnai in Galilæa ad telonium sedens à Christo vocatus, statim secutus est eum; quem etiam cum discipulis hospitio accepit. Factus Apostolus, post Domini resurrectionem, & in cœlum ascentionem Euangelium hebraicè propter eos, qui in Iudæa crediderant, scripsit, & in Parthiam profectus, ijs Gentibus multa à Præfectis passus incommoda Christum annunciauit. Inde prædicans vsque in Æthiopiam peruenit, vbi duos magos Zaroen, & Arphaxat reperit, qui suis præstigijs Regē, & populos dementauerant, ita vt mira facere visi, loco Deorum haberentur: quorum cum præstigias Apostolus dissoluisset, ijs, quos illi excæcarant, visum, & surdis auditum restituens, anguesque, quos magi in homines incitabant lethalia vulnera infligentes expellens, & vulnera sanans, breui Regem, & populum ad Christum conuertit, maximè eo miraculo, quòd Regis filiam defunctam ad vitam reuocasset, & dracones; quos magi in eum immiserant, primum somno sopitos ad eius pedes excitasset, quod magi facere nequiuerant, deinde sua lustra repetere iussi paruissent. Cum autem mortuo Rege Hirthacus eius successor Iphigeniam Regis filiam sibi in matrimonium dari vellet. Matthæum cuius opera illa Deo virginitatem vouerat; ac in sancto proposito perseuerabat, ad altare sacra facientem iussit occidi 11. Kal. Octobris. Hirthacus verò cum ignem circū Iphigeniæ domum accendi imperasset eo proposito, vt illa viua combureretur, parum abfuit, quin ipse igne vento à domo Iphigeniæ ad eius palatium delato incenderetur. Sed tamen pœnas non euasit: nam filio à cacodæmone arrepto, & perdito, ipse elephantiæ morbo correptus mortem sibi consciuit. Corpus à christianis sepultum aliquando circa an. sal. 320. à Gallobritannis mercatoribus tempestate ad littora Æthiopiæ delatis in Britanniam translatum, ac iuxta Gobæum Promontorium, quod nunc, & S. Matthæi nominatur, collocatum traditur, iuuene quodam, qui corpus Apostoli venerantes irridebat, muro effecto. Inde verò Valentiniano Imp. circa an. sal. 370. in Britania militantibus naui impositum in Lucaniam delatum diuinitus legitur. Vbi diù ignotum delituit, donec an. Domini 1050. cum ipse Apostolus ter Pelagiæ religiosæ fœminæ apparens locum indicasset, ab Athanasio monacho Pelagiæ filio inuentum sublatum est. Sed cum is auaritia ductus illud Constantinopolim, deinde Romam mati vellet deducere, vt pecuniam acciperet, semper horribili orta tempestate id facere prohibitus fuit. Depositum autem apud Pæstum, à Ioanne Episcopo Pæstano in vrbem delatum, in ecclesia Cathedrali honorificè collocatum, quo ad an. sal. 1075. Gregorio VII. Pont. Max. Salernum summa celebritate translatum die 7. mensis Maij, in templo suo nomini excitato reconditum fuit. In qua translatione mira contigere: nam filia Salernitani cuiusdam à dæmone oppressa, & extincta ad vitam reuocata traditur, & in uia sacrum corpus transferentibus site periclitantibus apud Rutinum castrum fons diuinitus ortus est, adhuc perseuerans, & Apostoli nomen retinens. Ex corpore autem S. Matthæi māna

adhæc

adhæc vſque tempora manat,diuerſis morborum, ijs, qui cum fide, & pietate accedunt, generibus ſalutare. Cum autem quidam pateram argenteam,in quā ſacer liquor defluebat, clam rapuiſſet, mox morbo pediculari niger effectus cōſumptus eſt, ob hæc, & crebra alia prodigia maximam habet non ſolum apud Salernitanos,ſed & finitimos populos venerationem. *Ex eius vita à Metaphr. & Ioachimo Perionio conſcripta, & translat. hiſtoria quam Paul. Reg. par. 1. SS. Regni Neapolit. refert.*

Cōdit in vrbe Pæſtana. Salernū transfertur cū miraculis. Manna ex ei° corp. ſcatet. Vltio eius, q. paterā mānā furatus eſt.

ANNOTATIO.

VRbs, in qua S. Mattheus paſſus eſt Naddauer dicta traditur: quod ex Fortunato Venantio colligitur, cum ait.

„ *Inde triumphantem fert India Bartholomæum*
„ *Matthæum eximium Naddauer alta virum.*

DE S. PAMPHILO MARTYRE ROMÆ.

PAmphilus martyr diuerſus ab illo, qui apud Cæſaream Palæſtinæ Kal. Iunij, in Martyrologio Rom. coronatus refertur, diuerſus, Romæ pro Chriſti fide paſſus ab Vſuardo,& ab alijs memoratur hac die, cætera prorſus latent.

ANNOTATIO.

QVemadmodum tempus paſſionis huius martyris nobis ignotum eſt; cum Vſuard. à quo Martyrol. Rom. accepiſſe videtur, nudam ipſius mentionem fecerit, ſic & corpus eiuſdem, vbi conditum ſit, nos latet.

DE S. ALEXANDRO EPISCOPO, ET MARTYRE apud Romam.

ALexander ignotæ vrbis Epiſcopus, cum inter cœtera miracula Luceiam quendam Gentilem defunctum excitatum cum parentibus, & alijs 125. baptizaſſet, iuſſu Antonini Imp. à Cornelio Præſide tentus, Romam vinctus perducitur, Creſcentio Presbytero, Bonifacio, & Vitali Diaconis illum ſequentibus. Vbi primum fuſtibus cæditur, deinde carceri mancipatur, quatriduí ſpatio ei ad reſcipiſcendum conceſſo. Cum verò ab Angelo eductus (quod Creſcentio Presbytero ſub arbore flente reuelatum eſt) rurſus Chriſtum prædicaret,& ſignis claresceret iterum iubente Imp. captus, inequuleo ſuſpenditur, vngulis dilaniatur: & lampadibus admotis ad latera aduritur. Quibus fortiter ſuperatis, ad Apollinis templum ductus, vt ei ſacrificaret; cum templi pars eo orante corruiſſet, feris obijcitur; & ab illis intactus, in fornacem accenſam immittitur, ſed mox igne diuinitus extincto, Herculano que milite eo miraculo ad Chriſtū conuerſo, vterque ab Imp. decollari iubetur. Cum autem Alexander ad mortem duceretur, à vidua orarium in via accepit, quod cum illi remittendum fore diceret, milites viduæ quaſi orarium amiſiſſet, illudebant. Alexander itaque via Claudia 20. ab vrbe milliario ductus, cū oculos orario velaſſet, cum Herculano gladio percuſſus eſt. 11. Kal. Octobris, vico, & Thermis ſubitò terræmotu corruentibus, & orario viduæ ab Angelo reſtituto, quod illa militibus oſtendit. Corpora à Creſcentio, & ſocijs eo loco, vbi Alexander ignem fornacis extin-

Alexāder ab Angelo carcere educit. Tēpli Apollinis pars corruit. Herculanus miles conuertitur. Orarium viduę ab Angelo reſtituit.

extinxerat,condita sunt,quo in loco Damasus Papa crypram extruxit,in eaque corpus martyris collocauit. *Ex Pet.in Cat.lib.8.c.102.*

ANNOTATIO.

Cuius vrbis Episcopus fuerit Alexander, sciri haud potuit; verisimile tamen est illum alicuius vrbis proxima ei loco,in quo passus est, Episcopum fuisse. Damasus Papa translationem illius 5.Kal. Decemb. celebrauit.

Septembris die 22.

DE S. MAVRITIO, ET SOC. MARTYRIBVS Thebæis Taurini.

Mauritius ex primis legionis Thebeæ vnà cum Exuperio, Candido, Victore, Innocentio, Vitali,& alijs eiusdem legionis sub Maximiano Imp. apud Agaunum in finibus Sedunorum passus est. Cum enim Imp. ibi ducto exercitu sacrificij causa cōstitisset,Thebæorumque legio, ne se impiorum sacrorum societate contaminaret,à reliquis copijs discessisset: Imp.ad eos milites misit,qui suo nomine nunciarent,vt si salui esse vellent,in castra ad sacrificia redirent. Cumque se christiana religione impediri respondissent;ille maiore,quā antea,exardens iracundia,immissa in Thebæos exercitus parte, decimum quēque eorum primum occidi iussit. Quod martyrium sua sponte, maximèque Mauritius ferre maluerunt,quàm nefarij Imp. imperata facere. Denique reliquos omnes Christum constantissimè prædicantes 10.Kal.Octobris ab vniuerso exercitu trucidari præcepit. *Ex Breu. Rom.*

ANNOTATIO.

Corpus S.Mauritij his temporibus à Karolo Emmanuele Philiberto Sabaudiæ Duce Pedemontijque Principe ex Agauno Augustam Taurinorum (vbi is residere solet) transferendum,præcipuèque in tota ditione hac, & 15. die Ianuarij, (qua transl. est) colendum curauit. Extatque ordo equitum S.Mauritij dudum institutus. Ticini nihilominus corpora Mauritij, & Exuperij in eccles. S. Matthæi quiescere feruntur.

Ordo Equitum S. Mauritij.

DE SS. VIRGINIBVS, ET MARTYRIBVS ROM. Digna, & Emerita.

Digna,& Emerita virgines Romanæ,& sorores Valeriano, & Gallieno Imperatoribus apud Caium iudicem, quòd essent christianæ accusatæ; cum nullo modò Deos venerari vellent,iubente iudice nudantur, cumque tortores, vt eas cæderent, brachia in altum subleuassent, ea sic illis obriguere,vt mouere non valentes,se precibus illarum commendarēt; qui oratione virginum sanati, cum aliquot alijs ex Gentilibus in Christum crediderunt. Interea Caius illas ad Dijs immolandum impellebat: cui cum virgines dicerent, non esse æquum, Idola,quæ aliud non sunt,quàm hominum opera, & non potius Christum Dei filium venerari. Is ora saxo illis contundi iubet: cumque incassum eas promissis,& minis ad thus Dijs adhibendum hortatus esset,præcepit illas nudas extendi,& fustibus cædi,allata Iouis statua: qua illicò ab eis efflata,& cōminuta; post dira verbera in equuleo capillis suspendi iubentur,igneque cruciari; quibus in tormentis voce ad eas cœlitus facta,qua corroboratæ inuitabantur ad palmam,

Tortores, cōtractis manibus, oratione virginum sanati ad fidem conuertūtur.

Iouis statua cōminuitur.

animas

animas Deo luce circumfusæ reddiderunt 10. Kal. Octobris. Corpora ad 11. milliaria via Ostiensi inhumata proiecta à christianis in cœmeterio Cõmo dilLæ apud corpora SS. Felicis, & Adaucti sepulta sunt. *Ex M.S.S. Maria Maioris, & lib. de virgg. Rom.*

ANNOTATIO.

CORpora nunc in basilica S. Marcelli in sarcophago marmoreo condita sunt: quæ cum Tiberis an. D. 1598. Clem. VIII. Pont. Max in nocte Natiuit. D.N.I.C. exundasset, ecclesiamque cum cœnobio (quod est Frat. Seruorum) supra illud sarcophagum aquis coopertum alluisset, diuinitus ab aquis illæsa, & intacta seruata sunt.

Sarcophagũ SS. VV. abexundante Tibryde intactum seruat.

Septembris die 23.

DE S. LINO PAPA, ET MARTYRE.

LInus Volaterris in Hetruria natus, à S. Petro Apostolo ordinatus, primus post illum Ecclesiam gubernauit. Cuius tanta fuit fides, & sanctitas, vt nõ modò Dæmones ab obsessis eijceret, sed etiam mortuos reuocaret ad vitam. Res gestas B. Petri maximè contra Simonem magum scripsit, sanciuit, ne qua mulier in ecclesiam, nisi velato capite intraret. Huic S. Pontifici caput ob fidei christianæ constantiam amputatum est iussu Saturnini, & ingratissimi Cõsulis, cuius filiam à Dæmonum vexatione liberauerat. Sepultus est in Vaticano propè sepulchrum Principis Apostolorum 9. Kal. Octobris, an. D. 80. & IX. Imperij Vespasiani, cum sedisset annos 11. menses 11. dies 23. creatis bis mense Decembri Episcopis 15. Presbyteris 18. *Ex Breu. Rom. & Dam. in lib. Pont.*

Linus in liberandis obsessis, ac excitãdis mortuis præ insigni sanctitate mirabilis.

Ingratissimi Cõsulis filia à Dæmonis vexatione liberatur.

ANNOTATIO.

QVi de Lino scribunt, in annis 11. quib. sedit, conueniunt, non in mensib. et dieb. vt apud Damas. Plat. & Panuin. qui vnà cum Mariano Scot. Linum non propriè Pont. sed Chorepiscopum Petri appellat: hi enim Petro Clementem primò substituunt, Linum autem, & Cletum potius Petri, & Clementis coadiutores, seu Vicarios fuisse opinatur, cum Ecclesia illos inter Petrum, & Clementes Pontifices habeat.

Baron. in Annal. ad an. D. 80. Acta pass. SS. Pet. & Pauli, quæ Lino adscribuntur, multis erroribus scatere scribit.

DE S. CONSTANTIO MANSIONARIO ECCLESIÆ Anconitanæ.

COnstantius Anconæ Mansionarius Ecclesię D. Stephani Protomartyris vitæ sanctimonia, & miraculis claruit. Is enim rerum terrenarum cura abiecta, vni Ecclesiæ cultui, & rerum cœlestium curæ vacabat. Cum oleum in ecclesia, quo lampadæ accenderentur, defecisset, illas aqua loco olei repleuit; quæ accensæ ita, ac si oleo repletæ fuissent, diu noctuque mirabiliter illuxere. Sanctitate illius peruulgata, cum multi etiam è longinquo ad eum visendum venirent, in ijs rusticus quidam fuit; qui cum Constantium gradus quosdã ligneos, in quibus lampades collocaret, aptantem, vili amictu indutum, forma humili præditum conspicatus fuisset, illum intra se despicientem, quòd tantum viæ vt eum videret, confecisset, pœnitere cœpit. Talia autem cogitantem Constantius accurrens amplexatus est, & quid cogitasset, aperuit. Ille verò verecundia suffusus, virum Dei vt sanctum, donoque prophetiæ ornatum venera-

Lampades p oleo aqua repletæ mirum in modũ collucent.

Rusticus Cõstantium, vt virum prophetico spiritu excultũ veneratur.

tus est,& veniam petijt, quòd illum secundum faciem iudicasset. Obijt autem diem vir Dei plenus dierũ, & meritorum 9. Kal. Octobris. Cuius corpus post aliquot annos Venetias translatum, in æde S.Basilij conditum est, 4. Idus Iulij. *Ex S.Greg. Papa lib.4. & Pet.lib.8.c.3.*

ANNOTATIO.

Hac die Ancona, & Venetijs, ac in Martyrol. nouo Rom. eius natalis celebratur.

DE S. PROIECTO EPISCOPO CORNELIENSI, EIVS vrbis Protectore.

Matris Proiecti de lilio prodigium.

Proiectus Foro Cornelij (Imolam nunc hanc vrbem vocant) in Æmilia natus Sixto III.Pont.Max. vixit. Hunc mater in vtero adhuc gestans in somnis per latus egredientem vidit, manu dextra lilium tenentem. Natus itaque litteris imbutus Cornelio Episcopo instituendus traditur; apud quem omni genere virtutum fulgere cœpit. Cum quidam pauperes in Episcopium de more ad eleemosynam accipiendam conuenissent, duosque duntaxat denarios extare nunciatum esset, Proiectus, vbi orasset, sacculum afferri iussit; quem tantæ pecuniæ plenum reperit, quanta ei pauperum multitudini satisfuit. Cum in die Resurrectionis Dominicæ mensæ cum multis alijs accumberet, & alij tres ex ea multitudine ab esu carnium abstinentes irriderentur, eos Proiectus increpauit, quòd non irridere, at venerari illos debuerant: cumque ab irridendo non cessarent, repentè vnà cum solario, in quo erant, exceptis Proiecto, & illis tribus, corruerunt, Cornelio Episcopo defuncto illi à clero, & parte populo Proiectus sufficitur; Cum autem, qui sedem inuaserat, haud vltra 25. dies vixisset, alius quidam electus electioni renuncians, populum, vt Proiectum Pastorem vel nolentem acciperet, hortatus est. Quare ab vniuerso populo acceptus à S.Petro Chrysologo Episcopo Rauennatum consecratur. Is Romam proficiscens Marinum Abbatem virum sanctissimum grauiter ægrotàtem inuisit, & oratione sanat, cũ verò Ecclesiam Cornelienſem aliquot annos laudabiliter administrasset, vita functus euolauit in cœlum 9. Kal. Octobris in templo maiore tumulatus. *Ex monum. Eccles. Imolen.*

Sacculum ad pauperum sustentationem pecuniæ plenum reperit. Irrisores Proiecti dignam vltionem sentiunt. Episcopus à S.Petro Chrysologo creatur. Marinum Abbatem grauiter ægrotantẽ oratione sanat.

ANNOTATIO.

Extat sermo S.Petri Chrysologi de Proiecti Ordinatione: in quo illum plurimum commendat. Videtur concilio Ephesino legatus à Cælestino I. Pont. Max. missus, vt Baron. adnotauit in Annalib. Eccl. ad an. 931. interfuisse.

Septembris die 24.

DE S. TERENTIO MARTYRE, ET PATRONO Pisaurensi.

Terentius Philippo Imp. in Pannonia, Nardo, & Emerentiana nobilissimis, & christianis parentibus ortus, in christiana religione educatur. Cum verò Dignus Rex christianos persequeretur, mater mortuo viro, venditis omnibus cum filio apud Panutium Abbatem delituit: cumque puer ad necem à Regis satellitibus quæreretur, clam de Panutij consilio naui fugiens Aquileiã peruenit, vbi multis editis miraculis multos ad Christum conuertit. Quapropter à Valeriano vrbis Præfecto accersitus, interrogatusque quis esset, Idolis immolare iubetur: quod facere negligens in fœdissimum carcerem, in quo christiani

129. erant, conijcitur: sed facta oratione, carcereque cœlesti lumine illustrato, ostijs diuinitùs reseratis, & vinculis resolutis, omnes eduxit; ipseque Romam proficiscitur, quo tempore Decius immanem in christianos exercebat crudelitatem. Orantı autem Terentio, & martyrij coronam optanti apparens Angelus iubet, vt in Picenam ciuitatem, hoc est Pisaurum se recipiat. Cœlestibus iussis Terentio obtemperanti, quidam, qui porcos pascebat, se illi itineris ducem simulatò adiungit, vt ex insidijs interfecto spolia detraheret; sed contra accidit: nam cum sagittam in Terentium misisset, sagitta retorta oculo illius infigitur; isque oculo amisso, maximoque affectus dolore, crimen recognoscens, humiq; prostratus, veniam, & sanitatem impetrauit. Terentius ad vrbem Picenam appropians à latronibus apud Aquam Malam inuaditur, & ad necem verberibus cæsus, inter ipsa verbera expirat, 8. Kal. Octobris an. sal. 247. Cuius corpus à Theodosia pia, & nobili fœmina in somnis admonita sublatum, plaustroque impositum, & sindone munda inuolutum in suis ædibus sepeliuit; vbi postea ecclesia suo nomini constructa, à Florentio Episcopo Pisaurensi dedicata fuit, ossa demum an. Domini 447. supra millesimum 16. Kal. Augusti, in decentiorē locum translata sunt. *Ex off. Eccles. Pisauren.*

Carcer diuinitùs reseraf.

Sagitta in sagittarium retorta illius oculo infigif.

Qui humi prostratus oculi sanitatem exorat.

ANNOTATIO.

Acta hæc aliqua egent circa tempus præsertim emendatione. Nam an. D. 247. non Decius, sed Philippus adhuc imperabat ex Panuin. in Fast. & Baron. in Annal. Eccles. De Dagno Rege dubitari potest, cum Pannonia circa id tempus Romanis pareret.

DE MVLTIS MONACHIS MARTYRIB. NONANTVLÆ.

Cum circa annum salut. 903. Benedicto IV. Pont. Max. & Ludouico Imper. Hungari in Italia excursiones facerent; inter cætera loca ab ipsis direpta Nonantulæ cœnobium præclarum in agro Mutinensi malè habitum est. Nam Barbara, & effera gens illa à christiana religione aliena SS. monachos variè vexatos; tandem in Christi fidei confessione constantes quotquot habere potuit, crudeliter trucidauit. 8. Kal. Octobris. *Ex monum. cœnobij Nonantulani.*

ANNOTATIO.

De re hac Karol. Sigon. lib. 6. de Regno Italiæ agit.

DE S. CLETO CONFESSORE TIBVRE.

Cletus Confessor Tibure, (vbi in templo cathedrali corpus illius asseruatur) hac die, seu die 24. Octobris colitur, vt tabulæ quædam manuscriptæ; in quibus nomina SS. de quibus in Ecclesia Tiburtina agitur, habent. Cætera nondum sciri potuerunt, nec, quæ ei fuerit patria, neque quo tempore vixerit; quæue egerit.

ANNOTATIO.

De S. Cleto, licet studiosè perquisierimus, nihil hactenus sciri potuit, cum nudas tabulas SS. qui Tibure coluntur, acceperimus. Intelleximus autem ibi non aliam, quam ipsius nominis extare memoriam.

DE S. ANTHILIA VIRGINE, ET MARTYRE APVD Aretium. *Vide die 15. Febr.*

Septembris die 25.

DE S. HERCVLANO MILITE, ET MART. ROMÆ.

HErculanus miles cum Alexandri Episcopi Antonini Imp. iussu ad templũ Apollinis ducti, vt illa sacrificaret, oratione partem eius templi corruisse, eundem Alexandrum feris obiectum, & in fornacem incensum missum, illæsũ exisse vidisset, tanto miraculo ad Christum conuersus, & ipse tentus vnà cum Alexandro capite plexus est. *Ex pass. S. Alexandri Episcopi.*

ANNOTATIO.

Licet ex actis S. Alexandri Herculanum simul cum eo die 21. huius passum esse appareat; in Martyrol. tamen Rom. hac die martyrium ipsius recolitur; fortè quòd hac die corpus eius sepulturæ datum fuerit.

DE S. ANATHALONE EPISCOPO II. MEDIOLANENSI.

ANathalo genere Cyprius S. Barnabæ Apostoli discipulus, & in Episcopatu Mediolanensi successor eam Ecclesiam Lino Pontifice aliquot annos sanctissimè administrauit, multis in ea vrbe ad Christi fidem perductis. Cum prius Ecclesiæ Brixiensi, cuius primus fuit Episcopus, ab eodem Apostolo Præfectus fuisset. Vbi multa à fidei persecutoribus passus, illud effecit, vt ciuitas abiecta Inanium Deorum superstitione christianam religionem maxima ex parte susciperet. Denique multis pro vtraque Ecclesia laboribus perfunctus 7. Kal. Octobris vita defungitur, & S. fine quieuit, Brixiæ sepultus. *Ex Breu. Mediolanen. & monum. vtriusque Eccles. Mediolanen. scilicet, & Brixien.*

ANNOTATIO.

QVot annis Anathalo quem Pet. Gales. in suo Martyrol. Græcum natione facit, eccles. præfuerit Mediolanen. haud vna est scriptorum sent. alijs 10. alijs 14. & alijs 13. scribentibus. Breu. verò Mediolanen. posteriorem sententiam sequitur.

Illius natalis in Martyrol. Rom. & Tab. Eccl. Mediolanen. hac die; & in Tab. Eccl. Brixien. die præced. adnotatur.

DE SS. VIRGINIBVS AVRELIA, ET NEOMESIA Anagniæ.

AVrelia, & Neomesia virgines sorores in Asia haud obscuro loco natæ, mortuis parentibus contra propinquorum voluntatem virginitatem Christo vouentes, facultatibus venditis, pretium in pauperes erogarunt. Patria autem ab hostibus capta, & ciuibus in seruitutem abductis illæ diuinitus seruatæ assiduis orationibus, vigilijs, carnis macerationibus cilicio indutæ operam dabant; frequentabant ecclesias, & Sanctorum reliquias venerabantur. In Syriam, & Palæstinam profectæ loca sancta inuisunt

visunt magna cum deuotione, & lacrymis. Inde Angelico admonitu in Italiā nauigantes Apulia,& Lucania peragratis, Romam ad SS. Apostolorum limina veniunt multis in itinere ægrotis,& Dæmoniacis liberatis: tanta enim erat ipsarum sanctitas, vt vel solo vestium tactu infirmos curarent. Romæ aliquandiu commoratæ multis virtutum signis editis, accepta à Summo Pont. benedictionem per viam Latinam reuertuntur: sed cum Agareni Calabria, & Lucania vastatis Campaniam ingressi capuam obsiderent, finitimasque regiones excurrerent, sacræ virgines in hostium manus deueniunt,&, vt Christo renuncient, tentantur. Quæ in fidei confessione constantes post dira verbera,& flagellationes diuinitus eripiuntur: nam tantus procellarum,& tonitruorum fragor,& strepitus repente exortus est, vt relictis virginibus fugæ se darent omnes. Illæ autem in fines Anagniæ peruenientes in loco ab vrbe 2. M. P. distante, qui Macerata dicitur, à pio viro hospitio acceptæ, in oratorio dum horis nocturnis operam darent, ab Angelo ab præmium cœleste euocantur. Quare eo nuncio lætæ, in oratione Deo gratias agentes animas reddidere. 7. Kal. Octobris, ingenti claritate super eas visa, vocibus cœlestibus exauditis, Anagniæque campanis sponte sonantibus. Quapropter Anagnina ciuitas tanta rei nouitate commota ad locum confluit, miram ex eo odoris suauitatem sentiens, illarumque corpora ob Saracenorum incursus intra vrbis mœnia honorificè condita sunt. *Ex M.S. Eccl. Anagnina.*

SS. VV. solo vestium tactu ægrotos sanat.

Ab Angelo ad præmium cœleste vocātur.

Ingens claritas fulget; cœlestis harmonia auditur, campanæ vltrò persona[n]t.

ANNOTATIO.

Tempus præcisum, quo SS. virgines hæ vixerint, in eo M. S. quamuis prolixo minimè exprimitur: nisi quod eo tempore Saraceni, seu Agareni Capuam obsidebant, occupata Campania.

Septembris die 26.
DE S. CALLISTRATO MARTYRE CVM ALIIS 49. Romæ.

Callistratus Carthaginensis, miles, cohortis, quæ Kalendaria dicebatur, Romæ noctu stellam præ cæteris fulgentem contemplatus, & admiratus ad Christum conuertitur, cumque noctu ad preces surgeret à commilitonibus obseruatus Persentino Duci exercitus defertur: à quo Dijs iussus sacrificare, se Deo, qui cuncta ex nihilo produxit, non Dijs, qui opera manuum hominū sunt cultum adhibere respondit, multisque fidem christianam laudibus extulit. Cui Dux nunc tormentorum tempus esse ait non Rhetoricæ, nisi Deos, quos Imperatores coli iubent, coleret, extensumque tandiu verberari imperat, donec sanguis instar riui deflueret, ei testorum fragmentis substratis, cum verò in fide stabilis permaneret, sacco inclusus in mare demergitur: sed sacco disrupto à duobus delphinis ad littus incolumis reducitur. Quo miraculo milites 49. obstupentes ad Christum conuertuntur; quos Dux comprehensos, clauisque dirè verberatos cum Callistrato, à quo fidei mysteria docebātur, carcere includūtur. Eductos cum interrogati, se non alium Deū præter Christum agnoscere respon derent, Dux manibus, pedibusque reuinctos in piscinam; quæ Oceanus dicebatur, præcipitari iubet, Verùm vinculis resolutis diuinitus incolumes emergētes facto ingenti terræmotu, voceque de cœlo exaudita, alios 135. milites ad Christum conuertunt. Quare Dux veritus, ne alios conuerterent, noctu Callistratum, cū alijs 49. (in quibus Dalmatus, Heliodorus, Domitianus, & Marinus nomi-

Sydus præ alijs rutilat.

Callistratus à duobus delphinis ad littus incolumis reducitur.

Milites 49. ad Christum conuertūtur.

Alij 135. milites fidem suscipiunt.

nominantur) membratim ab exercitu trucidari iubet. Quorum corpora ab alijs 135. qui crediderant, Romæ eo loco, vbi illis ecclesia excitata est, condita sunt, 6. Kal. Octobris. *Ex pass. apud Metaphr. à Lipom. tom. 6. & Sur. tom. 5. rel.*

ANNOTATIO.

Mirum, nullam fieri Imp. sub quo passi sint, neque à Metaph. neque ab alijs Græcis (qui in Menol. soc. 40. tantum faciunt) mentionem.

DE SS. CYPRIANO, ET IVSTINA MARTYRIBVS Placentiæ.

Cyprianus Antiochenus, primùm magus; cum Iustinam virginem, quam Iuuenis ardenter amabat, cantionibus, & veneficijs ad suæ libidinis assensum allicere conaretur, Dæmonem consuluit, quanam id re consequi posset, qui cum respondisset, nullam ei artem aduersus eos, qui verè Christum colerent, processuram, Cyprianus vehemēter dolere cœpit superioris vitæ institutum, seq; totum ad Christum conuertit: & ab Anthimo Episcopo Antiocheno in fide instructus breui per omnium ordinum gradus ad Presbyterium ascēdit, cumque sanctitatis laude, & doctrina floreret, Episcopus creatur, Iustinamque virginē in numero Diaconissarum adscriptam virginum cœnobio præfecit. Quibus ad Diocletianum delatis, Cyprianus, & Iustina exilio damnantur. Cum verò is ab Euangelij prædicatione non cessaret, iussu Eutholmij Comitis Orientis vterque comprehensus Damasci dirè cruciatur, ac post carcerem in sartaginem pice bituminéque ex adipe, & cera feruentem immittitur: sed cum neque flamma, neque fœtore, fumoque picis læderentur, Comesque id arti magicæ tribueret, quidam Athanasius nomine, vt Comitis gratiam iniret, & christianos confunderet, Ioue, & Æsculapio inuocatis in sartaginem eandem prosilijt; qui mox à voracibus flammis absumptus est. Quare Comes attonitus consilij inops Cyprianum, & Iustinam Nicomediam, vbi Diocletianus Imp. agebat, vinctos mittit arbitrio Imp. puniendos. Qui acceptis Eutholmij litteris SS. martyres apud Gallum fluuium innumera ad spectaculum multitudine concurrente capite plecti iubet. 6. Kal. Octobris. Cum verò corpora humi strata die, nocteque à militibus, quo minus sepulturæ traderentur, sic iubente Imp. custodirentur, accidit, vt quidam Theoctistus nomine illac transiens diceret, *Quam iniustè hi sancti supplicio affecti sunt?* quod Velicius supplicio præfectus audiens equo deiectum illum morte affecit. Corpora autem SS. Cypriani, & Iustinæ cum sex dies inhumata fuissent feris obiecta, noctu à Nautis naui imposita Romam delata primum in prædio Rufinæ nobilis fœminæ sepulta sunt, deinde in vrbem translata in basilica Constantiniana propè Baptisterium fuerunt. Postremò Placentiam Othone III. Imp. delata, in templo tandem maiore honorificè collocata sunt, Iustina in vrbis patronam à Placentinis accepta. *Ex Breu. Rom. Metaphr. à Sur. tom. 5. rel. & off. Eccl. Placent.*

Iustina Diaconissa creatur.

SS. in sartaginem coniecti illæsi prorsus exeunt.

Athanasius quidam gentilis in eandē sartaginem ingressus illicò absumitũ.

Theoctistus iniustam SS. mortem condolens à Præfecto interimitur.

ANNOTATIO.

Acta horum mart. apud Metaph. censura videntur indigere in eo, quod Cyprianum ab Anthimo Episcopo Antiocheno baptizatum, eique Episcopum successisse ait. Nam in Catal. Epp. Antiochens. neque Anthimus, neque Cyprianus vllus reperitur. Fortè pro Nicomediensi, Antiochenus scriptus est. Fuit autem Anthimus Episcopus Nicomedien. & mart. preclarus sub Dioclet. de quo Euseb. 8. c. 26. Hist. Eccles. Acta verò apud Pet. lib. 8. c. 121. multò plurib. scatent erroribus.

DE

DE S. EVSEBIO PAPA.

EVsebius natione Græcus S.Marcello successit in Pontificatu, Maxẽtio Romæ Imperante an.sal.309. octauo persecutionis anno, quem prius medicũ fuisse ferunt. Scripsit tres epistolas: primam ad Galliæ Episcopos; alteram ad Ægyptios: tertiam ad Episcopos Tusciæ, & Campaniæ. Nonnulla constituit: in quibus hæc præcipua, vt puella despõsata monasterium ingredi non prohibeatur: Ne sacrificium altaris in serico, sed in lineo panno fiat: Ne Ieiunia legitima absque necessitate soluantur. Habuit ordinationem: vnam mense Decẽbri, qua Presbyteros 13. Diaconos 3. & Episcopos 14. per diuersa loca creauit. Cumque annos duos, menses 7. & dies 16. sedisset, obdormiuit in Domino, apud S.Petrum sepultus. *Ex Damas. in lib. Pont. Plat. Baron. in Annalib. & alijs.*

S.Eusebij cõstitutiones.

ANNOTATIO.

PLatina secutus Damasum illi annos 6. sedis tribuit, Pet. in Cat. lib. 8. c. 121. & Gales. in suo Martyrol. eum martyrem sub Constantino, seu potius sub Maxentio tyranno faciunt. Quæ de re nihil apud Damasum Plat. & Baron. qui acta huius Pont. obscura asserit, & duos tantum annos præfuisse ait.

DE S. EVSEBIO EPISCOPO BONONIENSI.

EVsebius Episcopus IV. Bononiensis S.Basilio circa annum sal. 370. successisse creditur, S.Ambrosij Episcopi Mediolanensis non modò æqualis, sed & ei summa familiaritate coniunctus: cum quo concilio Aquileiensi aduersus Arianos interfuit. Is exemplo S.Ambrosij duo extruxit monasteria, vnum SS. Vitali, & Agricolæ: alterum S.Proculo martyri dicatum. Quantum vixerit in Episcopatu, quandoque obierit, incompertum est: illud certum eum post SS. Vitalis, & Agricolæ inuentionem à S.Ambrosio repertorum vixisse, cum illis ecclesiam ædificasse tradatur, ac 6. Kal. Octobris diem obijsse, fuisseque in æde prædictorũ SS. à se constructa sepultum. *Ex Karolo Sigon. lib. 1. de Epp. Bonon.*

S. Eusebius duas cõstruxit ecclesias.

ANNOTATIO.

EVsebius circa idem tempus, quo S. Ambros. obijsse videtur; nam S. Felix: qui S. Eusebio successit, morte S. Ambrosij, cuius Diac. & discip. fuit, interfuit, & postea Ecclesiam Bononien. administrauit, nisi velimus sedem aliquot vacasse.

DE S. VIGILIO EPISCOPO BRIXIENSI.

VIgilius 15. Episcopus Brixiensis S. Optatiano successit. Qui vitæ sanctimonia, & doctrina præfulsit. Is ille Vigilius esse videtur, qui concilio Agathensi sub S.Cæsario Episcopo Arelatensi celebrato, Alarico, & Theodorico Regibus Gothorum regnantibus interfuit. Nam circa ea tempora hic vixisse traditur, nec facilè reperitur alius eius temporis Vigilius. Putatur etiam libri aduersus Eutychen scripti autor; licet nomen Vigilij Episcopi Tridentini, qui multò ante fuit, liber is præseferat. Cum autem Ecclesiam Brixiensem optimè aliquot annos administrasset, 6. Kal. Octobris migrauit è vita, in æde S.Laurentij sepultus. Cuius vitæ sanctitas ex eo declaratur, quòd in SS. numerum relatus fuerit. *Ex monum. Eccles. Brixien. Capreolo lib. 3. Cron. & al.*

ANNOTATIO.

Baron. in Annotat. in Martyrol. hac die in eam sent. quod hic Vigilius conc. Agathon. affuerit, proclinis esse videtur.

DE S. NILO ABBATE MONASTERII CRYPTÆ Ferratæ Fundatore.

Nilus Rosciani in Magna Græcia non infimo loco natus, parentibus orbatus; licet à teneris ingenij acumine, & moribus præstaret, adolescens tamē Diaboli suggestione stuprum commisit: cuius peccati mox eum adeò pœnituit, vt omnibus relictis, & facultatibus pauperibus distributis, ad monasterium S. Mercurij ordinis S. Basilij apud Taurianum, in quo SS. Fantinus, Lucas, Zacharias, & alij sanctitate insignes ea tempestate habebantur, habitum monachalē induturus accederet. Verum cum regionis dominus ad monachos, ne illum reciperent, scripsisset, in monasterio S. Nazarij: quod hodie S. Philaræti nominatur, fit monachus, eā vitæ austeritatem complexus, vt solis herbis, & pomis vesceretur: spiritu prophetiæ clarus cuidam Principi se diu victurum, & multa facturū iactanti, mortē citam; quæ illi post 10. dies contigit, prædixit. Maiorē affectans perfectionem, in specu montis Parmæ oppido imminentis apud monasterium S. Mercurij orationibus, vigilijs, ieiunijs, meditationibus, detecto capite, & nudis pedibus incedens diu operam dedit, libris SS. Ioannis Chrysostomi, Basilij, & Gregorij Nazianzeni assiduè volutatis. Sæpius biduò, & triduò, & eo amplius cibo abstinebat. Dum oraret, lacrymas effundere, ac in extasim rapi solitus erat, multis à Dæmone insidijs expetitus dum in ecclesia cum S. Fantino psalleret, lethale vulnus accepit. Calabriæ vastationem à Saracenis factā multò ante prædixit. Adeò humilis fuit, vt sacris noluerit initiari, & Roscianensem Episcopatum respuerit; cum ante crucifixum oraret, illum sibi benedicentem vidit. Apud Caietam in cœnobio eiusdem ordinis annos 10. & apud M. Casinum diu commoratus, quo tempore Gregorius V. Pont. Max. à Crescentio Consule Rom. sede pulsus eidem ab Othone Imp. restitutus est, Romam venit, à Pont. & Imp. qui illi obuiam ad Asinariam portam processerant, humanissimè acceptus. Mortuo Gregorio Pont. Imp. qui Antipapam oculis orbauerat, M. Garganum visitaturus ad monasterium: in quo Nilus erat, cum muneribus diuertit, quibus ille spretis, sic Imperatorem ad pœnitentiam flexit, vt posito diademate, prostratus cum lacrymis veniam posceret (qui posteà Romam reuersus in seditione commota à Romanis occiditur) Nilus tandem Tusculum veniens, ibi monasterio, quod Crypta Ferrata dicitur, extructo, reliquum transegit vitæ, & anno ætatis 95. migrauit è vita ibidem sepultus. *Ex eius vita, quam etiam Gabr. Baron. lib. 4. de Antiq. Calabr. refert.*

Nilus Diaboli suggestione in graue il labitur scel.

S. Nilus solis herbis, & pomis vescitur. Spiritu prophetiæ præcellit.

Lethale vulnus à Dæmone accipit.

Præ insigni humilitate initiari noluit.

A Pont. & Imp. honoratur.

Imperatorē ad pænitentiam flectit.

ANNOTATIO.

Vitam illius, qua in monast. Crypta Ferrata habetur, S. Bartholom. eius discip. scripsisse fertur. Imp. cuius fit mentio, Otho. II. fuit. Plura apud Baron. in Annal. ad an. D. 980.

DE S. AMANTIO PRESBYTERO TIFERNATE.

Amantius Presbyter Ecclesiæ Tifernatis sub S. Florido Episcopo mira excelluit sanctitate, & miraculorum gloria coruscauit. Vir præcipuæ simpli-

plicitatis: qui more Apostolorum, vt scribit S. Gregorius Papa, manus ægris imponens morbos omnes depellebat. Sed & serpentes quamuis immanes solo crucis signo extinguebat; qui si in specu refugissent facto ad os foraminis crucis signo illicò mortuus prodire cernebantur. Cum Romam cum Florido venisset, à S. Gregorio in nosocomium introductus est, vbi quidam fræneticus magnas edens voces, cunctos ægros ita immensis clamoribus perturbabat, vt somnum capere non possent. Ad quem Amantius è lecto surgens, & cum silentio accedens, manus illi orando imposuit, moxque melius habentem in superiora domus secum ad oratorium duxit: vbi pro eo liberius orans, sanum mente, & corpore ad proprium lectum reduxit. His, & alijs clarus miraculis 6. Kal. Octobris migrauit ad Dominum. *Ex S. Greg. Papa lib. 3. c. 35. Dialog. & ex monum. Eccles. Tifern.*

Amantius manuum impositione ægrotos omnes sanat.

Serpentes, licet immanes, extinguit.

Frænetico sanitatem præstat.

ANNOTATIO.

Agitur de eo hac die Tuderti: qua die etiam eius mem. in Martyrol. Rom. (in quo olim Tuderti pro Tiferni legebatur, prout in loco citato S. Greg. Papa, ab aliquo scriptore depranato) At Tiferni simul cum S. Florido Episcopo die 13. Nouemb. celebratur: quod in congruè fieri videtur, primum quòd non eadem die obierunt, deinde, quòd officium vnius haud alteri conuenire videtur.

DE S. IOANNE MEDA CONFESSORE ORD. Humiliatorum apud Comum.

Ioannes cognomento Meda, quod Medæ pago inter Mediolanum, & Forū Licinij, natus sit, cum opibus abundaret, illudque Apostoli. *Totus Mundus in maligno positus est*, perpenderet; mox se Comum contulit, & apud vrbem in loco, qui Rondanarium dicitur, iuxta Coxiam fluuiolum in honorem B. M. V. & omnium SS. oratorium cum multis cellis extruxit, in quo loco plures fratres, & sanctimoniales sub regulari disciplina degētes collegit, fœminis à viris separatis. Itaque locus, qui antea latronum spelunca fuerat, thalamus esse cœpit continentium; domusque blasphemiæ, domus euasit orationis. Medæ etiam insigne virginum monasterium ædificauit. Ipse verò vitam assiduis orationibus, vigilijs, ieiunijs, alijsque pijs operibus exercitam ducens, relictis haud paucis suæ sanctitatis inditijs, ad cœlestem patriam euolauit 6. Kal. Octobris ibidē sepultus. *Ex Breu. Humiliatorum.*

Ioannes oratoriū extruit.

ANNOTATIO.

Locum, in quo S. Ioannes vixit apud Comum post extinctum Humiliator. Sub Pio V. Pont. Max. ordinem Clerici Somaschenses tenent.

Septembris die 27.

DE S. EPICHARIDE MARTYRE ROM.

Epicharis mulier nobilissima, (erat enim ordinis Senatorij) Romæ in Diocletiani, & Maximiani Imperatorum persecutione, quòd Christum coleret accusata, comprehenditur, variéque, vt ad Idolorum cultum rediret, tentatur. Verùm cum illa inuicta, constansque in Christi confessione persisteret; primùm plumbatis ditissimè cæditur, deinde, cum à sententia dimoueri

nullo

nullo pacto posset, gladio percussa martyrium feliciter cõsumauit 5. Kal. Octobris. *Ex Menol. Græcorum, qui pluribus illius certamen describunt.*

ANNOTATIO.

Cum nulla extet apud Latinos scriptores huius mart. mentio, neque Romæ corpus, eiusue reliquiæ habeantur, suspicor illam haud Romanam fuisse, quod ex nomine etiam conijcere licet.

DE SS. MARTYRIBVS FIDENTIO, ET TERENTIO Tudertinis.

Fidentius, & Terentius ex Cappadocia Syriæ Romam profecti Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus, & apud eosdem christianæ fidei accusati: cũ neque minis, neque promissis flecti possent, in vincula primùm coniecti, postea in ignem inijciuntur: vnde absque læsione egressi, Duci primæ cohortis interficiendi traduntur. Qui illos in locum abditum duxit, ne corpora à christianis sepelirentur, à feris deuorata. Sed contra accidit: nam vrsi è latebris egressi Ducem cum suis interfectũ discerpsere; martyres vero Angelo duce in cryptã deuenientes, vbi Angelorum ministerio cibo recreantur. Inde in ciuitatem Martanam Tuderto proximam veniunt: ibique à pia fœmina hospitio excepti filium illius à Dæmone oppressum liberant; dubusque subinde leprosis sanatis plurimos ad fidem conuertunt, magnaque edunt miracula. Quibus ad Imperatores perlatis, Roma lictores mittuntur, qui Fidentium, & Terentium iam captos apud prædictam ciuitatem capite plectunt 5. Kal. Octobris. Quorum corpora à muliere, cuius filium à Dæmone liberauerant, nobili sepulchro, quod sibi parauerat condita sunt: quo in loco ecclesia extat eorum nomine constructa. *Ex off. Eccles. Tudertin.*

SS. in ignem deiecti minime læduntur.

Vrsi interfectores discerpunt.

Oppressum à Dæmone liberant.

Duo leprosi sanantur.

ANNOTATIO.

Martana ciuitas iacet; cuius situs quinto à Tuderto milliario circiter indicatur: qui locus S. Mariæ de Pantano a vulgo nominatur.

DE S. CAIO EPISCOPO MEDIOLANENSI.

Caius Sergius Romanus Barnabæ Apostoli discipulus, vitæ sanctitate, & charitate in pauperes cõspicuus S. Anathaloni in Episcopatu subrogatur. Is vnà cum Clateo Episcopo Brixiensi multa, Nerone Imp. christianæ fidei causa sub Anolino Præfecto perpessus est, Geruasium, & Protasium ciues Mediolanenses ordinis Senatorij erudiuit in fide, & baptismo regenerauit. Romam SS. Apostolos Petrum, & Paulum visendi ergò proficiscens in via illos à Nerone martyrio affectos diuinitus accepit. Romæ cum Clemente, & alijs Apostolorum discipulis aliquandiù commoratus Mediolanum reuertitur; vbi cum multa in Neroniana persecutione pro sibi credita ecclesia egisset, post 13. Episcopatus annum ad cœlestem patriam euolauit 5 Kal. Octobris. Cuius corpus in æde S. Naboris conditum est. *Ex Breu. & monum. Eccl. Mediolanen.*

Caius S. Barnabę Apostolus.

ANNOTATIO.

Panuin. in Fast. Caium Episcopum creatum sub Cleto Pont. & Domitiano Imp. anno D. 92. annos 22. sedisse refert; quod monumentis Eccles. Mediolanen. repugnat.

gnat, cum Acta illius annos 13. tantum præfuisse habeant. Verum si erat Episcopus sub Nerone, quando SS. Geruasius, & Protasius passi sunt, multò plures annos in Episcopatu vixisse oportet; aliàs ad annos, seu tempora Clementis peruenire non potuisset.

DE S. ADERITO EPISCOPO RAVENNATE II.

ADeritus Græcus natione, discipulus S. Apollinaris; à quo ordinatus Sacerdos, postea ei in Episcopatu successit inditio columbæ, quæ cœlitus super caput illius clero præsente aduolans eum diuino nutu Episcopum factum declarauit (quo pacto 11. subsequentes Episcopi electi traduntur) qui licet electioni repugnaret, omnibus tamen illum ex diuino decreto Episcopum acclamantibus, onus pastorale subire cogitur, quo tempore defuncto Vespasiano solus Titus Imperium administrabat. Munere autem præclarè diuque administrato, ac multis ex Gentilibus ad fidem christianam perductis, obdormiuit in Domino 5. Kal. Octobris circa sal. an. centesimum Clemente Pont. Maximo, & Traiano Imp. classe sepultus, eo loco, vbi postea S. Probo Episcopo templum excitatum est. *Ex monum. Eccles. Rauenn. & Hieron. Rub. lib. 1. Hist. Rauenn.*

Aderitus columbæ inditio Episcop. S. Appollinari sufficitur.

ANNOTATIO.

O*Nuph. Panuin. in Cronol. Eccl. Aderitum adhuc Vespasiano Imperante an. D. 74. sedisse annosque 26. præfuisse adnotat.*

Septembris die 28.

DE S. PRIVATO MARTYRE ROM.

PRiuatus miles; quo tempore S. Callistus Papa in custodia detinebatur, vlceribus plenus diù noctuque doloribus cruciabatur. Is cum alios à S. Pontifice curari vidisset, ad illius pedes prostratus, opem ipsius supplex implorabat dicens, *Salua me pater, quia Credo in D. I. C. Deum viuum, & verum.* Qui à Pontifice sacris lustratus aquis, statim abeuntibus doloribus mundatus est, & clamare cœpit, *verus, & solus est Deus, quem Callistus prædicat: Dij verò inania, & muta simulachra sunt.* Quod cum vrbis Præfectus accepisset, misit apparitores; qui illicò Priuatum comprehensum, tandiu plumbatis cæderent, donec anima eum deficeret. 4. Kal. Octobris. *Ex pass. & Gest. S. Callisti Papa, apud Sur. tom. 7.*

Priuatus vlceribus plenus à S. Callisto baptizat⁹ statim sanat.

ANNOTATIO.

G*Esta S. Callisti nonnulla egent correctione in eo, quòd ipse, et alij iussu Alexandri Imp. cruciati, necatique dicuntur. Id enim non iussu Imp. qui christianos non est persecutus; sed Præfecti vrbis, maximè Vlpiani christianis plurimum infensi.*

DE S. STACTEO MARTYRE ROMÆ.

STacteus Romæ martyrium passus à Beda, Vsuardo, & alijs refertur. Sed de eo nil aliud præterea scriptum legitur; nec vbi corpus illius requiescat sciri potuit, cum Romæ eius nulla extet præter nominis memoria. *Pet. in Cat. lib. 11. c. 262. Stacteum confess. non mart. nominat.*

ANNOTATIO.

V*Ariè hic S. martyr nominatur: nam apud Bedam Stertens legitur: apud alios Stateus: & apud Martyrol. Stacteus: vti etiam apud Vsuardum; licet in cod. veteri Stertens scriptum sit.*

DE

DE S. SALOMONE EPISCOPO I. GENVENSI.

SAlomon, quem Salonum Vsuardus appellat, primus Genuensium Ecclesiæ ex antiqua vrbis traditione administrauit. Vixit autem vicinus Ecclesiæ Primitiuæ temporibus, ac sanctitate præfulsit primus in Episcoporum Genuensium serie ab omnibus eius vrbis scriptoribus collocatus. Illum proximè Diogenes secutus fertur: qui concilio Aquileiensi ad annum salutis humanæ 381. celebrato sub Damaso Pont. Max. vnà cum S. Ambrosio Episcopo Mediolanensi interfuit. Eius corpus sub ara maiore ecclesiæ Metropolitanæ conditum magnam habet apud Genuenses venerationem: cuius dies festus 4. Kal. Octob. celebratur. *Ex Martyrol. Rom. & alijs: ac ex monum. vrbis, & Ecclesi. Genuen.*

ANNOTATIO.

DVo hic dubitationem ingerunt. Primùm, quòd Diogenes II. Episcopus Genuen. concilio Aquileien. interfuerit: sic enim Ecclesia Genuensium minus antiqua videretur, neque S. Salomon I. Episcopus in primitiua Ecclesia fuisse dici posset. Secundum, quòd eiusdem vrbis Annales S. Syrum (quem falsò primum Archiepiscopum Genuensem appellari diximus, cum Episcopatus in Archiepiscopatum ab Innoc. II. Pont. Max. circa an. D. 1133. quo tempore cœpit Bobien. Episcopatus, erectus legatur) circa an 480. vixisse referunt. Si enim Diogenes II. Episcopus concilio Aquileien. an. Christi D. 381. habito præsens fuit. Syrus autem I. (nam II. sub Innocentio II. primus Archiepiscopus declaratus est) circa annum 480. 7. eius Sedis Episcopus vixit, sex Episcopi centum annorum interuallo præfuisse oportet. Sed hoc minus habet difficultatis. Ob breuem aliquot Episcoporum vitam. Primum apparet difficilius, nisi dicamus Ecclesiam primitiuam ab his scriptoribus vltra persecutionum, quæ sub Constantino Magno finem acceperunt, tempora extendi: vel certè hunc S. Episcopum ad primitiuam Ecclesiam referri, quod in vicinis temporibus post Constantinum vixerit.

DE S. SILVINO EPISCOPO BRIXIENSI.

SIluinus, siue vt alij scribunt, Syluinus Episcopus Brixiæ 12. quartus post S. Philastrium, Ecclesiam Brixiensem inter SS. Theophilū, prædecessorem, & Gaudiosum successorem circa annum sal. 410. administrauit ea sanctitatis laude; vt cum ad superos 4. Kal. Octobris euolasset in Diuos relatus ab Ecclesia Brixiana honores; qui sanctis debentur, sit consecutus. Cuius corpus in æde S. Petri in Oliueto conditum adhæc vsque tempora requiescit. *Ex Tab. & monum. Ecclesi. Brixien.*

ANNOTATIO.

FVit, & Siluinus Episcopus Veronen. de quo die 12. huius actum est. Huius autem acta prorsus intercidere, cum Capreol. in Cron. Brix. lib. 3. & Rampertus in libro de Translat. S. Philastrij nihil de eo præter nomen, & seriem, habeant.

DE S. EVSTACHIO VIRGINE ROMANA.

Vide infra die 2. Nouembris.

Septem-

Septembris die 29.

DE ECCLESIÆ S. MICHAELIS ARCHANGELI DEDICATIONE in M. Gargano.

CVm Michael Archangelus. Gelasio I. Pont. in vertice M. Gargani apparuisset (siquidem taurus cuiusdam Gargani longius ab armento discedēs, quæsitus apud speluncam dicti montis inuentus est: quem cum quidam, vt configeret, sagittam emisisset, sagittaque in ipsum sagittarium retorta omnes timore affecisset, vt propius accedere non auderent, indicto ab Episcopo Sipontino tridui ieiunio, & oratione, apparuit Michael: qui locum esse in sua tutela, vellequé ibi cultum Deo in sui, & aliorum Angelorum adhiberi ait; Quare Episcopus cum ciuibus eò pergens speluncam in templi cuiusdam similitudinem conformatam vidit, eamque diuinis officijs celebrare cœperunt) Pontifex autem ab Episcopo Sipuntino consultus an eam ecclesiam dedicare deberet, respondisset, id ab ipso Michaeli quæri oportere, rursus post triduanum ieiunium cū oratione indictum, S. Archangelus Episcopo per visum apparens ait, *Non est vobis opus hanc, quam ego ædificaui, ecclesiam dedicare: Ipse enim, qui condidi, dedicaui*. Cuius dedicationis diem 3 Kal Octobris celebrandum esse decretum est, extructis aliquot in ea spelunca altaribus. Ex saxo autem: quo sacra ædes tegitur, dulcis, & perlucida guttatim defluit aqua, quam incolæ stellam vocant, in vas mundum recepta; ex qua populus post sacram Communionem, vasculo ibi argentea catena appenso de more gustare solet; est enim suauis, tactuque salubris, maximè febri laborantibus innumeris morbis hausta conferēs sanitatem. *Ex ijs, quæ Sur. tom. 5. habet octauo Idus Maij, & Pet. lib. 8. c. 130.*

S. Michael M. Garganū sibi electum in sua tutela esse ait.

S. Archangelus Episcopo apparet.

Stilla ægrotātibus salutaris.

A N N O T A T I O.

LIcet ecclesia S. Michaelis in M. Gargano, quæ à Sipuntina ciuitate ad V. M. P. abest, dedicata ab hominibus non fuerit; altaria tamen à Laurentio Archiepiscopo Sipontino præsentibus SS. Sabino Episcopo Canusino, Rugerio Episcopo Cannensi, & Ricardo Episcopo Andrien. & alijs consecrata leguntur, ex Sancti Ricardi vita.

DE S. GRIMOALDO PRESBYTERO PONTE CVRVO.

GRimoaldus Presbyter Anglus natione fuit. Is vnà cum Fulco, & Eleutherio germanis suis, suscepta longa peregrinatione, qua Romæ sancta loca & alibi deuotionis ergò inuisit, denique cum fratribus in Latium seu in Latij, & Campaniæ confinia apud Aquinum venit, Fulco autem apud Ceperanū, Eleutherio apud Arcanum oppida Latij vita functis, ipse apud Fregellas, quæ Pons curuus hoc tempore dicuntur, substitit, ibique aliquot editis miraculis: quibus illius sanctitas innotuit. 3. Kal. Octobris migrauit è vita; in ecclesia maiore tumulatus. Cuius dies festus hac die magna celebritate agitur. *Ex monum. Eccl. Aquinatis M.S. in cuius diœcesi opp. prædictum est.*

Grimoaldus longam suscipit peregrinationem.

A N N O T A T I O.

EXciso Aquino, Episcopus Aquinas, vt plurimum Pontecuruo, qui opp. diœcesis primarium est, moras agit.

Septembris die 30.

DE S. HIERONYMO PRESBYTERO, ET ECCLESIÆ Doctore Romæ.

Hieronymus Stridone in Illyrico Constantio Imp. natus Romæ baptizatus, & liberalibus disciplinis à Donato, & alijs viris doctissimis eruditus, discendi studio Galliam peragrauit, vbi pios aliquot, & doctos viros coluit, multosque sacros libros manu sua descripsit. Inde in Græciam profectus philosophia, & eloquentia instructus, Summorum Theologorum vsus consuetudine, in primis Gregorio Nazianzeno Constantinopoli operam dedit: à quo se sacras litteras didicisse profitetur. In Palæstinam veniens, Christi Domini visit incunabula, totaque Regione lustrata adhibitis Hebræorum eruditissimis plurimũ in sacrarum litterarum intelligentia profecit. Secedens in vastam Syriæ solitudinem, quadriennium in sacrorum librorum lectione, & cœlestis beatitudinis contemplatione consumpsit. Presbyter à Paulino Antiocheno Episcopo factus, Romam cum ipso Paulino, & Epiphanio Episcopis ad Damasum Papã ob nonnullas controuersias Episcoporum venit. Vbi Pontificis in scribendis epistolis Ecclesiasticis adiutor fuit. Verum solitudinis desiderio captus, in Palæstinam reuersus, apud Bethleem in monasterio ad Domini Præsepe à Paula Rom. extructo cœlestem vitam egit: & quamquam variè morbis, doloribusq; pulsaretur, incommoda tamen pijs laboribus, & perpetua sacra lectione superauit. Ad illum tanquam ad oraculum ex omni parte sacræ quæstiones explicandæ referebantur. Illum S. Augustinus de locis sacræ scripturæ difficillimis sæpe consuluit propter singularem eius doctrinam, linguæque non solum Latinæ, & Græcæ, sed etiam Hebraicæ, & Chaldaicæ intelligentiam, & quòd omnes penè scriptores testimonio eiusdem Augustini legerat. Hæreticos acerrimis scriptis exagitauit. Pios, & catholicos defendit. Vetus testamentum ex Hebræo conuertit: nouum iussu Damasi Græcæ fidei reddidit, & magna ex parte explicauit. Multa præterea Latinè reddidit scripta doctorum virorum, & ipse proprij ingenij monumentis christianam disciplinam illustrauit. Qui ad summam senectutem perueniens sanctitate, & doctrina illustris. Honorio Imp. migrauit in cœlum. Corpus ad Bethleem sepultum, postea Romã translatum in basilica S. Mariæ Maioris, siue ad Præsepe conditum est. *Ex Breu. Rom.*

Hieronymus Gregorium Nazianzenũ præceptorẽ habet.

Sacram linguam ab eruditissimis Hebræis edíscit.

Romam, Damaso Papa, venit.

Hieronymus veluti oraculum ex omni parte consulitur.

Hæreticorũ acerrimus exagitator.

Vetus testamentum ex Hebræo in Latinum vertit.

ANNOTATIO.

Vita illius in Flore SS. & quæ circumfertur, quædam fabulis proxima continet, in quibus illud de Leone, & de asino à Leone deuorato.

Carmen Bap. Mant. de S. Hieronymo.

„ *Vltima Septembris tua lux sanctissime patrum*
„ *Hieronyme, Stridone satus Romana petisti*
„ *Gymnasia, & celeri studio sapientiæ in altum*
„ *Ascendisti apicem, fari tribus omnia linguis*
„ *Doctus, & illius tanto sublimior æui*
„ *Ingenijs, quantum colles præcellit Olympus.*
„ *Ad Syriæ Syluas posthæc, saltusque Sabæos*
„ *Continuò transis, rapidique incendia solis*

„ *Nu-*

„ Nudus, & esuriens longo in mœrore tulisti.
„ At cum perspiceres diuina volumina multis
„ Deprauata locis, & conceptabula lymphæ,
„ Vnde bibunt animæ primum amisisse nitorem,
„ Tu quasi sol lucis genitor iubar elicis almum,
„ Ignitasque tuo totum iacularis in orbem
„ Ore faces, fideique fugas à finibus hostem.

DE S. LEOPARDO MARTYRE ROMÆ.

Leopardus nobilis Romanus adolescens vnicus patri suo, cubicularius fuit Iuliani Apostatæ, ab eo præ cœteris dilectus. Is à Valentino Presbytero: qui litteras ad Pontem Miluium docebat, in fide Christi, & bonis litteris instructus ab eodem intra Diocletiani Thermas baptizatus est. Cum autem Dijs Thymiam offerre recusaret, tortoribus traditus, vt verberibus à proposito deterreretur, cum in fidei confessione immobilis persisteret, extra vrbem ductus capite truncatus est Prid. Kal. Octobris. Cuius corpus à Valentino Presbytero 30. ab vrbe milliario apud Osciculum sepultum, postea Aquisgranum in Germaniam Inferiorem, ubi præcipuè colitur translatum est. *Ex natalib. SS. Belg. apud Io. Molanum.*

Leopardus Iul. Apostatæ imprimis charus.

ANNOTATIO.

Molanus Valentinum hunc illum Interamnem esse putat. Sed ille sub Dioclet. martyrio affectus est, ex Martyrol. Rom. die 14. Febr.

DE S. SOPHIA VIDVA ROMÆ.

Sophia matrona Mediolanensis clarissima, SS. virginum Fidei, Spei, & Charitatis mater, tempore Apostolis proximo (quam ferunt, vsque adeo diuitem fuisse, vt ad 10. millia seruorũ: habuisse dicatur) ex primis fidẽ christianam cum filijs complexa à S. Caio Episcopo baptizata est. Opibus autem pauperibus, ecclesijsque distributis, vt plures iuuaret Mediolano discedens, in multis vrbibus Christum annuncians, multosque ad illum cõuertens D. Raphaele Archangelo duce Romam venit: vbi & in itinere multis editis miraculis præsertim cæcis illuminandis ad 14. M. Paganorum ad fidem perduxisse traditur, in illis plurimas Romanas matronas. Quibus Traiano delatis is illam cũ filiabus accersitam, frustraque deterritam, acriter torqueri iussit; filiabus autem capite plexis, Kal. Augusti, earum corpora pia mater sepelienda curauit; nec multò post ad illarum sepulchrum orans animam Deo reddidit Prid. Kal. Octobris. *Ex Breu. Mediolanen. & Mombrit. tom. 2. ac ex pass. Filiarum.*

Sophiam 10. millia seruorum habuisse fertur.

Sophia Raphaele duce Romam petit.

Cæcos illuminat.

ANNOTATIO.

IN pass. à Metaph. scripta, à Sur. & Lipom. rel. & à Pet. in Cat. lib. 7. c. 7 patria Sophia Italia nominatur: fortè sic Mediolanum ob eius præstantiam Itala vrbs, siue Italia dicebatur; Interrogata enim ab Hadriano, siue à Traiano, vt alijs videtur, de patria, se de solo Italo esse respondit, cum patria Mediolanen. esset. Fuit autem Mediolanum semper post Romam prima Italia vrbs.

Baron. in Annal. ad an. D. 122. Sophiam cum filiab. 1. Aug. sub Hadriano passam notat. Quod aduertatur, vt patet ijs, quæ hic dicuntur.

Octobris

Octobris die 1.

DE S. ARETHA MARTYRE, ET SOCIIS ROMÆ.

ARethas Romæ cum alijs quatuor supra quingẽtos martyrio coronatus ab Vsuardo, Adone, & alijs refertur. Quando autem, seu sub quibus, & quo genere necis, occubuerint, nullibi traditum reperitur. *Ex Martyrol. Rom.*

ANNOTATIO.

DIssident in numero sociorum authores: nam, vt Pet. Gales. animaduertit, alij pro quingentorum, quinquaginta habent: alij quinque tantum illos faciunt. Sed vetera monum. M.S. vnà cum Vsuardo quingentorum quatuor habent, sub Antonino Imp. coronatorum.

DE S. SEVERO PRESBYTERO, ET CONFESSORE Vrbeuetere.

SEuerus Presbyter ex valle Interocrina Valeriæ Prouinciæ; quæ & vallis S. Seueri nominatur, ortum ducens, puer à parentibus magistro litteris imbuendus traditur. Is inter cæteras virtutes: quibus prædıtus erat, humilitatem, & charitatem maximè colun. Factus clericus, per gradus ad Sacerdotium peruenit, ecclesiam B.M.V. in ea valle frequentare deuotionis causa solebat; seque post preces, & alias spiritales exercitationes, ne otio torperet, in suorum agrorum cultura exercere. Pauperes, orphanos, & viduas suis facultatibus, laboribusque sustentabat; non tantùm famelicos pascens, sed etiam nudos operiens. Tanta fuit illius sanctitas, vt infirmi, qui ad eum nequirent accedere; sanitatem nihilominus consequerentur, si panis aut alterius cibi ab eo benedicti tantillum degustassent. Rogatus per nuncios à patre familias mox morituro, vt ad se quantocius veniret; quo eius precibus securius hinc per pœnitẽtiam migraret, occupatus in putanda vinea respondit: *Antecedite. ecce vos subsequor.* Cumque paululum demoratus, vt opus putationis absolueret, concito gradu ad ægrotum pergeret, ijdem nuncij occurrunt dicentes; *noli fatigari, quia iam defunctus est.* Ille itaque contremiscens magnis vocibus se mortui interfectorem clamabat, & vbi flens ad corpus peruenit defuncti, humi prostratus, vehementius plorãs caput in terram tundebat: cumque se mortis illius reũ inclamaret, repente defunctus reuixit. (Qui vbi fuisset, & quomodo redijsset à circunstantibus interrogatus, à tetris admodum hominibus, inquit, ducebar, per obscura ex quorum ore, & naribus ignis exibat, quem tolerare haud poteram: sed Iuuenis subitò aspectus pulchri occurrens trahentibus me dixit: *Reducite illum, quia eum lacrymis Seueri Presbyteri Dominus largitus est.*) Seuerus autem protinus surgens ei pœnitentiam agenti opem suæ intercessionis attulit: Rediuiuus verò octauo die pœnitentia peracta, culpisque solutus rursus obdormiuit. Denique vir S. cum aliquot sui instituti discipulos reliquisset, cessit è vita. Cuius corpus, orta de loco sepulturæ controuersia à rustico in somnis admonito plaustro impositum ab indomitis iuuencis nusquam diuertentibus ad vrbem veterem delatum, ibi honorificè conditum fuit. *Ex Cod. pergam. M. S. Eccles. Verbeuetana, & lib. 1. c. 12. Dialog. S. Greg. Papæ.*

Diuina incurandis infirmis S. Seueri gratia.

Defunctum, cuius se interfectorẽ fuisse clamabat, ad vitam reuocat.

Horrendus Dæmonum aspectus.

Lacrymis Seueri vita defuncti refert accepta.

ANNOTATIO.

CIrca tempora S. Greg. Papæ vixisse putatur, seu paulò ante. De quo in Rom. Martyrol. etiam die 15. Febr. agitur. Hæc autem dies translationis ad vrbem veterem esse videtur.

DE

DE S. LAVRENTIA VIRGINE, ET MARTYRE Anconitana.

Laurentia virgo Anconitana S. Palatiæ virginis socia, siue ancilla (erat enim Palatia clarissimo genere nata) vnà cum illa diu in persecutione Diocletiani sub Dione Præside cruciata, ac in ignem iniecta; cum ex eo inuiolata exisset, iussu Dionis saxo ad collum alligato vtraque in altũ mare demergitur, sed ab Angelo ereptæ nauiculæ impositæ in exilium deportari iubentur. Quæ tempestate ad littus centumcellense delatæ à Promoto Tusciæ Proconsule Romam ad Imp. vinctæ mittuntur: qui illas apud Firmum Piceni ciuitatem exulare iussit. Vbi Deum præcatæ, vt se è tantis ærumnis ad se euocaret, Nonis Octobris lætæ ad sponsum migrauere. Corpus Laurentiæ cum aliquandiu ignotum fuisset hac die Anconæ repertum est. *Ex pass. S. Palatia, & monum. Eccles. Anconitana.*

SS. VV. saxo ad collũ alligato in mare demersæ ab Angelo eripiuntur.

ANNOTATIO.

Sunt, qui Laurentiam Palatiæ nutricem scribant: sed in Tab. Eccles. Anconit. & ipsa Laurentia virgo, & mart. sicuti & Palatia adnotata est.

Octobris die 2.

DE S. MODESTO LEVITA, ET MARTYRE Beneuentano.

Modestus in Sardinia claris parentibus ortus, à puero in humanioribus litteris eruditus, æquales ingenij acumine, & elegantia morum antecelluit. Adolescens omnibus virtutibus excultus, præcipuè humilis, castus, modestus, patiens, misericors, & pius erat. Ad pietatis studium meditationem, orationem, & diuinarum scripturarum lectionem adhibebat. Vitæ sanctitatis fama peruulgata, plures ad eum, maximè verò luminibus orbati, quibus ille visum restituit, confluere cœperunt. Post cæcos, claudi, muti, & diuersi generis infirmi cateruatim accedentes, ad propria voti compotes remeabant. Dum etiam mortuus deferretur, ab ijs; qui illum sequebantur, exoratus illum oratione, & lacrymis ad vitam reuocauit. Fertur autem cæcis 4. lumen, & 2. defunctis vitam impetrasse; mutos verò, surdos, claudos, & Dæmoniacos, multò plures liberasse. Factus Diaconus in Diocletiani persecutione tentus, variéque, tentatus, vt Deos coleret, nunquam nec blanditijs, nec minis de constantia dimoueri potuit, cumque Deos venerari iussus illos malos dæmones appellarit, multis, & diris affectus cruciatibus post equuleum, & ignem, intra ardentes Thermas iniectus martyrium consumauit 6. Nonas Octobris. *Ex lectionib. Breu. antiqui Beneuent.*

Modestus præclaris dotibus ornat*. In illuminãdis cæcis cõspicuus. Omnia ferè morborum genera depell lit. Defunctum excitat.

ANNOTATIO.

Hac die ab Ecclesia Beneuent. eius natalis celebratur; licet in Martyrol. Rom. die 12. Febr. adnotetur.

DE S. LIZERIO MARTYRE VENETIIS.

Lizerius genere Hispanus, adolescens Romam veniens, vt militiæ nomen daret. (iusserat enim Maximianus Imp. vt qui patre milite nati essent, militiam profiterentur) sic charus fuit Imperatori, ob egregiam indolem, vt inter primos militiæ Duces haberetur. Qui alienus à Christo, christianorum; qui in dies cruciabantur, præsertim eorum, qui se vltrò tortoribus offerrent, constantiã miratus, cum causam intellexisset, fidei desiderio flagrans à Iustino Presbytero instrui, & aquis expiari supplex petijt. Baptizatus itaque, & suis pauperibus distributis, eos; qui in carceribus detinebantur, causa fidei visitans, ad constantiam hortabatur. Quibus cognitis Imp. illum accersitum blanditijs, & minis à proposito deterrere nititur; sed frustrà; quare illum nudatum vestibus, & plũbatis cæsum, rursus hortatur, vt Deos colens honoribus, & diuitijs oblatis perfrueretur, carcereque, vt interim resipisceret, eum includi iubet. Interea pater certior factus ex Hispania Romam aduolat periclitanti filio opem laturus. Qui carcerem ingressus lacrymis filium orare cœpit, & obtestari; vt obsecutus Imperatori, propriæ, & suæ saluti consuleret. At Lizerius inuictus, eductus carcere, cum coram Imp. se mori potius paratum diceret, quam Deos lapideos, aut æreos, aut aureos venerari, suspenditur, venterque illi crudeliter incidltur; donec intestina defluerent: quo in supplicio patrem, qui præ nimio dolore in terram quasi mortuus corruerat, oratione sua non solum excitauit, sed & ad Christum conuertit; qui cum filio martyrio coronatus est. Vterque enim Imp. iubente clauis cerebro per aures vi infixis martyrium compleuit. Quorum corpora à christianis sepulta sunt. Corpus verò Lizerij Venetias delatum in æde S. Zachariæ quiescit. *Ex monum. illius Eccles. M.S. & pass. S. Lizerij nuper edita.*

Deos Imp. lapideos, ac æreos appellat.

Modestus patrem ob crudele filij martyr. semimortuum vitæ restituit.

Vterque martyrium complent.

ANNOTATIO.

Patria S. Lizerij ignoratur, nec vbi sit corpus illius sciri potuit.

DE S. THOMA EPISCOPO HEREFORDIENSI apud M. Physconem.

Thomas in Anglia Vuilthelmo Cantilupo patre, matre verò Milicenta Comitissa Ebroicense natus, à puero litteris excultus, ætatem moribus trãscendens, quotidiè horas canonicas nondum clericus recitare, Missamq; audire solebat. Oxonij, & Lutetiæ Philosophiæ operam dedit, & Oxonij rursus iuris Pontificij doctor factus, postea Academiæ Cancellarius; tum totius Regni ab Henrico III. Rege licet inuitus creatur. Rege defuncto Thomas Oxonium reuertitur, Theologiæque operam nauat. Inter cœteras virtutes; quibus excelluit, castitatem maximè coluit. Corpus suum vigilijs, & ieiunijs, asperoque cilicio domuit. Factus Episcopus Herefordiensis (Vualliæ ciuitas est Herefordia) mira fuit in pauperes benignitate, in Episcopali munere peruigil, ecclesiasticæ immunitatis acerrimus defensor. Qui cum bona Ecclesiæ vsurpari cerneret, Pontificem Max. vt ab illo oportuna remedia impetraret, adire decreuit. Longo igitur, & difficili accinctus itineri Romam venit, à Martino Pont. Max. perhumanè acceptus. Rebus autem, & negotijs pro voto expeditis; dum in patriam reuertitur, apud M. Physconem (quem vulgus Flasconem vocat) morbo oppressus, breui 6. Nonas Octobris migrat è vita. Cuius corpus sex diebus inhumatum

Thomas castitati vitæ consociat asperitatem.

Thomas Eccles. immunitatis acerrimus defensor.

Corpus sex diebus inhumatum suauissimo odore perflagrat.

humatum odorem sperabat suauissimum. Caro ab ossibus separata ibi condita est: ossa verò ad propriam sedem relata: quibus cum Gilbertus Comes Cleuerniæ, qui S. Episcopum ob Ecclesiæ iura fatigauerat, obuiam venisset, ac ossa sanguinem mirabiliter emittere vidisset, eo concussus miraculo bona reddidit Ecclesiæ. Plura edidit post hæc miracula ad eius tumulum; nam 60. mortuos suscitasse: 41. cæcos illuminasse, 52. corpore contractos, & 21. paralyticos sanasse; mutis 23. loquelam restituisse legitur. *Ex eius vita plurib. à Sur. tom. 5. rel.*

Comes Cleuerniæ sanguine ex corpore scaturient inspecto bona restituit Ecclesiæ.

60. mortuos suscitat. 41. cæcos illuminat. 52. corpore contractos, & 21. paralyticos sanat, mutis 23 loquelam restituit.

A N N O T A T I O.

Migrauit ex hac vita an. D. 1287. à Ioanne XXII. Pont. Max. in SS. numerum adscriptus. In Martyrol. pro Herefordia Herfordia; quæ Germaniæ ciuitas est, positum fuit.

Octobris die 3.

DE S. CANDIDO MART. ROMÆ AD VRSVM PILEATVM.

Candidus apud Vrsum Pileatum (qui Vicus erat vrbis in Esquilijs; vbi nũc ædes est S. Bibianæ virginis, & martyris) martyrium passus ab Vsuardo, Martyrologio Rom. & alijs refertur: extatque adhuc ibi eius memoria inscripta. Porrò Acta, & tempus, quo passus est, desiderantur.

A N N O T A T I O.

Locus hic ad Vrsum Pileatum nominatus, is putatur: in quo nunc sacra ædes est S. Bibianæ in quinta vrbis regione: cuius Sex. Ruf. mem. Hic autem Candidus diuersus est ab eo, qui cum Fortunato, Feliciano, & Firmo passus fuit. De quibus die 2. Febr. actum est.

DE SS. MARTYRIBVS DIONYSIO, FAVSTO, CAIO, Petro, Paulo, & alijs 4. Romæ.

Dionysius, Faustus, Caius, Petrus, & Paulus, cum alijs quatuor, quorum nomina ignorantur, Romæ passi sunt. Qui primùm sub Decio propter fidẽ multa perpessi sunt; postea sub Valeriano; qui Decio successit in Imperio, ab Æmiliano Præside diu cruciati martyrium consumarunt, 5. Nonas Octobris. Cũ prius sub Decio in Libya passi essent; deinde sub Valeriano, exilio damnati, lapidatique duodecim annos in loco squallido conclusi fuissent. *Ex Beda, Vsuard. Adone, & alijs.*

A N N O T A T I O.

Nonnulli cum Adone Dionysium hunc cum Dionysio Areopagita confundunt, vt monet Baron. in Annotation. De his autem Græci hac die agunt in Menol. paucis, vt supra relatum est, agonem describentes. Qui etiam de Dionysio Areopagita hac ipsa die memoriam celebrant in Menol. & Anthologio.

Octobris die 4.

DE S. FRANCISCO ASSISINATE ORD. MINORVM AVTORE.

Franciscus Assisij in Vmbria natus, mercaturam à principio patrem secutus exercens, cum quadam die pauperem eleemosynam petentem præter consuetudinem repulisset, mox pœnitens largè ei misericordiam impertiuit: Deoq; ex eo die vouit; se nemini poscenti eleemosynam negaturum. Cum postea ex graui morbo, conualuisset, ardentius cœpit officia charitatis colere. Qua in exercitatione Euangelicæ cupidus perfectionis, quicquid habebat, pauperibus elargitus est. Quod ferens iniquius pater, cum ad Episcopum Assisinatem duxit,

Franciscus in pauperes generosus.

duxit, vt bonis cederet paternis; qui etiam vestibus reiectis patri omnia concessit, illud subiungens sibi in posterum maiorem fore dicendi facultatem; *Pater noster, qui es in cœlis*. Cum autem illud ex Euangelio audiuisset; *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in Zonis vestris: non peram in via, neque duas tunicas, neque calciamenta*, sibi eam regulam seruandam proposuit. Itaque detractis calceis & vnica contentus tunica; adhibitis duodecim socijs ordinem Minorum instituit. Quem Romam profectum, vt sui ordinis regula à Sede Apostolica confirmaretur, cum Innocentius III. Sum. Pont. reiecisset; postea eo accersito, benignèque accepto, (quòd is, quem repulerat, collabentem Lateranensem basilicam suis humeris sustinere sibi in somnis visus esset) omnem eius Institutorum rationem confirmauit. Franciscus igitur, dimissis in omnes orbis terræ partes ad prædicandum Euangelium fratribus, ipse martyrij cupidus nauigauit in Syriam. Sed à Soldano liberaliter acceptus, nihilque proficiens in Italiam redijt. Multis autem extructis suæ familiæ domicilijs in solitudinem M. Aluerni secessit: vbi 40. diebus in honorem S. Michaelis Archangeli in ieiunio, & oratione consumptis, Festo die Exaltationis S. Crucis seraphim ei crucifixi effigiem inter alas continens apparuit; qui eius manibus, & pedibus clauorum vestigia impressit (Quæ S. Bonauentura ab Alexandro IV. Sum. Pont. visa esse, vt ab ipso Pont. prædicante audiuerat, litteris commendauit) Quibus summi in eum Christi amoris insignibus maximam habebat apud omnes admirationem. Qui biennio post grauiter ægrotans, deferri voluit in ecclesiam S. Mariæ Angelorum; vt ibi gratiæ spiritum à Deo acceperat, ibi spiritum vitæ redderet. Fratres itaque ad paupertatem, patientiam, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ fidem seruandam cohortatus, psalmum illum pronuncians: *Voce mea ad Dominum clamaui*: in eo versiculo: *Me expectant iusti, donec retribuas mihi* efflauit animam 4. Non. Octobris, An. sal. 1226. ætatis 45. conuersionis verò 20. Quem Miraculis clarum Gregorius IX. Pont. Max. in SS. numerum scripsit. *Ex Breu. & eius vita*, in qua inter plurima miracula, quòd pluries leprosos osculo, plagas fœtentes eorū exosculatus sanarit, quodque apud Sultanum Maumetanos Sacerdotes ad certamen prouocarit, per ignis ingressum, seque, cum illi ignem ingredi recusarent, solum ignem ingressurum obtulerit, si modo eo illæso egresso in Christum crederent, quod etiam dicere solitus esset, in prælatione casum, in laude præcipitium, in humilitate securitatem, & animæ lucrum esse, vt propterea suos Minores, & Prælatus ministros appellari voluerit, continetur.

Innoc. III. collabentem Lateranésem basilicam à Francisco sustineri in sõnis videt.

Martyrij cupidus.

Post 40. dierũ ieiunium à seraphim clauorum vestigia eius corpori imprimuntur.

Sũmus Christi in Franciscum amor.

Franciscus osculo plagatos sanat.

Illæsus igne egreditur.

Aurea dicta.

ANNOTATIO.

Canonizatio S. Francisci biennio post obitum illius hoc est anno D. 1228. 17. Kal. Aug. celebrata est, tanta erat sanctitatis illius apud omnes opinio: qua perdurantis non solum apud Assisinates, qui in colore vestium Minores imitantur, sed apud multas ciuitates ita dies festus celebratur, ac Festa ex præcepto ecclesia.

Ex hymno S. Francisco.

Franciscus florens gratia,
Forma factus humilium,
Lætus potitur gloria
Sortis consors sublimium.
Hic carnis supercilium

Legi subiecit spiritus:
Mundum vicit, & vitium
Se victo victor inclytus.
In paupertatis prædio.
Min rum plantans vineam,

Ostendit

Ostendit magisterio · *Lingua vocauit operum.*
Vitæ viuendi lineam. · *Vita, doctrina splenduit:*
Ad æternas diuitias · *Resplendet, & miraculis:*
Turbam allexit pauperum: · *Sic præfuit, quod profuit*
Quos ad cæli delicias · *Viua lucerna populis.*

DE S. PETRONIO EPISCOPO, ET PATRONO BONONIENSI.

PEtronius Petronio patre Prætorij Præfecto Constantinopoli natus, moribus & litteris egregiè excultus, à Theodosio Iuniore Imp. ad Cœlestinum Papam aduersus Nestorium Patriarcham Constantinopolitanum hæreticum legatus mittitur. Quo tempore cum Bononienses Romam ad Episcopum deposcendum venissent, Pontifex à B. Petro Apostolo in somnis admonetur, vt mortuo Felice eum Bononiæ Episcopum consecraret; qui ab Imp. propediem ad se legatus mitteretur. Quare Petronius; etsi inuitus à Pontifice Episcopus ordinatus Bononiam venit; vbi reliquijs Arianorum dissipatis multas per vrbem Parochias instituit: templa plura, in quibus S. Stephani Protomartyris ædificauit cum cœnobio. Vitam SS. Martinum Turonensem, & Eusebium Vercellensem imitatus, cum monachis, vt plurimum duxit. Constantinopolim ad Imp. profectus multas inde Sanctorum reliquias, in ijs, S. Floriani, & sociorum martyrum, S Hadriani, & Nataliæ vxoris Bononiam detulit. Demum multis pro Ecclesia sua laboribus perfunctus, multisque clarus miraculis (in quibus mortuum, qui dum S. Stephani templum construeretur, casu columnæ marmoreæ oppressus interierat, ad vitam reuocauit) cessit è vita 4. Non. Octobris anno sal. 450. Theodosio, & Valentiniano Imperantibus. Cuius corpus in æde S. Stephani conditum est. *Ex lectionib. quæ in eius off. recitantur, ac ex Karol. Sigon. lib. 1. de Epp. Bononiens.*

Petronius Arianorum dissipator.

Mortuum ad vitam reuocat.

ANNOTATIO.

DVo correctione digna in vita S. Petronij animaduertimus, primũ quòd is corpus S. Hadriani mart. vt Sigon. scribit loco memor. Byzantio Bononiam transtulerit, cum illud non Bononiam sed Romam translatum Rom. Martyrol. habeat die 8. Septemb. Alterum quòd idem S. Petronius decesserit Theodosio Imp. qui eo anno die 28. Iulij obierat, illique Marcianus Aug. successit. Ex Fastis Panuin. Baron. in Annal. & alijs.

DE S. DONATO MONACHO, ET MARTYRE MESSANÆ.

Vide die seq. in vita S. Placidi.

Octobris die 5.

DE SS. PLACIDO, ET SOCIIS MONACHIS, ET martyribus Messanæ.

PLacidus Tertulli patricij Romani nobilissimi filius, puer S. Benedicto Abbati oblatus, & traditus, tantùm in eius disciplina, & monasticæ vitæ institutis profecit, vt inter primos Benedicti discipulos censeatur. Ab eo in Siciliam missus ecclesiam S. Ioannis Baptistæ nomine cum monasterio apud Messanæ portum extruxit: vbi cum monachis admirabili sanctitate vixit. Quo tem-

pore autem ad eum visendum venerant Eutychius, & Victorinus fratres cum Flauia virgine sorore, illùc appulit immanis quidam pirata Manucha nomine: qui capto monasterio, cum Placidum, & cæteros nullo modo, vt Christum negarent, adducere potuisset, (Donato prius decrepitæ ætatis monacho, qui cum Gordiano eò ex M. Casino aduenerat, sine vlla interrogatione capite truncato, Gordiano per portam posticam elapso) illum cum fratribus, & sorore Firmato Diacono, Fausto. & alijs triginta monachis crudeliter post carcerem horrendis supplicijs necari iussit, 3. Non. Octobris An. sal. 543. ætatis verò Placidi 28. Ex quibus 5. apud Sublacum, 9. in Casinen. monasterio 4. in proprio patrimonio Messanæ habitauit, & vno Messanensi monasterio præfuerat, Iustiniano Imp. Corpora post hostium recessum à Gordiano, Placidi, fratrum, & sororis in templo S. Ioannis Baptistæ, reliquorum prope in arena condita sunt. *Ex Breu. Rom. & vit. à Gordiano Mon. conscripta apud Sur. tom. 5. rel.*

ANNOTATIO.

ACta apud Sur. citata deprauata sunt in nonnullis præsertim in eo, quòd Manucha Pirata Abdala Regis esset Hispani, fide Agareni. Cum in Hispania eo tẽpore non Abdala Agarenus; sed Theudis Gothus Regnaret; quod etiam Baron. in Annal. Eccles. ad ann. 541. notat.

DE S. MARCELLINO EPISCOPO RAVENNATE.

Columbæ inditio Marcellinus Episcopus Rauennæ eligitur. Multos à Dæmone oppressos liberat. Fusca Virgo, & Maura nutrix martyrio coronantur.

MArcellinus X. à S. Apollinare Rauennæ Episcopus columbæ inditio electus Ecclesiæ Rauennati post S. Agapitum Anno sal. 230. Vrbano Pontifice Maximo præfuit. Quam Ecclesiam per annos 50. siue, vt alij tradunt 47. tanta sanctitate, & pietate adiuncta prudentia administrauit: vt hac opinione homines à maleficijs absterreret, & ad diuinas leges obseruandas exemplo maximè suo inflammaret, vt multos à Dæmone oppressos liberaret, ac multis dæmonum insidijs petitus ad diuinam opem confugiens eos superaret. Denique in magna rerum perturbatione, & Ecclesiæ persecutione Aureliano Imp. (sub quo, eo adhuc Episcopo Fusca Virgo, & Maura nutrix martyrio coronatæ sunt) grauiter afflictus 3. Non. Octobris migrauit è vita, Felice Papa. Cuius corpus fertur suauissimum odorem misisse in æde S. Probi sepultum. *Ex monum. Eccles. Rauen. & Hieron. Rub. in Hist. Rauenn.*

ANNOTATIO.

PAnuin. in Fast. Marcellinum non Vrbano Pont. sed Pontiano Episcopum creatũ scribit, illique 51. annos Episcopatus tribuit.

DE S. GALLA VIDVA ROMÆ.

Galla secundas nuptias reijcit. Sacro morbo in mamillis exorto Galla vehementer affligitur.

GAlla nobilissima Symmachi Consulis filia, mortuo viro; cui nupserat intra annum, numquam, vt alij nuberet, persuaderi potuit: tametsi post propinquos medici quoque illam ad secundas nuptias hortabantur, ne præ nimia eius caliditate barbam, vt homines, emitteret. Sed in ecclesia, & cœnobio apud S. Petrum cũ aliquot virginibus degens, orationibus, eleemosynis, ieiunijs, alijsq; sanctis operibus vacauit. Quæ in mammillis sacro morbo exorto, cum dolore, fœtoreque vlceris in lecto diutiùs decumbens maximè affligeretur, à Principe Apostolorum quadam nocte eam in somnis consolante visitata est; deque obitu

admo-

admonita; cum autem illa ex virginibus Benedictam præcipuè diligeret, orauit Apostolum, vt illa secum ex hac vita decederet, cui Apostolus, aliam monachã secum migraturam, Benedictam vero post dies 30. & ipsam in cœlum euolaturam dixit. Quæ cum Abbatissæ narrasset triduò sacris munita cessit è vita 3. Non. Octobris. *Ex vita S. Benedicta virg. ex S. Greg. Papa lib. 4. Dialog. cap. 14. Pet. in Cat. lib. 9. c. 25.*

Visitatur ab Apostolo, ac de obitu admonetur.

ANNOTATIO.

Vixit Galla sub Gothis Theodorico Rege: cuius pater Symmachus vnà cum Seuerino Boetio iussu eiusdem Theodorici capite truncatus est.

DE S. RENATO EPISCOPO, ET PROTECTORE Surrentino.

Renatus patria Andegauensis S. Maurilij Episcopi discipulus, ex illustri ortus familia, cum omnibus virtutibus exornatus in demortui Maurilij locum à ciuibus electus esset, relictis omnibus diuino consilio patria excedẽs per Pannoniam apud Surrentum venit: vbi, ædicula sibi extructa, vitam inopem, & quietam duxit: quoad fama sanctitatis per finitima Campaniæ oppida peruagata, à Surrentinis mortuo eorum Episcopo in Pastorem postulatur: quibus cũ diu ab ea cogitatione remotissimus restitisset; indeque proficisci pararet, tandẽ precibus, & lacrymis eorum cessit. Officium aggressus pastorale, gratus omnibus erat: omnes iuuabat; lædebat neminem: uiduarum defensor, illas suis facultatibus subleuabat; pupillis loco parentis, & tutoris erat; afflictos erigebat, & solabatur: egenos, & peregrinos exceptos suis sumptibus alebat. Nemo, qui ad illum accederet opis, aut consilij indigus, ab eo vacuus aut tristis abibat. Renatus tandem senex caluitio, barbaque maxima, modestus, autoritate grauis propinqua morte præuisa, magno apud omnes desiderio sui relicto 3. Non. Octobris abijt in cœlum, in ea ædicula, in qua vixerat, sepultus: quo in loco templũ postea cum cœnobio Benedictinorum picturis nobile, & fortunis locupletatum excitatum fuit. Multa post mortem ab eo miracula patrata leguntur: in quibus illud, Longobardis Surrentum obsidione prementibus, illum sæpius apparuisse, illisque deterritis patriam liberasse. *Ex eius vita à Dauid Rhomao scripta, & edita.*

Renatus innumeris, ac diuinis virtutibus eminentissimis fulsit.

Surrentum patriam liberat.

ANNOTATIO.

Vixit S. Renatus circa annum sal. 400. siquidem S. Maurilius Episcopus Andegauen. cuius discipulus fuit. Anno D. 388. Andegauensibus praerat Theodosio Seniore Imperante. Eius natalis die seq. Beneuenti recolitur.

Octobris die 6. DE SS. MARTYRIBVS MARCELLO, CASTO, ÆMILIO, & Saturnino Capuæ.

Marcellus, Castus, Æmilius, & Saturninus apud Capuam à Beda, Vsuardo, & alijs martyrium passi referuntur; licet in Breu. & Tabulis Ecclesiæ Capuanæ nulla eorum memoria extet. Baron. in Annotationibus hac die illos Africanos suis sedibus pulsos in Campaniam venisse, quo tempore Vuandalica persecutio vigebat, opinatur, Marcellumque eundem cum eo, qui cum alijs in Africa passus traditur, in Martyrologio Rom. putat.

ANNOTATIO.

H*Os Baron. in Annotat. Africanos fuisse opinatur; deque eis agi Capua ait. Sed in Tab. Eccles. Capuana; quas & M.S. & prælo impressas vidimus desiderantur, sicuti aliorum aliquot SS. nomina, in Martyrol. tamen Rom. adnotantur. Pet. Gales. Rogatum, Antonium, & Auitum addit: quos in Africa passos manifestum est, diuersis tamen diebus.*

DE S. MAGNO EPISCOPO HERACLIENSI VENETIIS.

Magnus octo Ecclesias extruit.

MAgnus Altini nobilibus natus parentibus, in eterno vitam ducens mira effulsit sanctitate: qui factus Sacerdos, Altino euerso, Heracliam; quæ postea ciuitas noua dicta est, vrbem intra paludes sitam venit. Vbi cognita vitæ eius integritate, creatur Episcopus. Quo in munere cum maximè humilitate præluceret, ac gregi pascendo non tam doctrina, quam innocentissimæ vitæ exẽplo intenderet, diuinum cultum multis extructis ecclesijs auxit. Nam octo ecclesias in ijs Insulis, in quibus postea vrbs Veneta condita est, diuino admonitu ædificasse traditur, ijs SS. qui sibi in visu apparuerant, locumque demostrarant ædificij, dicatas. Prima Petro Apostolo, secunda Raphaeli Archangelo; tertia Saluatori; quarta B. M. V. (quæ S. Mariæ Formosæ adhuc nominatur) quinta Ioanni Baptistæ: sexta Zachariæ: septima Iustinæ virgini, & martyri; octaua 12. Apostolis dedicata est. Magnus, denique non tam nomine, quam rebus ipsis ætate, pijsque laboribus confectus migrauit ad Dominum ibidem non sine omnium fletu sepultus, claruitque miraculis. Cuius corpus Venetias Prid. Nonas Octobris Anno sal. 1206. translatum in æde S. Hieremiæ honorificè conditum est. *Ex Pet. in Cat. appendice c. 17.*

ANNOTATIO.

L*icet in Martyrol. Rom. Episcopus Opiterginus scribatur; apud Pet. tamen loco cit. & in Annalib. vrbis Veneta Heraclien. Episcopus fuisse legitur.*

DE S. BRVNONE CARTHVSIANORVM AVTORE Padulæ in Calabria.

Bruno horrẽdo cuiusdam defuncti prodigio ad Religionem cõuertitur.

BRuno Coloniæ Agrippinæ claris parentibus ortus; dum Lutetiæ Parisiorũ litteris operam nauaret, horrendo prodigio ad religionem conuersus est. Cum enim Doctoris cuiusdam litteratura, & moribus eximij defuncti exequiæ in ecclesia celebrarentur, illaque verba, *Responde mihi quantas habeo iniquitates* decantarentur, mortuus omnibus, qui aderant audientibus, & stupentibus, capite eleuato alta, & horrenda voce, dixit, *Iusto Dei iudicio accusatus sum*, caputque reposuit. Dilata in Crastinum sepultura, totaque pene ciuitate confluẽte, vbi ad eadem verba ventum est, is rursus capite erecto ait. *Iusto Dei iudicio iudicatus sum*, omnibus spectaculum admirantibus placuit diem tertium expectare: quo adueniente, repetitis exequiarum precibus ad eadem verba defunctus attollens caput dixit. *Iusto Dei iudicio condemnatus sum*. Quæ res inter cœteros Brunonem, qui præsens tanto spectaculo fuerat, ita perterruit, vt accersitis sodalibus Landuino, Stephanis duobus, Hugone, qui solus erat Sacerdos, Andrea, & Guarino laicis longa oratione persuaserit, vt illicò illud Gregorij Papæ adducens, *Qui pœnitenti veniam spopondit, peccanti diem crastinum non promisit,*

misit, sæculò dicentes vale locum peterent pœnitentiæ. Quare ad Hugonem Gratianopolitanum Antistitem venientes locum cum benedictione intra altissimos montes Carthusiam nomine obtinent: ibi vitam sub Brunonis disciplina Angelicam ducunt. Euocatur interea Bruno à Gregorio II. Pont. qui eius discipulus fuerat, socijs eius recessum ægre ferentibus, & flentibus: quibus postea Landuinus Præfectus Prior fuit. Bruno autem Episcopatu Rothomagensi recusato, curiæ pertæsus cum socijs in Calabriam proficiscitur, ac in turrensi solitudine Scyllacensis diœcesis loco aliquandiu vitam degit, donec Rogerius Comes Calabriæ fama sanctitatis tractus ad eum visendum veniens ecclesiam S. Mariæ, & S. Stephani cum adiacentibus prædijs, & locis ei perpetuò largitus est, quas S. Bruno impensis à Comite suppeditatis extruxit. His & alijs rebus gestis, multisque clarus miraculis S. vir vitæ terminum adesse præsentiens, conuocatis fratribus eosque, totius vitæ suæ cursu enarrato, ad obseruantiam hortatus Prid. Non. Octobris An. sal. 1101. efflauit animam, in æde S. Stephani sepultus. Ad cuius tumulum fons viuus scaturijt, adeò morbidis salutaris; vt cæci visum, surdi auditum, muti integritatem, leprosi munditiem, & varijs alijs morbis oppressi sanitatem inde receperint. *Ex vita qua apud Sur. to. 5. legitur.*

Bruno à Gregor. II. Pont. Romam euocatur.

Episcopatū Rothomagēsem recusat.

Ad Brunonis tumulū fons viuus omnibus morbis curandis salutaris emanat.

ANNOTATIO.

IN SS. relatus est à Leone X. Pont. Max. absque tamen solemni ritu, qui in SS. Canonizatione adhiberi solitus est.

Epitaphium S. Brunonis.

„ *PRimus in hac Christi fundator ouilis eremo*
„ *Promerui fieri, qui tegor hoc lapide.*
„ *Bruno mihi nomen, genitrix Germania, meque*
„ *Transtulit ad Calabros grata quies nemoris.*
„ *Doctor eram, præco Christi, vir notus in orbe.*
„ *Desuper illud erat gratia, non meritum.*
„ *Carnis vincla dies Octobris sexta resoluit,*
„ *Ossa manent tumulo, spiritus astra petit.*

DE S. ADELGISO EPISCOPO NOVARIENSI.

ALdegisus seu Aldegisius Episcopus Nouariensis multa cum religiosè, tum liberaliter egit, cuius in omni opere pietas elucebat. Collegium Canonicorum basilicæ Cathedralis beneficijs auxit, ipsamque Cathedralem donis exornauit. Vixit in Episcopatu annos 19. Sergio II. & Leone IV. Summis Pontificibus. Plenus autem dierum, meritorumque obdormiuit in Domino. Prid. Non. Octobris. Cuius corpus in æde S. Gaudentij tumulatum adhæc vsque tempora requiescit. *Ex monumentis Eccles. Nouarien.*

Aldegisus collegium Canonicorū auxit.

ANNOTATIO.

HVius Sancti Episcopi natalis ab anno Domini 1582. celebrari cœpit, à Francisco Bossio Episcopo Nouarien. in Tab. ad vsum sacrum compositis adnotatus.

DE

DE S. EPIPHANIA VIRGINE PAPIENSI.

Rachisius Epiphaniæ pater Rex Longobardorum in perpetua pænitentia degit.

EPiphania virgo Rachisij Longobardorum Regis filia, forma corporis, & morum sanctitate fulgens vnà cum patre (qui bello Romanis illato à Zacharia Papa ad eum Perusiam profecto ita persuasus est, vt non solum pacem postulatam concederet, sed etiam Regio diademate deposito se perpetuæ pœnitentiæ manciparet) & matre cum iam nubilis esset, habitum monasticum in cœnobio S. Mariæ, quod à capulis denominatur, induit. In quo adeò orationibus, ieiunijs, vigilijs, & sanctis exercitationibus addicta fuit, vt cœteras virgines longè superaret, maximè verò charitate, humilitate, mansuetudine, & pietate. Adeò quoque mitis, & loquendi parcior fuit, vt neque inter loquendum læderet aliquem. Quapropter plurimæ virgines, vt eius consuetudine fruerentur, monasterium illud ingredi peroptabant. Cum autem multa sanctitatis inditia apparuissent, S. virgo à sponso euocata migrauit in cœlum Prid. Non. Octobris, in eodem cœnobio sepulta. *Ex vita illius M.S. apud Moniales prædicti Monasterij.*

ANNOTATIO.

ETsi in Tabulis Eccles. Papien. hactenus descripta non est; illius tamen natalis hac die in ecclesia prædicta S. Mariæ celebratur.

DE S. PROBO EPISCOPO, ET MARTYRE CAIETÆ.

SAnctus Probus Episcopus, & martyr Prid. Non. Octobris ab Ecclesia Caietana duplici ritu consueuit celebrari. Cuius corpus vnà cum SS. Episcoporum, & martyrum Erasmi, Marciani, Casti, Secundini, & Innocentij corporibus in templo maiore religiosè asseruatur. *Ex Tab. eccles. prædicta.*

ANNOTATIO.

AN Formianæ fuerit Eccles. vel alterius Sedis Episcopus, & quo tempore martyrium passus sit: nondum scire licuit; cum Acta illius ad manus nostras non peruenerint.

Octobris die 7.

DE S. MARCO PAPA.

Marcus Pallio Episcopũ Ostiensem donat.

MArcus Romanus Constantino Magno Imp. post S. Siluestrum Pontificatum gessit. Is instituit, vt Episcopus Ostiensis, à quo Romanus Pontifex consecratur, pallio vteretur. Duas Romæ basilicas ædificauit, vnam in vrbe: alteram via Ardeatina: quas Constantinus auctas magnis muneribus exornauit. Fertur bis mense Decembri, Presbyteros 25. Diaconos 6. Episcopos per diuersa loca 28. creasse. Cum exiguo tempore Ecclesiæ præfuisset, Nonis Octobris cessit è vita circa an. sal. 336. in cœmeterio Balbinæ sepultus. Cuius extat Romæ titulus antiquus, de quo in Concilio I. Rom. sub Symmacho Papa fit mentio. *Ex Breu. Rom. Damaso Plat. & Baron. in Annal. De eo etiam Pet. lib. 9. c. 33.* Vbi illum, vt symbolum omnibus Dominicis diebus, & Festis Apostolorum diceretur in Missa, instituisse scribit, illumque manifesto errore 2. huius nom. facit, cum alius Marcus Papa non fuerit, licet ille primum ante S. Syluestrum ponat Felicis I. successorem.

AN-

ANNOTATIO.

De Marci tempore, quo præfuit Eccles. maxima est inter scriptores dissensio. Nam Damasus in lib. Pont. eum 2. annos, menses 8. dies 21. vixisse tradit, quem Plat. sequitur, quod verum esset, si duas mense Decembri habuisset ordinationes. Alij, vt Panuin. & Marian. menses octo, & aliquot dies. Diuus Hieron. in Chron. quem Breu. Rom. secutum videtur, menses octo. Baron. in Annal. ad ann. 336. menses 7. dies 22. Ego nisi Eccles. autoritas in Breu. cogeret, cum Damaso sentirem, sic enim duas ordinationes mense Decembri, vt idem Damas. scribit habuisset, & illas duas epistolas scripsisset.

DE S. IVSTINA VIRGINE, ET MARTYRE, Patronaque Patauina.

IVstina virgo Vitaliani Præfecti, seu Principis Patauini, & Prædignæ eius vxoris filia ex eis in vltima ferè ætate ad S. Prosdocimi Episcopi preces genita, ab ipso Prosdocimo in fide christiana educata, & aquis expiata fuit. Mortuis parentibus; cum persecutio in christianos feruesceret, ipsa ex prædio in vrbem rediens à militibus Maximiani Præfecti in pontis ingressu septa, è rheda descendit, ac Deum genuflexa super saxo (in quo vestigia impressa genuum virginis monstrari feruntur) ne sua virginitas in discrimen vocaretur, precata Præfecto sistitur. Qui cum illam neque blanditijs, neque minis ad Idolorum culturam flectere posset; gladio pectus eius transuerberari iussit; quæ breui orans, sublatis in altum manibus, suum Deo tradidit spiritum Nonis Octobris. Cuius corpus à S. Prosdocimo in eodem Campo Martio, vbi confossa obijt, sepultum fuit: quo in loco insignis postea basilica suo nomine extructa fuit: quã Monachi Benedictini opulentissimi tenent. *Ex monumentis Eccles. Patauinæ: quæ à Bernardino Scardeon. lib. 2. class. 6. de Antiquit. vrbis Patauinæ, & Pet. lib. 9. c. 32.*

Genuum vestigia S. Iustinæ saxo impressa.

S Prosdocimus S. virginẽ tumulat.

ANNOTATIO.

Acta S. Iustinæ etiam in lib. de SS. Eccles. Veronen. recitantur: sed ea, quæ censura egent. Cum enim sub S. Prosdocimo discip. S. Petri vixerit, sub Nerone passa est, non sub Maximiano Imp. vt habent dicta acta, aut Rege, vt Pet. loco citato scribit. Porrò celebris est memoria huius virg. cum in toto ferè Dominio Veneto eius dies festus celebretur.

DE S. PALATIA VIRGINE, ET MARTYRE ANCONITANÆQVE vrbis patrona.

PAlatia, quæ & Palatiates virgo Tyria clarissima à patre cum Laurentia nutrice, ob egregiam formam in turre asseruabatur; quæ cum clam Christum coleret, vnà cum Laurẽtia, ab ancillis, quòd Deos non curaret, apud patrem accusata, ab eo variè cruciatur: iussa enim Deos venerari, eos execrata immaniter cæditur: quoad tortores defatigatos vires deficerent. Carcere aliquot dies sine cibo, & potu inclusa, ab Angelo refecta ad fortiter dimicandum roboratur. Educta itaque ad Prętorium ferro vincta, cum nollet Dijs sacrificare, in ignem inijcitur; verùm flamma ab ea refugiens plurimos ex Idolatris interfecit. Quare pater illam Dioni Præfecto extremo supplicio puniendam tradit. Qui illam saxo ad collũ alligato in profundũ maris demergi iubet. At ab Angelis erepta, & su-

Palatia crudeliter cædit.

In carcere sine cibo, & potu ab Angelo reficitur.

Ignis Palatię subiectus plurimos ex Idolatris interimit.

& super vndas ambulans rursus comprehensa naiculæ vnà cum Laurentia in exilium deportanda imponitur. Quæ tempestate ad littus Centumcellense delatæ à Promoto Tusciæ Proconsule ad Diocletianum Imp. comprehensæ, vinctæque mittuntur. Cum verò Imp. eas Firmum in exilium amandasset, illæ Deum, vt se è tantis ærumnis ad se euocaret, vehementius precatæ in pace migrauerunt ad sponsum Nonis Octobris. Quarum corpora Anconæ condita sunt. *Ex monum. Eccles. Ancone.*

Super vndas ambulat.

ANNOTATIO.

Acta S. Palatiæ cum actis S. Christinæ virg. de qua die 23. Iulij actum est, confusa videntur: nomen enim patriæ, & Præfecti idem, ac eadem priora tormenta. Natalis eiusdem in Martyrol. Rom. die seq. notatur.

DE S. GEROLDO MARTYRE APVD CREMONAM.

GEroldus Coloniæ Agrippinæ anno sal. 1201. natus, à puero pietati, & abstinentiæ deditus, factus grandior multas tentationes Diaboli superauit. Vbi ad ætatem virilem peruenisset, cilicio indutus humi cubabat, seque in Dominicæ passionis meditatione donec sanguis in terram defflueret, flagellabat ieiunijs, & orationibus intentus. Is humili amictu contectus, absque vllo sæcularis auxilij adminiculo multas, & quidem longinquas suscepit peregrinationes; cum autem post S. Iacobi in Hispaniam, & Romæ peregrinationem in Palæstinam transmittere pararet; apud Cremonam in pago Mamica à Pado fluuio absorto, dum ad duos latrones rixam inter se simulantes, pacificandos accurrit, ab illis ratis eum pecunias habere, multis in capite vulneribus inflictis impiè occiditur. Cuius corpus insigni miraculo deprehensum traditur; campanis ciuitatis sponte sonantibus, odore suauissimo ex eo exhalante, luminibusque diuinitus in eo loco splendentibus. Quare S. vir iacens cum libello, in quo nomẽ suum, & patriæ cũ alijs rebus scriptum erat inuentus est. Cuius corpus ab Episcopo, & clero cum tota ciuitate; quæ ad tantam rei nouitatem confluxerat, solemni pompa elatum, in viæ amque delatum in æde S. Vitalis conditum est, cũ portitores ad aliam ecclesiam diuertere conantes immobiles effecti fuissent. Illud nunc in propria ecclesia piè asseruatur. *Ex vita ipsius Cremonæ 1581. typis excusa.*

Geroldus à duobus latronibus occiditur.

Campanæ vltrò personãt: mira odoris suauitas degustatur; luminibus diuinitùs in eo loco scintillantibus.

ANNOTATIO.

CVm præter enarrata noui post mortem ad eius tumulum super cæcis, claudis, & alijs morbo aliquo laborantibus miracula fierent, sacra suo nomini ædes dicata, celebrari cœpit illius natalis hac die.

Miracula post mortẽ.

Octobris die 8.

DE S. FELICE EPISCOPO COMENSI.

FElix Nouocomensis ciuis, nobili genere natus, optimis moribus, doctrina, eloquentia, & religione præditus à S. Ambrosio Episcopo Mediolanensi primus Comensium Episcopus sacratur circa annum sal. 380. Qui suscepto pastorali munere plerosque Comenses à recta via: ob Arianam perfidiam, aberrantes, ad verum iter reduxit, & eos, qui adhuc Gentilium superstitione tenebãtur, ad christianam adem conuertit: id quod maximæ inter Felicem & Ambrosium necessitudinis causa fuit, quemadmodum epistolæ Ambrosij ad Felicem

Felix à S. Ambrosio consecratur.

ſcriptæ teſtantur. Cum Felix piè, ſanctèque admodum Eccleſiæ ſuæ ad plures annos præfuiſſet, ſucceſſore ſibi delecto, ægritudine correptus breui ad tot laborum præmium euolauit in cœlum 8. Idus Octobris, in crypta baſilicę S. Carpophori in monumento lapideo, ſeu ex ſilice ſepultus. *Ex Breu. & monum. Eccl.*

ANNOTATIO.

EX huius S. Epiſcopi vita duo colliguntur; primum quidem tardius Comenſibus Epiſcopum datum fuiſſe ſicuti & Nouarienſib. alterum verò Eccleſiam Comen. à principio Eccleſiæ Mediolanen. ſubiectam fuiſſe; licet poſtea ad metropolim Aquileienſem deſciuerit.

Ex Hymno Breu. Antiq. Comen. de SS. Epp.

Potitus in primordio
Eſt Felix Pontificio
Poſt quem ſecundus actibus
S. Prouinus claruit.

Octobris die 9.

DE S. DOMNINO MARTYRE, ET PATRONO IVLIENSI.

DOmninus, ſiue Donninus Maximiani Imp. cubicularius occultè Chriſtum colens cum Imp. multos ex Thebæis militibus chriſtianos in Sedunorum finibus iuſſiſſet interfici, reliquosque perdere cogitaret, non modò fugam perſuaſit, ſed & ſe illis viæ ducem præbuit. Venit igitur in Italiam non metu quidem tormentorum; at vt alijs prodeſſet, Romam via Claudia, ſiue Æmilia profecturus. Alijs autem ad alia loca diuertentibus, ipſe apud Iuliam agri Parmenſis oppidum (quod Burgum S. Donnini nominatur, nunc recens Epiſcopali Sede donatum) dum Sitteronem amnem traijcere pararet, ab Imp. ſatellitibus poſt eum miſſis comprehenſus: ob chriſtiani nominis profeſſionem, capite truncatur, 7. Idus Octobris. Qui acceptum manibus caput, illud trans flumen ad lapidis iactum geſtauit. Corpus ibidem ſepultum vſque ad Conſtantinum Imp. quandò Eccleſiæ pax data eſt, ignotum, miraculo deprehenſum eſt: nam cum locus noctu miro ſplendore illuſtratus conſpiceretur, re ad Parmenſem Epiſcopum delata, eo præſente cum clero terra ibi effoſſa corpus cum huiuſcemodi inſcriptione: HIC IACET CORPVS S. DOMNINI MARTYRIS, aperto tumulo caput intra vlnas tenens; ſuauemque mittens odorem repertum eſt. Quo in loco baſilica ſuo nomine extructa, miraculis clarere cœpit: in quibus illud memorabile: quod ægrotus inſanabili morbo ad tumulum S. Domnini curatus, dum equum, quem extra eccleſiam religarat, non reperit, ad tumulum S. martyris reuerſus, atque pro equi inuentione fuſis precibus ſtatim eccleſia egreſſus furem, qui ſibi equum vltrò reddidit, inuenit. *Ex lectionibus, quæ in eius off. recitantur, & paſſ. à Sur. tom. 7. rel.*

Domninus manibus caput ad lapidis iactum geſtat.

Fulgor S. Dōnini corpus, ſuauem ſpirans odorē, indicat.

Ægroto ſanitatem ſimul, ac equum reddit.

ANNOTATIO.

HÆc S. Domnini hiſtoria haud concors Rom. Martyrol. eſſe videtur: nam in illo gladiò tranſuerberatus occubuiſſe refertur, hic verò decollatus: quæ duo diuerſa videntur. Quòd tamen decollatus fuerit, fidem facit illius inuentio, cum corpus cum capite intra vulnas repertum legatur. Fortè gladio tranſuerberatus, & decollatus ſimul fuit.

DE

DE S. DEVSDEDIT ABBATE CASINENSI.

Deusdedit Eccles. liber. constantissimus propugnator.

DEusdedit Abbas Casinensis 15. S. Apollinari Abbati in regimine successit. Is Monasterio Casinensi 6. annis præfuit: illudque admirabili prudentia, & sanctitate administrauit; ac in primis Ecclesiasticā libertatem intrepidè defendit. Cuius rei gratia à Sicardo Tyranno; qui bona iuraque Ecclesiastica vsurpare cœperat, eique Deusdedit se se strenuè opposuerat, in carcerem detrusus est: vbi diu detentus, fameque, & ærumnis confectus demum 7. Idus Octobris migrauit in pace: ad cuius sepulchrum plura miracula super infirmis, & varijs morbis laborantibus perpetrata sunt. *Ex Cron. Casinensib. Leon. Ostien. lib. 3. c. 22. & Io. Trithem. lib. 5. c. 274. de vir. illust. ord. S. Bened.*

ANNOTATIO.

COrpus eius in proprio sacello in M. Casino asseruatur; ibique venerationem habet. Obijt an. D. 834. cum 6. ferè annos regimini præfuisset.

DE S. BARACTALE MARTYRE SPOLETII.

BAractalis Antiochenus vnà cum Anastasio patruo, Britio, & Eutychio sobrinis, ac Ioanne, Isacio, Carpophoro, Abundio, Teudila, Laurentio, Proculo, & Herculano fratribus Romam venit, inde Narniam. Proculo autem, & Eutychio aliò profectis, Anastasio Romæ defuncto, cum alijs Spoletium contendit: vbi Britio tanquam seniore Episcopo ordinato, alijsque iussu Marciani Præsidis sub Diocletiano, & Maximiano carcere inclusis, illis Baractalis natu minimus, qui: ob aspectus, & morum elegantiam, etiam Gẽtilibus charus erat, liberè ministrabat, cumque ipsos Gentiles ad christianam fidem hortaretur; blandisque verbis illorum vitia argueret, adolescentum quorundam graue in se odium concitauit, qui illum ad sepulchrum S. Gregorij martyris sæpissimè orantem apud Præsidem deferunt. Baractalis itaque ad Præsidem perductus, seque christianum liberè professus, cum nullis minis, aut terroribus adduci posset, vt Deos veneraretur, ductus extra vrbem apud sepulchrum prædictum capite truncatur 7. Idus Octobris. Cuius corpus à christianis ibidem sepultum est. *Ex monum. & lectionib. Eccles. Spoletina M. S.*

Baractalis ob formæ, ac morum venustatē Idolatris apprimè charus.

ANNOTATIO.

DE Baractale, & socijs plurib. agit Io. Baptista Brachius Ord. Prædicat. licet alicubi censura egere videatur.

DE S. DOMNINO EREMITA APVD TIFERNVM.

Maxima Dõnini in victu asperitas.

DOmninus vir simplex post excessum S. Amantij Presbyteri, intra montes, & syluas Tifernatis territorij in loco; qui Robianum dicitur, vitam pomis agrestibus, & herbarum radicibus diu ignotus solitariā duxit; donec à rusticis; qui in eum locum ad colligendas glandes venerunt, detectus est. Multis autem in dies ad eum visendum cõfluentibus, eos maximopere rogabat, ne se suamq; solitudinem sua visitatione turbarent, se inde recessurum minatus. Cum verò plures ibi annos in ea vitæ austeritate, in orationibus, ieiunijs pijs meditationibus egisset. 7. Idus Octobris migrauit ad Christum, ibidem sepultus. Vbi ecclesia suo nomini extructa, dicataque est. *Ex monum. M. S. Eccles. Tifernen.*

AN-

ANNOTATIO.

Cum duplex Tifernum sit, Tyberinum, & ad Metaurum; hic de Tyberino est sermo, non de Metauren.

Octobris die 10.

DE S. CERBONIO EPISCOPO POPVLONIENSI.

Cerbonius S. Reguli discipulus cum eo, & alijs ex Africa in Hetruriã venit; ac cum illum iussu Totilæ decollatum vnà cum Felice Diacono sepelisset, Populoniam reuersus Episcopus eius vrbis creatur. Qui cum aliquot hospitio exceptos apud se; ne à Gothis interficerentur, abscondisset, Totila iubente, Merulis loco ab vrbe 7. M.P. distante ferocissimo vrso deuorandus obijcitur: qui è cauea eductus, vbi citato cursu ad S. virum peruenisset, præter morem cum fame premeretur, demisso capite pedes cœpit illius lambere non sine omnium, & Regis ipsius admiratione; qui eum statim reuertirus dimisit. Cum autem postea aduenientes Longobardi omnia sibi obuia vastarent, Cerbonius cum suis in Iluam Insulam euadens, cum ægritudine captus, sibi migrandum intelligeret, clericis suis præcepit, vt corpus suum Populoniam in sepulchro, quod iam sibi viuens parauerat, tumulandum deferrent: quibus se, quòd Longobardi regionem occupassent, excusantibus respondit non esse quòd sibi timerent, si citò corpore delato, & sepulto statim recederent. Cum itaque obijsset 6. Idus Octobris, clericis iussa exequentibus, cũ copiosus imber toto illo maris spatio, quod inter Insulam, & Populoniam est descenderet, ne gutta quidem nauim: in qua sacrum corpus ferebatur, attigit, eo sepulto, statimque iuxta S. Episcopi præceptum abeuntibus, illicò Gommarus Longobardorum dux sæuissimus vrbem inuasit. *Ex S. Greg. Papa lib. 3. Dialog. c. 11. & ex offic. Canonic. Regul.*

Ferocissimi vrsi ergà S. Cerbonium mansuetudo.

Gommarus Lõgobardorum Dux.

ANNOTATIO.

Baron. in Annal. lib. Eccles. obitum S. Cerbonij ad an. D. 573. refert; vbi miraculum pluuia in nauim non cadentis ex S. Greg. narrat, quod Bened. Papa I. & Iustino Iuniore Imp. contigit.

DE S. CERBONIO EPISCOPO VERONENSI.

Cerbonius Episcopus Veronensis XXXIV. S. Annoni: cum eloquentia, doctrina, & vitæ probitate præstaret, subrogatus est. Is Euangelicæ disciplinæ propagandæ cupidissimus, sedulam in ea re operam nauauit; extirpandisque hæresibus maximè intentus fuit. Cum itaque, & doctrina, & vitæ innocentis exemplo Ecclesiam suam expurgasset; pluraque sanctitatis reliquisset inditia, ad laborum præmium 6. Idus Octobris euolauit in æde S. Proculi tumulatus. *Ex monument. Eccles. Veronen. & lib. Aug. Valer. Episcopi, & Card. de Epp. Veronensib.*

ANNOTATIO.

Alicubi Cerbonus scriptus legitur; qui & si quantum in Episcopatu vixerit, ignoretur; senio tamen confectus traditur decessisse.

DE S. PAVLINO EPISCOPO CAPVANO.

Paulinus in Britannia natus, ab ineunte ętate diuino seruitio mancipatus post studia liberalia sacris litteris impensè operam dedit. Qui terræ sanctæ visendæ

fendæ desiderio flagrans patrimonio in pauperes erogato, ferè nudus cum paucis iter arripuit. Cum Capuam, quo tempore Radelbertus eius vrbis Episcopus vita functus erat, peruenisset, concionemque in ecclesia rogatus à clero habuisset, sic omnes commouit, vt illum clerus, & populus communi voto Episcopum deposcerent. Qui à Rom. Pontifice confirmatus Episcopus; licet inuitus, consecratur. Suscepto pastorali officio maximam persecutionem à schismaticis triennio passus est. Fame ciuitate oppressa, S. Episcopus omnia sua in sustentandis egentibus insumebat, cum verò matronæ, & tribus eius filijs eleemosinam petentibus, non haberet quid daret, mulam, cui insidebat, descendēs donauit, præfuit Ecclesiæ suæ annos 8. post quos sanctitate apprimè cumulatus migrauit ad Dominum 6. Idus Octobris. *Ex Breu. Eccles. Capuana.*

Clerus Capuæ Paulinū à cōcione deposcunt. Maximam à schismaticis patitur persecutionem. Mulam pauperi viduæ donat.

ANNOTATIO.

EX Catal. Epp. Capuæ Paulinum circa an. D. 570. vixisse coniectura est: nam Victor post quem, Rufinus, & Radelbertus ponuntur, an. D. 527. floruit. Post Paulinum verò S. Vitalianus, & Decorosus.

DE S. MAXIMO EPISCOPO ÆMONIENSI, ET MART.

MAximus Episcopus Æmoniæ (quæ vrbs est Histriæ, & ciuitas noua nominatur) Maximiani Imp. edicto in christianos euulgato, sponte optimum Histriæ Præsidem adijt: à quo cum iussus Dianæ sacrificare, id facere recusaret, carcere inclusus fustibus primùm cæditur: deinde cum minas Præsidis negligeret, tormentaque pro Christo quasi vnctiones sibi videri assereret, in equuleo suspensus exungulatur: donec dilacerato corpore sanguis copiosius deflueret. Cum verò S. martyr, nec fustes, nec vngues; neque ignem; neque alios cruciatus pertimescere videretur; sed constantior euaderet; iratus Præses illum extra vrbem ductum lapidibus obrui iussit: sicque martyrij agonem feliciter absoluit 4. Kal. Iunij. Cuius corpus à christianis tumulatum, postea Venetias translatum in æde S. Cantiani miraculis fulgens reconditum fuit. *Ex Cron. & Cod. M. S. Ecclesiæ prædictæ.*

Grande martyrium.

ANNOTATIO.

NAtalis Æmoniæ, & Aquileiæ die 29. Maij celebratur: hac verò die transl. Venetijs colitur.

Octobris die 11.

DE S. PLACIDIA VIRGINE VERONÆ.

PLacidia virgo Valentiniani Imp. & Eudoxiæ Augustæ filia ab ineunte ætate, spretis mundi huius illecebris, Gallæ Placidiæ auiæ suę sanctissimæ vestigia sequens orationibus, ieiunijs, eleemosynis, & alijs pijs operibus vacabat. Eius precibus Honoria soror à grauissimo morbo liberata est, quod Eudoxiæ matri in somnis à quodam viro veneranda canitie, & præclara veste amicto reuelatum fuit; ex quo tempore mater filiam venerari cœpit. Eadem Rauennæ cuidam Aniano nomine: qui ex summo templo, quod S. Ioanni Euangelistæ Galla Placidia ob sedatam in mari horribilem tempestatem, voto extruxit, præcipitatus toto corpore confractus fuerat, sanitatem cum membrorum omnium integritate orando impetrauit. Hierosolymam profecta cum biennio, loca omnia sancta deuotissimè visitasset, Venetias appulit: inde Veronam, vt Rauennam

Placidia Honoriam sororem suam à grauissimo morbo liberat. Anianum ex alto præcipitatū, totumq; confractū membrorum sanitati restituit.

nam post recreatas vires rediret, diuertit: vbi Drudæ Orabilis matronæ filiæ mutæ, surdæque, auditum, & loquelam restituit. Veronæ annum precibus ciuium commorata grauissima febre corripitur: ex qua 5. Idus Octobris migrauit ad sponsum, in templo S. Stephani condita. *Ex monum. Eccles. Veronen. & lib. Aug. Valer. Episcopi Veronen. & Card. de SS. Eccl. Veronen.*

Matronæ filiæ surdæ, & mutæ auditum, atque loquelam impetrat.

ANNOTATIO.

PEt. in Catal. lib. 9. c. 70. de Placidia eadem habet; sed eam Idib. Octob. obijsse scribit.

DE S. EVFREDO MARTYRE APVD ALBAM POMPEIAM.

EVfredus, quem monachum Benedictum iniustèque ab impijs, circa ea loca interemptum tradunt, martyr Albæ Pompeiæ, vbi illius sacrum corpus in ecclesia Cathedrali quiescit, colitur. Extat apud Clarascum (quod op. ab Alba ad 7. M. P. distat) sacra ædes illi dicata: ad quam amentes, pro quibus inuocatur, deduci solent, ijs enim Deum S. Eufredi intercessione sæpissimè propitiari ferunt. *Ex Tab. Eccles. Alben.*

ANNOTATIO.

VIta, Actaue eius Albæ, & Clarasci non extant: idcirco, vbi, & quando vixerit, & martyrio affectus fuerit, minime scripsimus.

DE S. GRAMATIO EPISCOPO II. SALERNITANO.

GRamatius Salerni nobilibus parentibus genitus, à pueritia diuino cultui deditus pietate insigniter effulsit. Hic cum disciplinarum studio morũ vitæque integritatem coniungens factus grandior, Christum Dominum paupertatis autorem secutus, omnia sua pauperibus distribuit; cumque S. Bonosius primus Salernitanæ Ecclesiæ Episcopus ex hac vita migrasset, incredibili omnium consensu illi Gramatius quamuis inuitus subrogatur. Quo in munere eadem illi inerat in pauperes sollicitudo, eadem cordis humilitas; ac eadem in vultu grauitas. Assiduis concionibus populum ad humanarum rerum contemptum, & æternarum desiderium excitabat; suoque exemplo carnem imperio spiritus, orationibus ieiunijs, vigilijs subijcere docebat. Morti propinquus domus supellectilia egenis suis manibus elargitus, clericos cum Presbyteris accitos velut filios de sua transmigratione monitos, ad bene, beatèque viuendum, hortatur, cumque Ecclesiam Salernitanam S. Apostoli Matthæi corpore exornandam prænunciasset, 5. Idus Octobris, obdormiuit in Domino. Cuius sanctitas multis manifestata miraculis est. Nam cæcis videndi, surdis audiendi, mutis loquendi, claudis ambulandi facultatem restituit; præter leprosos mundatos, paralyticosque, & oppressos à Dæmone liberatos. *Ex Breu. Salernitano, & Gaspare Musca lib. de Epp. eiusd. Eccles.*

Gramatius incredibili Salernitanorum consensu Episcopus acclamatur.

Eximia in pauperes pietas.

Quamplurimis, mirandisque prodigijs Gramatij sanctitas post mortem manifestata est.

ANNOTATIO.

COrpus S. Gramatij in æde maiore Salernitana apud S. Bonosium requiescit. Quo tempore vixerit ex eius vita non apparet, coniectura tamen est, eum circa an. D. 400. vixisse.

DE S. EVPLIO, SIVE EVPILIO EPISCOPO COMENSI.

EVpilius Episcopus Comensis IX. S. Eutychio successit in Episcopatu. Is Germanus natione ex Vltraiectensi vrbe originem duxit. Qui in Italiam veniens, cum vitæ probitate, doctrina, & moribus excelleret, S. Eutychio meruit in Ecclesia Comensi subrogari. Quam Ecclesiam sic piè administrauit, vt non sine sanctitatis opinione decesserit 5. Idus Octobris. Cuius corpus in æde S. Abundij conditum est. *Ex monument. Ecclesi. Comen.*

ANNOTATIO.

POst an. D. 500. vixisse, Ecclesiaque Comensi præfuisse, ex coniecturis videtur: qui non multis ab hinc annis in Tab. referri, ac in Eccles. Comen. celebrari cœpit.

DE S. PALDONE ABBATE MONASTERII S. VINCENTII in Samnio.

PAldo ciuis nobilis Beneuentanus vnà cum Tatone, & Tasone fratribus, relictis parentibus, facultatibus, & patria, peregrinatione suscepta in Marsorũ fines ad Thomam Abbatem venit. Cuius persuasu in Samnium in solitudinẽ apud Vulturni fluminis ortum se recepit: vbi in ecclesia cum cœnobio nomine S. Vincentij extructo (cui postea à Longobardis Principibus ob monachorum sanctitatem, plurima per circuitum prædia attributa sunt) cum fratribus, & alijs, qui se illi in dies instituendos tradebant, aliquandiu vitam in magna sanctitate duxit, donec à Domino vocatus 5. Idus Octobris in pace quieuit: Cuius corpus ibidem à fratribus sepultum miraculis claruit. *Ex monum. eiusd. monasterij: cuius historiam Autbertus Abbas scripsisse fertur.*

ANNOTATIO.

ECclesiam S. Vincentij à Constantino Magno ædificatam tradunt.

Octobris die 12.

DE SS. MARTYRIBVS EVAGRIO, PRISCIANO, & socijs Romæ.

EVagrius, & Priscianus cum socijs Romæ in Martyrologio à Baronio emendato passi referuntur. Qui in alijs codicibus in Syria coronati leguntur, illisque Edistius additur; qui tamen idem cum eo, qui Rauennæ passus traditur, esse videtur, vt Baron. in Annot. huius diei habet.

ANNOTATIO.

PEt. Galesi. Edistium his præmittit; licet alium statim Edistium Rauennæ passum subiungat, sed Baron. ex vet. M. S. Edistium tantùm Rauennæ coronatum commemorat.

DE S. EDISTIO MARTYRE RAVENNATE.

EDistius nobilis Rauennas in postrema Diocletiani immanissimi persecutione (in qua 30. dierum spatio 17. christianorum millia, præter 20. millia in die illius natali incendio consumpta, & relegatos, atque ad metalla damnatos

natos interfecta propter Christum leguntur) accusatus, quòd christianus esset, comprehenditur, variéque, & diu cruciatus, cum in fidei confessione immobilis permaneret, tandem martyrij cursu feliciter confecto, coronam percepit 4. Idus Octobris. Cuius corpus à christianis via Lauretina, inter Rauenam, & Classem sepultum fuit. *Ex monument. Eccles. Rauenn. & Hieron. Rub. lib. 2. Hist. Rauenn.*

ANNOTATIO.

Beda Vsuard. & Ado, in suis Martyrol. Edissij meminere sicuti, & Rom. Martyrol. nulla facta Imp. sub quo passus sit, mentione.

DE S. CRESCENTIO MART. ET SENENSI ADVOCATO.

Vide die 14. Septemb.

DE S. MONA EPISCOPO MEDIOLANENSI.

Monas Mediolanensis haud obscuro loco natus, sanctimonia vitæ, & Philosophiæ rerumque diuinarum scientia illustris, post S. Calimerium factus Episcopus Mediolanensem sanctè rexit Ecclesiam: in cuius electione lumē cœleste, quo is circunfusus erat, visum fuisse traditur. Ad Episcopatum euectus, ecclesiæ patrimonium suum, amplum donauit. Vrbem in plures parochias distinxit. Maximam pauperum curam gessit, orationibus, & ieiunijs alijs pijs exercitationibus vitam ducens. Vixit in Episcopatu annos 59. in maxima temporum varietate, & perturbatione, multa in persecutionibus incommoda perpessus Eleutherio, Victore, & Pontiano Pontificibus. Denique plenus dierū migrauit ad Dominum 7. Kal. Aprilis. Cuius corpus primum in ædem S. Vitalis 4. Idus Octobris, deinde à S. Karolo Borromæo Archiepiscopo, & Card. in maiorem ecclesiam translatum est. *Ex Breu. & Actis Eccles. Mediolanen.*

Mona cælesti lumine fulget.

ANNOTATIO.

Non solum tempore trium memoratorum Pont. vixit; sed etiam tempore intermediorum, hoc est, Zephyrini, Callisti, & Vrbani eum vixisse oportet. Hac autem die non natalis, sed prima eius transl. recolitur.

DE S. SALVINO EPISCOPO VERONENSI.

Saluinus Veronensis Episcopus XXV. inter Sanctorum Moderatum, & Andronicum eam Ecclesiam sanctè, & laudabiliter rexit. Nam in omni virtutum genere cœteris eius vrbis Episcopis conferendus, ita cupiditates, quibus homines velut fluctibus in hac vita agitantur, ita domuit, orationum, & vigiliarum, ieiuniorumque præsidio armatus, vt impetus naturæ omnes facilè sedaret, humilitatemque cœteris virtutibus anteferret. Erat illi ingenium præclarum, doctrina excellens, sermo suauis, moresque placidissimi; quæ illum omnibus amabilem reddebant. Denique cum vir planè diuinus ab omnibus haberetur, recessit ab hac vita 4. Idus Octobris, in templo Sancti Stephani tumulatus. *Ex libro de SS. Epp. Veronens. autore Aug. Valer. Episcopo, & Card. Veronen.*

Saluin⁹ diuinis animi virtutibus excelluit.

ANNOTATIO.

Hic à Syluino: qui eiusdem vrbis Episcopus XXXVIII. fuit: de quo die 12. Septemb. egimus, valde diuersus est.

DE S. RODOBALDO EPISCOPO PAPIENSI.

Rodobaldus II. huius nominis Episcopus Ticinensis 53. S. Fulco in Episcopatu successit, vir omni virtutum genere ornatus, & cultui diuino maximè deditus. Corpora, & reliquias SS. diligentissimè conquisita vnà cum ecclesijs à Longobardis Regibus ædificatis adnotauit, sobrietatem præcipuè coluit, non semel cũ suis per hebdomadam ieiunare solitus, Ecclesię redditus valde auxit, pagis aliquot, & castris ei acquisitis. Vixit in Episcopatu annos 25. quibus gregem sibi commissum egregiè verbo doctrinæ, & exemplo vitæ pauit. Denique meritorum, dierumque plenus ad præmium in cœlos euolauit 4. Idus Octobris: post an. sal. 1241. Innocentio IV. Summo Pont. Cuius corpus in templo maiore ad aram S. Ambrosij Episcopi in sarcophago lapideo conditũ fuit. *Ex vit. Epp. Papiens. ab Anton. M. Spelta. De eodem plurib. Iacobus Gualla in suo Sanctuar. lib. 1. c. 7. & Stephanus Breu. in hist. Ticinen. lib. 2. c. 18. sed vterque non sine manifesto errore circa tempus, cum illum an. D. 898. ad Episcopatum assumptum fuisse scribant.*

ANNOTATIO.

Rodobaldus I. eidem Eccles. ante S. Fulcum Innocentio III. Pont. Max. præfuit, post B. Bernardum Balbum.

DE S. IVLIANO EPISCOPO LAVDENSI.

Iulianus Episcopus Laudensi Ecclesiæ ante S. Bassianum præfuit, eamque Ecclesiã annos 19. sanctè administrauit, vti ex illius antiquissimo epitaphio legitur, 3. illius Sedis Episcopus fuisse traditur. Acta exciderunt: fama tamen sanctitatis durat. Cuius corpus in ecclesia Sancti Petri apud Laudem veterem conditum in nouam vrbem translatum in æde maiore asseruatur. Eius dies festus 4. Idus Octobris celebratur. *Ex monum. & Tab. Eccles. Laudensis.*

ANNOTATIO.

Ecclesia memorata S. Petri cui monachorum cœnobium olim aduinctum erat, reditus Collegio Germanico Rom. præstantur.

DE S. OPILIO DIACONO, ET CONFESSORE Placentiæ.

Opilius Placentiæ natus S. Gelasij frater à puero pietatem coluit. S. Antonini translationi, cum esset acolythus, interfuit. Adolescens nil aliud, quã cœlestia meditari videbatur, à teplo S. Victoris, quod nunc S. Antonini dicitur, nunquam ferè recedens: Deoq; ieiunijs, & obsecrationibus assiduè inseruiens. Sæpissimè tot dies ieiunans trãsigebat, cibos sibi à matre in prandiũ missos, egenis distribuẽs, pijs meditationibus, sacrarũq; litterarũ assidua lectione refectus. Humi-

Humilitate, mansuetudine, vigilantia, patientia, cœterisque virtutibus prædi- tus erat. Cum aliquando in cella solus oraret, Gelasius frater natu minor aduenilens Angelorum multitudinem cum eo loquentem vidit, vocemque hanc audiuit: *Sinite paruulos venire ad me; talium est enim regnum cælorum*. Multis claruit miraculis; nam plures sanauit ægrotos, & Dæmones ex hominum corporibus eiecit; alijsque mirabiliter gestis eius sanctitas declarata fuit. Denique 4. Idus Octobris facie illius mirum in modum radiante cessit è vita. Corpus in æde S. Antonini honorificè tumulatum est, suauissimum odorem spirans. Cuius translatio à Fabricio Episcopo Placentino in eadem ecclesia celebrata 6. Idus Maij recolitur. *Ex officijs Eccles. Placent. nuper Romæ approb.*

Opilius celestiũ virtutũ insignibus egregiè munitus. Angelorum chorum alloquentem Gelasius videt. Multis miraculis effulsit.

ANNOTATIO.

Vixit circa an. D. 420. quo tempore S. Maurus Eccles. Placentinæ præerat. Ex Cron. vrbis Placent.

DE S. EVSTACHIO PRESBYTERO, ET BVRGENSIS vrbis patrono.

EVstachius Presbyter, & confessor non mediocrem in vrbe Burgi S. Domnini venerationem habet. Cum enim ea vrbs ab hostibus inuasa, ipsorum impetum sustinere non valeret, iamque indignissimas cædes, rapinas, direptiones, incendiaque, & vastitatem expectaret, ad S. Eustachij tutelam confugiens, eius meritis, & intercessione insigni de illis victoria reportata liberata est. Quapropter ciuitas Burgensis illum ex eo tempore maiore prosecuta est honore, vnumque ex vrbis patronis eum sibi delegit. *Ex Tab. & monumentis Eccles. Burgi S. Domnini.*

Burgus ab hostibus inuaditur. Intercess. S. Eustachij liberatur.

ANNOTATIO.

Tempus quo hic S. confessor floruerit, nusquam reperiri potuit. Quæ autem diximus ex Tab. seu Kalend. huius Eccl. à primo illius Episcopo instituto accepimus.

Octobris die 13.

DE SS. DANIELE, SAMVELE, ANGELO, DOMNOLO, Leone, Nicolao, & Hugolino Ord. Minorum martyribus apud Septam.

DAniel ord. Minorum Calabriæ minister cum sex fratribus monasterij Castriuillarensis Samuele, Angelo, Domnolo, Leone Nicolao, & Hugolino, obtenta à F. Helia eiusdem ord. Ministro Generali licentia Septam in Mauritaniam Tingitanam à prædicandum Maumethanis Euangelium martyrij cupidus proficiscitur. Sacramentali itaque confessione expiati, sacraque communione refecti ablutis mutuò pedibus vrbem ingressi Christum annunciantes, & sectam Maumethis detestantes in Forum perueniunt, vbi capti, & ad Regem perducti, cum Euangelium prædicare non cessarent, dicerentque eos solos, qui in Christum crederent, seruandos fore, iussu Regis quasi amentes ex vestium vilitate habiti carcere includuntur. Octauo die ante Regis conspectum producti; cum neque promissis; neque minis, quæ aduersus Maumethicam fidem dixerant, retractare vellent, nedum Christo renunciare; sed obfirmato animo à solo Christo salutem animarum pendere, Maumethem verò cum suis omnibus sectatoribus damnatum assererent, capitis damnati, ad supplicium ducuntur, gaudentes, ac fortiter dato capite, ad martyrij palmam euolarunt 3. Idus Octobris, An. sal. 1237. *Ex off. & Cron. Fratrum Minor.*

Maumethis falsam superstitionem SS. oppugnant. Insani ex sordidis indumẽtis putantur.

ANNOTATIO.

Error circa tempus apud Sur. cauendus est: scribit enim hos passos fuisse an. D. 1221. cum anno post S. Francisci obitum, passi sint; S. autem Franc. an. D. 1226. obierit.

Hos colendi officio ecclesiast. Leo X. Pont. Max. licentiam concessit.

DE S. CHELIDONIA VIRGINE APVD SVBLACVM.

Chelidonia virgo Ceculis in Vestinis honesto loco nata, ab infantia à sæculi pompis abhorrens quasi monasticam vitam contra parentum volũtatem orationibus, & ieiunijs agebat; donec quadam die relictis omnibus, se in solitudinem intra montes apud Sublacum se recepit. Romam profecta, sacris locis inuisis ad solitudinem redijt, nec multò post ad monasterium Sublacense accedens velo sanctimonialium ab Episcopo Tusculano accepto, ad solitudinem reuersa multis laboribus, & vigilijs exercita, frigoribus attrita, ieiunijs assiduis macerata, bestiarum horroribus territa, cibo sæpe biduò, triduòque, & aliquando eo amplius abstinebat. Noctes illi erant insomnes, cautes pro lecto, saxum pro puluinari, funis pro zona. Miraculis claruit multis; in quibus, cum puer panem vinum, & pisces aliquot coctos Chelidoniæ deferret, piscemque sibi in via reseruasset, *Caue*, inquit illa ad puerum, *fili ne piscem a te absconsum repetas, ne quid mali tibi contingat*, quibus verbis ille rubore suffusus errorem fassus, & veniam petens, dum ad piscem absconsum redit, illum serpentibus tectum inuenit. Aliquando humano suffragio destituta in morem Pauli à coruis cibum accepit. Denique cum annum ætatis 60. ageret, multis ad eam ægrotis; quos sanabat, confluentibus, vigilijs confecta, obitu suo præuiso, prædictoque 3. Idus Octobris migrauit ad sponsum An. sal. 1152. Eugenio III. Pont. Cuius corpus ibi conditum ex ecclesia vetustate penè collapsa in ecclesiam Sublacensem S. Scholasticæ translatum est. *Ex monum. eiusd. Eccles. & monaster. Sublacen.*

Mirabilis Chelidoniæ abstinentia. Puer pro piscibus serpentes inuenit. A coruis humana ope destituta pascitur.

ANNOTATIO.

Eugenius III. Pont. Max. ex S. Bernardi alumnis anno seq. vita functus est.

DE S. CONONE PAPA.

Conon Thrax genere, educatione Siculus Romæ ordinatus Presbyter, post Ioannem V. vita functum summo totius cleri, & populi consensu ad Pontificatum assumitur, cum in eo religio cum pietate, doctrina cum morum probitate, iustitia, modestia, constantia, prudentia cum cæteris virtutibus prælucerent. Qui initio Pontificatus; cum rei bene gerendæ spem omnes maximam concepissent, ægrotare cœpit, ac postquam menses 11. dies 23. Ecclesiæ præfuisset, vir sanctissimus relicto sui magno desiderio migrauit ad Christũ 3. Idus Octobris, An. 687. Iustiniano Iuniore Imperante. *Ex Plat. & lib. Pont.*

ANNOTATIO.

P. Latina illum 11. Kal. Octob. decessisse scribit; sed Baron. in Annal. ad ann. prædictum ex Anast. Biblioth. hac die.

DE

DE S. ROMVLO EPISCOPO GENVENSI.

Romulus Genuensis S. Syro proximè successit, vir castitati, & charitate inter cœteras eius virtutes refulgens: pupillorum enim, et viduarum defensioni maximè studuit: pauperum pater appellatus: simplex, bonus, & ab omnibus dilectus: cum etiam opinione sanctitatis præstaret. Dum autem diœcesim visitaret apud Villam Matutianam, quæ nunc de illius nomine oppidum S. Romuli vocatur, ægrotãs breui migrauit è vita 3. Idus Octobris in crypta S. Syri apud B. Hormisdam sepultus. Ad cuius tumulum mira cæcis aliquor illuminatis, Dæmonibus ab obsessis eiectis, alijsque morbis laborantibus diuinitus curatis, patrata sunt. Corpus inde villa à Saracenis vastata, Genuam à Sabbatino Episcopo translatum est. *Ex monum. Eccles. Genuen. in antiq. Cod. M. S.*

Romulus castitate, ac charitatis virtutibus insignitus. Pater pauperum appellatus. Compluribus miraculis clarus.

ANNOTATIO.

Oppidum S. Romuli, quod vulgò S. Remo dicitur, ex præcipuis totius oræ Ligusticæ apud Albihtemelium, malorum aureorum, & massilicorum prouentu diues est.

Romulus in Tab. Eccles. Genuen. Episcopus, non Archiepiscopus inscribitur, tamen si S. Syro I. Archiepiscopo successisset, & ipse Archiepiscopus appellaretur. Quare à consequente ad antecedens arguendo, vel Syrus Archiepiscopus non fuit, vel Romulus II. fuit Archiepiscopus.

DE S. LVCA ABBATE CARBONENSI.

Lucas in Calabria, siue, vt alijs libet, in Sicilia natus, ab ineunte ætate delicijs sæculi contemptis, ad monasterium S. Philippi Argyrensis se contulit, vbi S. Sabbam Abbatem familiarissimum habuit: cum verò S. Heliæ monachi Bouensis vitam asperrimam in specu ducentis, ac multorum monachorum patris: in quibus SS. Fantinus, Zacharias, & Philaretus erant, fama sanctitatis peruolaret, ad eos accessit, aliquandiu apud illos demoratus. Inde Noam Calabriæ castellum digressus, & ædiculam intra nemora nactus, S. Petro Apostolo dicatam, in ea manens mira operatus est; nam cæcis lumen restituit, & insanabiles morbos curauit. Exacto sibi septennio cum maior in dies fieret ad eum hominum concursus, ad Agrumentum flumium venit; vbi S. Iuliani ædicula instaurata, populis fame periclitantibus ita suis precibus subuenit, vt annona nunquã deficeret. Is arcanis disciplinis instructus (Philosophiæ enim, & Theologiæ mysteria omnia nouerat) Dæmonibus, qui ab obsessis solo vestis illius tactu expellebantur, & Principibus formidulosus erat. Cum enim Landulphus Dominus regionis, cœnobij bona inuadere ausus fuisset, raptus, per aeraque deportatus nusquam visus est. Demum ab eo loco recedens apud Armentum oppidũ altis rupibus cinctum cœnobij Carbonensis fundamenta iecit. Quod cum Saraceni Calabriam, Apuliam, Lucaniamque populati, aggrederentur, à paucis duce, & hortatore Luca innumeri hostes mirabiliter cæsi sunt. Illud inter eius miracula minimè prætereundum: quod Nicolaum monachum defunctum ad vitam reuocauit. Denique mortem ab Angelo præmonitus astantibus monachis 3. Idus Octobris an. sal. 993. migrauit in cœlum; cui morienti B. Sabba adfuisse fertur. Corpus Armenti (cuius oppidi tutelaris est) conditum fuit. *Ex Hist. monasterij Carbonen. à D. Paulo Æmilio Sanctorio Iul. Anton. Card. S. Seuerinæ recolendæ mem. nepote conscripta.*

S. Lucas cæcis lumen restituit; ac morbos insanabiles curat. Philosophiæ, & Theologiæ arcana mysteria callet. Dæmones solo tactu vestium fugat. Ita Principibus formidolosus extitit, vt Landulphus Dominus per aera raptus amplius visus minus fuerit. Innumeri Saraceni à paucis interficiũtur. Nicolaũ monachũ defunctũ excitat. Mortẽ ab Angelo præmonitur.

ANNOTATIO.

ALter Lucas, qui & Leo Lucas appellatur, in Sicilia apud Corileonem opp. sanctitate floruit: de quo die 1. Martij actum est.

Octobris die 14.

DE S. CALLISTO PAPA, ET MARTYRE.

CAllistus Romanus post S. Zephyrinum An. sal. 221. Antonino Heliogabalo Imp. rexit Ecclesiam. Constituit 4. anni tempora, quod ieiunium ex Apostolica traditione acceptum ab omnibus seruaretur. Ædificauit basilicam S. Mariæ trans Tyberim, & in via Appia vetus cœmeterium; in quo multi SS. Sacerdotes, & martyres sepulti sunt, ampliauit: quod ab eo Callisti cœmeteriū appellatum. Callisto Pont. Alexander imperauit, à quo nihil mali in christianos deriuatum est, cum natus ex matre christiana bene erga illos affectus esset: qui illud à christianis acceptum dicere solebat. *Quod tibi non vis fieri alteri ne feceris.* Callistus multos ad Christum conuertit in ijs Palmatium Consulem, eo miraculo, quòd satellites S. Pontificem cum suis comprehensuri effecti fuissent cæci, & mulier Dæmoniaca Christum verum Deum esse confiteretur, & Simplicium Senatorem cum suis familijs, quòd Blandam Felicis cuiusdam vxorem paralyticā mirabiliter sanasset: qui omnes pro Christo martyrio coronati sunt, vnà cum Priuato milite, qui vlceribus, & doloribus plenus à S. Pontifice per fidem curatus fuerat. Cum verò Callistus Ecclesiæ annos 5. mensem vnum, & dies 12. præfuisset, creatis ordinationibus quinquies mense Decembri habitis Presbyteris 16. Diaconis 4. & Episcopus 8. in custodiam traditus è fenestra ligato ad collum saxo in puteum præcipitatur: quem Asterius Presbyter noctu cū clero extractum in cœmeterium Calepodij via Aurelia illatum 3. ab vrbe lapide sepelijt. Pridie Idus Octobris an. sal. 226. Alexandro Imp. *Ex Breu. Rom. & pass. à Sur. tom. 5. rel. ac ex Damaso lib. Pont.*

Alex. Imp. nihil in christianos mali gessit.

Satellites Callistum capturi, oculis capti iacent. Palmatium Consulem, & Simplicium Senatorē ad Christū cōuertit.

Paralytica mulier sanat. Priuatus miles vlceribus plenus curat.

ANNOTATIO.

EXtant apud Damasum epistola dua Callisti Papa, vna ad Benedictum Episcopū; altera ad Gallia Epp.

DE S. FORTVNATA VIRGINE, ET MARTYRE Neapoli.

FOrtunata virgo Cæsareæ in Palæstina apud Vrbanum Præfectum Diocletiano Imp. delata: quòd esset christiana, vnà cum Carponio, Euaristo, & Prisciano fratribus comprehensa in carcerem conijcitur; qua hora christianis in carcere detentis ministrandum venerat. Quam cum nullo verborum artificio Præfectus à proposito fidei christianæ potuisset abducere, in obscurissimū carcerem detrusam mater lacrymis ad Idolorum cultum reuocare conatur; sed frustra. Eductam rursus Præfectus aggreditur, ac primum ad ignominiæ maximum dedecus, eam capillis abrasam, & nudam per vrbem circunduci iubet: deinde in equuleo tortam, in ignem inijci imperat; à quo nihil læsam, per medium secari iubet: sed dum iussa Præsidis tortores exequuturi serram ad corpus virginis admouent, illis manus immobiles fiunt. Re intellecta Præses illam feris

Ignis virginē illibatam seruat.

Tortores virginem secaturi manus immobiles habent.

ris præcipit obijci: sed, cum illæ, populo, qui ad id spectaculum in Amphitheatrum conuenerat, stupente, nō modò virginem non læderent; sed illi præterea mansuetissimæ effectæ blandirentur, & pedes lamberent, gladio demum animaduersa illustris martyrij cursum feliciter absoluit. Post quam, fratres gladio iugulati eiusdem palmæ participes effecti sunt Pridie Idus Octobris. An. sal. 301. Quorum corpora à christianis sepulta: postea à nautis quibusdam ab ipsa Fortunata per visum admonitis inuenta apud Linternum in Campaniam delata sunt: indeque Linterno à Vuandalis euerso Neapolim translata, in ecclesia nomine S. Gaudiosi dedicata Hadriano I. Pont. Max. condita sunt. ***Ex passione eiusd. virg. quam Paul. Reg. lib. 1. de SS. Regni Neapolit. refert.***

Feræ Fortunatæ blandiūtur.
Virginis fratres iugulo coronantur.

ANNOTATIO.

CVm Fortunatæ, & fratrum reliquiæ in eccles. præd. S. Gaudiosi ignotæ diu iacuissent (locus enim præcisus, in quo essent, ignorabatur) an. D. 1561. die 5. Martij repertæ sunt.

DE S. GAVDENTIO EPISCOPO, ET MARTYRE, ac patrono Ariminensi.

GAudentius patria Ephesinus Romam adhuc cathecumenus venit; vbi ab Eusitica nobili matrona: quam ad Christum conuertit, hospitio exceptus à Iustino Presbytero baptizatur. In clericorum numerum adscriptus biennioq; post creatus Diaconus, post 7. annos Presbyter ordinatur, ac miraculis clarere cœpit: nam cum Tarsensium militem Romanum dæmon obsessum vexaret, adiurat usque se non recessurum diceret, nisi Gaudentius Presbyter aduenisset: qui iubente Pontifice cum pro obsesso celebrasset, ac sacram ei obtulisset Eucharistiam, illicò illum spiritus immundus reliquit. Accidit per id tempus, vt Ariminenses eorum Episcopo defuncto Romam veniētes Episcopū deposcerent. Quibus Gaudentius doctrina, & sanctitate clarus datus est. Ariminum itaque proficiscens militem in via diu in lecto morbo graui oppressum, oratione præmissa sanatum ad Christum conuertit. Ariminum ingressus Gentilium reliquias ad fidem christianam perduxit, eo miraculo, quod eo celebrante Martis Idolum in foro collocatum, mirabiliter cadens, vnà cum cæteris in vrbe simulachris contritum est, quo tempore neptim Eusiticæ à Dæmone arreptam, & ad se Roma perductam continuò liberauit. Is S. Leum Presbyterum, & S. Marinum Diaconum, qui ex Illyrico venerant, ordinauit. Cum autem Constantius Imp. concilium Arimini magna ex parte Episcoporum Arianorum fieri præcepisset, Gaudentius tantæ hostium fidei catholicæ non valens resistere, noctu cū SS. Episcopis Rophilo Popiliensi, & Mercuriale Liuiensi aufugiens Forum Liuij venit. Concilio seu potius conciliabulo (cum absque Rom. Pontificis autoritate coactum fuisset) absoluto ad propriam sedem rediens acta omnia aduersus Nicæna Synodi professionem reuocauit, & damnauit. Quare à Marciani Præsidis Ariani militibus fustibus & lapidibus appetitus gloriosè martyr occubuit, Pridie Idus Octobris circa an. sal. 359. Liberio Sum. Pont. & Constantio Imp. Ipso Marciano a Dæmone arrepto atque vexato. Corpus Gaudētij lapidibus obrutū cū diu fuisset ignotū post annos 70. mirabiliter detectū est: nā mulier in ciuitate Cæsarea, seu Ceruia, nomine Abottiua cæca a natiuitate à Raphaele

Gaudentius obsessum à Dæmone liberat.
Militem grauiter ægrotā tem sanat.
Dum Gaudētius celebrat Martis Idolū vnà cum alijs simulachris cōminuitur.
Neptim Eusiticæ à dæmone arreptam liberat.
Conciliabulum Ariminense aufugit.
Reuocat, ac damnat prędicti concilij acta.

Abortiua Ceruiēſis cæca à Raphaele Archangelo admonita Ariminum, peruenit corpusq; S. Gaudentij indicans, lumen recuperat.

Raphaele Archangelo admonita, ſola arundine ab inuiſibili comite Ariminum perducta, locum: in quo ſacrum Gaudentij corpus iacebat, in viſu ſibi oſtenſū ciuibus indicauit; qui terra effoſſa illud inuentum in marmoreo tumulo collocarunt, eccleſiamque celebrem eius nomini excitarunt, cæcæ verò mulieri lumen illicò ad corporis ſacri inuentionem reſtitutum eſt, diuerſiſque languoribus oppreſſi curati ſunt. *Ex Pet. lib. 9. c. 63.*

ANNOTATIO.

Errat non Leuiter Petrus.

Error apud Pet. loco memorato inſignis occurrit: nam Gaudentium à Damaſo Papa, qui Pont. creatus eſt an. D. 367. Valente, & Valentiniano Imp. ordinatum Diaconum, Presbyterum, & Epiſcopum Ariminen. ſcribit, eumque à concilio Ariminenſi ſub Conſtantio Imp. & Liberio Papa celebrato aufugiſſe, quod concilium an. D. 359. vt apud Baron. in Annal. Eccl. habitum fuit. Non ergo a Damaſo Epiſcopus ordinatus eſt, ſed vel à Liberio ſub quo conciliabulum illud habitum eſt, vel à Iulio Liberij anteceſſore.

DE S. FORTVNATO EPISCOPO, ET PATRONO Tudertino.

Fortunatus Epiſcopus Tudertinus mira reſplenduit ſanctitate Iuſtiniano Imp. & Totila Rege, maximiſque miraculis coruſcauit: in effugandis præſertim Dæmonibus ab obſeſſis, cum enim quædam matrona Tuſciæ ad eccleſiæ S. Sebaſtiani martyris dedicationem nocte præcedente cum viro ſuo polluta accedere haud vetita eſſet, à Dæmone arrepta coram populo agitari cœpit, qui ēt Presbyterum illius eccleſiæ inuaſit, quod ſyndone altaris obſeſſam operire præſumpſerat ſupra vires. Quam matronam Magis, qui illam liberarent traditam, integra Dæmonum legio ingreſſa maximè diuexabat, quoad a parentibus ad Fortunatum Epiſcopum ducta oratione illius prorſus liberata eſt. Cum ab homine quodam diabolum eieciſſet, iſque accepta peregrini forma ſe à Fortunato Epiſcopo domo eiectum diceret; quidam non ex charitate, ſed vt Epiſcopū tanquam peregrinos eijcientem diffamaret, illum hoſpitio accepit, ad ignemq; ſedens cum peregrino vxore, & filio, Fortunato tanquam hypocrytæ detrahebat, Peregrinus autem poſt modicum acceptum paruulum in ignem iniectum extinxit, & diſparuit. Patrauit, & alia. Nam cæco ſigno crucis lumen reſtituit. Equum in rabiem conuerſum, omneſque accedentes morſibus lacerātem ſigno crucis in capite facto manſuetum reddidit: quem ſibi à milite dono datum reſpuit, nec eum precibus exoratus niſi pretio perſoluto accepit. Cum Gothi ex vrbe Tudertina duos pueros raptos abducerent, Fortunatus oblato pretio Ducem rogabat, vt eos dimitteret, cui cum Dux, quidlibet aliud ſe facturum, quā pueros reddere diceret; rurſus S. Epiſcopus eum vehementius orat, vt illos reſtituat, ne ſibi aliquid aduerſi contingat. Verum is Fortunati preces non admittens, vbi equum conſcendiſſet vt ſuos, qui pueros deducebant, ſequeretur, cum equo corruens tibiam ſibi confregit; qui ſtatim pueros reddi S. Epiſcopo iuſſit, veniamque ab eo peti, & opem implorari: Fortunatus autem illi aquam à Diacono benedictam miſit, qua tibia aſperſa, illicò ſanata eſt. Tuderti Marcellinus quidam vir deuotus, & Fortunato familiaris in ſabbato Paſchali defunctus cum ea die ſepeliri nequiuiſſet, quòd longius deferendum eſſet) duæ illius ſorores S. Epiſcopum flentes rogabant, vt fratrem illis excitaret. Qui ſummo manè ſequentis diei cum duobus Diaconis defuncti domum ingreſſus; cum apud

Matrona ab integra Dæmonum legione à Fortunato liberatur.

Eius probitatē prodigio apud diffamatorem declarat.

Cęco lumen ſigno crucis impertit.

Equum indomitum manſuetum reddit.

Duos pueros ex Gothorū manibus prodigio liberat.

Tibia confracta aqua benedicta ſanatur.

mortuum

mortuum oraſſet,illum ſuo nomine vocat; is verò aperiens oculos ſurrexit,cõqueſtus; quòd cum defunctus in locum ſalutis deduceretur, reduci à Fortunato petitus iuſſus eſſet. Denique vir ſanctus Pridie Octobris quieuit in Domino,multis ad eius tumulum miraculis patratis. *Ex S.Greg.Papa lib.1.c.10.Dial.*

Defunctus in locum ſalutis deducendus excitat.

ANNOTATIO.

HÆc ſe Greg. à Iuliano Eccleſiæ defenſore; qui Fortunato familiariſſimus fuerat, audiuiſſe refert.

DE S. DOMINICO LORICATO.

DOminicus cognomento Loricatus ad Sacerdotium per ſimoniam ipſo inſcio ordinatus (parentes enim Epiſcopo pellis hircinæ alutam donauerant) cum id reſciuiſſet, tanto pauore perterritus eſt, vt mox contempto ſæculo eremum apud Luceolos petierit,neque tanquam malè promotus ſacroſancti altaris miniſterium vſurpare præſumpſerit. Erant in ea eremo plures cellulæ, in eaque ſub Ioannis Montis Feretrani viri ſanctiſſimi diſciplina in tanta vitæ auſteritate viuebatur; vt abſtemij,ſolis orationibus,manumque operibus inſiſterent: quinquies per hebdomadam ieiunarent; ſilentium nunquam niſi Dominica die poſt veſperas,cibumque ſoluerent: nudis pedibus,& omnibus incederent,& in cellis iugiter morarentur: quotidie per omnes horas canonicas ſeipſos flagellarent. Dominicus præter hæc ferrea ad carnem nudam lorica indutus,ſingulis diebus duo pſalteria modulans, nudum corpus vtraque manu ſcopis atterebat. Inediæ adeò patiens erat,vt panem cum fœniculo inter ſummas delicias computaret. Qui feruor neque in ſenecta incurua refriguit; ſed eum adhæc ſpiritualia exercitia infatigabilem reddebat. Cæterum tanta vitæ aſperitas non in eo tantum reſidebat;ſed exemplo ſuo viros,& nobiles matronas ad hoc vitæ genus arripiendum prouocabat,vt peccati rubiginem non ſolùm orationibus,& ieiunijs, ſed etiam flagris depellerent. Solebat raro per interualla vino, & parciſſimè vti; ſed longe ante obitum ab eo prorſus abſtinuit.In vltima ſenectute ſtomachi graui morbo arctatus, crebriſque capitis doloribus fatigatus, aſtantibus fratribus ſuum Deo reddidit ſpiritum Prid. Idus Octobris, An. ſal. 1050. *Ex vita per Pet. Damianum ad Alexandrum Papam ſcripta.*

Dominicus per ſimoniã initiatus, ordinem exercere minimè præſumit.

Summa eremi aſperitas.

Inaudita Dominici auſteritas.

ANNOTATIO.

LVceoli C. fuit Vmbriæ; cuius veſtigia,& rudera apud Candianum op. inter Callium, & Eugubium cernuntur.

DE S. BERNARDO CONFESSORE APVD ARCANVM.

BErnardus toto ferè tempore vitæ ſuæ peregrinatus magnam orbis terrę partem,vt loca ſancta inuiſeret,peragrauit. Is in Apuliam rediens vnde primum diſceſſerat,ad extremum Arpinum peruenit; vbi fatigatus itinere, conſiſtere coactus eſt. Magniſque doloribus correptus,breui,vt optauerat,migrauit ad Dominum. Eius corpus extra Arpinum in ædicula S.Ioannis apud Arcanũ in via humatum eſt. Poſt multum autem tempus cuidam apparens præcepit,vt ſuo nomine Præpoſitum Eccleſię Arcani moneret,vt corpus ſuum de via tolleret,& in eccleſia ſepeliret: Quod cum minime factum eſſet; Bernardus eidem viro ſequenti nocte apparens grauia Arpinati populo minatur, niſi quãtocius fieret,

Bernardus monet de eius corpore tumulando.

fieret, quod præcipiebat. Quare Præpositus his verbis perterritus coacto populo ad locum pergit: inuentumque Bernardi corpus campanis Arpini vltrò sonantibus in ecclesiam S. Mariæ de Arcis, vt vocant, translatum piè recondidit: in qua translatione miracula aliquot edita leguntur: nam muta loquendi facultatem, & surdus Presbyter auditum recuperat: tresque Dæmoniaci curati sunt. *Ex lectionibus quæ in eius off. leguntur.*

Varia in translatione miracula patratur.

ANNOTATIO.

Miratus sum nullam in illis lectionibus temporis, in quo obierit, & patriæ mentionem fieri: licet patria Apulus fuisse videatur.

Octobris die 15.

DE S. FORTVNATO MARTYRE ROMÆ.

Fortunatus martyr Romæ via Aurelia martyrio propter fidem Christi coronatus est Idibus Octobris, vt Vsuardus, Ado, & recentiores Martyrologiorum autores habent: sub quo tamen Imp. & quo martyrij genere passus fuerit, neque ipsum Martyrologium Rom. docet. *Ex Martyrol. Rom.*

ANNOTATIO.

Via hac Aurelia, quæ à Porta Aurelia apud S. Petrum in Vaticano initium habebat, per Hetruriam iuxta oram littoream Pisas vsque perducebat: cuius mem. Cic. in 12. Philippica Porta autem Aurelia, per quam Gothi Romam populati ingressi sunt, mentionem facit Procop. lib. de Bello Goth.

DE SS. FORTVNATO, ET LVPILO MARTYRIBVS Capuæ.

Lvpilus, & Fortunatus Capuæ martyrium passi leguntur non solum in antiquo Breuiario Capuano; sed etiam apud Bedam, & Petrum Galesinium Idibus Octobris; licet quando, & quomodo coronati, minimè dicant. Diuersa tamen sunt nomina horum martyrum apud Galesinium, cum pro Lupili, Libulij, & pro Fortunati, Fortunatæ habeat. Dauid Rhomæus in Catal. SS. Regni Neapolit. pro Lupili, Luphili scribit. *Ex Breu. Antiq. Capu.*

ANNOTATIO.

Etsi in veteri Capua Breu. de his agitur: eos tamen in Tab. Ecclesiæ Capuanæ ad vsum sacrum confectis haud repperimus.

DE S. ROGERIO EPISCOPO CANNENSI, PATRONO Barolitano.

Rogerius, qui & Rugerius apud Cannas in pago vicino natus circa annum sal. quingentesimum factus clericus Ecclesiæ Cathedralis Cannensis, sic vitæ probitate, suauitateq; morum anno ætatis 18. præditus fuit, vt apud ciues summam laudem consecutus vnicè ab omnibus diligeretur. Erat enim à mundi huius cupiditatibus alienus, miræ continentiæ, sedulam ecclesiæ seruitutem præstans. Quare mortuo Episcopo Cannensi maximo totius populi, & cleri cōsensu in demortui locum eligitur. Qui, cum nondum ob teneram ætatem, Sacerdos

cerdos

cerdos esset,& quod se tanti muneris indignum iudicaret, non solum electioni non assensit: sed etiam, ne assentire cogeretur, aufugit. Verùm ex fuga retractus totius vrbis desiderio satisfacere cogitur. Factus itaque Episcopus, ac velut in alium virum mutatus, videbatur sublimis,& humilis,diues & pauper, in vestitu vilitatem,in vita asperitatem, in cibo, & potu sobrietatem amplexus. Afflictos solabatur: infirmos frequens visebat; pauperes suis facultatibus sustentabat; viduas,& pupillos fouebat patrocinio, ac vt vno verbo dicatur,omnibus erat pius pater, & pastor. Is adhuc viuens miraculis claruit. Nam Paschali cuidam diutina oculorum,& aurium infirmitate laboranti,oratione integram,& vtranque sanitatem restituit; & nemo cum fiducia accedens,ab eo beneficio vacuus recedebat. Denique vir S. virtutibus,& meritis clarus ex hac vita in alteram migrans quieuit in pace. Idibus Octobris,& alijs diebus,illius memoria à Barolensibus, qui corpus eò ex Cannis vrbe excisa translatum habent, maximè celebratur. *Ex monum. eiusd. Eccl. Barolitana.*

Rugerius Episcopatum Cannensem non solum refutat sed aufugiendo se indignum iudicat.

Rugerius mirandum se præbet.

Paschali oculorum, & aurium infirmitate laboranti perfectam sanitatem restituit.

ANNOTATIO.

Vixit sub Gelasio primo Pont. cuius iussu cum S. Sabino Episcopo Canusino, & S. Ricardo Episcopo] Andrien. altarium ecclesia S. Michaelis Archangeli in M. Gargano consecrationi interfuit. Ex vita S. Ricardi.

DE S. TAMMARO EPISCOPO BENEVENTANO.

TAmmarus Episcopus XXII. Beneuentanus, qui Ioanni post S. Barbatum Episcopo successit. Ex eorum SS. Episcoporum numero fuisse videtur: qui ex Africa suis sedibus à Vuandalis pulsi ad Cāpaniæ littora appulere. Quorum Priscus Capuæ,Elpidius Atellæ,Tammarus Beneuenti, & alij aliarum vrbium Episcopi fuerunt. S. itaque Tammarus Ecclesiam Beneuentanam inter S.Barbatū,& S.Epiphanium eiusdem Sedis Episcopos ita piè sanctèq; rexit; vt inter SS. defunctus referri meruerit. *Ex monum. & Tab. Eccles. Beneuentana, qua illius natalem Idibus Octobris colit.*

ANNOTATIO.

TAmmarus, & Thamarus passim legitur. An autem idem cum Tammaro Episcopo Africano, cum alijs à Vuandalis pulso sit, difficultatem habet non leuem: nam si Longobardi sub quibus S. Barbatus vixit, post Vuandales, & Gothos Italia Imperium tenuere, persecutioque Vuandalica in Africa multò ante Longobardorū in Italiam Aduentum fuit, vel Tammarum, si Africanus fuit, Barbatum antecessisse oportet, vel ab eo Tammaro diuersum esse.

Octobris die 16.

DE S. BERNERIO EREMITA, ET CONFESSORE apud Ebolum.

BErnerius Hispanus claro genere ortus,ab ineunte ætate à sæculi voluptatibus abhorrens, relicta patria ecclesiarum præcipuarum peregrinationem suscepit. In qua cum magnam vitæ partem consumpsisset, tandem in Italiam veniens apud Ebolum oppidum in Picentibus substitit. Vbi cellula extructa,

Bernerius panem diuinitus coquit. *Pontem mirabiliter cõstruit.* *Migrat campanis persstrepentibus, suauissimaque ex eius corpore exhalante fragrantia.*

cta, victum quæritans, modico pane, & vino ob valetudinem stomachi contentus, cætera pauperibus erogabat. Cum is panem cuidam inopi lignis, & igne carenti diuinitus coxisset, eo miraculo sanctitas ipsius peruulgari cœpit: quam plura subsecuta comprobarunt. Cum enim Comes Ebolensis pontem super Silato amne ædificare aggressus esset, & quod vna die extruebatur, altera corrueret, Bernerius collecta mendicando pecunia, & ex ea lapidibus, & cæmento emptis; fabricam pontis suis manibus aggreditur, ita vt, quod vna die factũ esset, sequenti duplicatum videretur. Ponte igitur absoluto, ecclesiam S. Petro Apostolo propè construxit: cui diu ille inseruijt, donec à Deo vocatus, migrauit in cœlum, campanis sponte sonantibus, & suauissimo odore ex eius corpore exhalante. Corpus in ea ecclesia; quam ipse ædificauerat, conditum fuit. Vbi oleum, quod congelatum erat, diu & incessanter redundauit. Cum autem multos annos delituisset, An. sal. 1554. 17. Kal. Nouembris inuentum, ac miraculo pluuiæ petitæ, & impetratæ confirmatum, reconditum fuit: & ad eius tumulum etiamum Dæmoniaci liberantur. Quapropter ab Ebolitanis præcipuo honore colitur hac die. *Ex lectionibus in eius off. recitari solitis.*

ANNOTATIO.

Qvo tempore obierit ex prædictis lectionibus minime apparet. Hac autem die non natalis, sed inuentio celebratur per octo dies.

Octobris die 17.

DE S. CLEMENTE PRESBYTERO, ET CONFESSORE Laudensi.

Clemens Presbyter Laudensis sanctitate florebat, cum S. Bassianus Episcopus Laudem venit. Cui, cum vrbs esset sine Episcopo, diuinitus reuelatũ est, Bassianum Episcopum Rauennæ agentem à Deo præordinatum esse, & populum, vt eò mitteret, qui eum Laudem deducerent, admonuit. Cum verò Bassianus Episcopatum cœpisset, Clemente vsus est familiari, eumque, cum ad S. Ambrosium Episcopum visendum pergeret Mediolanum, comitem suum adhibuit. Is denique vbi Domino in omni sanctitate famulatus esset, obiens abijt in cœlum 16. Kal. Nouembris. *Ex monum. Eccles. Lauden.*

ANNOTATIO.

Nostra ætate superiore sæculo ab Episcopo Bossio Nouarien. Lauden. diœc. Apostolico visitatore in Tab. Ecclesiæ referri, & celebrari hac die illius natalem præceptum est.

DE S. VICTORE EPISCOPO CAPVANO.

S. Victor S. Germani successor. *Cyclum Paschalem composuit.* *A Beda sanctitas eius, & doctrina laudatur.* *In Martyrol. Rom. inter SS. reponit.*

Victor ob eius vitæ sanctitatem, & singularem doctrinam ad Episcopatum vrbis Capuanæ post S. Germanum circa Annum virginei partus 527. euectus est. Is Cyclum Paschalem à Victorino Aquitano compositum confutauit, & alium veriorem confecit: qui à Synodo Aurelianensi IV. Canone 1. & 2. approbatus fuit. Illum Beda libro de ratione temporum maximopere commendat; virum enim sanctissimum, & eruditissimum appellat. Illius quoque Ado meminit in Chronicis ad annum sal. supra memoratum. Ita autem Ecclesiæ suæ præfuit, vt cum 16. Kal. Nouembris, ex hac vita migrasset, inter SS. Episcopos habitus fuerit. *Ex Martyrol. Rom. & Catal. Epp. Capuæ M. S. & ex Gennad. lib. de vir. illust.*

AN-

ANNOTATIO.

ET si huius S. Episcopi natalis in Martyrol. Rom. adnotatus reperitur: in tab. tamen Eccl. Capuana ad vsum sacrum compositis minimè legitur; neque ab ea Ecclesia officio Ecclesiastico colitur: quemadmodum nec S. Pamphilus Episcopus: quē Martyrol. Rom. ad diem 7. Septemb. Capue attribuit; licet in Catal. prad. Epp. eum descriptum non legerim.

S. Victor, & S. Pamphilus Episcopi Capuani in Tab. illius Eccles. desiderantur.

Octobris die 18.

DE S. LVCA EVANGELISTA.

LVcas natione Antiochenus, Philosophus, & Medicus egregius, litterisque græcis excultus, ac pictor non obscurus, vt tot sanctissimæ Deiparæ Imagines ab eo depictæ declarant, cum primum in discipulorum numerum receptus fuit, ingenij sui, & pietatis specimen dedit. Nam, & Euangelium vti ab Apostolis audiuerat, Acta verò Apostolorum, vt viderat, litteris consignauit. Licet enim vnus fuerit ex 72. discipulis, vt S. Epiphanius in lib. de hæresibus testatur, multaque circa Christum Dominum suis viderit oculis, haud tamē priora illius gesta videre potuit; cum nondum illius discipulus effectus esset. Is præcipuè Paulo ad Christum conuerso adhæsit, factus illius peregrinationis comes: cuius Paulus in epistola ad Colossenses, ad Timotheum, & ad Philemonem meminit. Is itaque Paulum in Asiam, in Macedoniam, in Achaiam, in Illyricum, in Palæstinam, & inde Romam vsque comitatus est. Vnde post biennium discedens in Lybiam venit, & Ægypto peragrato Thebas vsque profectus, ibi ecclesiam primus illius vrbis Episcopus fundasse traditur. In Græciam veniens fidem in ea quoque, vbi non erat, disseminauit; ac demum se in Bithyniam transferens, multa Christi nomine passus ibi spiritu sancto plenus, iam octoginta, & quatuor annos natus cum nunquam vxorem duxisset, obijt. Constantinopolique sepultus est. Ad quam vrbem eius ossa ex Achaia vnà cum S. Andreæ Apostoli reliquijs anno Constantini XX. translata sunt, & inde Patauium delata, ac in basilica S. Iustinæ condita. *Ex Breu. Rom. Metaphr. Martyrol. ac præsertim ex D. Hieron. lib. de Script. Eccles.*

Lucas Philosophus, Medicus, & Pict. — Vnus fuit ex 72. discip. — Comes fuit S. Pauli. — Prędicauit in Libya, & Ægypto. — Fuit primus Ep Thebarū. — Obijt an. 84. & in Bithyn. — Sepelitur Cōstantinopoli. — Ossa illius Patauium delata.

ANNOTATIO.

COrpus S. Lucæ Euang. in M. Virginis vnà cum Actis Apostol. sua manu scriptis eò Brundusio (quo Constantinopoli eo tempore, quo Latini in ea vrbe imperarunt, illud delatum ferunt non sine miraculo, cum nauis, in qua illud vehebatur, breuissimo temporis spatio, tam longam absoluerit nauigationem) translatum asseruari, ostendique constans fama est, quemadmodum caput Neapoli, cum tamen Martyrol. Rom. illud Patauium translatum asserat, partem tantum illius esse in M. Virg. dicendum est.

Corpus S. Lucæ in M. V. asseruari cum Actis Apost.

De S. Luca apud S. Paulinum Ep. Nolanum versus.

„ *Hic pater Andreas; & magno nomine Lucas*
„ *Martyr, & illustris sanguine Nazarius.*

S. Lucā martyrem fuisse.

Ex quo apparet S. Lucam martyrio decessisse, quod & S. Greg. Nazianz. in oratione contra Iulian. innuit, & Niceph. lib. 2. c. 43. inquiens ipsum in Achaia inuiridi oliua suspensum fuisse: quod etiam Glycas lib. 3. Annal. confirmat. Et si autem ex eo

quod

quod Euseb. lib. 3. c. 4. & 24. Hist Eccles. D. Hieron. lib. de Script. Ecclesiast. S. Gregor. Papa lib. 1. c. 1. Dialog. Lucam Euangelium vti audierat: Acta verò Apost. vti viderat scripsisse aiunt, multis ipsum ex 72. non fuisse visum est, haud tamen hoc ex illo consequitur. Nam potuit ex postremis Christi discipulis fuisse; qui cum à principio Saluatoris gesta non viderit, Euangelium, prout ab Apostolis audiuit, scripsit, non quia aliqua non viderit, cum eum in 72. numero cooptatum (vt S. Epiphan. Ep. Brixiensis. Hæresi 51. apertè testatur) nonnulla vidisse necesse sit; sed quia, cum maxima ex parte non interfuerit, ferè totum Euangelium ab alijs didicit.

DE S. TRYPHONIA AVGVSTA ROMÆ.

TRyphonia Decij Imp. vxor, quo tempore Valerianus Imp. immanem in christianos crudelitatem exercebat, post S. Laurentij martyris exitum oc culta sancti spiritus gratia impulsa, & lumine supernæ veritatis mirabiliter illustrata ad Christum conuersa est; ac vnà cum Cyrilla eius filia ad Iustinum Presbyterum adijt, ab eoque sacro lauacro sanctissimè expiata: dum precibus, & pijs operibus vacat, septimo die inter orandum beatum Deo spiritum reddidit 15. Kal. Nouembris. Cuius corpus idem Iustinus Presbyter, qui corpus S. Laurentij, & aliorum tumulauit, apud S. Hippolytum in crypta sepelijt. *Ex pass. & Gestis S. Laurentij.*

ANNOTATIO.

ET si Tryphonia nulla apud scriptores vita Decij memoria reperitur: in antiquis tamen M. S. in quibus S. Laurentij acta continentur: à quibus Vsuard. Ado. et Martyrol. Rom. acceperunt, apertissimè quod Decij fuerit vxor, habetur.

De Tryphonia Pet. in Cat. lib. 9. c. 76. sed ibi falsa de Decio permiscet.

Octobris die 19.

DE SS. MARTYRIBVS PTOLEMÆO, ET LVCIO ROMÆ.

PTolemæus cum vxorem cuiusdam impuri hominis impudicam ad christianam religionem, & pudicitiam perduxisset, ab eius viro apud Centurionem tanquam christianus accusatur: qui percunctanti Cẽturioni se christianum esse confessus est, continuòque in vincula ab eo conijcitur. Illum Centurio multo tempore squalore carceris maceratum ad vltimum Vrbicio vrbis Præfecto obtulit. A quo Ptolemæus hoc solum interrogatus; si christianus esset, cum gloriam suæ professionis non occultaret, protinus ad mortem duci iubetur. Lucius autem quidam christianus, tam temerè datam sententiam videns, ad Vrbicium ait; *Quid quæso causæ est, quòd neque adulterum, neque corruptorem, aut homicidam, vel latronem, raptoremue, aut alterius cuiuslibet facinoris reum; sed tantummodo pro nomine christiano hominem ad mortem duci præcipis? Non sunt hæc digna Pio Imp. nec sapientissimo eius filio, neque sacro senatu; quæ agis ò Vrbici.* At ille ad Lucium: *Videris mihi, & tu christianus esse.* Cumque Lucius respondisset, se christianum esse, & ipse similem sententiam excepit, sibi tertio adiuncto, 14. Kal. Nouembris, Marco Antonino Imp. *Ex Martyrol. Rom. & Euseb. lib. 4. c. 17. Hist. Eccles.*

Lucius christianus ad Vrbicium Iudicem.

ANNOTATIO.

VSuardus hos Alexandriæ passos refert, quod ex verbis Eusebij loco citato confirmari videtur. Verùm id Romæ contigisse illa verba à Iustino mart. relata, NEQVE SACRO SENATV, satis ostendunt.

DE

DE S. MAXIMO DIACONO, ET MARTYRE Aquilæ patrono.

MAximus Leuita Auiensis (vrbs erat Vestinorum propè Aquilam) cum Christi Domini fidem prædicaret Decio Imp. comprehendi iussus, vltrò se satellitibus exhibuit. Qui ad Præsidem ductus, deque genere, & religione interrogatus, se ex ingenuo genere, & religione christianum, officioque Leuitā esse respondit. Interrogatus autem cur Deos immortales non coleret, *quia*, inquit, *noui vestros Deos simulachra vana esse, & surda, non Deos*. Multis verò vltrò, citroque dictis, Præses filiam Maximo in matrimonium pollicetur, si mandatis Imperatorum pareat. Qua optione recusata, cum nullis promissionibus, neque minis à constantia fidei dimoueri posset, in equuleo suspensus diutissimè torquetur, Christo gratias agens: quòd dignus prò nomine illius pati haberetur. Dicenti autem Præsidi: *sacrifica Dijs nostris, vt te ipsum lucreris*, respondit martyr, *Animam meam lucrabor, si Damonijs non sacrificauero*. Quo responso ita Præses excandens illum fustibus cædi iubet, & vt Dianæ sacrificet, interpellat, cui Maximus: *Quid adhuc verba superflua loqueris? Ego Dianæ vestræ non sacrifico, sed meipsum offero sacrificium Deo meo viuo, & vero*. Tunc maiori ira exardescens Tyrannus Maximum ad locum: qui circulus dicebatur, duci, indeque ex alto præcipitari mandat. Cum itaque Maximus aliquantisper orasset, eaque verba pronunciasset, *In manus tuas Domine commendo spiritum meum*, è sublimi deiectus gloriosum martyrij agonem absoluit 14. Kal. Nouembris. Cuius corpus noctu à christianis sepultum fuit. *Ex offic. Eccl. Aquilana. Roma approbatis An. 1603.*

Præses filiam Maximo in matrimonium offert.

ANNOTATIO.

AVia, siue Hauia c. in Vestinis; qua & Forum Cone. apud Aquilam penitus iacet, manet campus, in quo erat, Abie adhuc Incolis dictus, per quam Abellinus omnis decurrit.

In Martyrol. Rom. ponitur die seq.

DE SS. MARTYRIBVS PROCVLO, ET NICÆA PVTEOLIS.

PRoculus, & Nicæa mater Puteolis 14. Kal. Nouembris martyrium subijsse in nonnullis martyrologijs leguntur, veluti apud Franc. Maurol. & Petrum Galesin. In qua tamen persecutione passi sint, nullus docet. Meminere eorumdem Paulus Reg. Ep. Equen. & Dauid Rhomæus Presbyter Surrent. in Catal. SS. Regni Neapolitani.

ANNOTATIO.

PRoculus hic ab eo: qui cum S. Ianuario die 19. Septembris passus est, diuersus esse videtur, cum ibi nulla Nicaa matris mentio fiat.

DE S. HIMERIO EPISCOPO AMERINO, ET CREMONÆ protectore. *Vide die 17. Iunij.*

DE S. EVSTERIO EPISCOPO SALERNITANO.

EVsterius Episcopus Salernitanus IV. post S. Verū Salernitanæ præfuit Ecclesiæ: quam ea sanctitate administrauit, vt cum diem suum 14. Nouēbris

Te cbijsset,

obijsset, Sanctorũ numero adscribi meruerit. Corpus in crypta maioris ecclesiæ cũ corporibus aliorum SS. Episcoporum asseruatur. In cuius natali, qui dudum hac die celebrari consueuit, hæc oratio recitatur; DEVS, CVI B. EVSTERIVS PONTIFEX ITA SANCTITATIS GRATIA DECORATVS COMPLACVIT, VT TVORVM CONSORTIVM IN COELIS PROMERETVR SANCTORVM; DA ECCLESIÆ TVÆ QVÆSVMVS, EIVS INTERVENTV PERPETVAM CONSEQVI LÆTITIAM; CVIVS DEPOSITIONIS DIEM GRATVLANDO CELEBRAT SOLEMNEM. *Ex Breu. antiq. Salernitano.*

Oratio de S. Eusterio.

ANNOTATIO.

Acta eius periere, vt neque patria, neque tempus, quo vixit, sciri potuerit.

DE S. ZOSIMO EPISCOPO SYRACVSANO APVD Beneuentum hac die. *Vide die 30. Martij.*

Octobris die 21.

DE S. ASTERIO PRESBYTERO, ET MARTYRE apud Ostia Tiberina.

ASterius Presbyter cum S. Callisti Papæ corpus noctu extractum cum clero via Aurelia in cœmeterio Calepodij sepelisset, & ipse post sex dies iussu Præfecti tentus, è ponte in flumen præcipitatus est. Cuius corpus apud Ostia Tiberina inuentum ibidem 14. Kalendas Nouembris sepultum est: postea verò à Sergio II. Pont. Max. in titulum Equitij translatum, ibi reconditum fuit; vt vetus inscriptio in marmore insculpta monet. Passus est Alexandro Imper. *Ex pass. & Gestis S. Callisti Papa, apud Sur. tom. 7.*

ANNOTATIO.

Passus est 14. Kal. Nouemb. sepultus verò 12. Kal. eiusd. vt in Martyrol. Rom. licet in Gest. S. Callisti apud Sur. sepultus 14. Kal. referatur.

DE S. FOLLANO EPISCOPO, ET MARTYRE LVCENSI.

FOllanus IV. Episcopus Lucensis eximia sanctitate refulsit. Qui à Pontifice Rom. cum Simplicio Episcopo Coloniam Agrippinam missus, ibi post multa incommoda; quæ passus est, demum martyrio pro fidei defensione coronatus est 12. Kal. Nouembris; qua die Vrsula virgo cum sociabus virginibus ab Hunnis martyrium ibidem passa est. *Ex monumentis, & Tab. Eccles. Lucens.*

Follan⁹ fidei defensor.

ANNOTATIO.

SI Follanus IV. Episcopus Lucen. fuit, & eodem tempore, quo S. Vrsula passus est, illam ecclesiam diu Episcopo caruisse inter S. Paulinum I. Episcopum à S. Petro Apostolo ordinatum, & Follanum: oportet, cum Vrsula Damaso Papa, Gratiano, & Valentiniano Imp. circa an. D. 383. passa referatur.

Huius mem. Pet. in Cat. lib. 9. c. 87. in Actis S. Vrsula virg. & soc. quæ multis erroribus scatent, vbi pro Follanus; Follarius scriptum legitur; sed error est Typographi.

DE

DE S. BERTHOLDO CONFESSORE PARMENSI.

Bertholdus Parmæ Abundio patre natione Anglo natus est: qui patris artē edoctus (erat autem Calceolarius) monialibus cœnobij S. Alexandri inseruire cœpit. Cum verò quadam die sanguis è manibus punctis efflueret, arte & sæculo relictis, Abbatissam illius monasterij summopere rogat, vt se in cōuersum recipiat. Receptus autem humilitate, & patientia armatus, abstinentiæ, orationibus, & vigilijs operam dedit, seipsum cilicio indutum, flagellis affligens. Cum S. Alexander Papa sibi in somnis apparens monuisset, vt Romæ loca sancta visitaret, eò statim profectus, ibi quadragesimam totam egit. Domū reuersus mortuis parentibus, Viennam Allobrogum peregrè proficiscitur: vbi in xenodochio S. Antonij plures ægrotos mirabiliter sanauit. Sed sanctitatis fama miraculis percrebescente, in patriam ad memorati cœnobij seruitium redijt. Ab eo cum cæcus eleemosynam posceret, panem illi porrexit dicens; *Vide albus est:* qui statim ad ea verba visum recepit. Denique vitæ termino adueniente, migrauit è vita 11. Kal. Nouembris An. sal. 1101. campanis monasterij vltrò sonitum edentibus. Cuius cadauer in modum orantis in cella sua splendore illustrata cœlesti cum scriptura in manibus, quā solus Episcopus accipere, & legere potuit, repertum. Nec ante campanarum sonus cessauit, quàm tumulatus esset. *Ex Sanctuario Eccles. Parmen.*

Bertholdus fit conuersum ab Abbatissa recipitur.

In xenodochio Viennæ complures sanat ægrotos.

Cæco paupe ri pane elargito visum præstat.

A morte cadauer in modū orantis comperitur.

ANNOTATIO.

Corpus in æde S. Alexandri: in qua maxima solemnitate colitur, quiescit, Fertur autem à Callisto Papa II. in SS. numerum relatus. Ex eod. Sanctuar.

Octobris die 22.

DE S. DONATO EPISCOPO FÆSVLANO.

Donatus in Hibernia, seu Scotia claris parentibus ortus morum probitate, & ingenij acumine cœteros antecellens adulta ætate cum Andrea discipulo; quem Philosophiam, & Theologiam docuerat, Romam peregrinari cœpit, cum verò Fæsulas, vbi Episcopus defunctus erat, peruenisset, & vrbis campanæ nullo pulsante sonarent, ad eum in templo orātem vniuersus populus accurrens illum Episcopum deposcit: qui, ne se homunculum (erat enim statura pusillus) ignotæ linguæ, & tanto muneri prorsus ineptum a sua peregrinatione retardarent, vehementer orabat, sed ad sedem pontificiam raptus, onus suscipere cogitur an. sal. 802. Quo in munere, ac si illud diu exercuisset omnibus virtutibus emicans summam laudem ab omnibus consequebatur, erat enim liberalis in pauperes, benignus erga omnes, in oratione frequens, in vigilijs assiduus in doctrina singularis; ita de subditorum salute sollicitus, vt culpas illorū amarissimè fleret. Andream doctrina, & miraculis fulgentem non solum Diaconum; sed & Archidiaconum creauit; cuius auxilio S. Martini ecclesiam ad Mensolam amnem iam ab Attila Hunnorum Rege disiectam refecit monasterio adiuncto: in quo cum aliquot socijs vitam monasticam vsque ad vltimam senectam duxit multis clarus miraculis; cum cæcis visum, ægrotis compluribus sanitatem restituisset. Denique senio confectus migrauit in cœlum 11. Kal. Nouembris. Cuius corpus mira odoris suauitate completum in memorata S. Martini æde conditum fuit, inter illius autem miracula, illud scriptis demandatum

Donatus Fæsulas peruentus, cāpanis vltrò sonantibus, Episcopus ab omnibus eligitur.

Donatus subditorum salutis flagrantissimus.

Diuinis in cæcos, atque ægrotos prodigijs inclyt.

legimus: Quod cum quidam bona Ecclesiæ vsurpasset, Episcopumque conuiciatus fuisset, statim os illi cõtortum, linguaque ab officio impedita, & oculi ita clausi sunt, vt aperiri non possent, manus quoque obriguere. Qui culpam recognoscens ad S. Episcopum veniens, non solum ablata restituit, sed etiam, ex suis aliqua concessit, sicque pœnitens pristinam orante Donato recuperauit sanitatem. Cum lupus puerum raptum dentibus in syluam deuorandum auferret matre opem à S. Episcopo implorante; ad eius præceptum, statim ad pedes illius puerum illæsum lupus restituit. *Ex lib. Franc. Catanei Episcopi Fæsulani de Epp. & SS. eiusd. Eccl.*

Vsurpator bonorum Ecclesiæ dignas luit pœnas.

Puerum à lupo deuorandum illæsum matri reddit.

ANNOTATIO.

Colitur etiam Fæsulis Andreas Diaconus S. Donati discip. de quo die 22. Aug. egimus.

DE S. VERECVNDO EPISCOPO VERONENSI.

Verecundus Episcopus Veronæ XXXII. post S. Valentem Ecclesiam administrauit: cuius præcipua laus in cultu diuino amplificando, Ecclesiæque dignitate tuenda fuit. Ipse verò omnes huius vitæ cupiditates, & res contemnens, cœlestibus voluptatibus animo, & meditatione inhians appropinquabat: assiduis enim precibus, vigilijs, & alijs pijs exercitationibus mirificè delectabatur. Cum autem Ecclesiæ suæ aliquot annos laudabiliter præfuisset, ad præmium in cœlos euolauit 11. Kal. Nouembris circa annum sal. 33. in basilica S. Petri in arce sepultus. *Ex libello Augustini Valer. Episcopi Veronen. de SS. Eccl. Veronen.*

ANNOTATIO.

Extat in ea ecclesia apud aram maiorem huiuscemodi inscriptio marmorea: HIC REQVIESCIT IN PACE SANCTÆ MEMORIÆ VERECVNDVS EPISCOPVS.

DE S. SALARIO EPISCOPO LVNENSI, ET MART.

Salarius, siue Solarius (vtrunque enim scriptum legitur) Episcopus Lunensis fuit, martyrio coronatus: cuius extat in ora Lunensis portus inter Erycem, & S. Terentij castrum ecclesia cum pago: quo in loco martyrio affectus creditur, ibique præcipuam habet venerationem: tametsi in vniuersa diœcesi Sergianensi hac die natalis illius celebretur. *Ex Tab. Eccles. Sergianen.*

ANNOTATIO.

Acta cum tempore, quo fuit in humanis hic S. Episcopus, desiderantur. Ciuitati autem, & Ecclesiæ Lunensi successit Sergiana, siue Sarzana apud Macram fl. vrbs Genuen. Reip.

DE S. BERTHARIO ABBATE CASINENSI, ET MART.

Berthatius natione Gallus ex Regio Stemmate ortus, à teneris eam litteris operam nauauit, vt factus grandior multa versibus, & soluta oratione eleganter scripserit, cum doctrina autem vitæ sanctimoniam iungens, cum etiam prudentia excelleret Abbas Casinensis 19. creatur Karolo Crasso Imp. quo tempore Saraceni Cãpaniam, & magnam Italiæ partem diuexabant. Quorũ Berthatius in se odium immane concitarat, quòd auxilia aduersus illos ex Gallia,

&

& aliunde advocasset, frequenterque in eos egressus, & impetum faciens à finibus illis avertisset. Qui quadam die Liri amne aducti S. Abbatem in maiori ædeco cœnobij S. Germani celebrantem repente adorti cum aliquot monachis obtruncant 11. Kal. Octobris, cum annos 27. Monasterio Casinensi præfuisset. Passus est Ludouico Imp. Cuius corpus in templo Casinensi in proprio sacello religiosè asseruatur. *Ex Pet. Diacon. Casinen. De vita, & ob. SS. Casinens.*

Berthariùs à Saracenis cũ aliquot monachis coronatur.

ANNOTATIO.

LVdouicus Imp. sub quo Berthariùs passus est a Saracenis martyrium, non ille eius Karoli Magni filius fuit: sed Arnulphi Imp. filius huius nominis 4.

DE S. MODERAMNO EPISCOPO, ET CONFESSORE Berceti.

MOderamnus Episcopus Rhedonensis in Gallia sub Chilperico Rege magna resplenduit sanctitate. Hic Romam proficiscens Rhemos diuertens aliquot S. Rhemigij Episcopi reliquias impetratas secum detulit, ac Alpibus superaris apud M. Bardonem (qui Apennini pars est) nocte præuentus sub Dio pernoctare coactus est. Altera die iter prosequens se reliquias in arbore suspẽsas reliquisse animaduertit, cumque comitem ad eas accipiendas remisisset, illæque in altum subleuatæ quasi aues fuissent, & ipse reuersus noctem ibidem in oratione consumpsit, & cum mane in ecclesia S. Abundij apud Bercetum agri Parmensis oppidum sacrum Missæ celebrasset, sacræ reliquiæ mirabiliter ad eũ quasi vocatæ descenderunt: quarum partem monasterio S. Abundij Benedictinorum à Luitprando Longobardorum Rege multis prædijs locupletato donauit. Moderamnus itaque Romam profectus; ibique aliquandiu Gregorio II. Pont. Max. commoratus, in Galliam reuertitur, ac S. Rhemigij ossa rursus veneratus, Rhedonas venit. Vnde rebus suis compositis, & Episcopatu à se abdicato Bercetum ad monasterium S. Abundij, vt ibi reliquum vitæ transigeret, contendit. Vbi cum finitimis populis prædicando salutis præcepta dedisset, clarus miraculis obdormiuit in Domino 11. Kal. Nouembris, Anno sal. 730. Corpus Berceti in propria ecclesia suo nomini dicata requiescit. *Ex Sanctuario Eccles. Parmen.*

Sacræ reliquiæ Moderamnum mirabiliter (nullo ferente) adeunt.

ANNOTATIO.

MOderamnus in Tab. Epp. Rhedonen. apud Democh. non reperitur: Ex quo appares vel eas Tab. esse diminutas, vel Moderamnum alterius vrbis Episcopum fuisse.

DE S. IOANNE BONO CONFESSORE MANTVANO, Ord. Eremitarum.

IOannes Bonus Mantuæ Ioanne patre natus, cum patre defuncto opes amplas in voluptatibus lubricorum iuuenum consuetudine vsus consumeret, matre pro eo ad Deum preces assiduè fundẽte, in grauem morbum incidit: ex quo ad meliorem frugem redactus, si euaderet, se voto religionis adstrinxit. Recuperata itaque valetudine, & mortua matre, omnes facultates in pauperes erogauit: ac in specu apud Cæsenam aliquandiu se mirandum in modum afflixit: quoad habitu Eremitarum S. Augustini indutus; cum carnis incendijs æstuaret, vt eam tentationem dolore superaret, calamos præacutos arundineos sub manuũ vngues infixit. Ex quo dolore triduo penè exanimis iacuit; sed diuina visitatione recreatus statim conualuit, caruitq; de cætero tentationem non sensit.

Ioannes Bonus in specu apud Cæsenã sese affligit.

Dira ad superandas carnis tentationes maceratio.

Cum admirabili abstinentia vitam duceret plura per Flaminiã, & Vmbriã monasteria fama sãctitatis instaurauit. Quibus in locis annos 50. cõmoratus in patriã venit. Vbi in monasterio sibi a ciuibus extructo, dierum, & operum bonorũ plenus, & miraculis coruscus migrauit in cœlum 10. Kal. Nouembris, An. sal. 1249. Cuius corpus non multò post in vrbem translatum in cœnobio S. Agnetis honorificè conditum miraculis fulsit. *Ex Cron. Ord. Eremit. & Pet. in Append. ad Catal. c. 6.*

ANNOTATIO.

IOannes Molan. in Add. ad Vsuard. meminit illius die seq quo eius memoriam apud Fratres Eremitanos Mantuæ celebrari accepimus.

Vitam eius tribus lib. edidit F. Constantius Lauden. eiusd. Ord. an. D. 1590. in quo miracula ab eo dum viueret patrata ad 46. post mortem verò ad 44 recenset, in quibus mortuos suscitasse illuminasse cæcos, paralyticos, claudos, diuersi generis infirmos, & corpore vitiatos, & à Dæmone obsessos curasse apparet, super quibus processus Innocentij IV. Pont. Max. iussu ab Episcopo Mutinen. confectus est.

DE S. PHILIPPO EPISCOPO FIRMANO, ET MARTYRE.

S. Philippus ex ciue Firmano Ep. creatur suæ vrbis. Martyrio coronatur. Corpus illi^9 integrum in Eccl. metropolit.

PHilippus patria Firmanus, vt habet eius Ecclesiæ traditio antiqua ob eius virtutes ad Episcopale fastigium euectus mira sanctitate refulsit, ac Ecclesiam Firmanã suo sanguine martyrio coronatus decorauit, quia cõmota persecussione prædicare, atque à Gentilitate plures ad Christum perducere non desisteret ab hostibus interfectus. Cuius corpus integrum in crypta, seu sacra æde subterranea basilicæ Firmanæ vnà cum sanguine concreto decenter asseruatur: nec mediocrem habet apud Firmanos venerationem. Natalis eius Firmi, totaq; eius diœcesi 11. Kal. Nouemb. celebratur. *Ex Tab. & monum. Eccl. Firmanæ.*

ANNOTATIO.

Historiæ SS. vrbe Firmana sub Frid. I. Imp. direpta amissæ.

TEmpus, & genus martyrij sciri haud potuit; cum circa an. D. 1176. à Christiano (nomine, non re) Episcopo Moguntino, qui Federici I. Imp. copijs præerat, capta, & incensa vrbe, historia SS. inter alia interciderint. Quo circa non modo S. Philippi, sed etiam S. Alexandri, & duarum SS. virginum acta desiderantur. Cuius quidem Alexandri illud duntaxat scitur ex traditione, quod Firmanus ciuis, & Episcopus fuit apud eam vrbem ob fidei Catholicæ defensionem occisus. Cuius corpus in ecclesi. Cathed. quiescit cum huiusmodi Epitaphio. HIC RECONDITVM FVIT CORPVS GLORIOSI MARTYRIS, ET EPISCOPI ALEXANDRI.

Octobris die 23.

DE S. VERO EPISCOPO SALERNITANO.

VErus III. Episcopus Salernitanus S. Gramatio in Episcopatu successit. Cuius, & si acta sancta non extant; sanctè tamen Ecclesiæ Salernitanæ præfuisse, miraculisque coruscasse dubitari non potest; cum illius memoria ab ea ecclesia à priscis temporibus celebrari consueuerit, vt in Breuiario eiusdem ecclesiæ quadringentos ab hinc annos, & eo amplius edito satis apparet. Migrauit ex hac vita 10. Kal. Nouembris. Corpus in æde sacra maiore in crypta cum corporibus aliorum SS. Episcoporum conditum piè asseruatur. *Ex Tab. & monum. Eccles. prædicta, ac ex Martyrol. Rom. hac die.*

AN-

ANNOTATIO.

DE eo Gasp. Musca Salernit. Presbyter in Catal. Epp. & Archiepiscoporum Salerni. In quo tamen nihil circa tempus, quo vixit, habetur.

DE S. SEVERINO BOETIO MARTYRE TICINI.

SEuerinus Boetius Rom. vir Consularis doctissimus in sacris Philosophicis, & humanis litteris. Qui quantus in litteris fuerit Theodoricus Rex in epistola 145. lib. 1. apud Cassiodorum declarat, vbi illum ait omnem Philosophiæ speculatiuæ, & actiuæ profunditatem assecutum latinè transtulisse Pythagorã Musicum, Ptolemæum Astronomum, Nicomachum Arithmeticum, Euclidem Geometricum, Platonem Theologum, Aristotelem Logicum, Archimedem Mechanicum, & quascunque disciplinas fœcunda Græcia per singulos viros edidit, eo vno authore patrio sermone Romam suscepisse. Qui cum in administranda republica præclare se gessisset apud Theodoricum delatus vnà cũ Symmacho socero, quod libertatem affectassent, ex eo quòd in Senatũ studio propensiores viderentur, Ticinum relegatus est, vbi in turre, quæ ante paucos annos extabit, conclusus, scripsit plura, in ijs illud egregium de Philosophica cõsolatione volumen; de Trinitate ad Symmachum. Denique iussu Regis Arianorum, quos ipse Boetius confutarat, fautoris capite truncatur. De quo illud admirandum memoriæ proditum legitur, illum caput suum abscissum vtraque manu sustulisse, interrogasseque à quo nam percussum se existimaret, illudque ab impijs respondisse, cumque in vicinum templum venisset, & flexis genibus preces effundere cœpisset, expirasse. *Ex eius vita operibus illius præfixa, & ex Baron. in Annalib. passus est* 10. *Kal. Nouembris, An. sal* 526.

De præstanti litteratura Boetij præclarum Theodorici Regis testimonium.

Boetius à Rege Arianorũ capite plectitur.

Inauditũ de Boetij capite prodigium.

ANNOTATIO.

COnditus est in æde S. Petri in cœlo Aureo apud corpus S. Augustini, vbi corpus asseruatur cum epitaphio marmore insculpto. Cuius natalis hac die ab Eccles. Ticinen. celebratur.

DE S. CRESCIO MARTYRE.

CRescius ex Germania in Hetruriam veniens, in agro Mugellẽsi cum socijs aliquandiu habitauit. Cum autem persecutionem Decius Imp. in christianos excitasset ab Imp. satellitibus comprehensus vna cum alijs ob fidei christianæ confessionem martyrio coronatur in valle, quæ Caua dicitur. Vbi corpus à christianis conditum est; quod adhuc in ecclesia Plebis Vallis suo nomini dicata diœcesis Fæsulanæ piè asseruatur finitimis populis ad diem festum anniuersaria celebritate accedentibus. *Ex Hist. Ioannis Villanij, & Tab. Eccles. Fæsulanæ.*

ANNOTATIO.

IN Tab. Eccles. Fæsulanæ à nobis nuper visis die sequenti natalem huius mart. celebrari animaduertimus.

DE S. SEVERO CONFESSORE APVD M. FALCVM.

SEuerus in Mattana ciuitate natus tempore S. Spei Episcopi Spoletini vixit. Ferunt eum thesaurum inuentum Imperatori detulisse, ab eoque militiæ

Tt 4 magi-

magistrum fuisse creatum. Qui cum Exarchi iussu captus esset, & Rauennam perduceretur, ad tumulum S. Fortunati apud M. Falcum orans liberatur: ac sacra Fortunato æde extructa, & à S. Speo Episcopo dedicata, ipse apud M. Martanum loco à Spoletio ad 4. M. P. distante in ædicula sibi constructa vitam degit solitariam. Erat aspectu eleganti, & placido, venerandoque, vt antiquæ illius imagines depictę declarant, cum diem suum ibi obijsset, miraculis clarus ad M. Falcum translatus, ibi honorificè sepultus est, ac præcipuo honore colitur. *Ex monum. illius Eccles. M. S.*

Seuerus ad tumulum S. Fortunati liberatur.

ANNOTATIO.

Hic diuersus ab illo est: qui Oropiti, seu Vrbeueteri die S. huius, & apud Marsos die 15. Februarij, celebratur: prout acta ipsa demonstrant.

DE B. IOANNE CAPISTRANO Ord. Minorum apud Sulmonem.

Ioannes Capistrani Aprutij castello natus Perusiæ litteris, & legibus operam dedit. Factus doctor, & Iudex, ac vxoratus aliquādo Perusia egressus in manus exulum incidit, in vinculaque conijcitur, cumque preces Deo, vt liberaretur, effudisset, quidam habitu Minorum indutus (qui S. Franciscus fuisse creditur) ei per visum ad idem institutum adhortans visus est. Expergefactus se coronam clericalem more religioso factam habere comperit. Perusiam liber rediens 38. annos natus habitum Minorum induit, miréque cœpit in humilitate, paupertate, abstinentia, & obedientia proficere. Nam adhuc nouitius à magistro pannum ex lebete ebulliente extrahere iussus, illum manibus in lebetē immissis absque omni læsione extraxit. Professus non sine magna audientium vtilitate prædicare cœpit, & Dæmones ab obsessis eijcere, alijsque miraculis coruscare, cū apud Tusculum puerum mortuum suscitasse, & apud Aquilā quendam, qui se ex disperatione fenestra proiecerat, à morte liberasse, & padum super pallio, cum in nauem portitores noluissent recipere, traiecisse cum socijs legatur. Multa pro Dei ecclesia sustinuit incommoda, Martino V. & Eugenio IV. Pont. Max. In Pannoniam, & Daciam missus, vbi multos ad fidem catholicam conuertit. In Germaniam quoque missus admiranda in Austria, Bohemia, & alijs locis prorsus sunt, quæ fecit. Ratisponæ inter concionandum detrahentibus, & irridentibus diuinam prædixit vltionem; qui sequenti nocte miserè interierunt. Eo Cracouiæ prædicante sacra Hostia à Iudæis percussa sanguinem emisit. Quod scelus eius studio detectum non mansit inultum. Profectus in Hungariam christianis insignem de Turcis victoriam precibus suis impetrauit. Qui in Italiam rediens apud Iuliacum in Corinthia febre correptus 10. Kal. Nouembris An. sal. Hum. 1450. animam Deo reddidit, multis post mortē mi-

Ioanni in vinculis detento S. Franc. apparet.
Ordinem Min. ingreditur.
Manum ex lebete ebullienti illæsam extrahit.
Miraculis claret.
Padum fl. super pallio traijcit.
Detrahentibus diuinam vltionem prędicit.
Hostia sacra à Iudæis percussa sanguinem mittit.
Iuliaci in Corinthia obijt.

miraculis clarus; cum non modò morbo oppressos,& corpore vitiatos sanitati, sed etiam defunctos vitæ restituisse legatur. *Ex Chron. Min. par. 3. lib. 4. in quo eius Acta fusius describuntur*, Is vitam S. Bernardini scripsisse fertur.

Post mortem etiam mortuos suscitat.

ANNOTATIO.

ET *si nondum Apotheosi donatus est; Sulmone tamen, in cuius diæcesi Capistranum est, officio colitur Eccles. Sed. Apost. concessu: hacque Antiphona in eius commemor. recitatur*: O zelator fidei, persecutor Hæreticorum, lumen vir tutũ, Exterminator Turcarum, Prædicator egregius, Doctor populorum, Ioannes fidelissimus Ord. Minorum. Vers. Ora pro nobis B. Ioannes &c.

Colitur Sulmone.

Octobris die 24.

DE SS. FELICE EPISCOPO, ADAVCTO, ET IANVARIO Presbyteris, Fortunato, & Septimio Lectoribus martyribus Venusiæ.

FElix Episcopus Tibirensis, seu Thibarensis in Africa cum Adaucto, & Ianuario Presbyteris, Fortunato, & Septimio Lectoribus à Magdelliano Procuratore: quòd sacros codices edicto Imperatorum Diocletiani, & Maximiani comburendos tradere noluisset, in vincula coniectus est. Cum enim Nonis Iunij in ciuitate Thibarensi edictum illud de tradendis libris publicatum fuisset, Magdellianus Procurator Aprum Presbyterum, Cyrum, & Vitalẽ Lectores ad se perductos interrogat, an sacros libros haberent, qui respõdent illos esse apud Felicem Episcopum, qui Carthaginem profectus erat. Postera die cum Felix Thibarim rediisset, & ad Procuratorem adductus, cum is illi diceret: *Felix Episcope da libros, & membranas quascunque, vt comburantur*, respondit; *melius est me igne aduri, quam deificas scripturas: & bonum est obedire Deo magis, quàm hominibus*: & dicente Procuratore: *prius est, quod Imperatores iusserunt, quam quod dicis*, respondit Felix: *Prius est præceptum Dei, quam hominum*: quibus dictis, illum in carcerem misit dicens: *Recogita tecum*. Triduo transacto, Procurator Felici ad se euocato ait. *Recogitasti tecum?* cui Felix. *Quæ prius locutus sum, & modò loquor, & ante Proconsulem dicturus sum*. Missus est itaque Felix vinctus ad Proconsulem Anulinum 8. Kal. Iulias. Qui in carcerem trusus, & postero die productus ad Proconsulem sic interrogantem: *quare scripturas non reddis? Habeo*, respondit, *sed non dabo*. Missus autem in profundiorem carcerem, rursus post 16. dies educitur, & ad Anulinum sistitur, vt prius interrogantem, cui cum Felix se scripturas non daturum respondisset, ad Præfectum Prætorij Idibus Iulij mittitur: à quo maioribus vinculis adstringi iubetur, & post nouem dies ad Imperatorem nauigare, Felix itaque magnis vinculis constrictus in imo nauis positus ieiunus Agrigentum in Siciliam venit quatriduo, ibique à fratribus summo cum honore cum socijs excipitur. Inde Catanam,

Felix se ipsũ potius, quàm sacros codices comburi peroptat.

Catanam, vbi similiter exceptus est, Catana Tauromínium, & inde Messanam à fratribus vbique exceptus. Posthæc traiecto freto in Lucaniam, & tandem Venusiam perueniunt. Vbi Præfectus Felicem è vinculis eductum sic alloquitur; *Felix quare scripturas Dominicas non das? Forsitan non habes?* Cui Felix: *Habeo; sed non do.* Tunc Præfectus Felicem cum socijs gladio percuti iussit. Ductus itaque ad passionis locum (quo tempore luna in sanguinem versa fuerat) 3. Kal. Septembris Felix oculis in cœlum attollens clara voce ait. *Deus Gratias tibi, quinquaginta, & sex annos habeo in hoc saculo; virginitatem custodiui; Euangelia seruaui, fidem, & veritatem predicaui Domine Deus cœli, & terræ I. C. tibi ceruicem meam ad victimam flecto*, & decollatus est. *Ex pass. à Sur. tom. 5. rel. & Baron. in Annal. ad an. D. 302.*

Luna in sanguinem vertitur.

Pulcherrima cum præconio Felicis ad I. C. peroratio.

ANNOTATIO.

M*iror in Actis à Sur. relatis; quæ fidelissima a Baron. dicuntur, nullam de Adaucto, & Ianuario, de Fortunato, & Septimio fieri mentionem.*

DE S. MARCIO EREMITA IN M. MASSICO in Campania.

MArcius Iustino Iuniore Imp. in M. Massico inter Suessam, & Sinuessam in Campania apud Calenum ciuitatem vitam in specu angustissimo multis annis solitariam egit: vbi ex petra stilla aquam quotidiano vsui ei suppeditauit, ita vt neque deesset, neque superesset. Hanc illi inuidens antiquus hostis felicitatem; vt eum inde deturbaret, serpentem immisit; qui se ante illum sternens, oranti, legenti, manducanti, & quidlibet agenti aderat, & eo cubante pariter cubabat. Cui cum vir Dei imperterritus manum vel pedem ad os extenderet; Ille tamen mordere, neque percutere audebat. Idque per triennium. Tandem Dæmon viri patientia, & fortitudine victus per latus montis deuexum præcipitatus arbustis flamma combustis abscessit. Cum mulier ad specum Marcij audacter ascenderet; vt eum ad peccandum prouocaret, vir S. ea longè conspecta facie humi depressa eousque prostratus in oratione iacuit, quoad impudens illa inde fatigata discederet: quæ statim, vt è monte descendit, expirauit. Cum multi ad Marcium ex deuotione per semitam arctissimam concurrerent, puer incautè gradiens de summo monte in profundam vallem præcipitatus est: qui cum ab omnibus confractus crederetur, & mortuus, sine vlla prorsus læsione repertus est. Cellæ Marcij magna rupes imminebat, quæ mox casura, & illũ oppressura videbatur: quam Mascator Armentarij viri illustris nepos, eò ductis rusticis excindere volebat, vt S. virum ab eo periculo eximeret: sed ille egredi noluit inquiens, vt facerent, quod possent. Illis ergo laborantibus, vt saxum illud sine Marcij læsione inde euellerent, statim omnibus videntibus moles illa sic eleuata est, vt intacto specu longius deciderit. Cum autem à principio pedem sibi catena ferrea: quæ saxo altero extremo inexa erat, ligasset, ne posset vltra catenæ longitudinem progredi, ad S. Benedicti monitionem, vt si seruus Dei esset, non teneret eum catena ferri, sed catena Christi, compedem quidem soluit; at catenæ longitudinem nunquam est egressus. Cum multos verò discipulos congregasset & illis ex alto puteo aquam haurientibus funis sæpius rumperetur; addita funi catena Marcij de cætero rupta non est. Marcius autem abstinentia, & senio confectus obijt in Domino 9. Kal. Nouembris, ibidem à discipulis tumulatus. *Ex S. Greg. Papa lib. 3. Dialog. c. 16.*

Mira ex saxo stilla erumpit.

Infestissimus serpens Marcio coniuit.

Mulier impudica Marciũ ad libidinem illectura expirat.

Puer excelso de loco ruens inoffensus reperitur.

Ingens moles eminùs à cella transferi.

Funis puteï catenæ copulata non amplius rumpitur.

A N-

ANNOTATIO.

Hic error insignis apud Pet. in Catal. lib. 9. c. 102. vbi is: quæ S. Greg. loco citato de S. Marcio narrat, Martino Abb. tribuit.

DE S. MARTINO ABBATE MONASTERII VERTANI.

Martinus in Monte Massico, vitam valdè austeram duxit: vbi extructo cœnobio ob discipulos; qui in dies suæ se disciplinæ tradebant, ad eum cõfluentes, quod Vertanum, quasi in Montis vertice situm dictum ferunt, aliquãdiu extructis alijs monasterijs vixit, cum autem diem clarus miraculis obijsset, illudque monasterium; quod de suo nomine etiam S. Martini dictum est, corruisset, Dux Beneuentanus cum Archiepiscopo, & clero ad S. viri sepulchrum, vt corpus illius Beneuentum transferrent, venit; sed cœlo repente turbato, mõteque tremore concusso, aere fulguribus coruscãte, fragoribusque ac tonitruis personante, Beneuentum re infecta redire coacti sunt. Posthæc S. Bernardus Episcopus Caleni corpus S. viri in vrbem translatum in ara maioris ecclesiæ decenter locauit. Ex quo loco in decentiorem eiusdem ecclesiæ à Ioanne Vitellio Episcopo superiore sæculo delatum est, vbi huiusemodi inscriptio reperta est. HIC IACET CORPVS B. MARTINI TRANSLATVM DE M. MASSICO PER MANVS PRÆSVLIS BERNARDI, vbi etiam catena, qua sanctus alligatus erat, asseruatur. *Ex monum. Eccles. Calenen.*

ANNOTATIO.

Hic etiam dubitandi locus est, ne quæ de Martino dicuntur, de Marcio intelligẽda sint. Nam quæ de Martino dicuntur prorsus Marcio apud S. Greg. libr. 3. Dialog. c. 16. congruunt. De Martino autem cum Greg. Turonen. lib. de Glor. confess. c. 57. Loquatur, crediderim illum in Gallia vixisse; ibique Vertanum fuisse monasterium cuius nulla extat memoria in M. Massico; Marcijque nomen in nomen Martini apud Calenenses, vti apud Pet. in Catal. transijsse.

DE S. MAIORIO MARTYRE TIBVRE.

Maiorius nobilis cuiusdam ciuis Tiburtini seruus in persecutione Vuandalica sub Hunnerico Rege comprehensus, variè, direque cruciatus est. Nam primum fustibus diu mactatus, trocleis deinde in altum pluries eleuatus, & deorsum celerrimè demissus, super silices corruebat. Tum lapidibus illi plagæ vsque adeò confricantur, donec nudata viscera cernerentur, & diffluerent. Quibus in supplicijs nihil de constantia remittens, quin etiam cum in fidei catholicæ confessione constantior appareret, nouissimè gladio cæsus nobile martyrium absoluit 9. Kal. Nouembris. Cuius corpus ibi sepultum adhuc perseuerat. *Ex Pet. in Catal. lib. 9. c. 104. Pet. Canis. & Pet. Gales.*

Atroces Maiorij cruciatus.

ANNOTATIO.

Hinc colligitur Hunnericum non in Africa solum, sed etiam in Italia catholicos fuisse persecutum. Hoc autem Pet. Canis. in suo Martyrol. circa an. D. 450. accidisse scribit.

DE

DE B. IO. ANGELO MEDIOLANENSI ORD SERVORVM.

Ioannes Angelus in liberandis energumenis ac morbis insanabilibus curandis solo signo crucis pene diuinus extitit.

IOannes Angelus Mediolani ex nobili Porta familia natus adolescens Ordinem Seruorum B.M.V. ingreditur: ac vt Deo liberius inseruiret; se in M. Senarium apud Florentiam contulit: vbi annos 20. continuos in orationibus, ieiunijs, vigilijs pijs meditationibus, flagellationibus, & alijs carnis macerationibus exegit. Multaque in liberandis præsertim energumenis, & morbis insanabilibus curandis, solo crucis signo adhibito cum oratione signa ostendit virtutum. Mediolanum reuersus eandem vitæ austeritatem retinens in cella: quæ paucis ab hinc annis adhuc monstrabatur, seorsum ab alijs habitauit non absque admirabilium miraculorum ostensione. Cum enim racemum ex vicina vite abstulisset, idque Fratres indignè ferentes audiisset, illum in eundem locum retulit; qui sic viti copulatus est, ac si nunquam fuisset abscissus. Apud Cauacurtam Laudensis diœcesis pagum; vbi eius interula parturientibus opem ferens asseruatur, illum aliquando orantem à terris eleuatum visum ferunt. Illud quoque admirandum; quòd cum in morbum incidisset, & sanguis per venæ sectionem extrahendus esset: accidit, vt adueniente eo, qui sanguinem mitteret (Eusebius illi nomen erat) nullus, qui ei inseruiret ex fratribus omnibus in processionem per vrbem profectis adesset, cumque is aliquem: qui lumen, vas, & alia ministraret, perquireret; continuò duo adolescètuli egregia forma, quos ille nouitios ex habitu arbitrabatur, adfuere, illiq; ministrarũt, peractaque phlobotomia disparuerunt. Denique S. vir assiduis macerationibus confectus, cũ pelle tantum, & ossibus constare videretur, 9. Kal. Nouembris obdormiuit in Domino An. sal. 1506. In quo tumulando, aliud mirum contigit. Nam quò magis corpus illius in eandẽ cœterorũ Fratrũ inferre conabantur sepolturã, eò immobilius, & grauius videbatur; vt propterea in priuato tumulo supra terrã illud condere coacti fuerint. Quo tempore perdiem, & noctem innumera languentium multitudo, ad sacrum cadauer, cucurrit, multis sanitatem referentibus, campanis Ecclesiæ Seruorum spontè sonantibus. Corpus adhuc integrũ in æde Seruorum seruatur, ad quod hac die venerandum tota penè ciuitas Mediolanensis confluere, & vota nuncupare solet. *Ex monument. Eccles. prad. & Cron. Ord. Seruorum.*

Racemũ vitæ extractũ suo loco mirabiliter annexit.

In secanda vena duo Angeli sub nouitiorum forma Ioanni Angelo ministrant.

Corpus seorsum ab alijs fratribus miraculo tumulari necesse fuit.

Innumera languentium multitudo optatam recuperat sanitatem.

ANNOTATIO.

NOndum SS. numero adscriptus est, neque adhuc officio Ecclesiastico colitur, licet in die eius festo, maximus fiat ad eius sacellum populi concursus.

Hexastichon de B. Io. Angelo.

„ *ANgelus est nomen, mirari desine, si re*
, *Ipsa actus fuerint, Angelicique modi:*
„ *Si botrum viti copulat; si cernitur orans*
, *Elatus terra: vnde parabat iter:*
„ *Si adsunt Cælicolæ ægroto, & mirabile dictu*
, *Tympana spontè sonant ipso obeunte sua.*

Octo-

Octobris die 25.

DE S. CHRYSANTHO, ET DARIA MARTYRIB. ROMÆ.

CHrysanthus Polemij Alexandrini viri clarissimi filius Romæ in disciplinis, & Philophia egregiè instructus, cum christianorum scripturas legisset, fidei desiderio incensus à Carpophoro Presbytero ob persecutionem latente in illa eruditus baptizatur. Quod cum ad patris aures delatum fuisset, confestim Chrysanthum obscuro, & fœtido carcere; vt eo squalore ad priorem sententiã resiliret, inclusit. Cumque quasi in delicijs versans eo incommodo haud moueretur: aliam pater aggreditur viam. Elegantissimam, & nobilissimam virginem nomine Dariam à parentibus filio vxorem postulat, eamque ad Chrysanthum introducit animum illius emollituram, atque à christiana fide auocaturã ratus. Verum contra accidit: nam sic Daria à Chrysantho vi eloquentiæ (diuina intus operante gratia) persuasum est, vt Christi amore flagrans, fidem, & castitatem amplexa, aquis salutaribus quamprimũ expiari voluerit Chrysantho sponso connubio spirituali iuncta. Cum autem multitudinem ingentem ad Christum conuertissent, ille virorum: hæc mulierum; plurimos item adolescentes, & virgines nobilissimas non modò ad fidem, sed & ad castitatem pertraherent re ad Celerinum Præfectum perlata, comprehenduntur: ac Chrysanthus Claudio Tribuno cruciandus traditur. Qui illum immaniter cæsum, vinculis constringi, carcerique includi iubet: sed mox catenæ ferreæ ipsis satellitibus præsentibus resolutæ quasi puluis conteruntur, compedesque, in quos coniectus fuerat, confracti sunt; quod magicis artibus tribuentes lotio illũ perfundunt: ex quo cum suauissimus odor velut rosarum perciperetur, Tribunus illicò Chrysanthum corio bouis inclusum in ardentissimo sole constituit, ac in sententia persistentem in obscurum carcerem vinctum, & compeditum trudi imperat. Verum catenis solutis, compedibusque rursus confractis, & carcere clarissima luce illustrato, ad tantam rei nouitatem commotus Tribunus Chrysanthum denuò, quasi hæc incantationibus fierent, frustrà, vt Deos coleret, admonitum virgis cædi præcipit: quæ cum eo præsente ita emollirentur in tortorum manibus: quamuis non semel mutatæ, ea re Tribunus ad Christum conuersus, milites etiam, vt Christũ colerent, persuasit. His cognitis Numerianus Imp. Tribunum cum filijs, & militibus martyrio affectis, Chrysanthum in carcerem Tullianum detrudi, Dariam verò in Lupanar, vbi eius pudicitia violaretur, duci imperat. Quæ à Leone eò diuinitus ad eius tutelam misso defensa est: nam cũ eò salacissimus iuuenis, vt vim virgini afferret, ingressus esset, arreptus à leone, & à virgine liberatus, in Christum credens per vrbem illum prædicabat. Quod cum alijs quatuor contigisset, Celerinus ignem circum illam accendi iussit: à quo cum ipsa cum leone, nil læsa fuisset, iubente Imp. cum Chrysantho extra vrbem ducta via Salaria in Arenaria terra effossa vterque lapidibus obrutus est, 8. Kal. Nouembris circa an. sal. 284. *Ex eorum pass. a Lipom. tom. 7. & Sur. to. 5. ac ex Breu. Rom.*

Chrysanthus Dariam nobilissimam à patre sibi sponsam paratam conuertit.

Ingens virorum, ac mulierum multitudo eorũ exemplo christianam fidem recipit.

Catenæ ferreæ resoluuntur: compedesque confringuntur.

Suauissimus rosarum odor percipitur.

Leo Dariæ pudicitiam tutatur.

ANNOTATIO.

HOrum corpora Regij in æde maiori, seu Cathedrali asseruantur summa religione, (sunt enim vrbis tutelares) eò ex vrbe Ticinensi ad Adelardo Episcopo Regiensi, à Berengario Rege; qui ea Roma a Io. Papa X. An. D. 915. impetrauerat, sibi concessa translata. Quanquam eadem Vria in Salentinis, cuius vrbis ijdem martyres sunt patroni, haberi traduntur; & corpus Dariæ Romæ in æde S. Syluestri quiescere nuper in ea translatum marmorea tabella docet.

DE

DE SS. MARTYRIBVS THEODOSIO, LVCIO, MARCO, & Petro, cum alijs 152. Romæ.

QVadraginta, & sex milites, quorum præcipui fuere Theodosius, Lucius, Marcus, & Petrus exemplo Tryphoniæ Augustæ Decij vxoris, & Cyrillæ eius filiæ, permoti ad Iustinum Presbyterum, & ipsi cum liberis, & vxoribus venientes in fide ab ipso instructi, à S. Dionysius Papa; qui Xysto successerat, sacro baptismo expiantur. Quos Claudius Imp. qui post Valerianum, & Galienum Imperium administrauit, extra portam Salariam ductos vnà cum alijs christianis 120. ab exercitu trucidari iussit. 8. Kal. Nouembris An. sal. 269. Dionysij Papæ IX. Ipsius verò Claudij I. *Ex Gest. & pass. S. Laurentij*.

ANNOTATIO.

LIcet horum martyrium in passione S. Laurentij referatur; plures tamen anni inter illius, & ipsorum passionem interfluxerunt: Laurentius enim an. D. 261. Valeriani verò, & Galeni anno 7. passus est: hi vero post 8. annos circiter. Ex Baron. in Annal.

DE S. MINIATE MARTYRE, ET FLORENTIÆ Protectore.

MInias miles Decio Imp. in suburbio Florentiæ ab Imp. satellitibus: quòd christianus esset, comprehensus, & ad Decium adductus ab eo minaci vultu, voceque interrogatus; *Tune es Minias: qui christiana inepta religione totã conturbas Prouinciam*? respondit, intrepidè, *Ego sum seruus I. C. veri & omnipotentis Dei: qui te perpetuis Gehenna incendijs destinabit, nisi ab istorum Deorũ, quibus spiritus vita non est, cultu discesseris*. Cum rursus Tyrannus diceret: *Annos viuacis iuuentutis tua abrumpere horremus; sed Deorum, quibus tu obloqueris ore blasphemo, iniuriam inultam relinquere, sacrilegium putamus, nisi quantocius honore illis satisfacias: quod si feceris diuitijs, & honoribus te afficiemus ingentibus, & quale*, inquit. *Minias, mihi bonum præstabis, qui assidua impietatis sits laborans miseriam aterni luctus euadere non vales*? Quibus verbis Decius excandens Miniatem continuò pardo horribili deuorandum obijcij imperat: qui statim ac Minias dixit: *Domine Deus adiutor meus esto, ne derelinquas me*, expirauit. Quod cum malefic ijs tribueretur, fornax succendi iubetur, & Minias rursus bonorum pollicitatione tentatur: qui cum perituras opes respueret, diceretque se pro omni tormentorum genere mercedem ab eo expectare, qui pro caducis æterna largitur, confestim in ignem oleo perunctus inijcitur: sed affuit illicò Angelus, qui excusso flammarum incendio martyri refrigerium attulit. Illæsus itaque è camino egressus, leoni sæuissimo obijcitur: qui mox facto aduersus eum crucis signo extinctus est. His Decius in furorem versus martyrem in equuleo torqueri iubet, experturus an Deus: quem Minias colit, de suis eum manibus liberare queat. Stat inuictus Christi Athleta, Christique potentiam extollens, eumque cæcos illuminare, paralyticos curare, claudos dirigere, leprosos mundare, Dæmones eijcere, mortuos suscitare, cæteraque beneficia mortalibus præstare dicebat. Non ferens Tyrannus impius tam gloriosa de Christo testimonia, martyri de equuleo deposito verubus sub vngues infixis, digitos omnes iuber pertundi, & feruens plumbum infundi auribus, atque suspẽso lapidem grauissimi pon-

Illustris Decij Imp. cum Miniate disceptatio.

Pardus horribilis Miniaté deuoraturus expirat.

Angelus Miniatem oleo delibutum, in ignemq; inijciendum diuinitus eripit.

Leo & sæuissimus signo ✠ prosternitur.

Acerbissima Minias tormenta sustinet.

ponderis alligati pedibus. Quibus in cruciatibus adstare Angelus vultu, & habitu splendidissimus martyrem confortans visus est. Quod cum Tyranno renunciatum fuisset, isque ferro praeacuto aures martyris perforari mandasset, tandem confusus illum capite truncari iussit 8. Kal. Nouembris, an. sal. 254. *Ex pass. illius plurib. apud Sur. tom. 5. rel.*

Angeli solatium.

ANNOTATIO.

EXtat Florentiae insignis basilica cum monasterio Miniatis nomine: & in agro Florentino opp. frequens inter Florentiam, & Pisas medium, quod S. Miniatis appellatur.

Pet. in Cat. lib. 9. c. 108. miraculum narrat: quo S. Frigdianus Episcopus Florentinus (qui non fuit) in nimia Arni inundatione illum momento diuinitus traiecit, addens illum, à Deo precibus S. Miniatem obtinuisse, vt nemo in eo flumine necari posse, populo annunciasse, fuisseque S. Frigdiano, ecclesiam aedificatam. Quae omnia commentitia videntur.

Insignis error Petri.

DE SS. PROTO PRESBYTERO, ET IANUARIO Diacono martyribus Turritanis Ecclesiae Metropolitanae patronorum.

PRotus, qui Sardis Proptus dicitur, & Ianuarius ciues Turritani; cum christianam religionem amplexi fuissent, Romam profecti à B. Caio Papa ordinantur, Protus quidem tanquam Senior Presbyter; Ianuarius verò Diaconus. In Sardiniam reuersi dum christianam fidem praedicant, ac mira in vrbe Turritana sanctitate florerent, in saeuissima Diocletiani, & Maximiani Imperatorũ persecutione sub Barbaro Sardiniae, & Corsicae Praeside comprehensi, varia pro Christo tormenta constanter perpessi sunt. Proto in Herculis insulam (quam vulgus Linariam vocat) deportato; Ianuarius tanquam iunior blanditijs, & donis, vt Dijs immolaret, tentatur. Quod cum frustrà fieret, mox Proto reuocato, vterque in equuleo suspenditur, vngulisque ferreis excarnificatur. Cum verò immobiles in fide perstarent, Gauini militis custodiae traduntur: à quo ab eis ad fidem conuerso dimissi, posteà cum se vltrò tortoribus obtulissent, in eodem loco, in quo S. Gauinus obtruncatus fuerat, gladio animaduersi martyriũ consumarunt. 8. Kal. Nouembris circa an. sal. 300. *Ex monum. Eccles. Turritana, seu Sassaren. ac ex Franc. Fara lib. de Reb. Sard. 1.*

ANNOTATIO.

ANnus, quo martyres hi passi à Fara referuntur, corrigendus est: nam persecutio sub Diocl. & Max. in christianos excitata an. D. 302. Vt apud Panuin. in Fast. & Baron. in Annalib. quae alijs nona, alijs decima appellatur.

DE S. BONIFACIO PAPA I. HVIVS NOMINIS.

BOnifacius Rom. ex Iocundo Presbytero procreatus Zosimo in Pontificatu non Schismate successit; nam ipso in Iulij basilica electo, eodem tempore à quibusdam alijs Eulalius in Constantiniana Pontifex creatur. Re ad Honoriũ Imp. Mediolani agentem delatà, vterque vrbe excedere iubetur, ac Bonifacius quidem in caemeterio S. Felicitatis martyris via Salaria habitauit; Eulalius verò Antij apud S. Hermetem. Sed Paschae tempore aduenìente Eulalius vrbem ingressus in ipsa basilica Constantiniana, in qua electus fuerat, baptizare, & Pa-

Schisma.

scha

scha celebrare ausus fuit. Quapropter Augustus illum vrbe eijci, Bonifacium verò reuocari iussit. Coacta autem Synodo 252. Episcoporum Eulalius depositus est, & Bonifacius confirmatus tanquam à maiore & saniore cleri parte electus: à quo Eulalius Episcopus Nepesinus creatus est. Nonnulla Bonifacius constituit, in ijs: vt mulier nulla, aut monialis pallas sacras attingeret, lauaretue, aut incensum in ecclesia adoleret: vt nullus seruus, aut curiæ, vel cuiuslibet rei obnoxius clericus fieret. Oratorium S. Felicitatis ædificauit, sepulchrumque illius exornauit, multis sacris vasis, & ornamentis ex argento donatis. Sub eo grauissima in christianos persecutio in Perside ab Isdegerde Rege commota est. Vixit in Pontificatu annos ferè 5. obijt 8. Kal. Nouembris. Cum ordinatione habita mense Decembri creasset Presbyteros 13. Diaconos 3. Episcopos per diuersa loca 36. *Ex lib. Pontif. Plat. & Baron. in Annalib.*

Eulalius à Pôtificatu depo nitur, Bonifacius verò cófirmatur.
Bonifacij constitutiones.
Persecutio in Perside.

ANNOTATIO.

DAmasus, quem seq. Platina annos 3. & aliquot men. eum vixisse tradit; at Baron. in Annal. 5. annis, minus 2. mens.

DE S. GAVDENTIO EPISCOPO BRIXIENSI IX.

GAudentius S. Philastrij discipulus. & successor iuuenis ad Episcopatû Brixiensem, & inuitus assumptus est, à S. Ambrosio Episcopo Mediolanensi cui familiarissimus erat, consecratus. Is in Palæstinam peregrinatus multis & præclaris reliquijs suam ditauit ecclesiam; quarum partem ex Palæstina, partem verò ex Cæsarea Cappadociæ à S. Basilij neptibus monialibus alias Romæ, alias autem Mediolano accepit. Plura scripsit (doctrina enim excelluit) ex quibus aliqua in Bibliotheca Patrum leguntur insignem illius eruditionem testantia. Scripsit etiam in Symboli Athanasij commentarium, licet ad manus nostras haud peruenerit. Extant illius sermones aliquot: in ijs, de sua consecratione, & de ecclesiæ Cathedralis Dedicatione. Arianam Hæresim maximè impugnauit; tantaque coruscus fuit sanctitate, vt fidei christianæ, & religionis sidus appellaretur. Denique vbi multos annos Ecclesiæ suæ sanctè summaque cum laude præfuisset, ad præmium in cœlos euolauit. *Ex varijs Eccles. Brixien. Ms. S. monum. Ex Helia Capreolo lib. 3. Cronic. ex propr. sermonibus, & alijs.*

Gaudentius eruditione clarus multa disertè scribit.
Arianam hæresim oppugnat.
Sidus appellatur christianæ fidei.

ANNOTATIO.

EXtat etiam præclara de S. Philastrij laudib. oratio: quam magna ex parte Capreol. loco memor. refert. Corpus porrò Gaudentij in templo S. Io. Euang. quiescit.

DE S. GAVINO MARTYRE, ET PATRONO Turritano.

Gauinus ex Sauella prosapia Romana.

GAuinus miles Rom. (quem ex Sauella familia fuisse ferunt) cum Turribus in Sardinia SS. Protum & Ianuarium iussu Barbari Præsidis comprehensos ob fidem christianam custodiret, ab ipsis ad Christum conuersus, & unda salutari lustratus, illos dimisit liberos, quòd insontes eos, & sine causa vinctos diceret. Quod cum Præsidi innotuisset, protinus illum teneri, atque in fidei confessione constantissimum repertum, in portu: qui Balagij dicitur, capite truncari iussit: quo in loco etiam Protus, & Ianuarius, qui in Suburbano Turritû

loco

loco latentes, ab ipso Gauino iu visu ad martyrij palmam inuitati fuerant, decollati sunt. 8 Kal. Nouembris. Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus. *Ex Fara lib. de Reb. Sard. Io. Archa lib. de SS. Sardin. & Chron. F. Dima Serpi Ord. Minor.*

ANNOTATIO.

Licet Gauinus paulò ante Protum, & Ianuarium passus fuerit, eadem tamē die eius natalis recolitur: Cui templum Turribus insigne excitatum adhuc durat. Tanta autem celebritatis est apud Sardos, vt mensis October, mensis S. Gauini dicatur, vt Baron. ex Far. in Annotat. ad diem 30. Maij monet. Quo in loco decipitur, dum Gauinum, de quo hic agimus, eundem cum Gabino, de quo die 30. Maij simul cum Crispulo agitur, esse putat. Gabinus enim multò ante Gauinum passus apud Sardos traditur, vt apud Faram lib. de Reb. Sard. & F. Dimam Serpum, loco citato lib. 1.

DE S. TEGVLO MARTYRE, ET EPOREDIÆ PROTECTORE.

Tegulus miles Thebææ legionis, cum vnà cum alijs apud Agaunum in finibus Sedunorum Mauritio Duce hortatore Maximiani Imp. iussu, quòd Dijs sacra facere, cum essent christiani, constanter recusassent, martyrio affectus esset, illius corpus in Eporediensis vrbis finibus diu ignotum fuit: quoad Varimundus Episcopus eiusdem ciuitatis patria Ticinensis, virtute, & religione clarus diuina reuelatione ad locum in quo sanctum martyris corpus iacebat, vnà cū clero, & alijs pergens, terra effossa illud mira odoris fragrantia inde exhalante reperit: & in vrbem ingenti totius populi lætitia, celebrique pompa transtulit, ac in æde Cathedrali in sacello S. Iacobi Apostoli decenter collocauit. *Ex monum. M.S. Eccles. Eporedien. ad nos transmissis: in quibus quædam de Thebis ciuitate perperam dicta continentur.*

Varimundus Episcopus Eporediēsis. Corpus S. Teguli miram spirat odoris fragrantiam.

ANNOTATIO.

Dies hic translationis, siue inuentionis est, non natalis: nam cum alijs Thebais die 22. Septemb. passus fuit.

Octobris die 26.

DE S. EVARISTO PAPA, ET MARTYRE.

Evaristus ex patre Iudæo Bethleem natus Traiano Imp. post S. Anacletum Ecclesiam rexit. Multa constituit. Ecclesiarum vrbis titulos Presbyteris diuisit. Septem Diaconos ordinauit, qui Episcopum custodirent, dum prædicationis officio fungeretur. Decreuit, vt Matrimonium publicè ex Apostolica traditione adhibita Sacerdotis benedictione celebraretur. Vt in ecclesiæ dedicatione missa diceretur, altariaque in quibus celebrandum est, essent lapidea. Scripsit duas epistolas; alteram ad Africanos Episcopos; alteram ad Episcopos per Ægyptum. Cum ecclesiæ annos 9. menses tres præfuisset, & ordinatione quater habita mense Decembri Presbyteros 17. Diaconos 11. Episcopos 15. creasset, Hadriano Imp. martyrio coronatus est, propè sepulchrum Principis Apostolorum in Vaticano sepultus 7. Kal. Octobris, An. sal. 121. *Ex Dam. in lib. Pont. & Breu. Rom.*

Euaristi decreta.

ANNOTATIO.

Licet Euaristus, natione Græcus referatur; non tamen ex Græcia propriè accepta originem duxit, sed ex Bethleem in Iudæa, vt patet ex Damaso. Dicitur autem natione Græcus, quia ex Oriente. Orientales enim Græci solent appellari.

DE S. GAVDIOSO EPISCOPO SALERNITANO.

Gaudiosus Episcopus V Salernitanus post S. Eusterium eam ecclesiam administrasse traditur. Cuius, & si acta non habentur, sanctitas tamen illius haud potest in dubium reuocari; cum eius memoria ab antiquissimis temporibus in ea ecclesia celebretur, ac natalis eiusdem in Romano Martyrologio fuerit adnotatus. Migrauit autem ex hac vita 7. Kal. Nouembris. Eius corpus in crypta inferiore ecclesiæ Cathedralis asseruatur, coliturque anniuersaria celebritate hac die. *Ex Martyrol. Rom. & Tab. Eccles. Salernit.*

ANNOTATIO.

Alter Gaudiosus Episcopus Neapoli celebris est; sed prorsus ab hoc diuersus: nam ille Africanus Episcopus fuit, cuius corpus Neapoli in propria Eccl. conditum, de quo die 28. huius: hic verò ex antiquissima Eccl. Salernit. traditione Episcopus Salernit. extitit, & corpus ibi monstratur.

DE S. FVLCO EPISCOPO PAPIENSI.

Fulcus mendicare cogitur.

Spiritu prophetiæ futura præuidet.

Præpositus subrogatur.

Canonicus, ac Archipresbyter creatur.

Episcopus Papiensis sufficitur.

Quindenos pauperes commensales adhibet: 7. ciues egenos sustentat.

Fulcus, qui & Fulco, natione Scotus, adolescens relicta patria in Italiam veniens Placentiæ subsedit: vbi litteris operam dedit, in summa rerum omniũ inopia, vt propterea victum, vestitumque mendicare cogeretur: quod cũ quadam die ad Mercatoris domum faceret, & ancilla illius panem Fulco porrigens diceret; *En do panem, vt nunquam tamen Episcopus fias*, is manum retraxit, ne panem ea conditione acciperet. Ea re ab hero domus cognita, accersito statim Fulco, ei cibum quotidianum, & perpetuum domi suæ constituit. Fulcus igitur liberius in litterarum studijs occupatus, cum magnos in ijs cum pietate progressus fecisset, factus Canonicus Regularis Lutetiam Parisiorũ mittitur; vbi Theologiæ operam nauauit. Placentiam reuersus, iuncta cum eruditione summa animi demissione, vitæque sanctitate, demortuo Præposito S. Euphemiæ nondum annos 30. natus subrogatur. Cuius consilio Grimerius Episcopus in multis, & grauissimis ecclesiæ negotijs vsus, expertusque fidem, integritatem, & prudentiam, illum Canonicum Ecclesiæ Cathedralis, deinde Archipresbyterum creat. Cui vita functo anno sal. 1210. ab vniuerso clero Episcopus sufficitur. Cum Ecclesiæ Placentinæ 6. annis singulari prudentia, & sanctitate præfuisset, mortuo Rodobaldo Episcopo Papiensi ad eam Ecclesiam regendam Honorio III. Pont. Max volente transfertur, vbi præcipuam viduarum, pupillorum, virginum, & miserorum omnium curam gessit, ita vt communi voce communis omnium parens diceretur. Quotidie quindenos ad mensam suam pauperes adhibebat: totidem studiosos egenes cum eorum magistro alebat. Septem quoque ciues nobiles, sed egenos apud se sustentabat. Denique cum Ecclesiam Papiensem annos 13. summa pietate administrasset, assiduis vigilijs, pijs laboribus, & crebris ad populum concionibus confectus ad præmium cœlestis vitæ euolauit. Migrauit 7. Kal. Nouembris. Corpus in templo Cathedrali conditum, anno D. 1567.

1567. repertum non fine admiranda odoris fuauitate ab Hippolyto Rubeo Epifcopo decentiore loco reconditum fuit. *Ex offic. Eccl. Placent. & monum. Eccl. Papien. à Gualla in fanctuar. Breuent. in Hiſt. & Spelta in vit. Epp. Papien. relatis.*

ANNOTATIO.

ACta S. Fulci à Scriptorib. Ticinenfib. relata in eo præfertim cenfura egent, quòd illum electum Epifcopum Placentinum, electioni minimè confenfiffe tradunt. Cùm ex Tab. & Annalib. Placent. præter off. eccl. nuper Romæ comprobata, ipfum Epifcopum Placentinum creatum illi ecclefiæ fex annos præfuiffe fatis appareat.

Extat inter monum. Ecclef. Papien. Priuilegium Honorij III. Pont. Max. S. Fulconi Epifcopo Papien. (fic enim in diplomate Pontificio appellatur) conceffum: in quo monafteria omnia, & plures ecclefias in alijs diœcefib. exiftentes fubijcit.

DE S. FVLCO EPISCOPO RAVENNATE IN TERR. Bononienfi.

FVlcus Epifcopus Rauennas, quo tempore Gothi Italiam bello premebant maxime verò Rauennam, Mutinam fugit, indeque in agrum Bononiẽfem fe recepit in pagum, cui nomen Saletum eft: ibique aliquandiu ignotus vitam duxit, eo miraculo apud incolas in honore habitus, quòd cum incolæ pagi Sancti Martini Baptifterium vi ex Saleto pago abftuliffent, illud in itinere fic immobile conftitit, vt nulla ratione poffet dimoueri. cum autem fic Fulco confulente, duas iuuencas plauftro vinxiffent, vt ibi illæ cum plauftro fubftitiffent, ibi Baptifterium dimitteretur, effetque locus ille plebs pagorum vicinorũ, ftatim plauftrum cum Baptifterio in Saleti Ecclefiam, vnde fublatum fuerat fponte reuexerunt. Claruit etiam poft mortem miraculis, multis ad eius tumulum fanitatem confecutis. Cuius dies feftus Dominica infra octauam Natiuitatis B. M. agi in ea ecclefia confueuit. *Ex antiq. dictæ Eccl. Saleti traditione.*

Fulcus in Terr. Bononien. ignotus habitat.

Miraculo iuuencarum clarefcit.

Poft mortem multis confert beneficia fanitatis.

ANNOTATIO.

QVæ fupra narrata funt nulli fcripto commendata leguntur; fed fola nituntur traditione incolarum.

DE S. QVODVVLTDEVS EPISCOPO NEAPOLI.

QVoduultdeus Epifcopus Carthaginenfis in perfecutione Vuandalica fub Genferico Rege propter fidẽ Catholicã, vnà cum clero comprehenfus naui cariofæ fine remigio, & velis, vt in mari fubmergeretur, imponitur. Verùm nauis Deo gubernante ad Campaniæ littora appulit. Cumque Quoduultdeus Neapolim veniffet, ibi vnà cum S. Gaudiofo Epifcopo, & alijs in eadem perfecutione Africa eiectis, in monafterio non vti Epifcopus, fed tanquam monachus fub S. Agnello Abbate vitam degit, donec fenio, & pijs exercitationibus confectus, quieuit in pace 7. Kal. Nouembris. *Ex vita S. Agnelli Abb. Neapolit.*

ANNOTATIO.

PAulus Reg. lib. 2. de SS. Regni Neapolit. eundem facit Quoduultdeus, & Gaudiofum: fibi tamen contradicit, cum Gaudiofum Epifcopum Bithyniæ vocat. Quoduultdeus aũt Epifcopus Carthaginen. fuit: de quo Victor Vticen. 1. de Perfecut. Vuadal.

Effe autem diuerfos Epifcopos Gaudiofum, & Quoduultdeus ex ipfo Martyrol. Rom. apparet, in quo hac die de Quoduultdeus, die autem 28. huius de S. Gaudiofo agitur. Quod apertius ex vita S. Agnelli emendatione apparet; ibi enim feparatim tanquam diuerfi Epifcopi nominantur, licet ambo in eadem perfecutione, & eodem tempore ex Africa in exilium eiecti fuerint.

Pauli Reg. opinio improbabilis, & fibiq; cõtraria.

Octobris die 27.

DE INVENTIONE CORPORIS S. ALEXANDRI PAPÆ, & martyris Iustinopoli.

IVstinopoli in Istria corpus S. Alexandri Papæ, & martyris hac die inuentũ traditur: verùm cum illius corpus Parmæ in propria ecclesia, quæ Monialiũ S. Alexandri est, quiescere affirmetur, vel alterius Alexandri martyris non Pont. Iustinopoli corpus habetur: aut certè pars pro toto, vt vsu de multis alijs euenit, accipitur.

DE S. FLORE EPISCOPO ÆMONIENSE POLÆ.

Æmonia vrbs antiq. euersa.

Corpus S. Floris vbi.

FLos sanctitatis verè Flos fuit, & honoris magna virtutum redolentia prædictus. Is Æmoniæ (quæ Istriæ ciuitas fuit, non obscura; cui excisæ proxima successit ciuitas noua) ob eius virtutes creatus Episcopus eã sibi promeruit sanctitatis laudem vt sæculo defunctus inter sanctos habitus sit, & cultus. Corpus eius Polæ, vbi diem suum obijsse putatur, in maiore basilica in arca lapidea piè asseruatur, & colitur: Cuius dies natalis ibidem 6. Kal. Nouembris celebratur. *Ex Tab. & antiq. mon. Eccles. Polen. & ex hist. Istria Nicol. Manzoli I.C. Iustinop.*

ANNOTATIO.

ACta huius diui Episcopi desiderantur. Populantibus enim Istriam Genuensibus, multa SS. historia disperierunt, Pola præsertim, quæ tunc ab hostibus passa est incendium sublatis inde, & ab alijs locis aliquot SS. corporibus.

Octobris die 28.

DE SS. SIMONE, ET IVDA APOSTOLIS.

Chana op. Galil. patria Sim. & Iudæ.

Simon prædicat, in Ægypto.

Iudas in Mesop.

Vterque in Perside.

Prædicunt Varadæ Duci pacem Indorum.

Dijs loquendi potestatẽ faciunt.

SImon, qui & Zelotes, ac Iudas, qui & Thaddæus fratres Chanæ Galilææ oppido (vnde Chananæus Simon, & Zelotes dictus est. Chana enim zelum signat,) ex Alphæo patre, Maria verò matre nati feruntur. Iacobi minoris, & Ioseph discipuli fratres (Maria enim hæc, modò Iacobi, modò Ioseph, mater videlicet; modò Cleophæ, filia scilicet, nominatur.) Quorum prior in Ægypto, posterior in Mesopotamia Euangelium prædicauit. Deinde conuenientes, simulque Persidem ingressi Zaroen, & Arphaxar; quos S. Matthæus ex Æthiopia fugarat, Deum verum Deum Tenebrarum, & Moysen veneficũ appellantes, populosque decipientes inuenere. Cum autem ingressis Apostolis eam regionem Dij, seu Dæmones, à Varada Duce Regis Persarum (qui Babylone agebat) cum exercitu contra Indos proficiscente, consulti, responsa non darent, dicerentque causam huius Simonis, & Iudæ Dei Apostolorum aduentum esse, Dux Apostolos conquisitos, & ad se adductos, qui essent, & quæ aduentus ipsorum causa sit rogat: cumque illi respondissent, euentum belli ab eis sciscitatur: quando propter ipsorum aduentum Dij patrij conticuissent. Tunc Apostoli Dijs loquendi, vt prius potestatem fecere: qui graue bellum, ac diuturnum futurum, magnumque ex vtraque parte militum numerum interfectũ iri dixerunt: Apostoli verò ridentes fore dicebant, vt postridie Indi loca ablata restituentes, legatos pacem requirentes mitterent. Tum Pontifices in risum soluti Ducem admonent, vt ignotorum, & abiectorum hominum consilium secutus caueret, ne ex improuiso ab hostibus opprimeretur. At Apostoli ita fore rursus asseuerantes, nec se mensem, sed diem tantummodò cunctandum dicere; cumque illi in custodiam traditi essent, ne fugam caperent, sequenti die omnia

omnia ita, vt prædixerant, prorsus euenere. Quapropter Dux ignem iussit parari in quem Pontifices inijcerentur, nisi pro eis Apostoli apud Ducem intercessissent: quos Varada tanquam Deos reueritus ad Regem adduxit eos maxime, quod veraces essent, quodque nec de inimicis vindicari, neque aurum aut vllas pretiosas res cuperent commendans, ac enarrans, quæ circa ipsum, & illos accidissent. Aderant adhæc Zaroes, & Arphaxat Magi Apostolos insidias Regno moliri dicentes, ac vt Deos venerari antequam eis loqui permitteretur, cogerentur suadentes, Varada autem patrocinium Apostolorum suscipiente, illos Magi ad prodigia prouocarunt, postulãtes, vt homines disertissimi aduocarentur, quos ipsi mutos efficere pollicebantur. Accepta conditione homines eloquentissimi accersiti à Magis adeò muti sunt effecti, vt ne nutu quidem, quæ cogitassent, significare possent, Rege, circumstantibusque stupentibus maximè cũ eosdem homines etiam immobiles reddidissent, loquendique postea, & gradiendi facultatem restituissent. Tum Apostoli Varadam pro ipsis sollicitum orant, vt eosdem homines ad se adducendos curet, se enim in illis met Magorum fallaciam manifestaturos esse. Quod cum factum fuisset Apostoli breuibus explicata Christi Domini fide, fore polliciti sunt, vt, si in Christum crederent, post manuum impositionem Magorum, neque Dæmonum technas timerent. Cumque illi abnegata Idolorum impietate Christo nomina dedissent, Magi cum eadem circa illos facere nequiuissent, quæ prius ingentem serpentum vim excitant; quos Apostoli accersiti in pallio suo excipientes, Magos adoriri, sine morsibus tamen iusserunt, moxque veneno in Magos effuso fucto loca sua repetiere Rege, & alijs non tam Apostolorum virtutem, quam mansuetudinem admirantibus. Cum autem Magi dolore maximo cruciati desperataque salute ab Apostolis sanati fuissent, in impietate tamen obstinatiores abeuntes suis curatoribus insidias moliri non destitere. Nam in Suniro ciuitate Pontifices admonent duos Hebræos venturos Deorum contemptores: quos nisi principio opprimant, fore, vt ipse fine re, & honore vnà cum Dijs remaneant. Quare aduenientes Apostoli mox comprehenduntur, ac ad templum Solis, in quo sol ex auro fusilis in curru aureo, lunaque ex aduerso ex argento, & ipsa fusili in curru argenteo, adducti illis sacrificare iubentur. Quo tempore Angelus Apostolos allocutus fertur, vt templum corruens Idolatras illos opprimeret, paterentur, vel ipse martyrium subirent. Cumque Pontifices, vt solem, & lunam adorarent, vehementer instarent, ipsique dicerent solem, & lunam haud Deos esse, sed à Deo factus, vt hominibus lucem ministrarent, in eorumque simulachis nõ Deos, sed Dæmones habitare, quod re ipsa illicò demostratum est expulsis duobus horribilibus Dæmonibus Æthiopibus nigrioribus, vno quidem à Simone ex solis statua, altero à Iuda ex lunæ simulachro, illi in Apostolos insilientes, eos protinus interfecerunt. Templo mox de cœlo tacto, & vnà cum Magis consumpto, ac Pontificibus iubente Rege pœnas tanti sceleris dantibus. Rex autem Apostolorum corpora Babylonem deferenda, eisque templum opere magnifico extruendam curauit. Sed processu temporis Apostolorum corpora Romam delata in basilica S. Petri condita sunt. *Ex Breu. Rom. Ioachimo Petronio, & alijs vita Apost. scriptoribus.*

Apostoli Decem pro Pontificibus orant.

Zoroes, & Arphaxat Magi mira faciunt.

Apostoli Magos superant.

Magi contra christianos nihil possunt.

Apostoli serpentes in Magos remittũt.

Magi abeuntes insidias Apostolis struunt apud Pont.

Apostoli à Pontificibus comprendũtur, & solem, lunamque adorare compelluntur.

Apostoli Dæmones ex simulachris solis, & lunæ exire cogunt.

Apostoli trucidantur.

Templum corruit, & Magi de cælo tacti intereunt.

Rex Pontificibus plenitis corpora Apostolorũ Babylonem defert.

Inde Romã transferũtur.

ANNOTATIO.

Magna de his Apost. apud script. dissensio.

Non mediocris inter scriptores de his duobus Apost. est dissensio, cum alij eundem esse Simonem, & Iudam, vt S. Hieron. lib. de Script. Eccl. & Doroth. in Synopsi sentire videntur. Alij duos Simones fuisse: vnum Apost. alterum Discip. passum sub Traiano: de quo Euseb. lib. 3. c. 26. Alij vnum & eundem, vt Beda in Actib. Apost. cum priorem sententiam tenuisset. De Thaddæo item variè senserunt. Alij enim vnum tantum fuisse, alij duos, vnum Apost. alterum discip. ad Abagarum Regem missum Edessam. Vt Græci. Alij vnum tantum, vt S. Hieronym. cap. 10. in Matth. Alij de loco martyrij dissentiunt cum Hippol. libro de 12. Apost. Thaddæum Beryti martyrio affectum scribat. Sed nos communem de illis sententiam secuti sumus.

DE S. CYRILLA VIRGINE, ET MARTYRE ROMÆ.

Cyrilla virgo Decij Imp. & Tryphoniæ filia opera Iustini Presbyteri ad fidem Christi conuersa, ac ab eodem cum matre baptizata, cum alij plures earum exemplo fidem amplecterentur, ad Claudium Imp. adducta, ab eo primum blandè monetur, vt Deos veneretur, & sponso nobili nubat. Cui virgo, Deos non esse Deos, sed Dæmones, qui cultores suos ad æternas pœnas perducunt, seque nobilissimo viro, qui simul Deus verus est, & homo, iam desponsã esse respondit. Quibus verbis Imp. iratus, illicò Cyrillam iugulari iussit. Cuius corpus Iustinus Presbyter occultè acceptum in cœmeterium Cyriacæ in agro Verano intulit, ibique apud Tryphoniam matrem, quæ ante in pace dormierat, sepeliuit. 5. Kal. Nouembris sepeliuit. *Ex Actis, & pass. S. Laurentij, ac ex lib. Anton. Gallon. de virgg. Romm. De eadem Pet. lib. 9. c. 118.*

ANNOTATIO.

Alterius Cyrillæ virg. & mart. in Martyrol. Rom. die 5. Iulij mentio fit ab hac longè diuersa: illa enim sub Diocl. Cyrene in Libya passa est: hæc sub Claudio anno 1. vel 2. Imperij. Cuius corpus à Sergio II. Papa in titulum Equitij translatum est.

DE S. FIDELI MARTYRE NOVOCOMI.

Fidelis miles Maximiano Imp. ob generis nobilitatem, & bellicam fortitudinem maximè charus Mediolani, ad Christum conuersus, atque à S. Materno Episcopo salutaribus vndis lustratus, christianos qui in vinculis erant, frequens visitabat, necessariaque eis suppeditabat. Quos etiam re cum Carpophoro, & Exantho communicata vinctos è carceribus eduxit. In ijs erant Cassius, Licinius, Seuerus, Secundus, & Alexander: quibus cum Nouocomum veniens, ibi extra vrbem orationibus, ieiunijs, alijsque pijs operibus aliquandiu vacauit: quo ad missis ab Imp. satellitibus, qui Fidelem, & socios interficerent, is cõscensa nauicula Summo lacum peruenit: vbi tandem à persecutoribus comprehensus, cum nullis neque blanditijs, neque minis persuaderi posset, vt Christo renunciaret, fustibus debilitatus, alijsque cruciatibus affectus, demum securi percussus martyrij cursum feliciter impleuit. 5. Kal. Nouembris. Cuius corpus ibi tumulatum, posteaque inuentum Comum translatum est, & in propria ecclesia magnificentissimè ei extructa conditum. *Ex Breu. Comensi, & Bonin. Mombrit. tom. 1. & aliis.*

AN-

ANNOTATIO.

IN Ecclesia Comensi seq. die propter festum Apostol. Simonis, & Iudæ semper celebratur; licet in propria ecclesia hac die.

Huius corpus, quod Aronæ in Abbatia erat, vnà cum S. Carpophori mart. corpore Mediolanum a S. Carolo Borrhomæo Archiepiscopo, & Card. translatum in basilica eidem martyri dicata; quam tenent Iesuitæ, honorificè conditum est An. D. 1576. prout in vita S. Caroli per Io. Pet. Glussanum scripta legitur.

DE S. GAVDIOSO EPISCOPO NEAPOLI.

GAudiosus; qui & Septimus, Cœlius, Episcopus Birinensis in Africa in persecutione Vuandalica sub Genserico Rege eodem tēpore, quo S. Quoduultdeus Episcopus Carthaginensis; licet non in eadem naui, cum alijs Episcopis Catholicis in exilium actus, in Campaniam appulsus est, & Neapolim veniens, vbi sanctitate clarus non solùm Campanis, sed etiam exteris præfulsit. Is monasterium Neapoli condidit, quo tempore eò Quoduultdeus cum alijs Præsulibus peruenit. Cui S. Agnellus licet inuitus Abbas Præfectus est; in quo cœnobio S. Gaudiosus, S. Quoduultdeus cum alijs Episcopis Africanis non iam vti Prælati, sed veluti monachi sub S. Agnelli obedientia vsque ad vitæ terminum vixere. Claruit Theodosio Imp. circa an. sal. 440. Obijt autem 5. Kal. Nouembris anno prædicto. *Ex vita S. Agnelli Abb.*

ANNOTATIO.

COrpus in eiusdem monasterij, in quo vixit, ecclesia, quæ ex eo nominatur, decenter asseruatur, atque præcipuo honore colitur hac die, licet in alijs ecclesi. ob festum Apostol. Simonis, & Iudæ, seq. die memoria eius celebretur.

Extat adhuc vetus in marmore inscriptio alicubi corrosa. HIC REQVIESCIT IN PACE GAVDIOSVS, QVI VIXIT AN. .... DIE KAL. NOVEMB. .... INDICT. VI.

Octobris die 29.

DE SS. MARTYRIBVS HYACINTHO, QVINCTO, Feliciano, & Lucio in Lucania.

HYacinthus, Quinctus Felicianus, & Lucius, siue Iulius, vt apud Vsuardum legitur, in Lucania passi referuntur à Beda, Vsuardo, Martyrologio Rom. & alijs: licet quo tempo, quo loco, & quo supplicio fuerint coronati, nemo explicet. Putamus tamen eos haud longè à Cangiano vrbe in Picentinorum, & Lucanorum confinio ad Compsanam metropolim spectanti martyrium subijsse: in ea enim vrbe S. Feliciani celebris est memoria.

ANNOTATIO.

BAron. in Annotat. hac die S. Greg. Papã lib. 7. Reg. epist. 7. Indict. 2. de S. Hyacintho reliquijs mentionem facere ait, sed cum illæ reliquiæ apud ciuitatem Reatinam, quæ in Sabinis est, essent, haud huius Hyacinthi, qui in Lucania, sed alterius, qui in Sabinis passus est, & de quo Martyrol. Rom. die 9. Sept. agit, procul dubio erant.

DE S. EVSEBIA VIRGINE, ET MARTYRE BERGOMATE.

Eusebia in peregrinos, & pauperes egregiè affecta.

EVsebia virgo Bergomensis S. Domnonis martyris soror, post fidem Christi susceptam, Mundi huius oblectamenta despiciens, virginitatem colens, vigilijs ieiunijs, & orationibus intenta, pietatem fraternam æmulata est. Ea domi peregrinos excipiens opes sibi à fratre relictas in pauperes erogabat. Et si autem in obsecrationibus, vt plurimum pernoctabat, summo tamē mane ad ædem S. Andreæ quotidie pergens, in angulo illius ecclesiæ suas preces fundere, atque cœlestia contemplari solita erat. Quare apud Præsidem accusata, ad eiusque conspectum ducta, cum Apollinis simulachro immolare constanter renuisset, iussu Præsidis abscisso capite ad duplex virginitatis, & martyrij præmium euolauit 4. Kal. Nouembris. Cuius corpus à christianis in frattis, & aui sepulchrum noctè illatum est. *Ex offic. Eccl. Bergomen.*

ANNOTATIO.

P*Assa est sub Maximiano Imp. sub quo, & Domneo auus, & Domno frater: ex quo antiquitas Eccles. S. Andreæ colligitur.*

DE S. HONORATO EPISCOPO VERCELLENSI III.

Honoratus Arianos strenuè deuincit.

S. Ambrosius sacro Honoratum viatico præmunit.

HOnoratus Vercellis natus S. Eusebij Episcopi discipulus fuit. Qui cum plurimum, & doctrina, & vitæ integritate sub tanto doctore profecisset S. Limenio in Episcopatu successit An. salutis 390. S. Ambrosio hortante populum ad eius electionem cum sedes aliquandiu ob ciuium dissensionē vacasset. Quod munus admiranda sollicitudine administrauit, Arianis se se fortiter apponens haud minas illorum, non carceres, nō exilium veritus, cum iam hæc omnia præceptoris sui egregius imitator, æquo animo tolerasset. Erat in oratione assiduus, spiritu feruens, humilitate præstans, abstinentia singularis. S. Paulini Episcopi Nolani, & Ambrosij Mediolanensis amicissimus; ad quem ægrotum ter Dei voce admonitus accurrit, & ei Sacrosanctum Domini corpus præbuit. Cum autem aliquot annos Ecclesiæ suæ sanctissimè præfuisset ad præmium cœleste euocatus obdormiuit in Domino. 5. Kal. Octobris. Cuius corpus in æde S. Theonesti apud S. Eusebium conditum est. In cuius sarcophago nonnulla carmina insculpta leguntur. *Ex vit. SS. Epp. Vercellens. typis excusa, & monum. eiusd. Eccl. M.S.*

ANNOTATIO.

E*T si obijt 5. Kal. Nou. prout in Martyrol. Rom. adnotatur; in Tab. tamen Eccles. Vercellen. natalis illius hac die inscriptus est; Forte propter festum SS. Apost. Simonis, & Iudæ.*

DE S. BASILIO EPISCOPO LVNENSI.

BAsilius Episcopus Lunensis sanctitate floruit, ita vt cum diem suum 4. Kal. Nouembris obijsset, eos honores, qui sanctis debentur, ab Ecclesia Lunēsi promeruerit. Corpus eius in templo cathedrali (quod olim de suo nomine S. Basilij dictum fuit, instauratum verò S. Mariæ fuit appellatum) asseruatur: agitur autem dies illius festus hac die Sergianæ, quæ lunæ vrbi excisæ successit. *Ex Tab. Eccles. Sergianen. siue Sarzanen.*

A N-

ANNOTATIO.

ACta huius S. Episcopi ita interiere, vt neque patria, neque tempus, quo claruit, sciri potuerit.

DE S. STEPHANO EPISCOPO CALATINO.

STephanus Ioanne patre, & Guifelperta matre honestis parentibus apud Capuam ortus; quo tempore Landulphus Princeps Capuæ dominabatur, ita diuina gratia, vt ætate crescebat. Septennis S. Saluatoris eiusdem vrbis, Abbati tradit instituendas, vt litteris instructus ei templo inseruiret. Qui breui litteras edoctus, cum cœteros clericos, castitate, modestia, terrenarum rerum contemptu, abstinentia, pietate, morum suauitate (ob quos vnicè ab omnibus diligebatur) & alijs virtutibus anteiret ad Sacerdotium peruenit, & mortuo Abbati postea sufficitur. Cum verò vrsus Episcopus Calatinus eo tempore vita excessisset, Pandulphus Princeps, qui Landulpho patri successerat, fama sanctitatis Stephani adductus illum annum ætatis 44. agente ab Heriberto Archiepiscopo Capuano Episcopum Calatinum sacrandum curauit. Qui cum illi ecclesiæ totidem annos summa cum laude, & sanctitatis opinione præfuisset, senio, & pijs laoribns confectus obdormiuit in Domino 4. Kal. Nouembris. *Ex antiq. lectionib. eiusd. Eccles. & Breu. Capuano.*

Insignes Stephani virtutes.

ANNOTATIO.

VIxit circa annum D. 964 quo tempore Capuana ecclesia in metropolim erecta est. Heribertus autem, qui & Geribertus, & Adelbertus primus Archiepiscopus fuisse videtur.

DE S. APPIANO EPISCOPO. *Vide die 4. Martij.*

Octobris die 30.

DE S. SATVRNINO MARTYRE CARALITANO.

SAturninus Calari in Sardinia nobilibus, & christianis parentibus natus, ac in christiana religione educatus apud Barbarum Præsidem in persecutione Diocletiani accusatus ab eoque accersitus, libere se christianum esse professus est. Iussus autem Ioui sacrificare, respondit; *ego Deo, qui fecit cælum, & terram; non Idolis, in quibus Dæmones habitant, sacrifico*: quibus dictis, in carcerem truditur; in quo noctem in orationibus in somnem duxit. Postera luce eductus coram Barbaro tota ferè ciuitate præsente rursus à Præside blandis verbis tentatur, vt Deos immortales, quos Imp. colerent Nazareno inter duos latrones crucifixo relicto, veneraretur, At Saturninus zelo correptus illud Prophetæ respondens: *Simulachra Gentium argentum, & aurum opera manuum hominum, similes illis qui faciunt ea, & omnes, qui confidunt in eis*: & illud *Omnes Dij Gentium dæmonia, Dominus autem cælos fecit*, maledictos Deos, & eos, qui eos adorarent cæcos audenter appellabat, addens se nullis promissis, aut supplicijs à Christo separatũ iri. Quibus verbis Præses valde exasperatus, protinus Saturninum capite truncari iussit 3. Kal. Nouembris. Cuius corpus à christianis noctu ibidem sepultum est. Quo in loco insignis ecclesia S. Saturnini nomine cũ cœnobio à Bruinasio Episcopo Calatitano, excitata fuit: vbi etiam sanguis martyris in ampulla vitrea asseruatus Dæmoniacos, & varijs morbis laborantes curare consueuerat. *Ex monum. Eccles. Calarit. à F. Dima Ord. Min. lib. 3. Cronic. Sard. rel. ac ex Membrit. tom. 2.*

Psal. 113.

AN-

ANNOTATIO.

IN memorato S.Saturnini monasterio, in quo Fratres Eremitæ S. Augustini morantur, S.Fulgentius Episcopus Ruspen. vnà cum alijs Epp. Africanis à Vuandalis in Sardiniam relegatis habitasse traditur.

DE S. GERMANO EPISCOPO CAPVANO.

Patrimoniũ pauperibus erogare matri persuadit. Episcopus Capuanus sufficitur. Paschasij Diaconi animam ad thermas Angulanas relegatam Germanus liberat. Anima Germani in globi ignei specie in cęlum ascẽdere visa est.

GErmanus Amantio patre, & Iuliana matre claris parentibus Capuæ natus, à teneris pijs operibus addictus, præcipuam pauperum curam gessit. Mortuo patre, matri persuasit, vt vendito patrimonio, illud in vsus pauperum erogaret, quo liberiùs abiecta rerum terrenarũ cura, Deo inseruiret, quo facto, vterq; impedimentis solutus cœlestem in terris vitam agebat. Sed Germanus cum pietate, & eruditione præstaret, mortuo Alexandro Episcopo Capuano, illi inuitus sufficitur. Factus Episcopus Constantinopolim legatus ab Hormisda Papa mittitur. Inde legatione per functus Capuam reuersus ad consueta pietatis opera, & curam pauperum redijt. Cum aliquando medicorum consilio ad Thermas Angulanas valetudinis causa profectus esset, ibi Paschasij Rom. Ecclesiæ Diaconi animam inuenit: qui se ibi à Deo relegatum dixit, quod Laurentium Papam Schismaticum aduersus Symmachum verum, & legitimum ignorantiæ errore seductus secutus fuisset; rogauitque Germanum, vt pro se Deo sacrificium offerret, quo facto si ad Thermas rediens se non inuenisset, sacrificij virtute liberatum sciret. Quod plane ita euenit. Tanta porrò Germani sanctitas fuit, vt anima ipsius morientis in globi ignei specie in cœlum ascendere à S.Benedicto Abbate Casinensi inde ad L. M. P. distante visa fuerit. Obijt 3. Kal. Nouembris. Hormisda Pont. Max. & Iustino Imp. *Ex Breu. Capuano. S. Greg. Papa lib. 1. c. 35. & lib. 4. c. 40. Dialog.*

ANNOTATIO.

COrpus Ludouico Iuniore Imp. in Galliam translatum fuisse ex Cron. Casinens. lib. 1. c. 40. apparet. Quod tamen Placentia in æde S. Xysti asseruari eiusd. Eccles. Placent. officia testantur.

Hunc Baron. in Annotat. huius diei Constantino Episcopo successisse scribit; sed in Tab. Epp. Capuanorum inter Constantinum, & Germanum Alexander Ep. An. D. 510. intercessisse legitur: cui Germanus An. 516. subrogatus est, quod etiam Breu. Capuan. antiq. habet.

DE S. GERARDO EPISCOPO POTENTINO.

Gerardus Aquam ex fonte haustam in vinum optimum conuertit. Paralyticum 40. annorum sanitate donat.

GErardus Placentiæ natus ex nobili, vt aiunt, Portarum familia, à puero litteris, & pietati operam dedit. Factus grandior per vrbes Italiæ peregrinatus Potentiam Lucaniæ vrbem venit. Vbi cum ludum litterarium publicè instituisset, puerosque gratis non tam in litteris, quam ad pietatem, qua ipse præditus erat, erudiret, ciues tanta viri charitate commoti, illum in demortui Episcopi locum eligunt, creatus Episcopus, multis miraculis sanctitatem suam demonstrauit, in quibus: illud admirandum, quod cum inter visitandam diœcesim vinum defecisset, aquam ex proximo fonte hauriri, afferrique iussam signo crucis in vinum optimum conuertit. Virum etiam annorum 40. paralyticum, & corpore vitiatum signo crucis pariter adhibito sanitati, & integritati resti-

restituit. Cæcis etiam visum restituisse memoratur. Cum annos 8. Ecclesiæ Potentinæ laudabiliter præfuisset, vigilijs, laboribus, senioque confectus migrauit è vita 3. Kal Nouembris circa annum sal. 1120. Quem Callistus II. Pont. Max. miraculis clarum SS. numero adscripsisse fertur. ***Ex monum. vtriusque Eccl. Potentina, & Placent.***

ANNOTATIO.

Potentia in Lucania (quam nunc Balicatam dicunt vnam ex 12. regionib. Regni Neapolitani) ita intra eam prouinciam sita, vt nulla ratione Apulia attribui queat. Quare in Lect. Eccles. Placent. ea verba. Tandem Potentiæ in Apulia apud Lucanos consedit, ***corrigenda essent, ac in hac vertenda.*** Tandem Potentiæ in Lucania consedit.

DE S. FELICE EPISCOPO MARTANO, ET MARTYRE Tudertí.

Felix Episcopus Martanus, (quæ ciuitas in agro Tudertino euersa iacet) apud Tarquinium Præsidem Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus accusatur. Qui eò profectus cum illum neque promissis, neque minis, vt Dijs sacrificaret, inducere posset, in tenebricosum carcerem vinculis constrictum detrudi iubet: vbi S. martyr Angelica visitatione recreatus filium cuiusdam mulieris defunctum precibus vitæ restituit. Quod nihilominus Præses magicis illusionibus attribuens, Felicem carcere eductum Herculi, & Apollini sacra facere compellebat: eumque id facere constantissimè recusantem in ferrea craticula extensum igne supposito torreri præcipit. Sed eo orante, & dicente: ***Probasti nos Domine, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum***, repente cœlo, quod serenum erat, turbato, inter varia, & horrenda tonitrua fulgur 134. ex Gentilibus martyre illæso consumpsit; Præside fuga sibi consulente. Qui Felicem in medium Fori productum mox decollari iussit, cum duo Angeli circum volantes apparuissent. Corpus noctu à christianis ad Ianocastrum in Spoletinorum finibus delatum, ibidem Angelis splendore micantibus, & psallentibus humatum est, ecclesia in martyris honorem constructa. ***Ex offic. Eccles. Tudertina.***

Mortuũ Felix ad vitam reuocat.

In craticula ferrea distentus torretur.

Fulgur, Felice illæso, 134. ex Gentilibus absumpsit.

Duo Angeli circum volitant.

ANNOTATIO.

Lectiones præd. Eccles. de S. Felice siue scriptoris vitio, siue Impressoris culpa deprauata tertia præsertim emendatione eget.

DE S. CRISPINO II. HVIVS NOMINIS EPISCOPO Papiensi IX.

Crispinus II. huius nominis post S. Maximum Ecclesiæ Ticinensi circa annum sal. humanæ 275. ob eius singulares virtutes, & morum integritatẽ subrogatus, ei annos 30. sanctissimè præfuit. Ædem sacram SS. martyribus Cosmæ, & Damiano apud ecclesiam cathedralem ædificãdam curauit. Sacellũ quoque S. Crucis in templo maiore extruxit. His ac alijs præclarè gestis obdormiuit in Domino 3 Kal. Nouembris circa annum à partu virginis 305. Corpus in sacello à se constructo sepultum fuit. ***Ex Ant. M. Spelta in vit. Epp. Papiens.***

AN-

ANNOTATIO.

FLoruit, & Crispinus III. Episcopus Ticinen. haud minore sanctitate: cui S. Epiphanius Diaconus, & discipulus successit, cuius S. Ennodius meminit, & eum versibus celebrat. Baron. quoque illius praeclaram in Annal. ad annum D.466. mentionem facit, vtrunque sanctissimum hoc est Crispinum, & Epiphanium vocans. Ex quo suspicatus sum fieri posse, vt is sit, quem Eccles. Papien. hac die recolit: cum certa habeamus de eius sanctitate apud Ennodium testimonia, illiusque Epiphanium Diaconum, & successorem scriptores asserant (licet in tempore longe aberrent, & secundum huius nominis vocent) Quod, qui rerum Ecclesiae Papien. peritiores sunt, viderint. Accedit Pet. Gales. testimonium, qui S. Crispinum epistola Synodica Conc. Mediolanensis ad Leonem I. Papam missa subscripsisse scribit: quod certè nisi de Crispino III. accipi potest. Quare vitam S. Crispini Tertij hac subijciemus.

DE S. CRISPINO III. HVIVS NOMINIS EPISCOPO Papiensi.

CRispinus Episcopus III. huius nominis post Thomam, qui S. Anastasio successerat, Ecclesiam Ticinensem administrauit. Sixto III. Leone I. & Hilario Pontificibus, Vir fuit magnae & spectatae sanctitatis. Cuius S. Epiphanius eius successor discipulus, & Diaconus fuit. Quo S. Episcopus cum valde senex esset, vt scribit S. Ennodius in ecclesia regimine vtebatur, & brachijs illius incedens sustentabatur. Interfuit concilio Mediolanensi sub S. Eusebio eius Sedis Episcopo iussu Leonis I. Papa celebrato vnà cum S. Maximo Episcopo Taurinensi, & Abundio Episcopo Comensi, & alijs. Cum autem ecclesiae suae annos 34. sanctissimè praefuisset, senio confectus Sede Epiphanio derelicta migrauit è vita An. sal. 466. quo tempore, & S. Prosper Episcopus Regiensis diem clauserat extremum, Hilario Pont. Max. & Leone I. Imper. *Ex vita S. Epiphanij per Ennod. scripta, ex Breu. Mediolanen. Annal. Baron. & Anton. M. Spelta, in vit. Epp. Papiens.*

ANNOTATIO.

QVod scribitur Crispinum an. D.450. decessisse apertissimè supputationi temporum repugnat. Cum Concil. Mediolanen. sub Eusebio Episcopo cui Crispinus interfuit, an. D.451. vt est apud Baron. in Annal. ad eum an. celebratum fuerit.
Extant apud Ennodium de S. Crispino haec carmina in vita S. Epiph.

„ Salue sancte parens, semper saluete recepti,
„ Crispini Cinereres: ad cuius vita redundat.
„ Quicquid in hoc Christi miramur dogmate dignum.

DE S. LEONTIO CONFESSORE TARRACINAE.

ᵗ Templum Apollinis corruit. Firminus Idolorum Pótifex opprimitur.

LEontius Campaniae Praeses Nerone Imp. cum S. Caesarium comprehensum ad immolandum Dijs cogeret, eoque ad Apollinis templum ducto, praeciperet, vt illi sacrificaret, statim ad martyris orationem templum illud corruit, Firminum Idolorum Pontificem oppressit. Quo miraculo permotus Leontius, maximè cum circa Caesarium nudum lucem ingentem, quae illum operiebat, vidisset,

vidisset, ad Christum conuersus veniam à martyre humiliter petens, ac baptizari postulans, vbi in fide instructus de more preces, & ieiunia præmisisset, sacro lauacro regeneratus est. Qui paulò post sacrosanctissimi Domini corpore refectus, nulla oppressus infirmitate, mirabiliter obdormiuit in Domino 3. Kal. Nouembris. *Ex pass. S. Cæsarij, & monum. Eccles. Tarratinen.*

Maxima lux Cæsariū nudum contegit.

ANNOTATIO.

HVius filius Luxurius nomine iratus, quòd pater effectus christianus obijsset, Cæsarium cum alijs martyrio afficit.

Octobris die 31.

DE SS. NEMESIO DIACONO, ET LVCILLA VIRGINE martyribus Romæ.

NEmesius Tribunus militum filiam vnicam, pulchram quidem, sed cæcam habebat, quam ad S. Stephanum Papam adduxit, seque cum illa baptizari petijt. A quis igitur lustralibus expiati in titulo Pastoris, illicò filiæ lumen restitutum est, eaque Lucilla nominata fuit. Quo miraculo ad 60. mares, & fœminæ fidem Christi suscepere, Nemesius Diaconus ordinatus est. Qui mox accusatus apud Glabrionem, & Maximum Consules Valeriano, & Galieno Imperatoribus, cum via Appia apud Martis templum, cui immolabant, præteriēs, zelo accensus orauit Deum, vt aliquam suæ potentię in sacrilegos faceret ostensionem: moxque Maximus à Dęmone arreptus, se à Nemesio incendi clamabat, pauloq; post miseram animam egit. Nemesius verò comprehensus vnà cum Lucilla post carceres, cum Olympius Tribunus in Sempronij (qui erat Nemesij famulus) tormentis, vnà cum vxore, & alijs ad fidem conuersus fuisset, nimio furore correptis Imperatoribus capite plecti iubetur: Quorum corpora S. Stephanus Papa condigno honore tumulauit 8. Kal. Septembris. *Ex pass. & Gest. S. Stephani Papæ.*

Nemesij filiā cæcam Stephanus Papa lumini restituit.

Maximū Cōsulem à Dæmone arreptum à Nemesio torqueri permittit Deus.

Olympius tribunus cōuertitur.

ANNOTATIO.

HOrum corpora vnà cum corporibus SS. Symphronij, Olympij, Exuperia, et Theoduli a S. Symphronio in sua passione ad Christum conuersorum a S. Sixto Papa decentius via Appia tumulata, à Gregorio V. Pont. Max. in Diaconiam S. Mariæ Noua translata, & à Gregorio XIII. inuenta in ara maiore eiusd. eccles. honorificentius 6. Idus Decemb. recondita fuere. ex Martyrol. Rom. Corpus tamen S. Nemesij Papia in eccl. S. Laurentij extare dicitur.

DE S. ANTONINO EPISCOPO MEDIOLANENSI.

ANtoninus Mediolanensis ex nobili Fontanarum familia S. Ioanni Bono ob eius eximias virtutes in Episcopatu successit in die festo S. Ioannis Baptistæ. Vixit Episcopus ad tres annos: quibus in eo maximè elaborauit, vt Longobardorum Hæresim qua gens illa resperſa erat, extingueret. Tanta autem vitæ sanctitas illius fuit, vt viuentem etiam sanctum illum homines appellarent. Migrauit ex hac vita circa annum sal. nostræ 677. Corpus eius in æde S. Simpliciani sepultum quiescit. *Ex Actis Eccles. Mediolan. & vita per Besutium scripta.*

Antoninus vel sanctus viuens dicitur.

ANNOTATIO.

PAnuin. in Fast. illum 39. Episcopum ad an. D. 669. annos 2. cum dimidio vixisse in Episcopatu adnotat. Vitaliano Pont. Max. & Heraclio Imp.

DE

DE S. LVCILLO EPISCOPO VERONENSI.

LVcillus Episcopus Veronæ XVIII. inter SS. Lupicinum, & Maximum eam Ecclesiam administrauit. Vir erat admirabili sanctitate, & omnibus virtutibus Episcopalibus excultus, vixit circa annum salutis nostræ 351. Cum annos aliquot Ecclesiæ suæ sanctè præfuisset: Pridie Kal. Nouembris cessit è vita, in æde S. Zenonis, apud S. Lupicinum, cui in Episcopatu successerat, sepultus. *Ex monum. Eccles. Veronen. ac ex libello toties memorato August. Valerij Episcopi, & Card. Veronen.*

ANNOTATIO.

EXtant ad eius tumulum carmina hæc.

Epitaphium S. Lucilli.

„ *Et cum Lucillo, tu Lupicine simul.*
„ *Cælestis patriæ consortes, atque sepulchri*
„ *Veronam Præsul dicit, vterque suam.*

DE S. NATALI PRESBYTERO ROMANO.

Natalis in hæresim Cotiarij prolapsus asperam pænitentiam agit.

Plagas sibi ab Angelis inflictas ostẽdit.

NAtalis, seu Natalius Presbyter Rom. cum Zephyrino Pont. Max. in Theodori Cotiarij hæresim pecunia inductus consensisset, & Episcopus eiusdẽ sectæ creatus esset, diuinis visionibus admonitus, ac tandem ab Angelis per integram noctem cęsus, resipiscens, primò mane consurgens, cilicio indutus, cineribusque conspersus, magno cum mœrore, & lacrymis ad Zephyrini Papæ pedes se supplicem abiecit, se etiam ad cleri, & laicorum genua prosternẽs, magnã totius Ecclesiæ commiserationem in se commouit, plagas ab Angelis inflictas ostendens. Qui impositam sibi pœnitentiam non modò humiliter peregit; sed vitam ità in melius commutauit, vt in sanctis operibus assiduè versatus, sub eodem Pontifice S. fine quieuerit, Pridie Kal. Nouembris. *Ex Pet. in Cat. lib. 9. cap. vltimo.*

ANNOTATIO.

BAron. in Annal. ad an. D. 207. & Zephyrini 5. eius meminit singularem conuersionem narrans: licet sanctitatis testimonium nullum ferat. Galesin. in suo Martyrol. hac die SS. adnumerat.

DE B. THOMA ORD. MINORVM APVD REATE.

Regulæ S. Franc. obseruantissimus fuit.

Ad Imp. Abissin. mittitũ.

Captiu⁹ diu detinetur.

Accepto necis nuncio exultat.

A captiuitate liberatur.

THomas Florentiæ natus in Ordinem Min. Obseruant. inter laicos receptus mira resplenduit sanctitate. Is enim Franciscanæ Regulæ obseruantissimus, abstinentia, humilitate, patientia, obedientia, cilicio præter cæteras carnis macerationes indutus, insignis fuit. Ab Eugenio IV. Pont. Max. in Æthiopiam ad Abissinorum Imp. missus, in reditu à Maumetanis captus est. Qui diu in captiuitate tentus, multaque passus verbera, & incommoda, cum se, & socios postera die capite plectendos, quod nollent in verba Pseudoprophetæ iurare accepisset, exultãs quasi liber, & ad epulas inuitatus canebat. Verùm Deo aliud volente pro martyrio libertatem, à christianis redemptus, consecutus est. Reuersus cum socijs in Italiam, martyrij cupidissimus, cum Romam ad Infideles

redeundi

redeundi licentiam impetraturus pergeret, apud Reate ægrotans breui ad cœlos euolauit. Ad cuius tumulum cum plurima patrarentur miracula, magnusq; fieret concursus populorum, ne S. Bernardini Apotheosis, quæ Romæ tunc temporis tractabatur, impediretur, ferunt B. Ioannem à Capistrano ante illius sepulchrum prostratum non sine lacrymis eum exorasse, vt tandiu à miraculis abstineret, quoad B. Bernardinus esset in sanctos relatus. Quo facto rursus B. Thomas miraculis refulgere cœpit. Obijt Prid. Kal. Nouembris An. reparatæ sal. 1443. *Ex Chron. Ord. Min. lib. 2. par. 3. c. 28. & seq.*

Martyrium affectat. Reate moritur. Innumera fiunt ad eius tumulum Mirac. B. Io. à Capistrano orat, vt mirac. faccere desinat ne Canoniz. S. Bernardini impediatur.

ANNOTATIO.

Extant eius Acta M. S. multò fusius, quàm in Chron. descripta: quæ Romæ in Bibliotheca Baroniana vidimus.

Nouembris die 1.

DE SS. MARTYRIBVS CÆSARIO DIACONO, ET Iuliano Presbytero Tarracinæ.

CÆsarius Diaconus Nerone Imp. ex Africa Tarracinam venit: quo tempore Firminus Idolorum Pontifex morem hunc detestandũ inuexerat; vt quotannis aliquis iuuenis per aliquod temporis spatium delicatè enutritus, pretiosoque amictu indutus, oblato prius sacrificio, tota ciuitate eum comitante, se pro Reipublicæ salute ex alto montis vertice Kal. Ianuarij præcipitaret: cuius cineres, combusto corpore in Apollinis templo, tanquam in Diuos relati asseruabantur. Hunc morem Cæsarius publicè detestatus, iussu Firmini comprehensus custodiæ traditur. Interea Leontius Campaniæ Præses Fundis accersitus Tarracinam adueniens, Firmini, & Luxurij persuasu Cæsarium Dijs immolare compellebat: quo ad Apollinis templum ante Præsidis rhedam tracto, statim illud ad preces martyris corruens Firminum Pontificem oppressit. Tunc Præside abeunte Cæsarius à Luxurio carcere inclusus anno integro squalore macetatus, cum Leontius à Luxurio consultus, quo supplicio martyr afficiendus esset, aduenisset, prodijt è custodia macie confectus, vinctus, & nudus, à capillis suis tamen contectus, (tantum excreuerant) qui modico orandi spatio à militibus impetrato, in medio fori, vbi se humi abijciens Christo Domino gratias egisset, mox coruſca de cœlo lux emicuit eumque protexit. Quod Leontius cernens, Deum verum esse exclamans, quem Cæsarius prædicaret, se ad illius pedes prosternens (cum prius clamyde sibi detracta martyrem induisset) statim se sacro fonte expiari petijt: quo tempore aduenies Iulianus Presbyter Leontium, a quis prius salutaribus expiatum, sacro etiam Domini corpore refecit, isque refectus immaculatum spiritum Deo reddidit. Quo spectaculo commotus Luxurius Iulianum, & Cæsarium sacco inclusos in mare præcipitari iussit: cui Cæsarius ad supplicium ductus; *Nos quidem* inquit, *aqua tanquam filios ex ea renatos suscipiet; te verò hodie coluber inuadet, deuorabitque.* Qui equo insidens ad villam suam egressus, à serpente quodam ex arbore prosiliente inuasus est, & ventre sibi ex morsu venenato dirupto, miserè interijt, cum Angelos psallentes, & corpora SS. Martyrum reportantes ad littus vidisset; Quæ Kal. Nouembris a S. Eusebio sepulta sunt. *Ex illorum pass. à Sur. tom. 6. relata, & ex Pet. lib. 10. c. 2.*

Superstitiosa quotannis perdendi iuuenis Tarracinæ consuetudo.

Apollinis tẽplum ad Cæsarij preces corruens Firminum Pontificem opprimit.

Ob coruscã de cœlo lucẽ apparentem Leontius Cæsarij Deum verum exclamat.

Cæsarius Luxurium à serpente necandum prædicit.

AN-

ANNOTATIO.

Acta S. Cæsarij à Sur. relata in eo corrigenda sunt, vt monet doctiss. Baron. quòd passus sub Claudio Imp. dicitur. Nam si Cæsarius corpora Flauia Domitilla, & soc. sepeliyt, vt in Actis SS. Nerei, & Achillei continetur, fieri non potest, vt sub Claudio neque I. neque II. passus sit: sed passus est, sub Traiano.

DE S. SEVERINO MONACHO, ET CONFESSORE TIBVRE.

SEuerinus monachus Tibure patria Tiburtinus sanctitate clatuit. Qui Kal. Nouembris cum è vita migrasset, ibidem sepultus est. Cuius corpus adhuc in templo S. Laurentij Cathedrali, sub ara eius ecclesiæ maiore, ad hæc vsque tempora religiosè asseruatur. Acta illius desiderantur, vt neque tempus, quo vixit, sciri potuerit. *Ex Beda, Vsuardo, & alijs.*

ANNOTATIO.

Dies illius festus agitur Tibure die 3. Nouembris, vti in Tab. M. S. inde acceptis vidimus.

Nouembris die 2.

DE S. IVSTO MARTYRE, ET PATRONO TERGESTINO.

IVstus, ciuis Tergestinus christianis parentibus ortus, ac in christiana religione educatus, ab ineunte ætate ieiunijs, eleemosynis alijsque sanctis operibus addictus erat, cum in ea loca Manatius Præses venit; qui cum à Diocletiano, & Maximiano mandatum quoscunque Deos non venerantes interficiendi accepisset, Iustum ad se accersiri iubet, ac de religione interrogatum, cum is se christianum liberè confessus esset, monet, vt Dijs, iuxta Principum edicta, sacrificet, ne sibi malè mori contingat. Cui Iustus, *Ego*, inquit, *Christo Deo vero, & vni me ipsum sacrifico, pro quo mori paratus sum*. Cumque Manatius Iustum in carcere seruari præcepisset, vt is interim secum recogitaret, & resipisceret, S. martyr eam noctem in orationibus consumpsit, Christum precatus, vt sibi adesset, quo posset obita pro ipsius nomine morte ad martyrij palmā feliciter peruenire. Postera luce eductus Manatio sistitur: à quo interrogatus an melius recogitasset, respondit se idem, quod prius recogitasse. Se nimium mortem pro Christo potius, & libenter subiturum, quam Deos, qui nihil sunt, veneraturum: neque se tanti gratiam Imperatorum, qui breui sunt morituri, nihilque sibi, neque alijs profuturi, facere, vt pro ea æternam vitam à Christo sibi donandam amittere velit. Quibus verbis Præses excandens Iustum crudis neruis expoliatum cædi iubet: ac illum exultantem in verberibus & Christo gratias agentem multo plumbo onustum, & nauiculæ impositum in profundum mare demergi. Ductus itaque ad supplicium Iustus, ibat gaudenter, ac cum ea verba pronunciasset *In manus tuas Domine commendo spiritum meum*, præcipitatus in mare martyrium feliciter absoluit 4. Nonas Nouembris, Anno sal. humanæ 287. Cuius corpus fune, quo plumbo alligatum fuerat disrupto, ad littus mirabiliter eiectū, Sebastianus Presbyter à martyre insomnis admonitus, alijs christianis aduocatis in littore sepelijt. *Ex M. S. pass. apud Tergestinam Ecclesiam, & Pet. in Cat. lib. 10. c. 9.*

Iustus Imp. gratiam despicit.

A N-

ANNOTATIO.

Hic S. martyr non solum Tergesti, vbi tutelaris est; sed etiam in Aquileiensi diœcesi celebratur, vt Tab. illius Eccl. indicant.

DE S. AMICO EREMITA AVELLANÆ, ET ARABONÆ.

Amicus apud Camerinum honesto loco natus, à prima ætate in litteris, est piè educatus, factus grandior sacris contra propinquorum voluntatem initiatur, cumque non tantum in litteris, sed & in moribus plurimum profecisset, ad Sacerdotium promotus est, cum verò iam pridem solitudinis desiderio teneretur, vt mundi illecebris, & curis solutus Deo liberius inseruiret, Casinũ contendit: ibique habitum monasticum indutus, & aliquandiu commoratus, paulò post, vt, quod dudum animo conceperat, exequeretur, impetrata ab Abbate licentia apud Auellanam secedens, vitam eremiticam, orationibus, vigilijs, meditationibus, ieiunijs, alijsque carnis macerationibus duxit, Denique inedia & ætate confectus obijt diem in ecclesia S. Petri Auellanæ sepultus, miraculis clarus. *Ex lib. M.S. Biblioth. Casinen. ac ex Pet. Diac. lib. de ob. & vita SS. monach. Casinens.*

ANNOTATIO.

Arabona in Piceno (nomen est Abbatia) apud M. Melonem etiam celebratur. Eius mem. Pet. Damian. vt Baron. adnotat in Annal. ad an. D. 993. vbi Amicum canonizatum esse, absque tamen solemni ritu ecclesiæ scribit.

DE S. EVSTOCHIO VIRGINE ROMANA.

Eustochium à D. Hier. laudibus celebrata. Angelus mortem Prætextatæ minatur. Eustochiũ Bethleem cõtendit.

Evstochium virgo quæ & Iulia S. Paulæ nobilissimæ, & sanctissimæ matronę Romanæ filia miris laudibus à S. Hieronymo celebrata, cum virginitatem Christo vouisset, ab Himetrio tamen patruo, sub cuius tutela post mortem patris degebat, nubere cogebatur, is enim Prætextatæ vxori præceperat, vt Eustochium pretiosis vestibus, gemmis, & fucis ornaret. Sed Angelus Prætextatæ apparens mortem sibi, & viro minatur, nisi Eustochium suæ voluntati relinquant. Liberata itaque virgo ab ea molestia, vt Deo adhuc liberius vacaret, relictis patria, & propinquis Paulam matrem secuta Bethleem se contulit, vbi sub matris, & S. Hieronymi disciplina maximè in pietate profecit, matre autem diu ægrotante, ab ea nunquam recedebat, exequens circa illam, etiam quæ ab ancillis præstari solebant. Quare vel in matris ministerio, vel in crypta in orationibus occupabatur. Matre defuncta, cum monasterijs virginum à matre extructis præfuisset, & in officijs charitatis assiduè versaretur. Deniq; à cœlesti spõso vocata migrauit è vita An. sal. 419. in ecclesia ad Præsepe Domini sepulta. *Ex D. Hieronymo multis in locis præsertim epist. 27. & 21. ad Paulam, & ad Palmachium.. Ex lib. de virgg. Rom.*

ANNOTATIO.

De ea Martyrol. Rom. die 28. Septemb. licet Pet. in Cat. lib. 10. c. 10. *de ea agat hac die: quem sequitur Maurolycus.*

Nouembris die 3.

DE SS. VALENTINO PRESBYTERO, ET HILARIO Diacono martyribus Viterbij.

VAlentinus Presbyter, & Hilarius Diaconus ex oriente in Tusciam profecti apud Viterbium Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus Christi Domini fidem disseminabant. Quod Demetrius Proconsul audiens eos accersit, ac, vt finem prædicandi facientes Herculi sacrificent, hortatur. Quod cum facere recusarent, dicerentque non esse alium Deum præter Iesum Christum filium Dei, ingenti saxo ad collum alligato in flumen colligati præcipitantur. Verùm illis ab Angelo solutis vinculis ereptis, ministri dum reuertuntur ad vrbem ab vrso inuasi partim interfecti sunt, partim dilacerati: reliqui fuga elapsi ad Christum conuersi, à B. Eutytio Presbytero; qui propter persecutionem latebat, post fidei instructionem, & tridui ieiunium cum suis familijs baptizantur. Interea Valentinus, & Hilarius vltrò Proconsulem adeuntes, sequè diuinitus à submersione ereptos asserentes, eum hortantur, vt errore deposito inaniũ Deorum, Iesum Christum verum Deum omnipotentem agnoscat. At ille in impietate obstinatior eos teneri, & fustibus cædi imperat grauiora minatus supplicia, nisi Magno Herculi diuinos honores habeant. Cumque illi se lapidi muto, & surdo nunquam honorem habituros dicerent, dicta in eos sententia, vti Deorũ contemptores, capite plecti iubet 3. Non. Nouembris. quo tempore templum Herculis iuxta Pontem Camillarium (qui nunc Pons SS. Valentini, & Hilarij dicitur) haud longè ab eo loco; vbi in flumen demersi fuerant, subitò terræmotu contremuit, & corruit. *Ex M. S. antiquo Eccles. Viterbien. Horum capita Viterbij in Eccl. Cathedrali asseruantur.*

SS. in flumen præcipitati ab Angelo liberantur. Tortores verò ab vrso ma lè habiti sũt. Proconsuli, vt verũ Deũ agnoscat, p-suadent.

Templum magni Herculis corruit.

ANNOTATIO.

CVm Viterbium vrbs recens sit sub Desiderio postremò Longobardorum Rege sic appellata, mirabitur quispiam, qui apud illam hi SS. martyres passi ferantur. Sed facilè occurritur, Viterbij quidem nomen esse recens, non locum, cum hæc ciuitas ex Vetulonia, Longola, & Turbena antiquis vrbibus coaluerit.

DE S. VALENTINIANO EPISCOPO SALERNITÆNO.

VAlentinianus VI. Ecclesiæ Salernitanæ Episcopus S. Gaudioso V. Episcopo successisse traditur. Vixit, & sanctitate floruit ante annum sal. humanæ quingentesimum: quo anno illi subrogatus legitur Gaudentius; qui Symmacho Pont. Max. Synodo Rom. 105. Episcoporum aduersus Laurentium in schismate contra Symmachum electum coactæ interfuit, Valentinianus autem cum aliquandiu Ecclesiæ suæ sanctissimè præfuisset, 3. Nonas Nouembris migrauit è vita honores: qui SS Episcopis debentur, promeritus. Cuius corpus in inferiore Cathedrali ecclesia cum cæteris SS. Episcoporum corporibus religiosè asseruatur. *Ex Tab. & monumentis eiusd. Eccles.*

ANNOTATIO.

ACta haud extant, extat eius memoria in Breu. antiquo Eccles. Salernitana ante an. 400. scripto; vbi etiam oratio siue collecta, quæ in eius Festo dicitur continetur. Eius mem. Baron. in Annotat. in Martyrol. Rom. die 19. Octob. & Gaspar Musca lib. de Epp. Salernit.

Nouem-

Nouembris die 4.

DE S. KAROLO EPISCOPO MEDIOLANENSI.

KArolus Mediolani ex clarissima Borrhomæorum familia natus à prima ætate in clericorum numerum adscriptus, postmodum Abbas factus legibus Ticini operam dedit, annum vix 22. ætatis agens à Pio IV. Pont. Maximo, cuius erat ex sorore nepos, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis creatur: nec multò post Archiepiscopus Mediolanensis. Quo in munere Sanctum Ambrosium egregiè imitatus Ecclesiam Mediolanensem sic instituit, vt nihil ad morum emendationem, ad Sacrarum Ædium ornatum, ad diuini cultus exercitationem, nihil ad Animarum curam ritè peragendam desiderari posse videatur. Ita omnia constituta, & ordinata, sub illo multis coactis, habitisque concilijs sunt, vt Ecclesia Mediolanensis alijs facta sit norma disciplinæ. Ipse verò boni Pastoris officium executus, lupis, quoties se se obtulit occasio, generosè restitit. Nam & pro tuenda Ecclesiæ immunitate Prouinciæ Mediolanensis Gubernatorem Regium à Fidelium communione Anathemate ictum separare non dubitauit: & peste vrbem sæuissimè grassante, parochis infectos deserentibus, ipse vti verus Pastor pro ouibus animam ponens, non modo sacra mysteria illis proprijs manibus administrauit, sed & necessaria rebus ipsis pretiosioribus venditis suppeditans, frequens eos visitabat; Cum verò amplos redditus renunciasset, ijs tantum, qui ad sustentandam familiam sufficerent, retentis, ex ijs nihilominus copiosas in egentes eleemosynas erogabat, victus parcitate contentus. Vitam enim duxit austerá valdè, vino perpetuo abstinens, in orationibus pernoctabat, superque nudis tabulis frequenter dormiebat, concionibus, lectionibus, Ecclesiarum visitationibus, Sacramentorum administratione assiduè occupatus vix fessa membra modico somno recreabat. Cibum cum suis in Refectorio more Religiosorum capiebat, idque semel in die, vt ieiunium ferè quotidianum esset in pane, & aqua, per Quadragesimam ficubus aridis, & lupinis se sustentabat, idque ferè semper aduersa valetudine. Vulgati vestitu vsus cilicium gestabat. Seminarium, vbi futuri clerici optimè instituerentur, restituit, auxitque redditibus. Ecclesiasticos ritus reformauit. Tandem assiduis laboribus, vigilijsque confectus cum vix pelle, & ossibus constaret, migrauit è vita 3. Non. Nouembris Anno sal. humanæ 1584. ætatis verò 47. In Ecclesia Metropolitana sepultus. Clarus miraculis viuens, & mortuus. Nam viuens, cum in oratorio oraret, à nonnullis Humiliatorum Ordinis, qui ob nimiam viuendi licentiam obiurgationes eius (erat enim Ordinis Protector) ferre non poterāt sclopo impetitus, illæsus euasit, cum sclopi globulus vestem non perforasset, sed tantum signasset, vna tantum ex pilulis ad carnem penetrauit sine vlla tamē Sancti offensione. Post mortem verò tot cœpit signis coruscare, (quod innumeræ votorum tabellæ, & imagines ex argento, & auro testantur) vt Paulus V. Pont. Max. illum solemni ritu Albo SS. apscripserit Kal. Nouembris, An. D. 1610. *Ex eius vita à Karolo à basilica Petri Episcopo Nouarien. fusissimè, & eleganter scripta.*

ANNOTATIO.

NOn tantum post mortem S. habitus est; sed etiam dum viueret opinio sanctitatis eius inualuerat. Pius enim V. Pont. Max. illum cæteris Episcopis imitandum, velut speculum, & normam proponere solitus erat. Philippus quoque II. Maximus Hispan. Rex eum præcipuè venerabatur, seque ipsius orationibus non semel per litteras commendabat.

DE SS. VITALE, ET AGRICOLA MARTYRIBVS Bononienfibus.

Vitalis adeo omnium tormẽtorum genera expertur, vt in eo nullus fuerit fine vulnere locus.

Agricola vel ab inimicis diligitur.

Cruci affigitur.

VItalis feruus,& Agricola Dominus Bononiæ in Diocletiani,& Maximiani Imperatorum perfecutione comprehenfi illuftri martyrio coronati funt. Quorum Vitalis quò magis Chriftum negare tormentis cogebatur; eò amplius illum confitebatur: cumque in eo perfecutores iam omnia tormentorom genera exercuiffent, vt in corpore illius (vt S. Ambrofius fcribit) non effet fine vulnere locus, in oratione; qua fe fufcipi precabatur, emifit fpiritum. Agricola verò: qui mitior moribus erat, quique vel ab inimicis diligebatur, dilato eius martyrio fi forte ferui paffione moueretur, poft Vitalem, productus cum Chrifto renunciare fuaderetur, tantum abeft, vt ferui fupplicijs deterritus effet, vt po tius exemplo illius confirmatus gloriofam pro Chrifto mortem oppetere, quam viuere mallet. Quare cruci affixus Vitali feruo confors, & focius nobilis fuit martyrij. Quorum corpora cum ad Iudæorum fepulchra fuiffent humata, à S. Ambrofio inuenta vnà cum cruce, clauis, & fanguine in facrum, celebremque locum translata funt. *Ex Breu. Rom. & S. Ambrof. in exhortat. ad virgg.*

ANNOTATIO.

EXtat Bononia his SS. martyribus dicata ecclefia cum cœnobio virginum. Quorum miracula aliquot à Gregor. Turonen. lib. de Glor. Mart. narrantur, & reliquia nonnulla a S. Paulino Epifcopo (qui ipforum natalem verfibus celebrat) Nolam delata leguntur.

DE S. PERPETVA S. PETRI APOSTOLI CONIVGE, & martyre.

Perpetua Petri coniux.

PErpetua S. Petri Apoftolorum Principis vxor; ex qua Petronilla virgo nata à nonnullis putatur, poftea quam Petrus Princeps Apoftolorum declaratus eft, & Ecclefiæ Pontifex, cœlibem vitam ducens, & ipfa Romæ martyrio deceffiffe traditur. Quam Petrus ad fupplicium ductam proprio nomine compellaffe fertur his verbis: O CONIVNX MEMENTO DOMINI. Paffa autẽ ante virum Pridie Nonas Nouembris refertur. *Ex Io. Molano, in Addit. ad Vfuard. & Maurolyc.*

ANNOTATIO.

EIus mem. Eufeb. lib. 3. c. 30. Hiftor. Ecclefiaft. & Clem. Alexand. lib. 7. Strom. ac Baron. in Annalib. ad An. D. 70. Nomen tamen illius fubticent.

DE S. PATROBA EPISCOPO PVTEOLANO.

PAtrobas vnus ex 72. difcipulis: cuius Sanctus Paulus Apoftolus in epiftola ad Romanos capite vltimo meminit, Epifcopus Puteolanus fuiffe traditur: licet alij illum Neapolis Epifcopum prædicent; & alij Pelorum. Is multa paffus eft incommoda à Gentilibus; dum Chriftum annuncians plures ad illum perduceret. Puteolanam Ecclefiam inftituiffe, eique primum Epifco-

Episcopum præfuisse, putatur. Qui laboribus multis pro Dei ecclesia perfunctus, Prid. Non. Nouembris quieuit in pace. *Ex Petro Gales. in suo Martyrol.*

ANNOTATIO.

ET si diuersa de Patroba scribentium sunt sententia, cuius vrbis fuerit Episcopus, fieri potuit, vt plures ecclesias instituerit, quarum dicatur Episcopus. Constans autem fama est illum Puteolanum Episcopum fuisse: atque inter SS. Regni Neapolitani a Paulo Regio lib. seu parte 2. & Dauid Rhomao recensetur.

Nouembris die 5.

DE SS. FELICE PRESBYTERO, ET EVSEBIO MONACHO martyribus Tarracinæ.

FElix Presbyter, & Eusebius monachus Tarracinæ cum corpora SS. Cæsarij Diaconi, & Iuliani Presbyteri in mari demersorum sepelissent, multosque ex Gentilibus ad fidem christianam conuersos baptizassent, Leontij consularis illius Leontij Præsidis, ad Christum in S. Cæsarij passione conuersi, filij iussu comprehensi, nocte, ne populus, qui eos venerabatur, commoueretur, inauditi decollantur Prid. Nonas Nouembris. Quorum corpora ad litus proiecta à Quarto Presbytero iuxta SS. Cæsarium, & Iulianum sepulta sunt. *Ex passione S. Cæsarij à Sur. tom. 6. recitata.*

Leontius Leontij superioris filius.

ANNOTATIO.

DE eisdem agit Pet. in Cat. lib. 10. c. 28. Sed censura eget vnà cum Sur. in eo quòd hos sub Claudio passos referant; cum sub Traiano passi sint. Eundem errorem Vsuardus; qui de eisdem agit hac die, incurrit.

DE S. MAGNO EPISCOPO MEDIOLANENSI.

MAgnus Mediolani ortus, & educatus, ob eius eximias animi dotes post S. Eustorgium II. Episcopus Mediolanensis creatur Siluerio Summo Pont. Hic vir abstinentia singulari, & admiranda sanctitate fuit: quam miraculis coruscans aliquot demonstrauit. Qui cum annos 3. ecclesiam sibi commissam præclarè administrasset, ad præmium euocatus sancto fine quieuit Kal. Nouembris. Cuius corpus in æde S. Eustorgij tumulatum fuit. *Ex Act. Eccles. Mediolanen. & Pet. Gales. in suo Martyrol.*

ANNOTATIO.

ONuph. Panuin. in Fast. Ecclesiast. Magnum post mortem Siluerij Vigilio Pont. Max. Episcopatum inijsse scribit, eiusque Sedis 27. Episcopum fuisse. Sed Acta Eccl. Mediolanen. sub Siluerio Episcopum creatum habent.

DE S. DOMINATORE EPISCOPO BRIXIENSI.

DOminator Episcopus Brixiæ XXII. inter SS. Rusticianum, & Paulum Secundum Ecclesiam Brixiensem administrauit. Huius, & si acta ignorantur, vt plurium aliorum eiusdem vrbis Antistitum; ob varias populationes; quas ciuitas Brixiensis frequenter passa est, eum tamen ab antiquis temporibus Ecclesia Brixiensis sanctum semper habuit, & coluit. Cuius etiam memoria in Romano Martyrologio hac die, qua ad cœlestem patriam

Brixia varijs populationibus obnoxia.

 migrasse

migrasse traditur, adnotata est. Corpus eius in templo Cathedrali asseruatur. *Ex Tab. & monum. Eccles. Brixien.*

ANNOTATIO.

VIxit aute ann. D.490. *inter Paulum I. qui vixit an. 390. & Anastasium, qui fuit Episcopus an.490. inter quas Episcopi 14. numerantur: quos non diu vixisse oportet. Idque ex antiq monum. M.S. Vrbis, & Eccl. Brixien.*

DE S. CELSO EPISCOPO PVTEOLANO.

CElsus S.Petri Apostoli discipulus ab eo Puteolis Episcopus eius vrbis creatus esse traditur. Extat ecclesia in territorio Puteolano, quæ S.Petrilli de Quarto dicitur, quod in ea à S.Petro Celsus quartus Episcopus consecratus fuerit. Fertur etiam (vt habet antiqua loci traditio) Celsus post B.Petri discessum sequenti anno S.Paulum cum socijs Romam ad Cæsarem; ad quem appellauerat, euntem hospitio accepisse, Sic enim in Actibus Apostolorum legitur; FLANTE AVSTRO E RHEGIO PVTEOLOS VENIMVS, VBI INVENTIS FRATRIBVS ROGATI SVMVS IBI SEPTEM DIEBVS MANERE. Cæterum Celsus vbi aliquandiu Ecclesiæ Puteolanæ præfuisset, pluresque Christo ex Gentilibus lucratus esset, tandem ad cœlestes sedes moriens euolauit, Nonis Nouembris. *Ex monumentis M.S. Ecclesiæ Puteolanæ, quæ illum vti vrbis patronum hac die Pij V. & Sixti V. Pont. Max. concessione celebrat.*

Celsus S. Paulum hospitio excipit.

ANNOTATIO.

HAud verisimile videtur Celsum IV. Episcopum fuisse Puteolanum, obijsseque anno D.50. vt acta M.S. quæ vidimus, habent. Probabilius autem est illum secundum Episcopum extitisse, ac circa an. sal. 80. migrasse: videtur enim pro 80. 50. scriptum fuisse.*

Nouembris die 6.

DE S. FELICE MONACHO FVNDANO.

FElix cognomento Curuus cœnobij Fūdani Præpositus tempore S.Gregorij, antequam ad Pontificatum assumeretur, sanctitate claruit. Sub quo monachus, qui hortum excolendum susceperat, cum furem per sepem ascendentē occulte olera auferre comperisset, ac inter ambulandum serpentem inuenisset, vt se sequeretur præcepit, & ei ductę ad eum locum; per quem fur in hortum ingredi solitus erat, dixit: In nomine D. Iesu præcipio tibi, vt aditum hunc custodias, nec furem huc ingredi permittas: qui mox aditum; per quem fur egrediebatur, extensus occupauit. Quo tempore itaque monachi circa meridiem in cellis quiescerent, fur hortum per sepem ingressus, vt serpentem extensum vidit, nimio correptus terrore concidit, ita vt cum pars calciamenti sudi sepis hæsisset, inde pendens abire non posset: quoad à monacho hortulano deprehensus, & blandè ab eo correptus, solutus fuit, ductusque ad horti ianuam olera, quot voluit, gratis accepit his verbis: *Vade, & posthac furtum non facias: sed cum necesse habueris, huc ad me ingredere, & dabo tibi, quæ tu cum peccato tollere laboras.* Felix autem migrauit è vita 8. Idus Nouembris. *Ex S. Greg. Papa, lib. 1. c. 3. Dialog.*

Felix serpentem Horti custodem linquit.

Fur deprehēditur.

AN-

ANNOTATIO.

Hæc eadem habet Pet. in Cat. lib. 10. c. 31. Sed quæ S. Greg. de monacho hortulano ex Felice audita narrat Petrus ipsi Felici per errorem tribuit.

DE S. ANDREA EPISCOPO FVNDANO.

Andreas vir venerabilis, & Fundanæ vrbis Episcopus, cum inter cæteras virtutes continentia præstaret, quo fretus, cum sanctimonialem, quam penes se ante Episcopatum habuerat, in episcopio retinuisset, cœpit ab hoste tentatione ex aspectu mulieris pulsari. Quod ita innotuit, Quidam Iudæus ex Campania Romam proficiscens, cum ad cliuum Fundanum vespere nocte incumbente venisset, nec quò diuerteret reperiret, in proximum Apollinis templum se recepit. Quocirca medium noctis Dæmonum turbam aduentantem audijt, timensque signo se crucis muniuit, licet à Fide alienus, cumque is, qui cæteris præerat, consedisset, à singulis actorum contra rationem exquirens, quidam accedens se Andream Episcopum Fundanum in sanctimonialis amorem accendisse, remque eò perduxisse, vt ille vespere præteriti diei alapam in terga mulieris blandiendo dederit: quem Princeps præ cæteris commendans, quòd altioris gradis, tantæque continentiæ virum iam penè vicisset, ad finem victoriæ hortatus est. Cum verò Dæmones quis esset in templo mandato principis perquirentes, Iudæum cruce signatum comperissent, mirantes dicebant: *væ væ, vas vacuum, sed signatum.* Illis autem abeuntibus, Iudæus Fundos ingressus ad Episcopum in templo exeuntem venit, qui ab illo de sanctimonialis amore interrogatus, cum præ verecundia negasset, vbi Iudæus, quæ in concilio Dæmonum audierat, narrasset, præsertim de alapa ab eo sanctimoniali blandiendo hesterna die data, errorem confessus non modo sanctimonialem, sed quamuis fœminam ab ea die Episcopali domo eiecit, seque orationibus dedit, templum Apollinis B. Andreæ Apostolo dedicauit. Iudæum verò, qui sibi causa salutis fuit, in fide instructum sacra baptismatis vnda mundauit. *Ex S. Greg. Papa lib. 3. c. 7. Dial.*

Conuentus Dæmonum eorum victorias de christianis recensentium.

Væ, væ, vas vacuum, sed signatum inquiunt Dæmones de Iudæo.

ANNOTATIO.

Paul. Reg. lib. 2. de SS. Regni Neapol. eius post S. Felicem meminit.

DE S. ÆMILIANO EPISCOPO SCOTO FAVENTIÆ Protectore.

Æmilianus Episcopus Scotus eximiæ sanctitatis vir Romam ad SS. Apostolorum limina, vt mos est Episcopis, profectus, cum loca sancta magna cũ deuotione visitasset, iamque in patriam regrederetur; vbi Fauentiam peruenisset, ibi ex itinere fatigatus in morbum incidit: ex quo vitæ terminum sibi adesse sentiens, ea verba dicebat, *Hæc requies mea in sæculum sæculi; hic habitabo, quoniam elegi eam.* Morbo autem ingrauescente, breui sacris mysterijs munitus migrauit ad Dominum, in æde S. Clementis, quæ tunc extra muros erat, sepultus. Vbi vrbe à Leoprando Longobardorum capta, & direpta, diu latuit, donec multis post annis illa sub Bernardo Comite, & Theodolinda vxore instaurata corpus diuinitus repertum, & plaustro impositum in ecclesiam S. Mariæ illatum est. In qua translatione mirum accidit, nam cum boues plaustrum trahentes stetissent immobiles, vbi Theodolinda ecclesiæ illi prædium elargita

Vrbs Fauentiæ à Leoprando Longobardorum Rege diripitur.

Boues plaustrum trahentes immobiles fiunt.

est, statim vsque ad ecclesiam progressi sunt, ibique corpus S. Episcopi in arca marmorea reconditum miraculis coruscauit. *Ex monum. Eccles. Fauentina M. S. & Pet. in Cat. lib. 10. c. 53.*

ANNOTATIO.

HAEc dies translationis, non depositionis esse videtur: quando enim obierit sicuti, & cuius vrbis in Scotia Episcopus fuerit, latet.

Nouembris die 7.

DE S. PROSDOCIMO EPISCOPO PATAVINO I. & patrono.

Prosdocimus complures curat langué tes atq; 160. gentilium sacra vnda regenerat.

Vitalianum Principem cũ vxore, ac familia sacro fonte lauat.

Filiam eis Iustinam impetrat.

Theodoram Euphrosyni Comitis vxorem insanabili morbo laborantem sanat.

PRosdocimus Petri Apostoli discipulus, cum eo Antiochia Romam veniens iuuenis adhuc ob eruditionem, & vitæ sanctitatem Episcopus ordinatus Patauium quo tempore Marcus Aquileiam, & Apollinaris Rauennã, destinatur. Qui in vrbis ingressu multitudine languentium diuinitus curata, eo miraculo præter infirmos 160. Gentilium ad fidem conuersos sacra vnda regenerauit. Vrbem ingressus cum Christum annunciare cœpisset, plurimos ex ciuibus ad veram religionem perduxit. Fama aduentus, & virtutum eius ad Vitalianum Principem siue vrbis Præfectum dudum in lecto ob grauem morbum decumbẽtem perlata, ad illum accersitur, ac vt morbum, si possit, depellat, rogatur. Prosdocimus, facilè statimque illum sanatum iri, si in Christum credat, respondẽs: cum is se velle in Christum credere, & baptizari diceret, ipsum cum Prædepigna vxore, & tota familia in fide prius instructum, sacroque fonte expiatum, ilicò sanitati restituit. Qui non modo Prosdocimum in Infidelium conuersione adiuuit, sed & templum diuinæ sapientiæ excitauit. Cumque prole carerent, filiam, Prosdocimi precibus, impetrarunt, quæ in baptismo Iustina appellata S. Episcopi discipula fuit. Qui ad finitimas ciuitates profectus Atestinam vrbẽ, Vincentiam, Acelum, Altinum, Feltriam, Taurisium, & alia oppida ad fidẽ Christi perduxit, vbique extructis ecclesijs, Presbyteris ordinatis, & clericis, cũ Taursij, Theodotam Euphrosyni Comitis vxorem plurimos annos in lecto difficili morbo, & insanabili detentam manu apprehensam mirabiliter sanasset. Patauium reuersus Vitaliano, & Prædepigna paulò post in Dei gratia defunctis, Iustinam virginem sibi à parentibus commendatam erudiuit, eamque martyrio affectam sepelijt, vbi eidem à Patricio quodam templum eo hortante ædificatum est. Prosdocimus denique multis pro Dei gloria laboribus perfunctus, cum annos 93. Ecclesiæ Patauinæ præfuisset, anno ætatis 114. Idus Nouembris, cessit è vita. *Ex monum. Eccles. Patauina, & Bernardino Scard. lib. 6. classe 2. Antiq. vrbis Patau.*

ANNOTATIO.

PEtrus in Cat. lib. 10. c. 33. & Membr. tom. 2. vitam S. Prosdocimi multis referunt, sed multis erroribus respersam circa loca, cum etiam Vitalianum Regem vocent, quod à veritate alienum est. Nullum enim habuit aliqua pars Italia Regem sub Rom. Impp.

DE S. HERCVLANO HVIVS NOMINIS PRIMO Episcopo Perusino martyre, & patrono.

HErculanus natione Syrus cum 8. germanis Carpophoro, Abundio, Laurentio, Proculo, Ioanne, Theudila, Isacio, & Bractali, ac duobus patruelibus Brictio,

Brictio, & Eutychio Duce, & magistro Anastasio patruo Romam religionis ergò venit circa Annum Domini 300. Quos omnes Pontifex Rom. perhumaniter accepit, ac Brictium, & Carpophorum grandiores Sacerdotes, Abundium & Laurentium Diaconos, reliquos clericos ordinatos ad diuersa loca dimisit. Herculanus autem diuino consilio Perusiam veniens, ibi in maiore ecclesia sacris functionibus se ita exercuit, vt ab omnibus ad Apostolicæ vitæ normam cōformatus prædicaretur. Quapropter ciuitatis Episcopo defuncto à S. Brictio patruele Episcopo Metropolitano (qui à B. Petro Apostolo Episcopos ordinandi potestatem accepisse traditur) Ecclesiæ Perusinæ Antistes creatur. Quo in munere ita se gessit Herculanus, vt nihil omitteret, quod ad optimi Pastoris officium pertineret. Multos enim ad Christi religionem sua prædicatione perduxit, ac templa Deorum sublata superstitione Gentilium, ad veri Dei cultum cōuertit christianos, qui erant, confirmauit, eradicatis vitijs. Ipse orationibus, vigilijs, & ieiunijs insistens, omnibus humilitatis, patientiæ, benignitatis, & abstinentiæ exempla præbebat; Instituitque, vt clerici quarta, & sexta feria ieiunarent. Cum autem Diocletiani Persecutio in christianos adhuc vbique sæuiret, Herculanus Fabiano Præsidi sistitur, ac Idolis sacrificare recusans i equuleo suspenditur, ac virgis cæditur, tum admotis ad eius latera ardentibus facibus, cum nihil ab igne læderetur, in carcerem truditur. Inde paulò post extractus feris in Amphitheatro obijcitur: quibus diuinitus mansuefactis, ad sanctique Episcopi pedes prouolutis, cum qui aderant huic spectaculo, magnum Deum christianorum clamarent, & Præses præ doloris magnitudine fureret, quidam rem gratam se Præsidi facturum ratus, in Amphitheatrum armatus prosiliens S. Episcopum in oratione positum venabulo transfodit, 7. Idus Nouembris. *Ex offic. Eccl. Peruſ. nuper Romæ approb.*

Herculanus Ecclesiæ Perusinæ Antistes.

Instituit, vt clerici quarta, & sexta feria ieiunent.

Feræ ad S. Hercul. pedes mansuefiunt.

Furit præ doloris magnitudine Præses.

ANNOTATIO.

Quod an. D. 304. sæuiente vbique Dioclet. persecutione S. Herculanus passus dicitur, difficultatem patitur. Nam eo anno mense Aprili Dioclet. Imperium deposuerat, vt post alios Baron. in Annal. ad an. præd. testatur. Sed dici potest, quod licet cessasset Imperium, non tamen persecutio apud Præsides.

Martyrolog. Rom. hac die de Herculano II. qui sub Totila passus est agit: de quo Eccles. Perusina Kal. Martij.

DE S. LEOPARDO I. EPISCOPO AVXIMANO.

Leopardus natione Germanus, Sancti Martini Episcopi Turonensis ætate vixit. Isà teneris orationibus, ieiunijs, & pijs operibus addictus, ecclesias frequentabat, Martyrij autem cupidus patriam deserens Romam venit Innocentio I. Summo Pont. à quo in ecclesiarum vrbis regimine probatus, ad Auximanam ciuitatem adhuc Gentilitatis errore detentam Primus Episcopus destinatur, Leopardus Auximum profectus, ciues exemplo, prædicatione, & miraculis ad Christi fidem perducere cœpit, cum aliquot ægrotos sanasset, cæcis visum restituisset; & Dæmones ab obsessis eiecisset. Erat Dæmonibus infensus, vt eos vbicumque poterat insectabatur. Cum enim Dæmon monachali indutus habitu monachos decepturus monasterium, quod-

Leopardus Auximi Episcopus creatur.

Ægrotos sanat; cæcos illuminat; ac Demones expellit.

Leopardus Dæmoni sub monachi specie præcipit, vt quis sit; quid hic faciat, quid facturus dicat. Anserū multitudo Romā. S. comitatur.

quoddam ingressus esset, eò S. Episcopus aduolans Abbatem, & monachos ad colloquium vocat, cumque deesset, qui coquinæ, & refectorio præerat, eò accersito, præsentique, ac trementi, *præcipio*, inquit, *tibi in nomine D.N.I.C. vt dicas quis sis, quid hic feceris, & quid sis facturus*. Qui respondit, *sum Dæmon; Terras monasterij grandine, noxijsque animalibus vastaui, vt monachi victu carentes extra vagantur ad quæstum, & ab oratione cessent*; Statimque abire iussus, cum clamore, fœtoreque relicto disparuit. Claruit alijs miraculis; nam cum ad summum Pont. Reate agentem pergeret, ferunt illum anserum multitudinem non sine spectantium admiratione, vsque ad Pontificem prosecutam, indeque accepta à Leopardo benedictione (sic iubente Pontifice) in syluas reuersam. Cum S. Martinum inde transeuntem excepisset, & familiares illius opiparè multa carnium copia tractasset, quod superauerat, pauperibus distributo, quidamque ex eorum pauperum numero carnibus coctis onustus, cum gratias agere pro beneficio deberet, murmurando dixisset: *Noster Episcopus hypocrita est; alijs enim abstinentiam prædicat, ipse verò carnes abundè comedit*. Statim illi manus ita diuinitus inter se copulatæ sunt, vt nulla vi separari possent, nisi post erroris recognitionem, & S. Episcopi preces. Denique Leopardus vbi Ecclesiæ suæ annos plures sanctissimè præfuisset, vita functus 8. Idus Nouembris, in sua ecclesia maiore conditus est. *Ex monum. M.S. Eccles. Auximana.*

Pauperi detractori manus mirabiliter inter se copulantur.

ANNOTATIO.

SI S. Leopardus S. Martini coætaneus fuit, vt in actis eius legitur, & ab Innocentio I. Papa Episcopus creatus est, eum vel senio confectum obijsse, vel non multos annos præfuisse necesse est.

DE S. CASTO EPISCOPO, ET MARTYRE BENEVENTI.

CAstus, & Cassius Episcopi Africani vnà cum alijs plurimis ante S. Cyprianū Episcopum Carthaginensem passi sunt in Africa. Ex quibus ille Castum, & Æmilium in primis agonibus victos, in secundis victores extitisse scribit: p ignem enim martyrium compleuerunt. Quorum reliquiæ ab Episcopis Africanis sub Vuandalis suis sedibus pulsis in Campaniam delatæ in diuersis vrbibus conditæ sunt. Casti autem, & Cassij Capuæ vsque in hodiernum diem sacræ reliquiæ asseruari feruntur, & coli, ac miraculis in expellendis spiritibus immundis, & sanandis ægrotis coruscasse. Extant etiam Casti reliquiæ aliquot Beneuenti: ob quas ibi hac die is colitur. Cum Capuæ, & alibi die 11. Kal. Iunij Castus, & Cassius celebrentur. *Ex Breu. Capuan. Annotat. Baren. ad diem 1. Iulij, & T ab. Eccles. Beneuent.*

Reliq. SS. Casti, & Cassij miraculis in hodiernam diem coruscare feruntur.

ANNOTATIO.

HOrum martyrum acta in Eccles. Caietana asseruari, & à Greg. Episcopo Tarracinensi cum esset monach. Cassinen. etiam scripta fuisse testatur Baron. loco citato. Ex quo apparet Castum hunc eundem esse cum Casto, qui cum Secundino Sinuessa, Kal. Iulij in Martyrol. Rom. passus memoratur: cum tamen ex actis valdè diuersus sit.

Nouembris die 8.

DE SS. QVATVOR CORONATIS MARTYRIBVS ROMÆ.

SEuerus, Seuerianus, Carpophorus, & Victorinus fratres, in psecutione Diocletiani comprehensi, cum libere Deorum cultum detestarentur, nec vlla

ratione

ratione illis facrificare vellent, re ad Imp. delata, plumbatis eousque cædi iubentur, donec spiritum exhalarent. Quorum corpora canibus proiecta, cũ ab illis intacta fuissent, à christianis sublata via Lauicana tertio ab vrbe lapide sepulta sunt. 6. Idus Nouembris. Horum nomina; quæ postea interiectu temporis Domino reuelante patefacta sunt, cùm principio reperiri minimè posset, placuit, vt eorum memoria anniuersaria sub quatuor Coronatorum nomine celebraretur. Quod nomen etiam post propriorum nominum reuelationem in ecclesia perseuerat. Quibus etiam titulus quatuor Coronatorum, qui durat in vrbe, dedicatus est. *Ex Breu. Rom. & Martyrol. Adonis, & Rom.*

ANNOTATIO.

HOrum martyrum corpora a Leone IV. Pont. Max. inuenta fuisse, & eorum ecclesiam ab eodem instauratam Anastas. Biblioth. scribit; quod etiam Baron. adnotauit.

DE SS. MARTYRIBVS CLAVDIO, NICOSTRATO, Symphoriano, Castorio, & Simplicio Romæ.

CLaudius, Nicostratus, Symphorianus, Castorius, & Simplicius summi vrbis Romæ sculptores ob eam causam summam apud Diocletianum Imp. gratiam inierant; cum verò quadam die crucis signum in marmore artificiosè admodum insculpsissent, Simplicius à christiana religione adhuc alienus admirans, socios rogabat, cuius nam Dei signum illud esset, quod iàm exactè sculpserant: quẽ Symphorianus cum multa ei de Christo Domino explicasset, ad fidem perductum à Cyrillo Presbytero baptizandum curauit. Eorum porrò nominibus, quòd Christum colerent, delatis, cum Æsculapium ex Porphyretico, & Proconnesio marmore, vt iusserat Imp. fingere recusassent, à Lampadio Tribuno in custodiam traduntur; cumque ducti ad so'is simulachrum, vt illud venerarentur, se nunquam commissuros dicerent, vt opera manuum hominum adorarẽt, rursus in carcerem coniecti, cum nullis neque minis, neque promissis à Christi confessione auelli possent, ac multos dies carcere macerati, in eodem proposito persisterent, à Lampadio scorpionibus crudelissimè cæsi sunt: quo à Dæmone arrepto, subitaque morte mulctato, Nicetio Togato iussu Imp. puniẽdi exhibentur: qui SS. martyres in loculis plumbeis viuos inclusos, vt Imp. præceperat, in mare præcipitari iussit. Post dies 42. Nicodemus quidam insignis christianus loculos cum martyrum corporibus inuentos tulit, ac domi suæ ea honorificè condidit. *Ex Breu. Rom. & Adone.*

SS. Sculptores crucis signum in marmore affabrè insculpunt.

Aesculapiũ fingere, vt iusserat Imp. negant.

Lampadius carnifex à Dæmone arreptus subita morte mulctatur.

ANNOTATIO.

PAssi sunt biennio ante quatuor Coronatos, eadem tamen die 6. Idus Nouembris. Horum pass. Pet. in Cat. lib. 10. c. 36. enarrans non sine errorum admixtione, illos in Pannonia passos tradit, quod Martyrol. Rom. Breu. & aliis sincerioribus repugnat: Si enim apud illos quatuor Coronati sepulti sunt via Lauicana, non in Pannonia, sed Romæ passos esse oportet.

Petri sententia haud verisimilis est.

DE S. DEVSDEDIT PAPA.

DEusdedit Rom. ex Subdiacono (quod nunquam antea factum fuerat) Põtifex post Bonifacium IV. creatus est anno sal. nostræ 614. Heraclio Imp. quo

quo tempore Cosdroas Persarum Rex Hierosolyma cum tota Palæstina, Ægypto, & Africa, vsque Carthaginem capta crucem Dominicam in Persidem asportauit. Hic vitæ sanctimonia, & doctrina conspicuus fuit. Tanta enim eius sanctitas fuit, vt osculo leprosum ab eo morbo liberarit. Extat apud Gratianū insigne de spirituali cognatione illius decretum, & fragmentū epistolæ ad Iordanem Hispanum Episcopum. Vixit in Pontificatu annos ferè 3. obijt 6. Idus Nouembris An.D.617. *Ex Martyrol. Rom. & Anastas. Biblioth. ac ex Plat. & Baron. in Annal.*

Cosdroas Persarū Rex.

Deusdedit osculo leprosum sanat.

ANNOTATIO.

Floruit eius nom. Pont. qui Adeodatus nominatur post S. Vitali anum, circa an D. 669. Constantino Pogonato Imp.

Nouembris die 9.

DE S. THEODORO MARTYRE BRVNDISII PATRONO.

Theodorus miles christianus Maximiano Imp. quòd Idolorum fanum incendisset apud Amasiam comprehēsus cum à Præfecto legionis pœna ei remitteretur: si facti pœnitens Christo renunciaret, ipseque in fidei professione constans persisteret, in carcerem mittitur, vbi Dominica visitatione roboratus, ac ad martyrium incensus: in equuleo suspenditur, ac vngulis ferreis excarnificatur tandiu, donec costæ nudarentur. Quo in supplicio lætus canebat dicens: *Benedicam Dominum in omni tempore.* Quare Publius Præses cum martyrem sua tormenta, & promissa despicere cerneret, illum in ardentem rogum inijci imperat: qui in oratione, & diuinis laudibus animam Deo reddidit 5. Id. Nouembris. Corpus ab Eusebia pia fœmina sindone inuolutum, & in suo prædio sepultum, postea Brundisium Salentinorum vrbem translatum ibi honorificè conditum est. Vbi dies festus vti præcipui eius vrbis tutelaris maxima celebritate agitur. *Ex Breu. Rom. & off Eccles. Brundisina.*

Theodorus à Domino visitatur.

In sæuissimo tormento lætus canit.

ANNOTATIO.

Metaphr. certamen scripsit à Sur. tom. 6. rel. & Græci in Menol. & Antholog. apud quos S. martyris memoria est celeberrima.

DE S. THEODORO MARTYRE VENETIIS.

Alter Theodorus apud Euchaitarum ciuitatem, & Heracleam Ponti sub Licinio Imp. passus est. Qui cum draconem homines, & iumenta deuorantem potius crucis signo munitus, quam armis interfecisset, ac multos ex ea vrbe miraculo ad Christum conuertisset, ad Imp. accersitus, eius Idola confregit. Quapropter carcere inclusus; cum Dijs sacrificare renueret, ad Christi Domini imitationem cruci clauis affigitur. Verum ab Angelo depositus, & curatus, cū Imp. eum in mare demergi iussisset, viuus, & sanus repertus est, quo miraculo, qui ab Imp. missi fuerant 80. milites in Christum credidere. Hæc vbi Licinius accepisset, in rabiem conuersus, misit milites multò plures, qui priores interficerent, Theodorumque ad se perducerent. Quod cum factum fuisset, illicò martyri caput iussit amputari 5. Idus Nouembris, Anno sal. 329. Corpus ibi sepultum, postea Constantinopolim, & inde Venetias delatum in æde S. Saluatoris collocatum est. *Ex eius pass. Venetijs edita. Ex Pet. lib. 10. c. 40.*

Draconem signo crucis interimit. Imper. Idola cōfringit. Theodorus cruci clauis affigitur, atq; ab Angelo deponitur, & curatur. In mare demersus viuus reperitur: eoque miraculo 80. milites in Christum credūt.

ANNOTATIO.

Cum multa in Actis huius (quæ egent censura) et in Actis alterius Theodori similia cõtineantur, præsertim cum Eusebiæ mulieris, & Euchaitarum ciuitatis, vtrobiq; mentio fiat, in mentem venit, aut hunc cũ illo eundem esse, aut Acta fuisse confusa. Neque refert, quod hic sub Licinio, ille sub Maximiano passus referatur. Nam Maximianus Galerius, & Licinius eodem tempore Imperio Orientis post Dioclet. præfuere.

DE S. AGRIPPINO EPISCOPO V. NEAPOLITANO, eiusdem vrbis protectore.

AGrippinus Neapoli natus, ac in christiana religione educatus, adulta ætate cum doctrina, & virtutibus præstaret (erat enim admirationi non tantùm ciuibus: sed etiam exteris) sacris initiatur ordinibus. Emicabant inter cæteras eius virtutes, pietas, castitas, & præcipua charitas: mortuis enim parentibus, facultates sibi relictas in pauperes erogare cœpit, & propriam domum in ecclesiam conuertit. Factus Sacerdos, multoque magis diuino cultui addictus, post Episcopi Neapolitani excessum in eius locum totius populi consensu subrogatur. Is clerum ad disciplinam ecclesiasticam reuocandum curauit, ac multis ordinatis Presbyteris, & Diaconis vrbem, in plures parœcias distinxit, vtque in illis Euangelium prædicaretur, instituit. Pauperum præcipuam curam gessit; quibus cum omnia sua distribuisset, ac ad summam inopiam deuenisset, à Fidelibus à Deo excitatis haud derelictus fuit. Multis à Dæmone expetitus insidijs (aliquando enim elegantissimæ fœminæ ei specie, vt ad libidinem eum prouocaret, apparuit) eas oratione, & patientia superauit. Denique: vbi populum verbo, & exemplo, ac assiduis concionibus pauisset, plenus dierum, & bonorũ operum, migrauit ad Dominum 5. Idus Nouembris. Cuius corpus in propria ecclesia sepultum, postea in ædem Cathedralem translatum est, multisq; claruit miraculis cum ad eius tumulum cæci, muti, claudi, & alij corpore vitiati, morbis insanabilibus curati sint, & ciuitas Neapolitana eius intercessione, apparitioneque vnà cum S. Ianuario à Saracenis obsessa Ioanne XIII. Pont. Maximo liberata, defensaque fuerit. *Ex eius vita Neapoli vnà cum vita aliorum vrbis Protect. edita.*

S. Agrippin. pauperum se dulus cultor.

Dæmonem tũm insidijs inuadentem, tũm ipsum ad libidinem prouocantẽ deuincit.

Ad eius tumulum innumeros morbos sanat.

Ciuitas Neapolitana à Saracenis liberatur.

ANNOTATIO.

Paul. Reg. Ep. Equen. parte 2. de SS. Regni Neapolit. plura eius miracula post mortem recenset.

DE S. AVRELIO EPISCOPO ARMENO MEDIOLANI.

AVrelius Redicianæ vrbis in Armenia Episcopus Basilij Magni syncronus, & amicus fuit. Is S. Dionysij Episcopi Mediolanensis in exilio defuncti in Cappadociæ, & Armeniæ finibus corpus sibi ab eodem Basilio commendatũ Mediolanum B. Ambrosio detulit. Qui Mediolani precibus eiusdem Ambrosij triennio commoratus (quo tempore ei maximo fuit adiumento) in morbũ incidit: ex quo breui animam in manibus ipsius Ambrosij Deo reddidit 5. Idus Nouembris, cuius funus idem S. Ambrosius curauit, corpusque in templo maiore sepelijt. *Ex Martyrol. Pet. Gales. & Tab. Ecclesi. Mediolan.*

Aurelius animam in manibus S. Ambr. Deo reddit.

A N-

ANNOTATIO.

*V*ixit *Damaso Pont. Max. De eo in vita S. Dionysij Episcopi Mediolanensis agitur, ac etiam in vita S. Ambrosij.*

Nouembris die 10.

DE SS. MARTYRIBVS TRYPHONE, RESPICIO, & Nympha Romæ.

Tryphon Eutychetis filiã obsessam à Dæmone liberat.

TRyphon cum Gordiano Imp. Romam euocatus Eutychetis nobilis Romani filiam à Dæmone obsessam liberasset, postea Decio Imperatore cum Christi fidem prædicaret, omnesque ad illius cultum perduceret, ab Imp. satellitibus comprehensus, primum equuleo torquetur, & vngulis ferreis dilaceratur: deinde sublimibus pedibus clauis candentibus confixus fustibus cęditur, & facibus ardentibus admotis aduritur. Quæ cum omnia fortiter ferentem Respicius Tribunus vidisset, ad Christum conuersus, se statim christianum esse palam confessus est. Qui & ipse variè cruciatus vnà cum Tryphone ad Iouis simulachrum pertrahitur: quod orante Tryphone mox concidit. Quapropter vterque plumbatis crudelissimè contusus martyrium nobilissimum 4. Idus Nouembris consumauit: qua die, & Nympha virgo eo miraculo quòd Iouis statuã ad Tryphonis orationem corruere viderat, ad fidem conuersa, cum Iesum Christum Deum verum publica, & clara voce testaretur ad virginitatem martyrij palmam adiunxit. *Ex Breu. Rom. & Pet. in Cat. lib. 10. c. 42.*

Aspera Tryphonis supplicia.

Tribunus cõuertitur.

Iouis simulachrum concidit.

Nympha virgo Christi fidem suscipit.

ANNOTATIO.

*M*agna de horum martyrum patria, & loco passionis dubitatio est, vt Baron. in Annotat. Martyrol. Rom. hac die testatur, Cum Graeci, & Latini Scriptores de re hac variè scribant, Graci in Antholog. solius Tryphonis meminere eum Nicaa sub Decio passum asserentes. Apamea in Phrygia natum, vt apud Metaphr. & S. Anton. 1. part. hist. tit. 7. c. 7. Alij in Saxonia, vt apud Pet. in Catal. Cum autem Saxonia vicus olim Roma apud Vaticanum fuerit; in quo Saxones à Kar. Mag. victi, et ad fidem conuersi habitarunt (vbi nunc xenodochium S. Spiritus celeberrimum est, & ecclesia S. Spiritus de Saxia adhuc nominatur, ibique ipsorum martyrum corpora sub altari maiore asseruentur, eos ibi passos, vel post passionem conditos fuisse verisimile est. De Nympha Baron. videtur sentire, quod eadem sit cum Panormitana (vbi illa hac die pracipuè colitur) sed cum Panormi corpus sua Nympha habeatur, huius verò in ecclesia S. Spiritus, actaque Nympha Panormitana ab actis huius valdè diuersa sint, hanc ab illa diuersam esse necesse est. Sed Tryphon de quo Graci die 1. Febr. vt apud Sur. tom. 1. prorsus diuersus est à Tryphone: de quo hac die cum Respicio, & Nympha: licet apud Pet. & alios Acta in aliquibus permixta videantur.*

Gemina Nympha.

DE S. PROBO EPISCOPO RAVENNATE VII.

Probus colũbę inditio Episcopus eligitur.

PRobus VII. Rauennæ Episcopus à S Apollinare, S. Proculo columba capiti eius cum eligeretur, cœlitus aduolante, successit. Multa is sanctitatis, & pietatis monumenta posteris reliquit: multos enim à Dæmone oppressos liberauit, & varijs morbis laborantes; quibus medela nulla artis humanæ succurri poterat, diuinitus curauit: templum in oppido Classensi ædificauit; in quo SS. Aderiti, & Caloceri corpora ab eo collocata sunt. Cum autem multis proecclesia

In expellẽdis Dæmonibus, & curandis infirmis egregiè excellit.

clesia sua exantlatis laboribus ad extremum vitæ terminum peruenisset, Angelorum agmen ad se venientium vidit, à quibus; cum diem obijsset in cœlum deductus est. Obijt autem 4. Idus Nouembris, An. sal. 175. Aurelio Anton. Imp. in æde à se Classe extructa sepultus. Cuius corpus postea in ædem Vrsianam à Petro V. eius nominis Episcopo translatum est. *Ex monum. Eccl. Rauenn. ac ex Hieronym. Rub. in Hist. Rauenn.*

Angelorum agmen ad se venientium videt.

ANNOTATIO.

VIxit in Episcopatu ad annos 33. sub Pio, Aniceto, Sotere, & Eleutherio Pontificibus, cui Datbus VII. Episcopus succ. De eo Pet. in Cat. lib. 10 c. 45.

DE S. BAVDOLINO EPISCOPO, ET PATRONO Alexandrino.

BAudolinus apud Forum in agro Alexandrino Luitprando Longobardorũ Rege sanctitate claruit. Is mortuis parentibus, patrimonium pauperibus distribuit; seque in proximam solitudinem recipiens orationibus vigilijs ieiunijs, rerũ cœlestium contemplationi, & alijs pijs exercitationibus vacauit. Fama autem sanctitatis illius peruulgata multi ad eum varijs morbis laborantes confluebant: in ijs Luitprandus Rex, vt nepoti, seu filio sanitatem impetraret. Plura viuens miracula patrauit; In quibus aliqua referre non pigebit: cũ victus ei aliquando in eremo defecisset, post orationem affuit cerua, lac plenis vberibus præbens; cum hospes ad eum venisset, nec haberet, quod ei in obsonium apponeret, anseribus præter volantibus præcepisse, vt ad se descenderet, easque paruisse traditur. Ad alterius item aduentum olera recens seminata subitò creuisse feruntur. Delatus apud Episcopum Derthonensem, & ab eo per nuncium accersitus, Burmidam flumen, quod aquis intumuerat, super pallio suo strato vnà cum nuncio mirabiliter traiecit: cum nauis nulla adesset. Quo miraculo Episcopus permotus illum Episcopalis officij adiutorem apud Forũ, & loca finitima adhibuit. *Ex Breu. antiq. Humiliatorum, Paulo Diac. lib. vlt. de Gest. Long.*

Baudolinus Luitprandi Regis filio sanitatem impetrat.

Lacte ceruæ recreatur.

Anseres ei obediunt.

Olera seminata subitò crescunt.

Burmidam flumẽ pallio suo traijcit.

ANNOTATIO.

SAncti Baudolini Episcopi memoria hac die maximè celebris est Alexandriæ Statiellensium: vbi corpus in propria ecclesia asseruatur: ac Fori olim Oppidi, nunc pagi agri Alexandrini Soleria, & Ouiliensi castro patria nostra proximi.

Antiphonæ III. in quibus præcipua S. Baudolini miracula narrantur, ex Humiliatorum Breu. excerptæ.

PRima. Baudolinus in hortulo serit semina: quibus superueniens viator famelicus sub ipsa hora natis vescitur, & obstupescit ad miraculum.

Secunda. Dum Derthonam pergit, vir Dei tunicam aquis stratam cũ nuncio Episcopi conscendens in nomine Domini Burmidam tunc vado insuperabilem, ac si naue vectus esset, incolumis pertransiuit.

Tertia. Ad iussa Baudolini veniunt anseres, ac dicto audiunt. Cerua potum plenis præbet vberibus. Magnificemus ergo Dominum, qui potens est, & in seruo suo Baudolino operatus est magnalia.

DE S. NYMPHA VIRGINE, ET PATRONA PANORMITANA.

Vide die 3. Septemb.

Nouembris die 11.

DE SS. MARTYRIBVS VALENTINO, FELICIANO, & Victorino Rauennæ.

VAlentinus, Felicianus, & Victorinus Rauennæ in Diocletiani, & Maximiani Imperatorum immani persecutione accusati; quòd Christum neglectis Dijs colerent, comprehensi, variéque tentati, vt propositum mutarent; cū in fidei confessione fortes perseuerarent, nec vllis aut promissis, aut minis ad Idolorum cultum reuocari possent; pœna capitis damnati martyrij palmam 3. Idus Nouembris adepti sunt, ac eorum corpora à christianis condita sunt. *Ex monum. & Tab. Eccles. Rauenn. ac ex Hieron. Rubeo lib. 2. de Hist. Rauenn.*

ANNOTATIO.

HI martyres ab alijs, etiam Rauenna in eadem passis; quorum nomina sunt, Valentinus, Solutor, & Victor; de quibus die 13. huius, diuersi sunt.

DE S. BARTHOLOMÆO ABBATE CRYPTÆ FERRATÆ apud Tusculum.

BArtholomæus Rosciani in Magna Græcia haud obscuris ortus parentibus, ab eis doctis viris instituendus traditur. Is à teneris à voluptatibus: quibus adolescentes indulgere solent, abhorrens, orationibus, ieiunijs, & lectionibus vacabat. Grandiusculus in monasterio S. Basilij litteras, & bonos mores, quibus æquales omnes superabat, edoctus, Caietam ad B. Nilum conciuem; cuius fama sanctitatis vbique vigebat, contendit: à quo monachali habitu indutus, sub illius disciplina ita vitam instituit, vt à Nilo vnicè diligeretur. Erat enim vigilijs, ieiunijs, precibus, & rerum cœlestium contemplationi maximè addictus, obedientia, humilitate, castitate, patientia, cæteros antecedens. Multa doctè & prosa, & versu scripsit: præsertim in laudem B.M.V. Magistrum Romam, deinde Tusculum secutus est. Vbi diutius commoratus, sic omnibus charus erat, vt Nilo defuncto, ei Abbas quanuis iuuenis subrogaretur. Factus Abbas Deiparæ virgini templum ædificare cœpit. Fama sanctitatis illius percrebescente, apud Principes maximo in honore habebatur. Accidit, vt Pontifex illius temporis in delictum graue prolapsus, & pœnitens Bartholomæum accerseret, quò facilius eius intercessione veniam à Deo impetraret. Qui non respiciens personam, ita peccati grauitatem exagerans obiecit, vt sponte se abdicare illum persuaserit. Erat in pauperes liberalissimus. Cum enim alendis egenis omnibus monasterij facultatibus insumptis, fames nec dum cessaret, Romam proficiscentem S. Gregorius Papa illi apparens ad monasterium redire coegit. Quò reuersus magnam frumenti copiam sibi à quodam ciue missam inuenit: eoque non tantùm monachos; sed & pauperes sustentauit. Denique multis clarus miraculis, & senio penè confectus, migrauit ad Dominum 3. Idus Nouembris. *Ex vita apud monachos Crypta Ferrata M.S. quæ etiam in Cron. Calabria continetur.*

Bartholomęus eximijs virtutibus excultus.

Bartholomęus Pontificem pergraui scelere maculatum acriter obiurgat.

Quanti Deus æstimet in pauperes liberalitatem.

AN-

ANNOTATIO.

Pontifex, qui sponte ob lapsum carnis authore Bartholomaeo abdicauit à se Pontificatum Benedictus IX. à nonnullis putatur: quem alij ob schisma renunciasse scribunt, ab alijs Clemens II. Sed hic vir fuit sanctissimus, nec Papatus renunciasse legitur.

DE S. MENNA SOLITARIO IN SAMNIO.

Mennas, qui & Menas, Solitarius in Samnio haud procul à Beneuento tempore S. Gregorij Papae vixit, miraque enituit sanctitate multis clarus miraculis, nam, vt S. Gregorius scribit, cum Longobardus quidam apes illius rapere voluisset, & correptus verbis ab ea cogitatione non desisteret, à Daemone vexatus est, ex quo non solum Incolae; sed nec Barbari ad eius cellulam accedere nisi humiliter audebant. Vrsos etiam, qui sylua egressi apes infestabant, ferula percutiens rugientes fugabat, eratque mira res, vt bestiae gladiū non reformidantes, leues ictus ferulę pertimescerent, cum is nihil possideret praeter paucas apes, ad eumque plures in dies aduenientes ad aeternae vitae desideria accenderet, vt ijs cibum ministrare posset, Incolae ei per vices statis diebus hebdomadae oblationes mittebant. In ijs quidam Cartherius nomine monialem abductam sibi matrimonio copulauerat, nec à S. viro correptus resipuerat. Is oblationem suam suo nomine non ausus mittere sciens illam Mennam non accepturum, eam aliorum oblationibus permixtam misit: quam tamen vir S. ab alijs discretam remisit dicens: *Oblationem suam omnipotenti Deo abstulisti, & mihi tuas oblationes transmittis? Ego oblationem tuam non accipio: qui suam abstulisti Deo.* Quae res omnes magno timore affecit, quia vir Domini etiam de absentibus iudicaret. Obijt autem diem suum 3. Idus Nouembris. *Ex S. Greg. Papa lib. 3. c. 26. Dialog.*

Apū raptor à Daemone vexatur.

Ferae baculū Mennae pertimescunt.

Munus Cartherij, qui sibi monialem in spōsam copulauerat, recipere recusauit.

ANNOTATIO.

Corpus S. Mennae in ciuitate Agathen. quae inter Capuam, & Beneuentum sita est, asseruatur. De eo Pet. in Cat. lib. 10. c. 49. ex S. Greg.

Nouembris die 12.

DE S. MARTINO PAPA, ET MART. I HVIVS NOMINIS.

Martinus Tudertī in Vmbria natus Theodoro successit in Pontificatu An. à Christo nato 649. Constante Haeretico Imp. Is initio Pontificatus litteris, & legationibus operam dedit, vt Paulum Patriarcham Constantinopolitanum ab haeresi, quae vnam tantummodo in Christo Domino voluntatem, & operationem asserebat, reuocaret. Verum ille Imperatore, qui eandem haeresim defendebat, fretus, eò amentiae progressus est, vt Apostolicae Sedis Legatos variè in Insulas relegaret. Quo scelere commotus Martinus coacto Romae concilio 105. Episcoporum illū condēnauit, & typū Imperatoris; quo contentioni inter Catholicos, & Haereticos silētium imponebatur, reiecit. Quapropter Imp. Olympium Exarchū in Italiam mittit: eiq; mandat, vt Pontificē aut interficiendū, aut ad se perducendum curet, Olympius igitur cū Romā venisset, mādat lictori, vt Pōtificē in basilica S. Mariae maioris celebrantē interficiat; q vbi lictor aggreditur, repētè caecus factus est. Ex quo tēpore (Olympio pace cū Pōt. inita, & in Siciliā aduersus Saracenos profecto) multę Cōstāti calamitates accide-

Martin⁹ Paulum Patriarcham Constantinopol. ab haeresi reuocare contendit.

Constantis Imp. haeresis typū reijcit.

Lictor Martinum interfecturus excaecatur.

runt: quibus nihilo melior factus Theodotum Calliopam ad vrbem mittens Imperat, vt Pontifici manus iniiciat; à quo Martinus per fraudem captus, & statim naui impositus Constantinopolim asportatur, clericis secum proficisci prohibitus, & ipso in terram descendere, licet podagræ morbo affligeretur. Detentus autem anno integro inter Cycladas insulas, si fortè ærumnis de sua constantia aliquid remitteret, Constantinopolim aduehitur, vbi cum tres menses absque sermonis alicuius participatione fuisset, falsis contra eum testibus receptis gladij morti adiudicatus, Pontificalibus exuitur vestibus, expositusque vrbis ludibrio, catenis vinctus in carcerem reducitur, quod cum Paulus morti proximus ab Imp. visitatus audisset, ingemiscens, & ad parietem conuersus, ait: *Hei mihi, & hoc ad iudiciorum meorum abundantiam actum est*, & ad Imp. *Nunquid non Domine miserabile est, talia pati Pontificem?* Imperator itaque his verbis emollitus Martinum in Chersonesum relegauit. Vbi, cum Romæ Eugenium clerus potius Vicarium, quam Pontificem creasset, S. Pontifex quasi biennium moratus, & ærumnis confectus martyrum compleuit Prid. Idibus Nouembris an. sal. 654. clarus miraculis (Constantinopoli enim cæco lumen restituit) & apud Græcos et celebris. Cuius corpus Romam relatum in ecclesia nomine S. Siluestri, & S. Martini dicta conditum est. Sedit annos 6. mensem 1. & dies 26. creatis duabus ordinationibus mense Decembri, Presbyteris 11. Diaconis 5. Episcopis 33. *Ex Breu. Rom. Anastas. Biblioth. Plat. Baron. in Annal. & alijs.*

Martinus varias patitur ærumnas.

Paulus ad Imperatoré.

Cæco lumen restituitur.

ANNOTATIO.

Onuphr. Panuin. in Cronol. Eccles. Martinum an. D. 647. creatum, defunctum verò an. 653. scribit, quod veriorib. supputationibus aduersatur: Obijt enim an. D. 654. apud Baron. in Annal.

DE S. DONATO CONFESSORE LEONTINO.

Donatus, antea Samuel appellatus Hebræorum Archisynagogus, à SS. fratribus Lepra mundatus ad christianam religionem conuersus est. Is Baptismo expiatus, & dictus Donatus diuinæ gratiæ thesaurum promere cœpit. Nam post S. Neophyti Episcopi discessum quicquid de rebus christianis à S. Tecla audiebat, Hebræis summo feruore prædicabat: ex quibus ex sua familia ad 1037. christianam fidem sua causa recepere. Factus Sacerdos Azianorum Parochus efficitur. Cum verò omnibus virtutibus fulgeret, abstinentia præsertim (nunquam enim carnem, nunquam vinum, neque oleum degustauit) ad cœlestes sedes euolauit Pridie Idus Nouembris anno ætatis 68. *Ex officijs Eccles. Leontinæ Romæ nuper approbatis.*

ANNOTATIO.

De eo in tota diœc. fit commemor. & in propria Eccles. solemniter celebratur.

Nouembris die 13.

DE SS. MARTYRIBVS VALENTINO, SOLVTORE, & Victore Rauennæ.

Valentinus, Solutor, & Victor Rauennæ in persecutione Diocletiani, & Maximiani delati christianæ religionis & comprehensi, cum nulla ratione Dijs immolare vellent: licet variè tentati; denique ob fidei confessionem, interfecti martyrio coronati sunt, Idibus Nouembris. Quibus à christianis tumula-

mulatis, postea templum apud portam Anastasiam haud procul ab æde S. Ioannis Baptistæ ædificatum est. Passi sunt, quo tempore S. Victor Mediolani iussu Maximiani obtruncatus fuit. *Ex monum. Eccles. Rauenn. & Hieron. Rubeo libr. 2. Hist. Rauen.*

ANNOTATIO.

V*Alentinus hic diuersus est ab eo: de quo die 11 Iunius, & ab alio: de quo die 16. Decemb. in eadem Eccl. Rauenn. agitur.*

DE S. NICOLAO PAPA I. HVIVS NOMINIS.

Nicolaus Rom. Diaconus Benedicto III. Pontifex inuitus Anno sal. 858. subrogatur: cum enim absens à reliquo clero se in Pontificem electum accepisset, fugit, & in basilica Vaticana delituit: Verùm inde abstractus onus subire coactus est. Eum Ludouicus Imp. qui audita Benedicti morte Romam redierat, humiliter pedis exosculatione veneratus est, Nicolaus initio Pontificatus Hamburgensem Archiepiscopatum Bremensi, cui præerat S. Anscharius, copulauit, vt contentionem inter Coloniensem, & Bremésem Episcopos tolleret. Ioannem Episcopum Rauennatem, qui delatus multorum ad synodum citatus venire contempserat, fidelium communione priuauit; donec pœnitentem, & obedientem restituit, Photium Patriarcham Constantinopolitanum ex laico Bardæ fauore intrusum Ignatio iniustè damnato, & eiecto, nunquam confirmare, & ad communionem admittere voluit: atqui illum tandem depositum anathemati subiecit: licet is anathema in Pontificem retorquere ausus fuerit. Episcopum Metensem vnà cum synodo, quod Theupterga regina Lotharij vxore iniquè damnata matrimonium soluisset. Hincmarum Rhemensem Episcopum, nisi Rhotaldum Episcopum suffraganeum restitueret, suspendit. Rodoaldum Episcopum Portuensem, qui functus legatione in Oriente, & in Gallijs corruptus pecunia prævaricatus fuerat mandata Pontificia, coacta synodo Episcoporum, citatum, nec comparentem damnauit. Lotharium Regem ad vxorem recipiendam, & pœnitentiam agendam compulit, Hoc Pontifice Bulgari ad Baptismum perueniunt missa Romam legatione. Græci à Photio concitati multa latinæ ecclesiæ obijciant: quibus omnibus Nicolaus egregiè respondit; qui tandem, Deo ad assiduas Nicolai preces ecclesię propitiante, extinctis impijs Barda, & Michaele, eijcitur, Ignatio sanctissimo viro suæ sedi restituto. Deniq; tot laboribus pro Dei ecclesia, & Ecclesiastica libertate exantlatis Nicolaüs inter Laudatissimos Pontifices censendus, cum ecclesiæ præfuisset annos 10. menses 6. migrauit è vita An. sal. 867. *Ex Anastasio Biblioth. qui sub hoc Pont. floruit.*

Nicolaus Pótifex electus fugit.

Ioan. Episcopum Rauennatem communione fidelium priuat, Photium Patriar. Constátinop. neque confirmare, nec ad communionem admittere voluit.

Episcopos Metensem, ac Rhemensem suspendit. Rodoaldum Episcopum Portuen. dánat.

Bulgari ad pœnitentiam perueniunt. Nicola' Græcis obijcientibus respondit.

ANNOTATIO.

P*Latina in vit. Pont. annos tantum 7. & menses 9. Nicolao tribuit quem Panuin. in Fast. Eccles. sequitur: sed Anastasio magis credendum est, & Baron. in Annalib. Hoc Pont. corpus S. Clementis ex Chersoneso Romam delatum, & in propria conditum ecclesia tradit Plat.*

DE S. HOMOBONO CONFESSORE, ET PATRONO Cremonensi.

Homobonus Cremonæ patre natus mercatore, & ipse mercaturã exercens, pietatis tamen opera non prætermisit. Factus grandior, vt patri morem

gereret, vxorem duxit; sed cum ea castissimè vixit. Mortuis parentibus, opes mercimonio maximè auctas cœpit pauperibus distribuere, vxore eius submurmurante. Horis canonicis etiam nocturnis semper interetat, & cum aliquando æditiuus ad ecclesiæ portas reserandas tardior fuisset, illæ sibi diuinitus patefactæ sunt. Aliquandò etiam cum maxima Cremonæ fames vigeret, ab ecclesia domum reuertens cophinum panibus plenum inuenit; quos cum pauperibus diuisisset, tantumdem nihilominus maioris saporis, & candoris in arca reperit. Ex multis prædijs, vix vnum, & illud quidem exiguum sibi reseruauit, cœteris in pauperum necessitates erogatis. Illud planè mirandum inter cœtera eius acta narratur; quòd cum vinum vineæ cultoribus deferret, illudque in via pauperibus occurrentibus dedisset, vasa aqua repleuit: quæ cum à se benedicta laborantibus porrexisset, illi non aquam; at vinum optimum degustarût. Nec verò tantùm in huiuscemodi charitatis officijs, vt pauperes, pasceret, operiret, ac ægrotantes inuiseret, versabatur: sed & si quos alicui vitio deditos cerneret, aut à fide deuios vidisset, quasi aberrantes ad rectum iter reducere studebat. In oratione ita assiduus fuit, vt & inter orandum expirauerit: nam cû post matutinas horas missam attentius audiret, ac manus ad *Gloria in excelsis Deo*, attolleret, vt erat genuflexus animâ Deo reddidit, à nemine cognitus quòd expirasset, nisi cum illum ad Euangelium non surgere vidissent, obijt Idibus Nouêbris An. virginei partus 1097. Ad cuius funus cæci, claudi, muti, alijque diuersi generis infirmi diuinitus sanati sunt. Corpus in templo maiore summa religione asseruatur. *Ex eius vita typis excusa, apud Pet. in Cat. lib. 10. c. 56. & Sur. to. 6.*

Homebono fores Ecclesiæ diuinitùs patefiunt.
Cophinum panum inuenit plenum.
Prædia pauperibus distribuit.
Aquam in vinum transmutat.
Inter orandû expirat.
Ad funus gloriosa effulgêt prodigia.

ANNOTATIO.

Illum in SS. numerum retulit Innocentius III. Pont. Max. Anno D. 1198. Prid. Idus Ianuarij.

DE S. PATERNIANO EPISCOPO, ET PROTECTORE Fanensi.

Vide die 10. Iulij.

DE S. FLORIDO EPISCOPO, ET PATRONO Tifernensi.

FLoridus Tiferni religiosis parentibus ortus, illis orbatus, se, suaque ecclesiæ obtulit. In clericorum numero adscriptus, breui Diaconus creatus, Perusiam, quo tempore Totilas ferro, igneque omnia vastabat, vnà cum Amantio Presbytero ad Sanctum Herculanum Episcopum, venit: à quo benignè exceptus Presbyter ordinatus est. Tudertum ad S. Fortunatum Episcopum pro nonnullis negotijs missus, in via apud Pantallam rusticum à Dæmone agitatum liberauit, quo miraculo Incolæ, Fanum cum Idolo Panis, quem colebant, incenderunt. Capta interim Perusia, & Sancto Herculano obtruncato, in patriam penè iacentem redijt: quam ciues ad pœnitentiam hortatus reædificandam curauit Castellum appellatam; quòd longè minor esset, quàm fuerat. Totila autem à Narsete Patricio ab Italia profligato, Episcopatum vrbis suæ à ciuibus oblatum respuit. Sed Romam ad Episcopum impetrandum missus, à Pelagio Pont. Max. (à ciuibus per litteras secretò scriptas postulatus) Episcopus Tifernensis inuitus consecratur. Factus Episcopus, illud maximè accurauit, vt populum alimonia spirituali pasceret, ac pauperes suis facultatibus susten-

Floridus rusticum obsessum liberat.
Tifernum reædificatur. castellumq; nuncupatur.

sustentaret. Romam à S.Gregorio Papa vnà cum B. Amantio accersitus, cum inde in patriam reuersus esset, sanctitate, & miraculis cœpit coruscare. Cum rustico maxima febre laboranti rogatus manus imponere renuisset, se indignũ asserens, qui sanitatis gratiam alicui impetraret, is cum faciem, & caput suum aqua, in qua Floridus manus abluerat (eo inscio) aspersisset, statim conualuit. Quod tamen S. Episcopus non suis meritis, sed maximæ ægrotantis fidei tribuendum dicebat. Eo miraculo peruulgato Eques quidam Eugubinus maximo oculorum dolore affectus ad Floridum veniens, vbi ex poculo sibi ab Episcopo tradito eos lauisset, protinus sanatus est. Cum autem diœcesim visitaret, pleurisi correptus, in vrbem relatus, ad quem Laurentius Episcopus Aretinus per quietem his verbis excitatus; *Laurenti festina, quia Floridus migrat*, accurrit, vnà cum Habentio Episcopo Perusino, & Leontio Episcopo Vrbinate. A quibus sacro viatico accepto Idibus Nouembris obdormiuit, in ecclesia, quã à fundamentis ædificare cœperat, sepultus, clarus etiam post mortem miraculis. *Ex monumentis Eccles. Tifernatis.*

Rusticus febre laborans sanatur.

Eques oculorum dolore affectus curatur.

Plures Episcopi ad eius obitum accurrunt.

ANNOTATIO.

Eius mem. S.Greg. Papa lib. 3. c. 35. Dialog. *sanctitatis eum commendans, vbi de S. Amantio Presbytero agit. De quibus simul hac die Ecclesia Tifernen. memoriam, natalemue anniuersaria celebritate recolit.*

Nouembris die 14.

DE S. IVCVNDO EPISCOPO BONONIENSI IX.

Iucundus Episcopus IX. & penultimus eorum quos Bononia SS. veneratur post S.Tertullianum eam ecclesiam administrauit, circa annum sal. 485. quo tempore Theodoricus Gothorum Rex paulò post Odoacre Rege deuicto vniuersæ dominabatur Italiæ. Eo Episcopo monasterium S. Barbatiani Bononiæ constructum putatur. Vixit in Episcopatu, vti coniectari licet, ad annos 15. quibus ecclesia piè probeque administrata, ad supernas sedes euolauit 18. Kal. Decembris. Corpus in æde S.Felicis conditum asseruatur. Eius autem memoria hac die celebratur. *Ex monum. Eccles. Bononien. à quib. Karol. Sigon. in libr. de Epp. Bononiens.*

ANNOTATIO.

Vixit S. Iocundus siue, vt alij scribunt Iucundus Felice III. & Gelasio I. Pontificibus. Hi enim Pontificatum tenuere, Odoacre primum deinde Theodorico Italiæ imperante. Quæ egerit ignoratur; cum acta SS. Epp. Bononien. ferè omniũ desiderentur. Baron. Episcopum X. cum in Annotat. facit, sed apud Sigon. IX. est.

DE S. ANTIGIO EPISCOPO BRIXIENSI.

Antigius XXIX. Episcopus Brixiensis S. Deusdedit in Episcopatu proximè successit, vir planè cœlestis, vt nomine ipso iudicatur, qui aduersus vitia strenuè decertans vitam immaculatam, & nomini suo congruẽtem duxit. Ne aũt in regimine sibi errare aliquando cõtingeret, nil arduũ absq; periculũ, & proborũ consilio agebat. Illud aũt ex Euãgelio: *Quis putas est fidelis seruus, quẽ constituit Dominus super familiam suam?* i. ó semel secũ recogitans, flensq; dicebat, *va, va nobis.* Tãdẽ post diutinos labores, ex hac vita ad illã perennẽ in cœlos euola-

Antigi* Prælationem maximo in discrimine versari plorat.

euolauit 18. Kal. Decembris. Ferunt enim eum in SS. martyrum Faustini, & Iouitæ translatione orando expirasse, vultu quasi vino sanguineue illius rubescente: ac SS. martyribus ei locum concedentibus. Corpus in æde S. Faustini quiescit. *Ex monumentis Eccl. Brixien.*

ANNOTATIO.

Vixit S. Antigius, vt nonnullis videtur, circa an. D. 682. Ex quo translationi SS. Faustini, & Iouitæ, quæ anno D 800. celebrata est, eum interfuisse impossibile est: nisi plures SS. horum martyrum translationem factam fuisse dicamus. De eo quantum ad tempus attinet, infra in S. Euasio. Quod proximè S. Deusdedit successisse dicitur, intelligendum est secundum Epp. SS. Seriem. Nam si S. Antigius vixit post Rampertum, plures Episcopi non SS. inter Deusdedit, & ipsum intercessere.

DE S. ANDRONICO EPISCOPO VERONENSI.

Andronicus Episcopus Veronæ XXVI. inter SS. Saluinum, & Simplicium Veronensem rexit ecclesiam. Vir admirabili sanctitate, doctrinaque multiplici; quam miraculis viuens decorare visus est. Cum autem ecclesiæ suæ aliquot annos egregiè præfuisset, S. Simplicio sede relicta migrauit in cœlum, 18. Kal. Decembris in æde S. Stephani tumulatus. *Ex monument. Eccl. Veronen. & lib. toties memorato Aug. Valer. Episcopi Veronen.*

ANNOTATIO.

Quo tempore vixerit haud scire potui: sed si Simplicius successor circa ann. D. 500. floruit, facilè coniectari possumus, quo tempore, & hic sederit.

DE S. VERANO EPISCOPO ALBINGAVNI PATRONO.

Veranus draconem intrà viscera terræ clausum obstruit.

Ægrotos, atque à Dæmone obsessos liberat.

Brachium latronis Veranum occidentis in altum eleuatu obriget.

Fores basilicæ S. Petri ei vltrò reserant.

Rauennæ obsessos permultos, & ægrotos sanat.

Mediolani 12. energumenos curat, cæcum lumini

Veranus apud Gaualitanam vrbem nobili loco natus, humanis primùm, deinde diuinis litteris imbutus: clericus inuitis parentibus fit Mimatensis Ecclesiæ. Factus postea Sacerdos, cum propter signa, quæ ab eo fiebant, multi ad eum confluerent, vt mundi gloriam vitaret, ad vrbem Gaualitanam venit: vbi ingentem draconem homines, & pecora deuorantem, & antro oratione extractum, seque quasi catellum sequentem intra terræ viscera clausum obstruxit, ecclesia Dei genitricis nomine in eo antro extructa; in qua aliquandiu Deo vacauit. Sed cum diuinæ contemplationi propter aduenientium multitudinē, vacare non posset, inde Romam profecturus Ebredunum venit, vbi multos ægrotos, & à Dæmone obsessos liberauit. Alpibus superatis incidit in latrones; qui illum cum socijs expoliatum etiam interficere volebant: Sed dum vnus ex illis strictum ensem super caput Verani vibraret, brachium illi in aere extēsum ita obriguit, vt nullam in partem flecti posset, donec eo miraculo perterriti veniam humi prostrati deprecantes cuncta restituerent. Vbi Romam peruenisset, eique nollet noctu ostiarius basilicam S. Petri aperire, fores illi diuinitus reseratæ sunt. In patriam rediens Rauennæ obsessos complures, & ægrotos sanauit. Idem præstitit Mediolani, vbi 12. energumenos curasse, cæco visum restituisse, & mortuum suscitasse legitur. Inde Albingaunum veniens pluuiam post diutinam siccitatem agris christianorum impetrauit, quod cum Idolatræ vidissent, & ipsi ad Christum conuersi, & templa Deorum demoliti pluuiæ participes effecti sunt. Ibi etiam draconem à quibusdam adoratum è specu edu-

ctum

ctum, in flumenque præcipitatum demersit. Quibus miraculis totam ad Christum perduxit ciuitatem. In transitu Alpium puellam defunctam vitæ restituit; cæcum ita natum illuminauit; aliosque plures sanauit infirmos. Reuersus ad vrbem Gaualitanam, aliquandiu in æde S. Mariæ à se dudum extructa habitauit, quoad defuncto Episcopo Gaualitano illi suffectus est. Quo munere Episcopali præclarè administrato tandem 3. Idus Nouembris cessit è vita. Omnibus ægris, qui loculum tetegerunt, sanatis. Cum verò ciues, an in Cathedrali ecclesia, vel in ea, quam ipse ædificauerat sepeliendus esset, disceptarent, pallium, quo corpus tegebatur, eleuatū in aere funus præcedebat donec ad Druentiam flumen deuentum est, quòd diuinitus siccatum omnes traiecisse ferunt, pallium autem populum cum funere præcedens ad S. Mariæ ecclesiam substitit; ibique corpus honorificè fuit tumulatum: quod aliquando Albingaunum delatum ibi in maxima habetur veneratione. *Ex monum. Eccles. Albinganen. & Pet. in Cat. lib. 10. c. 1.*

restituit, mortuumque exsuscitat. Pluuiam in longa siccitate impetrat. Draconē in flumen mergit. Puella defuncta excitatur cæcus illuminatur, ægrotiq; sanātur. Ægri loculum tangentes sanantur. Flumen siccum exequijs locū præbet.

ANNOTATIO.

Duo circa historiam S. Verani apud Petrum loco citato corrigenda videntur: vnum quidem circa locum, alterum circa tempus. Circa locum pro apud vrbem Gaualitanam, scribendum videtur vrbem Cauellicensem, seu Cauellicensium, vel etiam Cabellicen. (tot enim modis dicitur) est autem hac vrbs in Auenionensi Prouincia, Cabellio Latinis; sed vulgò Cauaillon dicta. Vrbs verò Gaualitana, quæ & Mimatum dicitur, ac vulgò Mande, *apud Aruernos longè abest à Druentia fluuio apud quem ciuitas, cuius S. Veranus fuit Episcopus, sita est, circa tempus: quia Veranus Episcopus Cauellicen. circa an. D. 588. vixit, cum concilio Matisconen. anno interfuerit, non ergò vixit sub Valente imp. qui an. D. 378. a Gothis victus viuus concrematus fuit, cum diu Ecclesiam Catholicam vexasset.*

Fuit, & Veranus sanctitate, ac doctrina celebris Episcopus Venciensis, S. Hilarij Episcopi Arelatensis discip. qui ex monacho Lerinensi factus fuit Episcopus Vencien. (quæ c. est in Alpibus maritimis, à Ptol. lib. 3. Italiæ attributa. Qui miraculis clarus 4. Ians Septemb. obdormiuit, & colitur.

Alius Veranus.

Nouembris die 15.

DE S. FELICE EPISCOPO NOLANO, ET MARTYRE.

Felix Nolæ in persecutione Diocletiani, & Maximiani Imperatorum; cum christianam religionem coleret, & adhuc annorum 15. miraculis coruscaret, indeque apud factus Episcopus apud Marcianum Præsidem Campaniæ delatus iussu illius comprehenditur, ab eoque vnà cum alijs 30. christianis ob fidei christianæ confessionem capitis abscissione martyrio coronatur, 17. Kal. Decembris. *Ex Vsuard. Adone Martyrol. Rom. & alijs. De eo etiam Pet. in Catal. lib. 10. c. 65.*

ANNOTATIO.

Hic ab alio Felice Episcopo Nolano; qui ibi die 14. Ianuarij vnà cum S. Felice Presbytero, & mart. colitur diuersus est: Ille enim confessor, hic martyr est.

DE S. LVPERIO EPISCOPO VERONENSI.

Lvperius Episcopus Veronæ XXXV. inter SS. Cerbonium, & Maniumilli præfuit ecclesiæ. His doctrina, multiplicique rerum cognitione clarus,

singulari prædictus fuit charitate: qua viduarum, & pupillorum patrocinium, & pauperum curam suscepisse traditur, vt illorum patronus, & pater pius diceretur. Migrauit è vita 17. Kal. Decembris; qua die eius memoria celebratur, in æde S. Proculi sepultus. *Ex monum. Eccl. Veronen. & lib. de SS. eiusd. Eccles. ab Aug. Valer. Episcopo ed.*

Luperi[*] pauperum patronus, ac pius pater dicitur.

ANNOTATIO.

CVm hic S. Episcopus S. Cerbonio, qui S. Annoni successit, subrogatus fuerit, circa ann. D. 800. vixisse videtur: nam S. Anno circa an. 761. floruisse traditur.

Nouembris die 16.

DE S. FIDENTIO EPISCOPO PATAVINO.

FIdentius III. Patauij Episcopus S. Maximo successisse traditur circa An. à Christo nato 166. Pio Papa, Imperatoribus M. Aurelio, & Lucio vero, Ecclesiam Patauinam in ea temporum acerbitate; cum in christianos sub illis Imperatoribus persecutio commota fuisset, mira patientia, & sanctitate administrauit, atque in pace quieuit 16. Kal. Nouembris. *Ex antiq. monum. Eccles. Patauinæ, à quib. Bernardin. Scardeon. lib. 2. classe 6. de Antiq. vrbis Patau. accepit.*

ANNOTATIO.

IN Tab. Eccles. Veronen. hac die de S. Fidentio Episcopo, & mart. agitur; cum Patauij non mart. sed Confess. celebretur. Sed errandi occasionem præbuisse videtur Pet. in Cat. lib. 10. c. 66. Vbi Fidentium Episcopum Armenum Aitini sub Maximiano Imp. martyrio coronatum, & Patauij sepultum ecclesia suo nomini extructa scribit. Qui passionem describens ait, eum primum quòd Deos Dæmonia appellaret, carcere inclusum, ac suspensum vngulis ferreis excarnificatum, quo ad ossa nudarentur: inde in carcere iugulatum: sed noctu à Christo Domino visitatum, ac sanatum, multosque ibi albis vestibus indutos psallentes visos, & auditos fuisse. Fidentium autem solum repertum, fame diu afflictum, cum Dijs nullo pacto sacrificare vellet, iubente Præfecto in ignem iniectum, orando spiritum emisisse; cum tamen corpus abs que inuiolatum videretur. Idque 16. Kal. Decembris accidisse. Addens, quod cum in villa pulueraria corpus lateret, ab Episcopo Patauino, & clero, eò à duobus bubulcis, qui ter cælesti voce moniti fuerant, deductis effossa terra inuentum cum huiuscemodi inscriptione. HIC EST CORPVS S. FIDENTII EPISCOPI, ET MARTYRIS. nauique imposit um apud Patauium cum eadem arca delatum ibi apud ecclesiam S. Thomæ in villa Campaniæ conditum fuit ecclesia eius nomine ædificata. Quæ Ecclesiæ Patauinæ monumentis consona minimè sunt. Cum illa Fidentium suum Episcopum, illumque confessorem agnoscant. Sed fortè hic alius ab illo est; de quo tamen nihil in Tab. dictæ ecclesiæ.

Alterius Fidentij gesta ex Petro.

Nouembris die 17.

DE S. EVGENIO DIACONO, ET CONFESSORE Florentino.

EVgenius Florentiæ natus S. Zenobij Episcopi Diaconus, & discipulus fuit. Is à S. Ambrosio in sacris litteris eruditus, & Subdiaconus ordinatus dignum se tanti doctoris discipulum exhibuit. Erat enim non solum doctus, sed

&

& prudens humilis, diligens, constans, & in orando assiduus. De quo idem S. Ambrosius ad Marcellam virginem, & Eugenij sororem scribens præclarum habet elogium: ait enim: *Imitare Eugenium, sequere illum, & instituta illius obserua; quia disciplina eius prudens, & cœlestis est.* Cum S. Ambrosius secum Eugenium Florentiam duxisset illum S. Zenobio concessit; à quo annum agens ætatis 31. Diaconus ordinatus fuit. Insignis miraculi particeps extitit: cũ enim puer, qui matri suæ vnicus erat, à prætereunte curru perfractus expirasset, ad S. Zenobium delatus, eius, Eugenij, & Crescentij Subdiaconi precibus mirabiliter vitæ restitutus est. Cum grauiter ægrotaret, & quod quidam eius propinquus quem diligebat, absque pœnitentia decessisset, maximè tristaretur: S. Zenobius re cognita aquam benedixit, qua Eugenius propinquum defunctum aspergeret; quo facto repentè is ad vitam rediit. Eugenius autem domum reuersus, lectumque repetens, morbo ingrauescente breui, præsentibus SS. Ambrosio, Zenobio, & Crescentio, diem, quem prædixerat, obijt 15. Kal. Decembris. Anno à partu virginis 422. in æde S. Saluatoris sepultus. *Ex monum. Eccles. Florentina, ex vita S. Zenobij. Vitam refert Siluan. Ratius mon. Camaldul. in lib. de SS. Hetruria.*

D. Amb. de S. Eugenio elogium.

Vnicus matris fil.⁹ mortuus vitæ restituitur.

Defunctus absque pœnitentia aquæ benedictæ aspersione resurgit.

ANNOTATIO.

Eugenium biennio ante S. Zenobium obijsse ex actis colligitur. Verum qui potuit S. Ambrosius præsens esse, qui an. sal. 397. obijt? neque dici potest illum præsentia spiritus adfuisse, cum Zenobius & Crescentius adhuc viuentes corpore præsentes fuerint. Deinde oportuisset Ambrosium pluries Florentia transijsse; ibique demoratum esse. Censura igitur historia hæc indigere videtur.

Nouembris die 18.

DE S. FRIGDIANO EPISCOPO LVCENSI.

Frigdianus Lucensi præfuit Ecclesiæ, paulò ante quam Sanctus Gregorius ad Pontificatum eueheretur, Venantij Episcopi Lunensis contemporaneus. Is eximia fulsit sanctitate, miraculorum gloria maximè conspicuus: in quibus illud valde admirandum fuit. Cum enim, vt Sanctus Gregorius scribit, Auseris fluuius haud longè à Lucæ mœnibus fluens alueũ egressus per agros effunderetur, & sata euerteret: nec tanto malo, cum diu frustrà à ciuibus laboratum esset, occurri posset, Sanctus Episcopus rastro paruulo sibi facto ad Auseris alueum accessit, eique, cum solus orasset, præcepit, vt se sequeretur. Mox (mirabile dictu) vt Frigdianus per terram rastrum trahere cœpit, fluuius alueo egressus, quacunque vir Dei rastrum ducens pergebat, sequebatur. Quare priore alueo relicto, per alium à Frigdiano designatum, à quo non egrederetur, neque sata obrueret, ex eo tempore fluere cœpit. Obijt, autem Sanctus Episcopus, 15. Kal. Aprilis, sepultus in æde, quam Sancto Vincentio ipse construxerat. 14. Kal. Decembris, in propriam ecclesiam translatus. *Ex Tab. Eccles. Lucen. & Sancto Greg. Papa, lib. 3. cap. 9. Dialog. & Pet. in Cat. lib. 10. cap. 78.*

Miraculum de Ansere fluuio ad Sancti Frigdiani iussum reuertente prodigiũ.

A N-

ANNOTATIO.

Ferunt enim fluuium nunc Sarculum appellari, à sarculo, quo ei S. Frigdianus alueum designauit. De quo S. Frigdiano nihil Lucæ ea die: sed eius natalis seu memoria hac die duntaxat celebratur.

DE S. PEREGRINO MARTYRE APVD BOMINIACVM.

S. Peregrinus Rege patre nascitur. Ob cœleste temporale regnū deserit. Mendicans pane cœlitus reficitur. Mulieri panis multiplicatur. Venit ad B. Turium. A latrone interficitur. Latro excæcatur, & immobilis fit. Fr. S Peregrini illum sepelit. Innoc. IV. Pont. Max. illum in SS. refert. Ecclesia illi dedicatur.

PEregrinus in Gallia Regia stirpe natus, cum fratre de Regni successione cōtendens ab Angelo, vt relicto temporali Regno cœleste peregrinando, in Italiam quæreret, in somnis admonetur. Qui cœlestibus monitis obtemperās in Italiam venit, victum ostiatim quærens. Repulsam apud Ticinum passus, quasi iuuenem sanum mendicare dedeceret, ab alto panem accepit, à quodam eductus vrbem ingratam inclamente, statimque disparente. Cum in Vmbriam apud Nursiam deuenisset, panemque a muliere paupere postulasset, dū illa frustum panis, quod in arca reliquerat, acceptura, Peregrinoque datura arcam aperit, eam panum plenam maxima cum admiratione inuenit. Inde digressus ad montem; in quo B. Turius vitam solitariam agebat, peruenit, a quo perhumaniter acceptus paulò post in vallem Miniaci agri Aquilani descendit. Vbi cum in sacra ædicula constitisset, à latrone, qui peram Peregrini in ea pretiosa contineri ratus auferre gestiebat; gladio in gutture percussus interijt, percussore illicò excæcato, immobiliq; facto, & sanguine iugiter ex vulnere manante, quoad Rex de fratris nece diuinitus, certior factus, de latrone pœnas sumpsit, fratremque propè eum locum honore condigno tumulandum curauit. Innocētio IV. Sum. Pont. Qui S. martyrem: ob crebra miracula ad eius tumulum perpetrata, in sanctorum album retulisse traditur. 8. Idus Maij. Ecclesia; in qua corpus illius asseruatur, suo nomini dicata apud Bominiacum Castrum prædictæ vallis visitur, ex eiusque reliquijs vna Romæ in basilica SS. Cosmæ, & Damiani haberi dicitur. *Ex quodam M. S. Aquila ad nos transmisso.*

ANNOTATIO.

Acta vitaque S. Peregrini corrigenda.

CItatum M. S. in multis indiget emendatione. Inuerisimilia enim continet, & inter se pugnantia: quale illud est, quod S. Peregrinus Karoli Magni frater fuerit, vixeritque Innocentij IV. Pont. Max. tempestate: quodque Karolus Mag. ex Gallia ad mortem fratris vlciscendam, eumque sepeliendum aduolarit.

Nouembris die 19.

DE S. PONTIANO PAPA, ET MARTYRE.

Pontiani institutiones.

POntianus Rom. post S. Vrbanum Alexandro Imp. Pontificatum gessit. Is fertur instituisse, vt Psalmi in ecclesia canerentur, & à Sacerdotis cōfessione missa inchoaretur. Ab Alexandro propter christianæ fidei confessionem in Sardiniam Insulam cum Hippolyto Presbytero relegatus: pro Christo multis calamitatibus afflictus, iussu Maximini (qui Alexandro succedens persecutionem in christianos excitauit) fustibus mactatus martyrium consummauit 13. Kal. Decembris Anno sal 238. & I. Maximini Imp. Cum sedisset annos 4. menses 4. dies 25. ac ordinatione bis mense Decembri habita, Presbyteros 6. Diaconos 5. & Episcopos 6. creasset, per diuersa loca. Corpus cum triennio in Sardinia fuisset, iussu Fabiani Papæ adhibitis clericis, & nauigio Romam deportatum via Appia in cœmeterio Callisti sepultum est. *Ex Brev. Rom. & Annal. Baron.*

AN-

ANNOTATIO.

Damasus Pontiano annos 9. menses 5. Pontificatus tribuit. Euseb. lib. 6. c. 20. Hist. Ecclesiast. 6. Idem in Cron. 5. cum Mariano Scot. Plat. Damasum sequitur. Panuin. sequitur Eusebium. Idem Panuin. secutus Damasum, Pontianum naturali morte decessisse scribit: sed Breu. Rom. quod sequi debemus, aliter habet. Est, & discrimen inter Breu. Rom. & Martyrol. circa Presbyterum socium S. Pontiani in exilio. Baron. in Annal. putat Pontianum ab Alex. alia de causa, quàm causa fidei in exilium deportatum; sed in hoc apertè Breu. Rom. contradicit. Fara lib. 1. de Reb. Sard. haud circa tempus, cum Baron. in Annal. conuenit: nam ille Pontianum passum tradit an. D. 236. hic verò an. 238.

DE S. PHILIPPO PRESBYTERO.

Philippus Presbyter Rom. in Insulam Sardiniæ vnà cum S. Pontiano Papa iussu Alexandri deportatus, & ipse pro fidei confessione afflictus ibidem obdormisse putatur in Bucina insula; quam Incolæ Tholaram vocant: tametsi dies obitus ignoretur. *Ex pass. S. Pontiani.*

ANNOTATIO.

In Breuiario Rom. nuper sub Clem. VIII. Pont. Max. reformato pro Philippo, Hippolyto legitur. Sic in postrema editionis Martyrologij habetur: Sic in Addit. ad Vsuardum scriptum est. In antiquis tamen Martyrolog. & Breuiar. apud Damasum in Pontificali (si tamen is liber est Damasi, cum id in dubium maximè apud Baron. reuocetur) et apud Scriptores rerum Sardicarum præsertim apud Franc. Faram Presbyter qui cum Pontiano Papa in exilium amandatus est, Philippus vocatur. Qua in re cū Baronium virum doctissimum, & in rerum Ecclesiasticarum historia versatissimum hallucinatum suspicari non liceat, fortè illud dici posset duos fuisse comites S. Pontiani, atque ab alijs vnum Philippum nomine ab alijs alterum Hippolytum commemorari: vel nomen vnius in alterius ob describentium incuriam, & aliquā affinitatem dictionum transisse.

DE S. MAXIMO PRESBYTERO, ET MARTYRE ROM.

Maximus Presbyter Romæ, in persecutione Valeriani tentus pro fidei cōfessione constanter capitis obtruncatione post cruciatus varios martyriū subijt. 13. Kal. Decembris, via Appia sepultus. Quem alij apud S. Sixtum, sub Maximino: alij sub Maximiano: alij sub Diocletiano passum referunt. Pamelius in epist. 16. & sequent. S. Cypriani Maximum hunc arbitratur primum Hæresi Nouatianæ consensisse: postea verò resipiscentem ad ecclesiæ communionem redijsse: sed is haud martyrium pertulisse legitur. Baron. in Annotat. huius diei, illum esse Maximū putat, qui cum Eusebio, Marcello, & multis mulieribus passus est in eadem Valeriani persecutione. Sed ibi cum Eusebius Presbyter, & Marcellus Diaconus nominetur, post Hippolytū Maximus ponitur, neque in Actis illorum martyrū vlla Diaconatus fit mentio: deinde si is 4 Non. Decemb. passus est: superflue hic solus in Martyrol. memorari videretur. Diuersus igitur ab illis putatur: qui via Appia apud S. Sixtum II. Papam sepultus. *Ex Martyrol. Rom. & Vsuard. licet Vsuardus eum sub Maximino passum dicat.*

Diuersæ de hoc Maximo sententiæ.

AN-

ANNOTATIO.

PEt. in Catal. lib. 10. c. 85. paucis ex Adone huius S. martyris passionem recenset, quem ait sub Maximiano passum.

Nouembris die 20.

DE SS. AMPELO, ET CAIO MARTYRIBVS MESSANÆ.

AMpelus, & Caius Messanæ in Sicilia in immani Diocletiani, & Maximiani Imperatorum persecutione, vt creditur, pro fidei confessione martyrio coronati sunt 12. Kal. Decembris: licet Acta illorum non extent. *Ex Bed. Vsuar. Martyrol. Rom. & alijs.*

ANNOTATIO.

CVm Acta horum martyrum desint, incertum est, in qua persecutione passi sint: licet nonnulli scriptores Siculi eos sub Diocl. & Maxim. coronatos putent.

DE SS. MARTYRIBVS OCTAVIO, SOLVTORE, ET Aduentore Taurini.

OCtauius, Solutor, & Aduentor legionis Thebææ milites post Mauritium Ducem suum, & socios iussu Maximiani Imp. apud Agaunum in Sedunorum finibus martyrio affectos cum plurimis alijs (in quibus Theofredus, Sebastianus, Aluetius, Thyrsus, Constantius, Tiberius, Georgius, Quiricus, Candidus, Bessus, Tegulus, Defendens, Matchesius, Theodorus, Valerianus, Iulianus, Martinianus, Constantinus, Membosius, Victor, & alij) clam superatis Alpibus in Italiam remearunt, vt Imperatoris sæuitiam vitarent. Quorum alijs alia loca petentibus, Octauius, Solutor, & Aduentor Augustam Taurinorum peruenere: vbi cum publicè & priuatim Christum annunciantes, ac Idolorum cultum detestantes, aliquor dies demorati fuissent, ab insequentibus Maximiani satellitibus capti, ad sacra Dijs facienda verbis, & minis compelluntur. Sed cum Deos irriderent, Christi verò fidem summis laudibus attolerent, hostes, vt erant armati, in SS. martyres irruerunt, ac Aduentorem, & Octauium adeò grauiter gladijs, & lanceis vulnerarunt, vt inter vulnera præ nimia sanguinis effusione animas suas exhalarint. Solutor verò iunior, minusque saucius persequentium manus euadens Carauinum apud Eporediam fugit, ac in spelunca delituit. Verùm ab insequentibus deprehensus apud Duriam Baltiam super saxo, ex quo incolis Christum prædicabat Inanium Deorum cultum detestans, gladio cæsus est: quod saxum Taurini adhuc martyris sanguine consperſum certonitur. Corpus in Lacunam proiectum, à Iuliana matrona Eporediensi sublatū, plaustroque impositum Taurinum Duria, alijsque amnibus refugientibus aquis transitum præbentibus defertur, vnàque cum Octauij, & Aduentoris corporibus ab eadem matrona inuentis sepelitur, 12 Kal. Decembris. *Ex monum. Eccles. Taurinen. & Hist. martyrum Theb. nuper Augustæ Taurinorum edita.*

Saxum Solutoris sanguine consperſum.

Taurini adhuc asseruatur.

ANNOTATIO.

EXtat Taurini templum D. Solutori sacrum cœnobio Benedict. in quo corpora SS. mart. asseruantur. Quorum transl. die 22. Ianuarij celebratur.

Extat etiam in horum natali sermo apud S. Max. Episcopum Taurinen.

DE

DE S. BENIGNO EPISCOPO MEDIOLANENSI.

Benignus Mediolanensis ex Bentia familia, seu vt aiunt Bossia (quem Sanctus Ennodius Episcopus Ticinensis versibus celebrat) ob vitæ sanctimoniam, & præstantiam doctrinę ad munus Episcopale post S. Geruntium euocatur. Is inter cœtera admirabili fuit patientia, cum variè exagitatus, illam temporum acerbitatem æquo, & infracto animo pertulerit, templa ab Odoacre Herulorum Rege incendio deturpata, & disiecta restaurauit: neque curam ob tot incommoda, & aduersa Episcopalem intermisit, cumque Ecclesiam Mediolanensem sex annos sanctissimè gubernasset, clarus miraculis migrauit ad Christum 12. Kal. Decembris circa sal. hum. annum 472. Cuius corpus in æde S. Simpliciani conditum est. *Ex Breu. & Act. Eccles. Mediolanen.*

Benignus templa ab Odoacre Rege deturpata instaurat.

ANNOTATIO.

P*anuin. in Fast. Benignum, quem etiam Bentium vocat, Anno D. 460. Leone I. Sum. Pont. Episcopatum cepisse, obijsse autem an. 466. scribit. Sed si Episcopus fuit Odoacro Rege, qui in Italia an. D. 476. extincto Augustulo regnare cœpit, vel tardius sedit, vel pluribus præfuit annis, quam 6.*

Corpus S. Benigni vnà cum corporibus S S. Simpliciani, Geruntij, & Ampelij à S. Karolo Borrhomæo Card. & Archiepiscopo Mediolanen. in eadem basilica honestiore loco anno D. 1582. reconditum fuit cum huiuscemodi poemate.

, *In terra alme parens eras benignus.*
, *Et re, & nomine. Nomen est tibi idem.*
, *Rem nunc non teneas? Dei suprema*
, *Qui in cœlis frueris beniguitate?*
, *Tua ergo bene fac Benigne vrbi.*

DE S. SIMPLICIO EPISCOPO VERONENSI.

Simplicius Episcopus Veronensis XXVII. inter Andronicum, & Lupum sedit, vir in humanis, & diuinis litteris apprimè doctus. Qui non solum doctrina; sed etiam rebus præclarè gestis Ecclesiam Veronensem exornauit, & quendam splendorem adduxit, in optimo statu constitutam. Denique de ecclesia sua benemeritus ad præmium cœleste, Lupo S. viro sibi succedente, migrauit 12. Kal. Decembris, in æde S. Stephani, quæ tunc Cathedralis erat, sepultus. *Ex monum. Eccles. Veronen. & lib. August. Valerij Episcopi, & Card. de SS. Epp. Veronen.*

ANNOTATIO.

C*Orpus sub eadem ara vnà cum S. Placidia corpore asseruatur. Floruisse videtur post an. D. 500. ex quibusdam coniecturis.*

DE S. THEONESTO MARTYRE, ET TVTELARE Vercellensi.

Theonestus ex eorum Thebæorum numero, qui sub Maximiano Imp. in Sedunorum finibus ob fidei christianæ cõfessionẽ exagitati diuersis in locis,

ad

ad quæ refugerant, martyrio affecti sunt, vnus fuisse traditur SS. Vrsi, & Victoris, qui Salodori passi sunt, & Albani, qui Moguntiæ certamen absoluit, socius. Qui apud Vercellas, quo se receperat, & vbi Christum cœperat annunciare Pastoris officio fungens, captus in carcerem detrusus est. Eductus autem ante Proconsulem, cum variè tentata eius constantia, exquisitis tormentis cruciatus, numquam, vt Dijs sacra faceret, præsertim Apollini; qui Vercellis præcipuè colebatur, adduci potuisset: denique suspensus inter duas rotas clauis, acutisque gladijs prætextas toto corpore dilaceratus præclarè martyrij cursum confecit 12. Kal. Decembris, à christianis apud orientalem vrbis portam sepultus: quo in loco à S. Eusebio templum martyri sacrum ædificatum est. Cuius corpus An. sal. nostræ 1585. denuò repertum fuit cum huiusmodi inscriptione. HIC IACET S. THEONESTVS MARTYR CHRISTI. *Ex monument. Eccles. Vercellen.*

Theonestus inter duas rotas suspenditur.

ANNOTATIO.

Is Theonest. alius ab Altino asseritur.

SVnt, qui Theonestum hunc Vercellarum tutelarem eundem cum Theonesto Episcopo, & mart. apud Altinum vna cum Tabra, & Tabrata Diaconis martyrio coronato putent, eo argumento adducti: quod S. Theonestus habitu Sacerdotali Vercellis depictus est, quodque Vercellis transiens, Augustam peruenerit, ibi vrso vno ex socijs morte affecto, & inde Maguntiam, vbi S. Albanus Presbyter, & socius martyrium passus est. Sed cum Theonestus Episcopus, qui Altini passus est ab Arianis Theodosio seniore interfectus fuerit tempore S. Ambrosij, vti ex illius passione apparet apud Pet. in Cat. lib. 10. c. 97. & apud Pet. Galesin. in suo Martyrol. die 30. Octob. & ex monum. M. S. Eccles. Tarusi. Hic verò ante S. Eusebium Ep. Vercellen. qui ei templum extruxit, passus sit, fieri non potest, vt sit idem cum illo, neque refert; quòd in habitu Sacerdotali depictus sit: nam id factum fuisse videtur, quia prædicando officio Sacerdotis functus est: vel quia Acta ipsa Episcopi, & militis confusa fuerint: vti apud Pet. in Cat. loco memor. & in Breu. Moguntino, in quo Albanus socius Sancti Theonesti Episcopi scribitur, factum dignoscitur: cum Albanus ille, socius quidem fuerit huius Theonesti militis, non Theonesti Episcopi. De re hac plura in vita S. Euseb. Vercellen.

DE S. CANTIA VIRGINE, ET MARTYRE APVD Tuscanam.

CAntia virgo, & martyr in Tuscanensi ecclesia; quæ Viterbiensi iuncta est, colitur 12. Kal. Decembris, vbi corpus illius cum aliorum martyrum corporibus asseruatur; vt antiqua in marmore inscriptio monet. Vbi tamen, & quando hæc virgo, & quo martyrij genere passa fuerit, haud sciri potuit. *Ex monum. & Tab. Eccles. Tuscanen.*

ANNOTATIO.

NVlla vsquam alia huius nominis virg. & mart. reperitur, quod legerim. Nec si Tuscanen. fuerit genere mihi compertum est: cum acta illius, sicuti, & aliorum SS. martyrum, qui Tuscanæ coluntur, præter SS. Secundiani, Marcelliani, & Marci, desiderentur.

DE S. DORO EPISCOPO BENEVENTANO.

Dorus vir planè Apostolicus.

DOrus Episcopus XV. Beneuentanus eam Ecclesiam post S. Ianuarium Episcopum, & martyrem administrauit. Vir planè Apostolicus; qui in maxima

xima temporum calamitate aduerſus fidei catholicæ hoſtes fortiter dimicauit; dimicandoque patientia ipſa victoriam reportauit. Extat ad eum ſcripta epiſtola Leonis Papæ I. Ex hac vita 12. Kal. Decembris migrauit. Cuius corpus in Eccleſia Beneuentana quieſcit. *Ex monum. Eccleſ. Beneuent. & vita S. Caſſiani Epiſcopi XVII. In qua S. Dori mentio habetur.*

ANNOTATIO.

C*Vm inter S. Ianuarium Ep. & Beneuent. & Leonem Papam I. plures* 100. *annis effluxerint, qui potuit Dorus Ianuarij ſucceſſor Leonis tempore vixiſſe? Hic nil aliud reſponderi poſſe videtur; niſi vel diu Eccleſiam Beneuentanam poſt S. Ianuarium Epiſcopo caruiſſe; vel ſeriem Epp. illius Sedis non ſine errore in Synodo Prouinc. eiuſdem eccleſ. adnotatam fuiſſe. Vel eum ad quem S. Leo Papa ſcripſit non Dorum, ſed Domnum appellari.*

DE S. COLVMBANO EREMITA APVD CIVITELLAM.

COlumbanus cum apud Ciuitellam oppidulum Æmiliæ, & Meldulam intra ſyluas habitaret, & prætereuntes prædaretur, aliquando conuerſus eam vitæ auſteritatem amplexus eſt, vt ſe ſe ferrea catena (quæ adhuc aſſeruatur, & cum fiducia accedentes à morbo gutturis tacta liberare ſolet) quotidie diuerberaret. Cui, cum è vita migraſſet non ſine magna apud incolas ſanctitatis opinione, templum excitatum eſt: in quo corpus eius quieſcit. Erat illi ſtatura gigantis, vt oſſa ipſa indicant. Eius memoria bis in anno non abſque Incolarũ frequentia, hoc eſt Dominica die poſt Aſſumptionem B. M. V. & 12. Kal. Decembris. *Ex antiqua traditione incolarum.*

Ferrea Columbani catena à morbo gutturis liberare ſolet.

ANNOTATIO.

H*Aud potuimus tempus, quo vixit, inuestigatum ſcire. Cauſam conuerſionis riſu quodammodo dignam in M. S. ad nos tranſmiſſo legimus. Ferunt enim Columbanum ex pradone in eremitam conuerſum: quòd ſorbum à ſe ob aſperitatem projectum, poſtea receptum dulce reperiſſet.*

Quæ fuerit illius conuerſionis cauſa.

Nouembris die 21.

DE SS. CELSO, ET CLEMENTE MARTYRIBVS ROMÆ.

CElſus, & Clemens martyres Romæ in Martyrologio Rom. memorantur: ex peruetuſto cod. M. S. monaſterij S. Cyriaci; quem citat Baronius in ſuis Annotat. Nihil præterea de illis. *Ex Martyrol.*

ANNOTATIO.

P*Et. Galeſin. in Annotat. ad ſuum Martyrol. librum M. S. citat. Baron. vetus M. S. monaſterij S. Cyriaci: ex quo plurimorum SS. martyrum in emendato Martyrol. memoriam reſtituit. Acta porrò nulla ipſorum extant.*

DE SS. DEMETRIO, ET HONORIO MARTYRIB. OSTIÆ.

DEmetrius, & Honorius Oſtiæ paſſi referuntur, in Martyrologio Rom. ex antiquo S. Cyriaci codice. Nec aliud ſciri potuit præter nomen, & paſſionis diem: qui fuit 11. Kal. Decembris. *Ex Martyrol.*

A N-

ANNOTATIO.

Horum nullus veterum meminit: siquidem neque Beda, neque Vsuard. neque Ado in suis Martyrologijs adnotarunt. Gales. & Baron. Librum scriptum, in quo ipsorum mentio habetur tantummodo citant.

DE S. GELASIO I. PAPA.

Gelasius huius nominis I. Afer natione S. Felici III. in Pontificatu successit an. à Christo nato 492. Anastasio Imp. Hic initio Pontificatus Manichæos; qui Romæ reperiebantur, expulit illorum libris concrematis. Contra Acatij Hæresim strenuè, & multum multis scriptis epistolis laborauit, coactaq; Romæ synodo 70. Episcopotum, plura in ea ad fidei puritatem, & Ecclesiæ dignitatem constituit, discreuitque inter scripturas, concilia generalia, & Ecclesiasticos scriptores alios probans, damnans alios, & alios in Apocryphos referens, omnes Hæresiarchas, & Schismaticos anathemate perculit. Euphemiũ Episcopum Constantinopolitanum Episcopos orientales à Romani Pont. obedientia abstrahentem ad sanitatem studuit reuocare. Misenum Episcopũ Cumanum sub Felice tanquam in legatione præuaricatorem damnatum pœnitentem, hæresesque omnes detestantem restituit in concilio 55. Episcoporum. Multa scripsit, eleganter, & doctè. Ædem S. Euphemiæ virgini, & martyri Tibure, S. Nicandri, & Eleutherij via Lauicana. ac S. Mariæ via Laurentina 20. ab vrbe milliario dedicauit; clerum auxit, & ornauit. In pauperes quoque beneuolentissimus, maximèque liberalis fuit. Romam à multis famis præsertim periculis liberauit. Hymnus, & præfationes missarum scripsisse fertur, addidisseque ea verba, *Dignum, & Iustum est*, floruit sub eo S. Epiphanius Episcopus Ticinensis. Denique S. Pontifex tot rebus præclarè gestis illustris; cum annos 4. menses 8. dies 19. sedisset, creatis Presbyteris 23. Diaconis 2. Episcopis verò 67. migrauit à vita 11. Kal. Decembris, apud S. Petrum sepultus. *Ex lib. Pont. Plat. Baron. ac ex off. Canon. Regul.*

Gelasius Manichæos Roma expulit. Contra Acatium hæreticũ decertat. Sacros scriptores probat alios dãnat, alios apocryphos statuit. Hæresiarchas, & schismaticos anathematizat. Misenũ Episcopum Cumanum pœnitentem suscipit. In pauperes beneuolentissimus, maximèque liberalis fuit.

ANNOTATIO.

Pet. in Cat. lib. 10. c. 77. omnia Gelasij acta recenset: sed illum 14. *Kal. Decemb. decessisse scribit. Vsuard. verò* 13.

DE S. MAVRO EPISCOPO CÆSENATE, ET Protectore.

Maurus (quem Romanum Ioannis IV. Papæ nepotem fuisse ferunt) cum virtutis, & prudentiæ laudibus floreret, ad Cæsenatem Episcopatum euectus, admirabili omnium virtutum ita splendore refulsit, vt cum eo decedente lux pariter omnis Cæsenatis Ecclesiæ extincta videretur. Is sibi cellulam in monte ab vrbe ad 4. stadia distante construxerat; in qua sacro Quadragesimæ tempore ieiunijs, & orationibus strenuè vacabat, & quoties de ecclesiasticis negocijs spacium aliquod furari poterat, eò velut ad dulcissimum epularum conuiuium recurrebat; ibique fluento diuinæ contemplationis mentem recreabat, & quicquid ex humana conuersatione pulueris corraxisset, oratione excussum etiam lacrymis expiabat. Cum autem post peruigilem Ecclesiæ suæ curam à sæculo migrasset, ibique humatus fuisset, innumera, & admiranda prorsus ad tumulum

mulum eius miracula patrata sunt. Ex quibus pauca promere libet, cum terra, vndique crescente tumulus tegeretur, vt vix saxi summitas appareret, accidit, vt quidam pedem ligulam soluti calciamenti ligaturus in eo saxo poneret, qui sic illi hæsit, vt nulla vi referri posset, donec ad rei nouitatem populo accurrente parte ea saxi à reliquo ferris abscissa tumulus S. Episcopi detectus est, ac magnæ cœpit esse venerationi, extructo ibi insigni monasterio. Cuius monachus nomine Tenzo magna vi febrium excruciatus, cui nulla prorsus humana mede la proficeret, cum se S. Mauri festum diem acturum vouisset (vt is sanctimoniali monachi matertera in silentio nocturno apparens edixerat) mox ad tumulū delatus sanatus est. Qui verò adeò ægroti eò deferri non possent, modicum limaturæ ex sepulchro marmoreo bibentes sanabantur. Illud non prætereundum, cum Gilberto Antipapa Cæsenatum ciuitas dura obsidione premeretur, rusticus contractus, & cæcus: ad tumulum deductus post preces statim ex vtroque morbo conualuit; sed cum post decennium carnis fragilitate enormiter victus vxorem sibi infausto connubio copulasset, in eandem recidit cæcitatem. Dæmoniaci plures curati, in ijs mulier, quæ, vt canis rabida crebris latratibus suos deterrebat, cum mulier in festo die, S. Rophili triticum purgare non metuisset, sic brachijs attractis obriguit; vt tota contremisceret; sed ad S. Mauri sepulchrum deducta pristinam recuperauit sanitatem. Alia longo sanguinis fluxu laborans; vbi tumulum Mauri linteo nitido contexit, curata est. Quod etiam mulieri contigit, cui ora post tergum conuersa fuerant. Sed & mulier Aquitana cæca, cum ex ijs partibus ad S. viri sepulchrum venisset, & iuxta illum per 8. dies habitasset, lumen recepit. *Ex vita per Pet. Dam. scripta à Sur. tom. 1. rel.*

Pes saxo adeò hæret, vt nulla vi referri possit.

Tēzo magna febre correptus sanatur.

Bibentes de sepulchro limaturam curant.

Rusticus cæcus, & cōtractus conualescit.

Energumenos mirabiliter liberat.

Mulier brachijs contracta sanatur alia sanguinis fluxu laborans, altera ex Aquitana cæca optatam recuperant sanitatē.

ANNOTATIO.

IN Martyrol. Rom. natalis ad diem 20. Ianuarij adnotatus est. Illum annos 9. Eccl. Cæsenati præfuisse, & Concil. Lateranen. aduersus Monothelitas sub Martino I. interfuisse ex monum. & Annal. quibusd. M.S. vrbis Cæsenatis legimus.

DE S. MAVRO EPISCOPO VERONENSI.

MAurus X. Veronæ Episcopus ob eximiam in pauperes charitatē, illorum, viduarum, & pupillorum pater dicebatur, admiranda quadam animi demissione præditus. Tēpla, & xenodochia incredibili diligentia defendit, & augenda curauit. Seipsum verò ab omni macula immunem seruans assiduis vigilijs, & precibus in ecclesia pernoctans, cilicio indutus macerabat. Solitudinis amans, sponte Episcopatu abdicatus, quo se indignum dicebat, in montem secessit; vbi sub arbore paruum sibi tugurium struxit, atque inter rupes, & saxa, in magna aquæ penuria limpidum, & vberem fontem oratione excitauit; qui nūc etiam apud Calaucnam perseuerat. Eo in loco, (in quo postea suo nomini templum, quod vsque in præsentem diem in veneratione habetur, ædificatum est) cum 7. annos in ieiunijs, vigilijs, assiduis precibus corpus suum afflixisset, dum Veronam Angelico monitu rediret, in via, vbi nunc templum est S. Felici sacrum, campanis Veronę spontè sonantibus, obdormiuit in Domino 11. Kal. Decemb. Quo miraculo permotus Ioannes Episcopus successor vnà cum clero, & populo S. corpori obuiam processit, è cuius manibus schedulam, in qua acta illius descripta erant, extorsit: illudque solemni pompa in æde S. Stephani tumulauit. *Ex monum. Eccl. Veronen. & lib. August. Valer. de Epp. Veron.*

Maurus sub arbore inter rupes, & saxa limpidū, ac vberē fontē excitat.

Cāpanæ Veronæ spontè personant.

ANNOTATIO.

EXtant adhuc mitra, baculus, & chirotheca S. Mauri in æde S. Stephani in proprio sacello asseruata, & in pago Salinarum ecclesia eius nomini dicata, cum fonte mirabiliter ab eo, cum ibi pœnitentiam ageret, excitato.

DE S. MAVRO MARTYRE PATRONO PARENTINO.

Maurus christianis parentibus in Africa natus, cum ijs orbatus copiosam substantiam possideret, in orationibus, ac erogandis pauperibus eleemosynis iugiter insistens, quo magis in christiana religione proficeret, monasteriũ annum agens 18. ingreditur ac Numeriano Imp. vt SS. Apostolorum Petri, & Pauli sepulchra veneraretur, Romam venit. Cum autem sub Celerino vrbis Præfecto persecutio in christianos magis in dies vigeret, Maurus vrbe egressus in spelunca tres menses delituit, vbi post orationem virum splendidissimum virgam auream manu gestantem, sibi dicentem: *Surge Maure, quia Deus, quem colis, non te despexit: & ciuitatem ingredere* Vidit. Ingressus autem vrbem, & christianus deprehensus comprehenditur, atque ad Præfectum adducitur: à quo iussus Dijs sacrificare, cum se illis, qui nihil aliud sunt, quam Idola vana, & fragilia ab hominibus confecta, immolaturum nõ esse diceret fustibus, contusus, maxillisque saxo perfractis in equuleo suspẽditur, vngulisque ferreis excarnificatur, ac lampadibus ardentibus ad eius latera admotis aduritur. Denique cum à fidei confessione diuelli non posset, extra vrbem ductus capite truncatur 11. Kal. Decembris. Corpus naui ab Afris, vt in patriam illud referrent, fuisset impositum, cum Præfectus id resciuisset, nautas comprehendi, & corpus cum naui iussit comburi. Verum nautis fuga sibi consulentibus, nauis sine remige ad Parentinum littus diuinitus appulsa est. Ex qua Parentini christiani corpus martyris extractum condigno honore condiderunt, ac ipsum martyrem miraculis coruscantem patronum sibi asciuere. *Ex monum. Eccles. Parentina M. S. & Pet. in Cat. lib. 10. c. 93.*

Maurus virum splendidissimum videt se monentem.

Corp' mart. Parentiũ diuinitus delatũ.

ANNOTATIO.

Martyrol. Rom. de Mauro seq. die. Vsuard. autem, & Pet. in Cat. hac die de eo sicuti, & Eccles. Parentina, agunt.

DE S. COLVMBANO ABBATE BOBIENSE.

Columbanus in Hibernia natus (quem mater adhuc altio gestans. & se solẽ nimio splendore micantem prodire per quietem vidit) pubescente ætate, in disciplinis liberalibus eruditur. Adulta ætate, cum ob elegantiam formæ, & nobilitatem omnibus gratus redderetur, per lascinas, & decoras puellas à Dæmone tentatur: verum is cum se ad pugnam accinxisset, humanæ tamen fragilitatis non ignarus, relicta patria ad senilem virum religione, & eruditione clarum venit, cum vix se à matre lacrymarum imbrem emittente auelli potuisset: inde ad Benchorense monasterium, cui Comogellus Abbas sanctus præerat, profectus, & factus monachus sub eo prima militiæ spiritalis stipẽdia fecit. Tactus autem peregrinandi desiderio cum 12. socijs in Galliam ad Regem Sigebertum venit, à quo benignè exceptus eremum in M. Vosago in loco, quod Luxouium dicitur, impetrauit; vbi ædicula S. Petro Apostolo extructa cum aliquot tuguriolis aliquandiu vixit, donec multis ad eum confluentibus odore virtutum attractis, monasterium Luxouiense clarissimum construxit. Quo in eremo cum quadam die solus per den̄sa loca incederet, & cogitatio molesta, an potius iniurias hominum, quam bestiarum sæuitiam sustinere vellet, mentem illius occuparet, ecce 12. lupi læua, dextraq; illum cingentes, & ora ad eius vestimenta admouentes, à quibus tamen signo crucis armatus nihil passus est, sicuti

Prodigium rutilantis solis à matre Columbani cernitur.

Sub Comogello Abbate prima militiæ spiritalis stipendia facit.

In Galliam ad Regem Sigebertũ contendit.

cuti nec à latronibus, quorum voces Dæmones imitati virum Dei terrere conabuntur, vt inde recederet. Columbanus post Luxouiense, etiam Fontanense ædificauit cœnobium. Solebat autem diebus festis à societate monachorum separari, ac interiora eremi penetrare: cum quadam die saxum immane reperisset, vrsum in illius cauitate latitantem præcepto suo parentem abegit, ibique suæ orationis locum constituit, cum fontem perennem precibus elicuisset. Sed cum Brunechildes Regina Regis Theodorici auia, quòd is ad virum Dei sæpe veniens eius monita executioni mandaret, odium in Columbanum concepisset, (meruebat enim, ne Rex Reginam reuocaret, pulsisque cócubinis, ipsa minus haberet authoritatis) adeo Regem accendit, vt illum Regno expelleret. Actus autem in exilium apud Vesuntionem carcerem hominum iam damnatorum plenum ingressus, illos ad patrata facinora pœnitentia expianda hortatur, cúq; ex eis nonnullis dicentibus se id facturos, si spes veniæ aliqua adesset, Columbanus Domolao ministro suo ferrum, quo compedes innexæ erant, auferre iussisset, illicò instar putrefacti fruticis fractum est, omnesque solutos ablutis pedibus dimisit, cum verò fugientes fores ecclesiæ clausas inuenissent, insequente eos Tribuno, illæ oráte Columbano diuinitus reseratæ, moxque obseratæ sunt. Ipse autem Columbanus ad monasterium suum reuerti non dubitauit. Quod cum Regi, & Brunechildi innotuisset, mittuntur milites, qui illum vi abstractū in exilium eijciant: Sed illi cum Tribuno in monasterium irruentes obcæcantur. Columbanus autem, ne quid peius fieret, iuxta Regis Imperium nauim in Hiberniam reuersurus conscendit, ac ad Clotarium Austrasiæ Regem venit: à quo ibi sedem figere inuitatus noluit, ne inimicitiarum inter Reges occasioné præberet, discedens itaque in Italiam ad Agilulphum Longebardorum Regé se contulit, Mediolanum, vbi cum Arianæ se perfidiæ opponens libellum scripsisset, à Iocundo Rege consentiente Bobium, vbi intra Apennini M. vallem ad præterfluentem Trebiam basilica Apostolorum Principi sacra erat, deducitur. Qua semidiruta pristino decori restituta cœnobium Bobiense extruxit: eique cũ aliquandiù Abbas præfuisset, Denique tot clarus gestis ad cœlos migrauit, 11. Kal. Decembris, An. sal. 615. Corpus ibi sepultum asseruatur. *Ex vita per fonam discip. scripta à Sur. tom. 6. rel.*

11. Lupos signo crucis mirificat nec Dæmones extimescit.

Vrsum præcepto abigit.

Brunechildes Theodoricum Regē rogat, vt Columbanum regno expellat.

Fores Ecclesiæ pro seruādis damnatis vltrò referantur, obserantur que.

Milites in monasteriū irruentes obcæcantur.

Arianā perfidiam propugnat.

ANNOTATIO.

Pet. in Cat. lib. 10. c. 94. vbi plurib. Acta S. Columbani refert, seq. c. de alio Columbano mon. Luxouien. illius discipulo miraculis claro agit.

De S. Columb. item Baron. in Annal. ad an. D. 612. & 613. plura habet ex Iona supradicto cui S. Attalas succ. in regimine. Sicuti in monast. Luxouien. succ. Eustasius; illumque 9. Kal. Decemb. obijsse notat. Cum in Martyrol. Rom. 11. Kal. eiusd. positus sit.

DE S. IOANNE EPISCOPO RAVENNATE.

IOannes, cognomento Angeloptes, seu qui Angelum vidit, post S. Exuperantium ecclesiæ præfuit Rauennati. Hic tanta præfulsit sanctitate, vt Angelorum visione sæpius dignus existeret. Cum Ioannes quidam, qui Honorij Imp. commentarios scripserat, eo mortuo Imperiū vsurpasset, libertatemq; Ecclesiasticā, clericos ad iudicia sæcularia trahens, læderet, S Episcopus nihil Tyranni minas veritus Theodosij, & Valétiniani Imperatorum partes secutus est. Quapropter Valentinianus tyranno extincto Ioanné, & Ecclesiam Rauennaté multis affecit beneficijs, & nouis priuilegijs ornauit. Nā inter alia Episcopos Ariminensem, Cæsenatem, Popiliensem, Liuiensem, Fauentinum, Cornelienfé, Britinoriensem, Bononiensem, Mutinensem, Regiensem, Parmensem, & Pla-

Ioannes crebra Angelorum visione dignus.

Valétinian⁹ Ecclesiā Rauenn. beneficijs condecorat, ac priuilegijs.

centinum Rauennati Archiepiscopo suppofuit. Cum Ioannes in æde S. Agathę Rauennæ sacra faceret, Angelus affuit, qui calicem pretiosi sanguinis Domini nostri de manu Diaconi ereptum, S. Episcopo omnibus videntibus, & mirantibus ministrauit. Denique vir S. ieiunijs, vigilijs, alijsque pijs exercitationibus, & laboribus confectus die obitus sui præscito, rebusque compositis, cessit è vita An. sal. 432. in eodem templo S. Agathæ, in quo Angelum sibi ministrantem viderat conditus. *Ex monum. Eccles. Rauenn. & Hieron. Rub. in Hist. Rauenn.*

Ioanni sacra facienti Angelus calicē ministrare visus est.

Diem sui obitus prænuntiat.

ANNOTATIO.

Alter Io. Episcopus Rauennas sanctitate claruisse fertur: qui cum in templo S. Vitalis confirmaret, viduæ filium, qui præ multitudine, & ob infirmitatem ante Episcopum sisti non potuerat, paulò post defunctum ad vitam reuocauit, & confirmauit. Cum verò fama sanctitatis percrebesceret, S. vir se ab aura populari subducens in agro Aretino loco ab hominum frequentia remoto, vbi S. Michaeli Archangelo, qui sibi apparuit, templum excitauit, in iugo M. Perchiniani, aliquandiu vitam solitariam duxit, Obijtque 11. Kal. Decembris, siue, vt alijs libet, Nonis Quintilibus, & habet apud Incolas venerationem.

Alius Ioānes Episcop. Rauennæ filium viduæ defunctum excitat.

S. Michael Archangelus apparet.

Baron. in Annal. ad an. D. 432. negat à Valentiniano illud priuileg. de Episcoporum subiectione Archiepiscopo Rauenn. emanasse quod hoc Pontificis non Imp. munus sit. Sed Valentinianus Episcopatum Rauenn. non Archiepiscopatum constituit, sed iam constitutum auxit. Quod si neque hoc ab eo fieri potuit, quis multa ab Impp. eorū temporum facta ignoret, quæ firmitatem acceperunt, licet ad Pont. spectarent? Deinde fieri potest, vt hoc Rom. Pont consulto factum fuerit.

Nouembris die 22.

DE S. CÆCILIA VIRGINE, ET MARTYRE.

Cæcilia virgo Romana nobilis à prima ætate christianis præceptis instituta, virginitatem Deo vouit, & licet pretiosis vestibus induta procedere cogeretur, intus tamen cilicio induta ieiunijs, & orationibus Christo deseruiebat. Cum autem illam parentes Valeriano nobili viro in matrimonium contra ipsius voluntatem despondissent, ac illa ieiunijs, & orationibus biduo, triduoue opem à Deo, quo eius virginitas seruaretur, postulasset, prima nuptiarum nocte hunc cum sponso habuit sermonem: *Ego Valeriane in Angeli tutela sum: quare nequid in me committas, quo ira Dei in te concitetur:* qui illam attingere non ausus, se in Christum crediturum dixit, si Angelum videret. Cum autem illa id sine baptismo fieri non posse diceret, is Angeli videndi cupiditate incensus, baptizari consensit. Quare virginis hortatu ad Vrbanum Papam in Martyrum sepulchris, via Appia: propter persecutionem latentem, cum signo sibi à virgine tradito veniens baptizatur; & ad Cæciliam reuersus, cum in cubiculo orantem, & cum ea Angelum diuino splendore fulgētem inuenit. Cuius aspectu obstupefactus deinde ex timore confirmatus, Tiburtium fratrem accersit; qui à virgine fide Christi imbutus, ac ab Vrbano baptizatus eiusdem Angeli aspectu dignus effectus est. Vterque autem paulò post sub Almachio Præfecto martyriū subijt. Qui mox à Virgine comprehēsa facultates illorum exquirit. Cui Virgo omnia illorū pauperibus distributa esse respondit. Is autē furore concitatus, Cęciliā in suas ædes reductā in balneo cōburi iussit, cūq. ad supplicium duceretur, multi decore. & nobilitate cōmoti, illā hortabātur cū lacrymis se ne tā facile pderet. Quibus illa, *Non est*, ait, *hac vitam perdere, sed in meliorem commutare*, sed cū per diē, & noctē ibi fuisset & ne flāma quidē eā attigisset, eo immissus est carnifex: qui ter securi ictā, cū caput nequiuisset abscindere, semiuiuā reliquit. Quæ triduo

Cæcilia cilicium sub pretiosis vestib. gerit.

Valerian. Angelum cū Cæcilia loquentem reperit.

post

post Alexandro Imp. 10. Kal. Decembris, duplici virginitatis, & martyrij palma decorata euolauit in cœlum, corpore ab Vrbano Papa in cœmeterio Callisti sepulto, & ecclesia in eius ædibus consecrata. Eius, & Vrbani, Lucij Pontificum, Tiburtij, & Valeriani corpora à Paschali I. inde in vrbem translata in ipsa S. Cæciliæ ecclesia condita sunt. *Ex Breu. Rom. & ex Metaphr. a Sur. & Lipom. rel.*

ANNOTATIO.

VSuard. illam sub M. Aurel. & Commodo Impp. passam scribit, sed si Vrbanus Papa paulò post S. Cæciliam, hoc est seq. anno passus est sub Alex. vt scribit Eusebius in Cron. & vt Indices Vaticani habent, & S. Cæciliam sub Alex. passam esse necesse est.

Corpus S. Cæciliæ à Paschale I. An. D. 821. in cœmet. Callisti inuentum fuit aureis vestibus velatum sanguine adhuc conspersum. Hoc a Clem. VIII. Pont. Max. reconditum est in eadem Eccl. An. D. 1599.

DE S. THEONESTO EPISCOPO, TABRA, ET TABRATA Diaconis martyribus Taruisij.

THeonestus Episcopus Philippensis cum Tabra, & Tabrata Diaconis, & discipulis suis ab Arianis vexatus Romam venit ad Damasum Papam Theodosio Imp à quo benignè acceptus cum ibi aliquandiu demoratus esset, inde discedens Mediolanum proficiscitur: vbi à S. Ambrosio liberaliter tractatus est, & ad Theodosium Imp. deductus, cumque martyrij cupidus diuersa loca peragrasset, multa passus tandem nauigans ad littora Hadriatica appulsus apud Altinum consedit, cumque ibi liberè fidem catholicam prædicarent, ab Arianis facta in eos conspiratione comprehensi apud Pontem marmoreum Silis capite truncantur, Tabra prius, deinde Tabrata decollatis, postremò Theonesto 10 Kal. Decembris. Quorum corpora à nonnullis viris religiosis noctu vrbe Taruisina egressis, delata in ædem S. Ioannis Baptistæ apud Silem amnem tumulata sunt, postea in basilica S. Petri Cathedralem translata, ibi honorificè recondita fuere. *Ex monum. Eccles. Taruis. Ex Pet. in Catal. lib. 10. c. 97. & alijs.*

Theonestus martyrij cupidus.

ANNOTATIO.

MVlta ex Actis M. S. Eccles. Taruis. & apud Pet. in Cat. prætermisimus, præsertim de Vrso clerico Augustæ passo, cum nihil tale Augustæ, neque Prætoria, neque Vindelic. inuenerimus. Vrsus enim, qui Augustæ colitur, non mart. sed confessor est. Illud etiam de Albano Moguntiæ coronato omisimus; cum ille ex Bed. sub Diocl. & Maxim. passus sit, vnus ex Thebæis militibus sicuti, & Vrsus, qui passus fuit Salodori in Heluetijs non Sacerdos, aut soc. S. Theonesti Episcopi. Nec refert, quod Moguntinæ Eccl. Breu. ac Nicol. Serarius in Hist. Mogunt. cum Pet. Gales. secuti Pet. Equilinum loco citato, S. Albanum Presbyterum & soc. S. Theonesti Episcopi faciant. Magis enim Bedæ credendum est, quam his: qui sicuti in Vrso Augustæ vt aiunt martyrio affecto decepti sunt, sic in Albano hallucinati videntur, cum enim Albanus socius Theonesti mart. qui apud Vercellas passus est, & Vrsi apud Salodorum coronati esset, loco Theonesti militis, Theonestum Episcopum in Actis S. Albani permiscuere.

DE SS. DEMETRIO, ET IVLIANO MARTYRIBVS Parentij.

Nomina horum SS. quomodo detecta.

HOrum SS. martyrum corpora cum diu Parentij vrbe Istriæ antiqua latuissent, nec illis detectis ipsorum nomina scirentur, vbi Fulcherio Episcopo authore populus,& clerus ieiunantes preces Deo fudissent, Thomasino (id erat viro nomen) cuidam ecclesiæ Cathedralis Parentij custodi, qui ter ipsos, vt se reuelarent, anxie orauerat, apparentes, qui vocarentur,& quò transferri vellēt, aperiunt, præcipientes, vt ad sacellum, in quo corpora iacebant, se conferret: ibi enim se illorum imagines recens depictas, & nomina inscripta reperturum in pariete. Quibus ad Episcopum delatis, cum ille vnà cum clero populo subsequente ad ecclesiam perexisset, ita reperit, vt vir ille prędixerat, omnibus imagines nuper diuinitus effectas inuenientibus, & martyrum nomina non sine maxima admiratione legentibus. Cum verò sacras reliquias clerici iuxta inscriptiones perquirerent, tantus illicò odor suauissimus efflari cœpit, vbi corpora tegebantur, vt inquisitione nulla opus fuerit. Illa itaque inde extracta, & ad aram maiorem ecclesiæ translata, ibi honorificentiùs recondita sunt. Cumque factum missę maioris à clero canoretur, post pacem de more datam quidam Parentinus ciuis (is Ventura appellabatur) non obscurus, graui morbo oppressus, vt neque pedes mouere posset, cum se SS. martyribus suppliciter commendasset, statim se incolumem sensit. Contigit, & aliud prodigium. Cum enim lampas ante SS. corpora lucens extincta forte fuisset, vltrò absque alicuius ministerio accendi rursus visa est. *Ex monum. Eccl. Parentina M. S. Pluribus rem narrat Nicol. Manzolus I.C. Parentinus in Historia istriana nuper edita.*

Odor suauissimus vbi SS. corpora iacebant.

Quidam graui morbo oppressus sanatur.

Lampas extincta vltrò accenditur.

ANNOTATIO.

VBi, & quando certamen subierint sciri non potuit, cum Parentio euerso, vastatoque, Acta interierint. Ibi tamen martyrium passi putantur, cum nulla aduentus ipsorum corporum aliundè delatorum extet memoria, ibique alij essi[?] martyrio fuerint. Habentur in eadem Ecclesia Cathedrali quamplures SS. Reliquiæ: in ijs Sanctarum Euphemiæ, Teclæ, Valeriæ, Felicitatis, Agathæ, Perpetuæ, Agnetis, Cæciliæ, Susannæ, Eugeniæ, Iustinæ, & Basilissæ: quas propterea ritu dup. colit Eccl. Parentina.

Nouembris die 23.

DE S. CLEMENTE PAPA, ET MARTYRE.

CLemens Romanus Faustini viri nobilissimi filius, de regione celij montis S. Petri Apostoli discipulus,& successor, cum innumerabilem Gentiliū multitudinem ad fidem Christi doctrina, & miraculis traxisset: quidam Comes inuidia stimulatus vrbis Præfectos, vt populum aduersus Clementem concitarēt, largitione pecuniarum induxit, plebs itaque rerum semper nouarū cupida nullo negotio S. Pontificem quasi Deorum contemptorem apud Mamertinum vrbis Præfecturam administrantem ad necem expostulat, licet non deessent, qui illum cunctis virtutibus ornatum Reip. valdè vtilem assererent, quòd pauperes foueret, ægrotos sanaret, cunctisque re, & consilio benefaceret. Mamertinus accersitum Clementem de religione interrogat, cui ille, seditionem hanc ab imperito vulgo proficisci, respondit, ac optimè quantum ad religionem attinet, Mamertino satisfecit, ita, vt Præfectus ad Clementis rationes obmutescens, rē

omnem

omnem ad Traianum Imp. retulit: qui Clementem in exilium apud Chersonesum in Scythiam deportandum rescripsit, illum itaque Mamertinus non sine lacrymis ad nauim deduxit, inquiens: *Deus, quem syncerè colis, opem tibi feret*. Ad locum exilij appulsus in solitudine vrbis Chersonæ ad mare Pontificum ad duo millia christianorũ reperit, ab eodem Traiano ad eruenda, & secanda mar mora damnata: Quibus aquæ penuria laborantibus S. Clemens facta oratione in collem proximum ascendit, viditque agnum in iugo dextro pede fontem aquæ dulcis, qui inde scatebat, attingentem, ex quo omnes sitim expleuere. Quo miraculo plurimi ad Christum conuersi sanctitatem Clementis venerari cœperunt. Isque tota ea vasta regione ad fidem perducta, in ea 700. ecclesias Idolis confractis constituit. Quibus ad Traianum delatis, Aufidianum Præsidem misit, qui christianos puniret, Clementemque in mare demergeret. Præses itaque, vbi plurimos interfecisset, ac christianos magna animi alacritate ad martyrij palmam accurrere conspexisset in S. Pontificem rabiem conuertens, illum alligata ad collum anchora in profundum deijci iubet. Quod vbi factum fuisset, mare ad tria milliaria recessit, eoque christiani ad littus orantes, vt accessere, ædiculam marmoream instar templi, cum arca lapidea, & in ea corpus martyris conditum inuenerunt. Quo miraculo incolæ Christi fidem suscepere. Nam per septem dies anno redeunte mare recedens populis, vt ad eam ædiculam ad corpus martyris venerandum possent accedere, iter præbebat singulis annis die festo S. Clementis recurrente, cum autem quidam ciuis Chersonensis eo cũ vxore, & filio infantulo deuotionis ergò profectus ibi ex obliuione filium reliquisset neque id, nisi postquam mare reuertẽs templum, vt solebat, fluctibus operuerat animaduertisset: miserandis vocibus aera cum vxore complebat, amissum filium amarissimè lugens. Cum verò sequenti anno festo redeunte ad tẽplum S. martyris, vt filij saltem os aliquod cerneret, rediisset (dictu mirabile & numquam auditum) illum incolumem, & præ lætitia gestientem inuenit. Corpus S. Clementis Romam Nicolao I. Pont. Max. translatum in propria ecclesia conditum est. Vixit in Pontificatu annos 9. menses 6. dies 6. vrbis regiones septem Notarijs distribuit, qui passiones, & res gestas martyrum diligentissimè conquisitas litteris mandarent. Multa scripsit accuratè, & salutariter, quibus christianam religionem illustrauit. Fecit ordinationes duas mense Decembri creatis Presbyteris 10. Diaconis 2. & Episcopis per diuersa loca 15. *Ex Breu. Rom. & Metaph. a Lipom & Sur. relato.*

Traianus Clementem in exilium apud Chersonesũ mittit.

Ex dextro agni pede fons aquæ dulcis emanat.

Mare ad tria milliaria recedit

Ædiculã marmorũ instar templi, & in ea corp⁹ Clementis inueniunt.

Miraculum omnium maximum.

ANNOTATIO.

Multa tanquam apocrypha prætermisimus, velut illud de peregrinatione Clementis, & Fausti patris, quomodo ad fidem, vterque peruenerit, ac pater filium recognouerit.

De eo autem, quod adeo videtur controuersum, an Clemens I. vel III. post Petrum Pontifex fuerit, cum vtriusque opinionis assertores non desint, nil aliud dicendum, nisi quod cum Clemens à Petro Pontifex post se designatus fuisset, ille tamen Lino, & Cleto, quos Petrus, vel suos adiutores, siue Vicarios, vel vt alij dicunt, Chorepiscopos crearat, deferens, non nisi post illorum decessum Pontificatum administrare voluit. De qua re plura habet Baron. in Annalib. ad ann. D. 93.

DE S. FELICITATE MATRONA ROM. ET MARTYRE.

Felicitas cum 7. filijs, de quibus 6. Idus Iulij agitur; quòd Christum coleret, M. Antonino Imp. accusata comprehenditur, ac sub Publio vrbis Præfecto

variè, vt Christum abnegaret, tentata, non solum Iudicis suggestioni non consensit; sed etiam filios hortata est, ne pro Christo mortem metuerent, cum autem diu carcere macerata, nec blandimentis, nec terroribus de constantia colendæ christianæ religionis moueretur, alapis cæsa, ac post filiorum gloriosum exitum menses ferè 5. in carcere afflicta Denique Marco Antonino Imp. iubente educta iussa est decolari 9 Kal. Decembris, cuius corpus à christianis apud filios sepultum est. *Ex antiq. M.S. & pass. filiorum, & Mombrit. tom. 1.* Illam S. Greg. Papa homilia 3. quam in propria ecclesia habuit, & S.Pet.Chrysol. homil. 154. miris laudibus celebrant.

Elogia S. Felicitatis apud S. Greg. & S. Pet. Chrysol.

ANNOTATIO.

Corpus S. Felicitatis vnà cum corpore Vitalis eius filij Parmæ in æde S. Ioannis Euangelistæ asseruari Tab. Eccles. Parmen. ad vsum sacrum confecta ad diem 10. *Iulij indicant.*

DE S. GREGORIO EPISCOPO AGRIGENTINO.

Gregorius Agrigenti natus à Potamione Episcopo baptizatur, à Damiano in litteris humanis, & à Donato Archidiacono in sacris eruditus, factus grandior in Palæstinam nauigans tempestate Carthaginem defertur. Inde cũ Marco, Serapione, & Leonino monachis (à quorum vno orans in templo S. Iuliani proprio nomine salutatus est) Hierosolymam profectus cum quadragesimam in monasterio austerè transegisset, Abbas illum Episcopum quidem futurum esse; at multa passurum prædixit, cum Macarij Episcopi prædicationi interesset, ab eo proprio nomine vocatus est, ac abeuntibus monachis in Siciliam, cum Gregorius hortatu Episcopi remansisset, locaq; sancta visitasset, Diaconus ordinatus est. Apud eremitas annum demoratus, ab vno illorũ, qui nomen illius diuinauerat, philosophiam edoctus christianam Hierosolymam reuertitur. Inde Antiochiam profectus, ibi annos 8. in sermonibus, & disputationibus versatus fuit, Byzantium postea veniens, cum apud monachum vitam aliquandiu asperam vix herbis sale conditis, in cibum idque raro adhibitis degisset, accersitus à Patriarcha, ab eo doctissimus agnitus est, ac contra Sergium, Pyrhum, & Cyrillum hæreticos in concilio disputans eos confutauit, liberaliter autem propterea à Iustiniano Imp. tractatus, Romam venit, vbi fama doctrinæ eius vulgata ab Episcopis, qui concilio interfuerant, sub Vigilio Papa, Gregorius in monasterio S. Sabæ studuit latere: Sed Theodoro Episcopo Agrigentino post Potamionem defuncto à Pontifice SS. Apostolorum Petri & Pauli admonitu Episcopus creatur, licet inuitus (fugerat enim, & se abdiderat) vbi Caritonem patrem, tunc Romæ agentem deque filij absentia quærentem vidit, & consolatus est. In Siciliam itaque nauigans cum patre Panormi leprosum, mutum & surdum diuinitus curat. Agrigenti templum ingresso columba capiti eius ex alto aduolans insedit (quod & Romæ in basilica S. Petri factum fuerat) vbi, & Sabini ciuis Agrigentini filiam attractam signo crucis liberauit. Cum autem, assiduis prędicationibus gregem suũ pasceret, & pauperes proprijs facultatibus sustentaret, optimiq; Pontificis officio fungeretur. Sabinus, & Crescentius Episcopatũ ambientes mulierculam pecunia subornatam, dum S. Episcopus ad horas matutinas de more surrexisset, corruptis seruis in proprium illius lectum introductam, Episcopo post horas in cellam multis clericis comitantibus reuerso aduersus eum personantes deprehendunt; quæ ab eis in medio adstantium interrogata, se cum Gregorio Episcopo dormijsse, & ab eo cognitam fuisse respõdit.

Gregorius asperam herbis sale conditis vitam degit.

Sergium, & alios hæreticos cõfutat.

Gregorij capiti colũba aduolans insedit.

Sabini filiam attractam signo crucis liberat.

dit. Quare illi S. Episcopum arreptum vinciunt, & carceri compeditum includunt: multis accurrentibus, ac Sabinum, & Crescentium interficere volentibus, nisi is obstitisset, sed cum ab Angelo solutis vinculis eductus fuisset, ab omni populo innocens agnoscitur. Interea Exarchus ab inimicis accitus adest, corã quo cum muliercula se à Gregorio cognitam asseueraret, illicò à Dæmone arrepta ad Gregorij pedes volutabatur, veniam petens. Quod cum magiæ tribueretur Exarchus Gregorium in carcere seruari iubet, donec Rom. Pont. certior factus, quid agendum sit, responderet, Gregorius verò noctu extractus, & naui cum vno seruo impositus eijcitur: qui Romam delatus cum litteris Exarchi carceri mancipatur, vinculis constrictus (a quibus tamen noctu ab Apostolis solutus fuit) vbi filium custodis à Dæmone oppressum liberat. Erat per eos dies Romæ Marchus monachus, qui Pontifici Gregorij sanctitatem testatus, testes Imp. & Patriarcham Constantinopolitanũ, quibus ille notissimus erat, dabat. Cum autem Marciani, & aliquot Episcoporum, qui cum eo Romam venerant, iudicio remissus esset. Marcianus autem ita ægrotasset, vt nulla salutis spes esset, delatus ad Gregorium in carcerem repentè oratione illius conualuit: quo miraculo in concilio Episcoporum 150. coram Pont. enarrato, cum mulieri adhuc Dæmone agitata ab aduersarijs in medio concilij constituta, postquã expulso dæmone adiurata, vt veritatem fateretur, plorans se à Sabino, & Crescentio inductam S. Episcopum falsò accusasse diceret absolutus est, accusatoribus (pro quibus Gregorius intercesserat) in ipso concilio à nimbo in facie percussis, loquelaque priuatis. Gregorius autem cum Constantinopolim ad Imp. & Patriarcham visendos profectus esset, in Siciliam Agrigentum reuersus est ab vniuersa ciuitate, quæ sibi obuiam processit, ingenti lætitia exceptus est. Qui paulò post viuentibus adhuc parentibus, obdormiuit in Domino 9. Kal. Decembris An. sal. 560. *Ex vita per Metaphr. à Lipom. tom. 5. & Sur. tom. 6. rel.*

Greg de muliere in eius lecto per dolum intrusa innocens agnoscitur. Mulier a Dæmone arripitur. Romæ Gregorius in vincula coniectus ab Apostolis solutus fuit. Filium custodis à Dæmone oppressũ liberat. Marcianus desperata salute sanatur. Mulier veritatem adiurata fatetur. Gregorius Persecutoribus intercedit, q à nimbo in faciem feriuntur, loquelaque priuantur.

ANNOTATIO.

Claruit sub S. Greg. Papa apud quem falsò accusatus est (multa enim Greg Papa in Regist. epistolæ ad illum leguntur) & Mauritio Imp. vt scribit Baron. in Annotat. acta apud Metaphr. & Græc. in Anthol. sub Iustiniano multò ante vixisse continent. Agunt autem Græci de illo die seq. ipsumque aduersus Metaphrastem in extrema senectute decessisse in Anthol. asserunt.

DE S. COLVMBANO ABBATE BOBIENSI.

Vide supra die 21.

DE S. SPEO EPISCOPO SPOLETANO.

Vide infra die 29.

Nouembris die 24.

DE S. CHRYSOGONO MARTYRE AQVILEIÆ.

Chrysogonus Romæ Diocletiano Imp. qa christianus esset in carcere detentus biennio S. Anastasiæ facultatibus sustentatus est: quã is a Publio viro ppter Christũ, quem colebat, afflictam, carcereq; diu maceratã propterea; à suis orationibus per litteras auxilium postulantem mutuis epistolis est consolatus. Cum autem Imp. Aquileiæ ageret, Romamq; scripsisset, vt christianis, qui in carceribus essent, interfectis, Chrysogonus ad se mitteretur, eò perductus est.

Chrysogon' Diocl. charus.

Cui

Cui Imp. *Accersiui, inquit, te Chrysogone, vt honoribus augeā, si modo Deos colere in animum induxeris* (obtulit autem illi vrbis Præfecturam) At Chrysogonus. *Ego Imperator, eum qui verè Deus est, mente, & oratione veneror: Deos autem, qui nihil sunt, nisi Dæmonum simulachra non possum non odisse, & execrari.* Quo responso excandescens Imp. statim ad aquas Gradatas ductum securi percuti iubet 8. Kal. Decembris. Cuius corpus in mare proiectum, Zoilus Presbyter in littore paulò post inuentum in ædibus suis sepeliuit. *Ex Breu. Rom. & Aquileien. ac ex Act. S. Anastas. à Metaph. conscript. & à Lipom. & Sur. rel. De eo etiam Petr. in Cat. lib* 10. c. 101.

Imp. Vrbis Præfecturam Gregorio offert, si Idola veneretur.

ANNOTATIO.

Chrysogonum virum nobilissimum fuisse apparet; cum Dioclet. illum tanti fecerit, vt ad se Roma Aquileiam perducendum curaret, eique Præfecturam offerret. Extat Romæ ecclesia S. Chrysogoni vetus Cardin. titulus.

DE S. CRESCENTIANO MARTYRE ROMÆ.

Crescentianus clericus Romæ vnà cum Cyriaco Largo, & Smaragdo iussu Maximini Diocletiani; qui iam excesserat, filij comprehensus Carpasio Vicario puniendus traditur. Qui ad Telluris templum ductus cum socijs, cum Dijs constanter sacrificare renuisset, in equuleo suspensus spectantibus socijs fustibus cæditur, & vngulis dilaniatur, facibus etiam accensis ad latera eius admotis exustus. Quibus in cruciatibus instante Carpasio iteratis S. martyr inter ipsa certamina spiritum Deo reddidit. Eius corpus à Ioanne Presbytero ipsa nocte in Priscillæ cœmeterio via Salaria sepultum est 8. Kal. Decembris. *Ex pass. & Gest. SS. Cyriaci Largi, & Smaragdi, apud Sur. tom. 4. ac ex Gest. S. Marcelli Papa, & mart. De eo Pet. in Cat. lib.* 10. c. 102.

ANNOTATIO.

Alij sub Maximiano Galerio, non Maximino Dioclet. filio Crescentianum vnà cum socijs passum tradunt. Neque enim Diocletiano filius aliquis fuit superstes, nisi fortè adoptiuus. Fortassis pro Maximino. vel Maximiano Maxentio (sub quo S. Marcellus passus fuit) legendum est. Nam abdicatis sponte Imperio Diocletiano, & Maximiano, successore Constantius in Occid. & Maximianus Galerius in Oriente. Romæ autem Maxentius Imperium vsurpauit à Constantino postea interfectus.

Corpus S. Crescentiani in titulum Equitij à Sergio II. Papa translatum in eius vita legitur.

DE S. FIRMINA VIRGINE, ET MARTYRE Amerina.

Firmina virgo Calphurnij vrbis Romæ Præfecti filia, à teneris Christum colens, vt id liberius præstaret, relictis omnibus, apud Ameriam ciuitatē habitauit: Sed apud Olympiadem eius vrbis Præfectum accusata, ab eo accersitur, & blandis verbis, vt Deos colat, suadetur, quod vt faceret, Præfectus se illam in vxorem ductūram pollicetur. At virgo se non posse prioris sponsi fidē fallere respondit: interrogata autem quis esset, ait, sponsum suum esse Christum, Dei filium, qui cuncta creauit, & regit, Olympias verò amore virginis captus

captus (erat enim perelegans) cum illa inuitata secum cænare noluisset, in cubiculum duci, ac cibos ei deferri iussit, cumque post cœnam ad eam veniens orantem vidisset, & illam amplecti vellet, statim stupefactis brachijs, maximis doloribus cruciatus clamare cœpit, & opem virginis implorare. At illa, eum liberatum iri dicens, si in Christum crederet, eo se credere asserente, Felicem Presbyterum accersit, à quo Olympias vnà cum tota eius familia, in qua vtriusque sexus 158. erant, baptizatus statim liberatus est, cum locum, in quo erāt, lux magna de cœlo collustrasset. Quibus Diocletiano delatis, Megetium Ameriam misit consularem, qui primum Olympiadem in Christi confessione perseuerantem supplicijs affectum occidit; deinde Firminam comprehensam aggreditur, illamque frustrà verbis, vt Dijs sacrificaret, tentatam, flagellis cædi nudam iubet: at vnus ex tortoribus Vrsicinus nomine simul ac brachium, vt percuteret, sustulit, ita ei immobile obriguit, vt nullo pacto in vllam partem flecti posset; oratione autem virginis, cui se commendarat, liberatus magnum, & verum esse Deum Firminæ clamare cœpit (qui carceri inclusus à Valentino Presbytero aqua sacra expiatus post virginem passus est) Megetius rem magiæ attribuens, Firmanam rursus frustrà ad Idolorum cultum suasam, ferreis catenis immanissimè cædi, deinde capillis appensæ lateribus eius ignem admoueri præcipit. Quo in supplicio illa animam Deo reddidit 8 Kal. Decembris, An. sal. 303. Eius corpus extra Ameriam sequenti nocte ab Honorio pio viro sepultum, cum diu latuisset Honorio II. Pont. Max. à Paschali Episcopo Amerino, cui virgo in somnis bis apparuerat, ieiunio, & precibus populo indictis in loco, cui Agolianum nomen est, ab vrbe ad 8. M. P. distante inuentum vnà cum corpore Olympiadis Ameriam translatum clero, & populo comitante ibi honorificè conditum est. *Ex monum. Eccles. Amerina, & lib. de virgg. Rom.*

Olympias vrbis Præfectus virginē comprimens maximis doloribus cruciatus opem à virgine implorat.

Vrsicino tortori brachiū immobile obriget.

Virgo capillis suspendit.

ANNOTATIO.

ILlam Amerini præcipuè colunt, vti vrbis suæ patronam, & tutelarem, cui templum; in quo corpus virginis reconditum est, insigne excitarunt.

DE S. FELICISSIMO MARTYRE PERVSINO.

FElicissimus Perusiæ pro Christi fide martyrium subijsse apud Vsuardum, & Martyrologium Rom. atque in antiquis Ecclesiæ Perusinæ tabulis traditur, licet eius Acta non extent, neque, sub quo Imp. coronatus fuerit, apud aliquem legatur. Extat eius memoria in agro Perusino. Sunt, qui illum confessorem nominent, vti Petrus Galesinius in suo Martyrologio; & qui neque martyrem, neque confessorem scribant, vti Vsuardus. Martyrologium tamen Rom. & tabulæ Ecclesiæ Perusinæ eum martyrem habent. *Ex Martyrol.*

ANNOTATIO.

CVm Perusiæ moraremur, sollicitè, & anxiè huius S. martyris gesta perquisiuimus; sed neque si corpus ipsius extet, scire potuimus, neque vllam prorsus memoriam in ea vrbe præter nominis reperimus. Illi tamen sacram in territorio ædem positam esse intelleximus.

DE

DE S. PROTASIO EPISCOPO MEDIOLANENSI.

PRotasius Mediolani natus (quem ex Algisia familia procreatum ferunt) S. Mirocletis discipulus, cui, eius virtutes imitatus, in Episcopatu Siluestro I. Pont. Maximo successit. Is Ecclesiam Mediolanensem annos 12. summa cum laude administrauit, in eaque admirandos progressus fecit, cum iam persecutionis Gentilium procella prorsus cessasset, cõcilio Sardicensi interfuit. S. Epiphanium Episcopum Ticinensem, qui S. Crispino successit, consecrauit. Denique multis præclarè gestis sanctitateque conspicuus abijt in cœlum 8. Kal. Decembris. Corpus in æde S. Victoris sepultum est. *Ex Breu. Mediolanen. & Act. eiusdem Eccles.*

S. Epiphaniũ Episcopum Ticinensem consecrat licet id tempo rum supputationi haud verisimile.

ANNOTATIO.

SI Protasius à S. Siluestro Papa ordinatus est, & 12. duntaxat annis sedit, vltimo ipsius Siluestri anno, ordinatum fuisse, obijsseque statim postquam à concilio Sardicen. reuersus est, oportet. Quod autem Epiphanium consecrasse dicitur Episcopum Ticinen. rationi temporum apertissimè aduersatur. Cum is Episcopus creatus sit an. D. 466. Hilario Pont. ex Baron. Annal. ad an. præd. Si igitur S. Protasius interfuit concilio Sardicen. an. D. 347. celebrato sub Iulio I. Pont. & Epiphanium Episcopum Ticinen. consecrauit an. 466. vixisset in Episcopatu supra annos 119. corrigenda itaque sunt S. Protasij Acta, tam in Actis Eccles. Mediolanen. quam alibi.

Nouembris die 25.

DE S. MOYSE PRESBYTERO, ET MARTYRE ROMÆ.

MOyses Presbyter Romæ diu ob fidei christianæ confessionem exagitatus fuit; nam comprehensus vnà cum Maximo Presbytero, & alijs diutino carcere maceratus est: quem S. Cyprianus Episcopus Carthaginensis per litteras est consolatus. Is cum doctrina excelleret, strenuè aduersus Gentiles, & Nouatianos hæreticos & schismaticos decertauit, à S. Cornelio Papa egregio encomio commendatus. Denique in Decij persecutione tentus, varièque tentatus, vt Idola veneraretur, Illustri, & admirabili martyrio pro Christo coronatus est 7. Kal. Decembris. *Ex Martyrol. Rom. & Actis S. Cornelij Papæ.*

Moyses insigni elogio à S. Cornelio Papa celebratus.

ANNOTATIO.

EIus meminit S. Cyprian. pluribus in locis, & S. Cornelius Papa, in Epistola ad Fabium Episcopum Antiochenum.

DE S. IVCVNDA VIRGINE REGIENSI.

IVcunda virgo apud Regium Lepidi in Æmilia nata, à teneris orationibus, vigilijs, ieiunijs, eleemosynis, atque pijs operibus addicta Christo Domino cui virginitatem dicatam seruauit, inseruire cœpit. Vixit sub S. Prosperi Episcopi Regiensis disciplina. Quæ, vt ætate, sic & religione, ac virtutibus christianis crescebat. Vitam enim planè Angelicam abstinentiaque admirabilem agebat, cum lacrymis & suspirijs, ad vitæ cœlestis perfectionem anhelans. Erat in primis Beatissimæ virginis Dei genitricis obseruantissima; quam sibi, quantum liceret, imitandam proposuerat. Denique diutinis carnis macera-

Iucunda inter cæteras virtutes B. V. M. obseruantissima.

rationibus confecta ad sponsum migrauit 7. Kal. Decembris. Cuius corpus in æde sancti Petri conditum in præsentem vsque diem asseruatur. *Ex monum. & antiqua Eccl. Regien. traditione. Eius mem. Martyrol. Rom. in Aemilia Prou. quo nomine Regium aliquando appellatum ex vita Sancti Apollinaris Epis. & mar. ac ex antiquis Imaginibus aereis probari videtur.*

ANNOTATIO.

ET si Acta huius virg. non extant, extat tamen hymnus hic, qui in Ecclesia Regien. ante Breuiarij Reformat. recitari solitus erat.

Iucunda Virgo nobilis,
Deoque acceptabilis
Vitam Beatæ Virginis
Secuta ab incurabilis.
Carnem sacris ieiunijs
Macerans, & vigilijs
Lacrymas, & suspiria
Effundens coram Angelis.
Iuncta Beato Prospero
Non carnali commercio
A Spiritu Paraclito
Erecta cum tripudio.
Ad hanc ille Sanctissimus
Modulatis carminibus,
Et spretis curis omnibus
Sacris scribit apicibus.

Nouembris die 26.

DE S. BELLINO EPISCOPO PATAVINO, ET MARTYRE HADRIENSI PATRONO.

BEllinus natione Germanus, cùm virtutibus, ac pietate maximè præcelleret, Patauinus Episcopus creatur. Qui cum Ecclesiam suam omni sanctitate administraret, & iura illius defenderet, cuiusdam ciuis ditissimi, quem sæpius monitum, & contumacem à Communione Fidelium separare coactus fuerat, quòd Ecclesiæ decimas vsurparet, odium in se concitauit. Quapropter dum Sanctus Episcopus Romam pro suæ Ecclesiæ negotijs iter arripuisset, apud Rodigium Agri Pollicinij oppidum ab eo ciue inuasus gladio, canibusque impiè interficitur. 6 Kalen. Decembris. Anno salutis humanæ 1549. Cuius corpus ibi sepultum miraculis coruscare cœpit. Homicida vero ex ditissimo factus inops, ac ære alieno oppressus, in carceribus diu detentus miserè interijt. Filij quoque, de quibus miram rem narrant, quod nunquam Ecclesiam Sancti Bellini ingredi potuerint, breui omnes extincti sunt. *Ex monument. Eccles. Patauin. & Hadrien. & Bernardino Scardeon. libro secundo, classe sexta, de antiquitat. vrbis Patauin.*

Bellinus à canibus impiè interficitur.

Interfectoris filij Ecclesiã S. Bellini nũquam ingredi possunt.

ANNOTATIO.

CVm corpus Sancti martyris crebris præfulgeret miraculis ab Eugenio Tertio Pontifice Maximo anno sequenti, vel altero in SS. numerum relatus est, Hadriensique Diœcesi patronus datus.

DE

DE S. SILVESTRO ABBATE AVXIMANO, APVD Fabrianum.

Siluester ossibus cuiusdã Iuuenis conspectis conuertitur.

Congregatio Siluestrina.

Siluester saxum ingens signo crucis dimouit.

Cæco visum reddit.

Aquam in vinũ conuertit.

Sui percussoris manum leprosam mũdatam restituit.

Spiritu prophetiæ insignis.

Claudi duo sanantur.

Prodigium mirabile.

SIluester Auximi in Piceno non obscuro loco natus, adolescens sæculi huius voluptates secutus est. Cum autem quadam die sepulchrum, in quo adolescens quidam nobilis diues,& elegans humatus fuerat, introspiciens, dũ aperiretur, ossa illius conspexisset, sic perterritus fuit, vt secum diceret: *En ego sum, quod hic fuit; & breui ero quod hic est*: Quare reuersus domum, & superioris vitæ institutum dolens, magnam lacrymarum vim profudit; moxque patria & suis omnibus relictis se in solitudinem apud Fabrianum contulit. Vbi in summa vitæ asperitate diu commoratus prioris vitæ maculas abstersit, ac breui fama sanctitatis peruulgata, multis ad se pertractis discipulis monasterium extruxit, & congregationem, quæ ex eo Siluestrina dicta est, instituit. Is multis viuens claruit miraculis: in quibus illud in primis memorandum: quod saxum immane, quod plurimi machinis dimouere nequiuerant, adueniens ipse solo signo crucis adhibito facilè mouit. Eodem signo crucis cæco cuidam lumen restituit. Cum vinum cisternam eiusdem monasterij construentibus deficeret, aquam afferri iussit, quam signo crucis benedictam mirabiliter in vinum conuertit; quod & Cinguli in nosocomio fecisse traditur. A quodam ciue Fabriani contumelijs,& verberibus affectus, quòd illius filium ad habitum monachalem noluisset admittere, non solum patienter tulit, sed & illius manum, qua percussus fuerat, leprosam diuinitus effectam, postquam resipuisset, mundatã restituit. Clarus quoque prophetiæ spiritu, multa prædixit, quæ ita prorsus euenere. Cum Institutum suum optimis legibus communisset, tandem laboribus,& ætate confectus migrauit ad Dominum 6. Kal. Decembris, An. sal. 1267. ætatis verò 90. Ad cuius corporis contactum claudi duo repentè sanati sunt. Prodigium etiam accidisse post mortem ferunt, hoc est, sanguinem ex digito alterius pedis triduo postquam excesserat è viuis, mirum in modum profluxisse. *Ex vita illius ab Andrea monacho Fabrianen. scripta. De eo S. Anton. in Cron. parte 2. tit. 15. c. 23. August. Florent. monach. Camaldulen. in hist. Camald. lib. 2. c. 45. & alij.*

ANNOTATIO.

NOndum in SS. solemni ritu relatus est. Clemens tamen VIII. Pont. Max. illum in Martyrol. Rom. adnotandum curauit.

DE S. AVDENTIO CONFESSORE APVD NOVARIAM.

AVdentius confessor in tota Nouariensi diœcesi hac die celebratur: cuius corpus in S. Iulij insula, quæ infra Hortanum lacum est, religiosè asseruatur. Acta illius in Ecclesia Nouariensi desiderantur: vt hactenus sciri haud potuerit, vbi, & quando, vixerit, aut obierit. *Ex Tab. Eccles. Nouarien.*

ANNOTATIO.

SOla Nouarien. Ecclesia Tabula ad vsum sacrum conscripta huius S. confessoris mentionem faciunt, corpus illius in Insula S. Iulij quiescere attestantes. Acta videre nondum concessum fuit.

DE

DE S. GAVDENTIO MONACHO, IN DIOECESI Fæſulana.

GAudentius in Campania monachus vnà cum S. Hilario Abbate Theodorico Gothorum Rege, à quo Symmachus, Boetius, & Ioannes Papa martyrio affecti ſunt, vitam duxit ſolitariam, eo loci, qui Oplus dicitur, vbi etiā eius memoria perſeuerat. Inde in Hetruriam profectus in monte propè Vrſianum Diœceſis Fæſulanæ apud Decumanum fluuium (Hilario cum Marciano, & Luciano diſcipulis alio ſecedente) conſedit. Ibique eremiticam, vſque ad obitū vitam egit. Qui cum migraſſet è vita, ſepultus diu delituit, quoad à venatoribus aprum inſequentibus detectus eſt, cum circa illius tumulum noctu lumina, & viros quoſdam albis veſtibus indutos vidiſſent. Cuius corpus ab Epiſcopo Fæſulano à venatoribus monito, ieiunio triduano prius indicto, eoque cum clero, & finitimis Epiſcopis profecto in eo tumulo cum huiuſcemodi inſcriptione repertum eſt. HIC IACET CORPVS B. GAVDENTII SACERDOTIS, ET MONACHI. Quod plauſtro impoſitum à duobus Iuuencis indomitis eò tractum eſt, vbi conſtructa ei eccleſia nunc iacet. Quam eccleſiam in Abbatiam erectam hac tempeſtate Fratres Seruorum D. Annunciatæ poſſidēt. *Ex vita illius in ſcripta apud Fratres D. Annunciatæ Florentiæ.*

Inuentio corporis S. Gaudentij.

ANNOTATIO.

VItam memoratam cenſura indigere, in eo, quod Gaudentium monachū S. Bened. fuiſſe continet, animaduertimus. Nam S. Bened. nondum erat ſub Theodorico Rege cum ſub Totila floruerit, qui in Italia regnare cœpit an. D. 542. Theodoricus verò an. 492.

Nouembris die 27.

DE S. VALERIANO EPISCOPO AQVILEIENSI.

VAlerianus Epiſcopus Aquileienſis VIII. Fortunato, ſiue Fortunatiano Ariano ſucceſſit. Valentiniano Imp. Hic Eccleſiam Aquileienſem non ſolum ab omni labe Ariana expurgauit; ſed etiam Eccleſiaſtica diſciplina illuſtrauit, vt clerici ſub eo quaſi, & Beatorum chorus viderentur, vt S. Hieronymus ſcribit, qui aliquandiù Aquileiæ ſub S. Valeriano commoratus S. Cromatij, & aliorum conſuetudine vſus eſt. Interfuit concilio Aquileienſi aduerſus Arianos Gratiano Imp. coacto, primum locum tenens: in quo aderant SS. Ambroſius Epiſcopus Mediolanenſis, Euſebius Bononienſis, Limenius Vercellenſis, Philaſtrius Brixienſis, Heliodorus Altinas, Euentius Ticinenſis, & Baſſianus Laudenſis. Interfuit etiam concilio Romano ſub Damaſo, & eodem Imp. vnà cum S. Ambroſio, Præfuit Eccleſiæ ſuæ annos 13, annos multis pro illa, & vniuerſali Dei eccleſia laboribus perfunctus. Quem S. Hieronymus in epiſtolis, & Rufinus Presbyter Aquileienſis commendant. Obijt diem 5. Kal. Decemb. *Ex monum. Eccleſ. Aquileien.*

Valeriani clerici Beatorū chorus, vt S. Hier. ſcribit, videbantur. Conciliis Aquileienſi, & Romano interfuit.

ANNOTATIO.

BAron. in Annotat. hic die Valeriano Cromatium ſucceſſiſſe ſcribit; quod ſi immediatè intelligit Cron. Aquileienſib. repugnat, cum inter Valerianum, & Cromatium, Benedictus annos quinque Patriarcha ſederit.

DE

DE S. MAXIMO EPISCOPO REGIENSI.

MAximus in Vico Coniato, siue Decomano pijs ortus parentibus ab infantia lubricos adolescentiæ annos morum grauitate transegit, luxuriæ illecebris, carnisque blandimentis abstinentia edomitis. Castimoniam cum pietate in primis coluit. Quibus non contentus ad maiorem anhelans perfectionem facultatibus; quæ illi erant copiosæ, alijsque rebus terrenis posthabitis, ad Lerinense monasterium se contulit, vbi tanta vitæ sanctitate, morumque suauitate vixit sub Sancti Honorati Abbatis disciplina, vt ei vita functo haud inferior meritis in regimine succederet. Cum vero insignium illius virtutum fama vbique volitaret, ad Episcopatum Regiensem non tam electus, quam raptus inuitus illicò consecratur, Quo in munere non modò prudentiæ, & aliarum pastoralium virtutum laude, sed etiam miraculis claruit. Cum enim Sancto Albino templum excitaret, eo præsente columnæ maximæ lapideæ à bobus paucis nullo quasi negotio trahebantur; absente verò tanto à dæmone pondere premebantur, vt nulla vi trahi possent, quod cum populo maximæ esset admirationi, sanctus Episcopus accedens vidit æthiopem sese bobus obijcientem: qui ad illius preces teterrimo fœtore post se relicto recessit. Puerum, & puellam diuersis tamen temporibus, & locis ad vitam reuocasse, cæcoque visum reddidisse traditur. Quin etiam puerum alium, rabidi canis morsu extinctum, vitæ restituit: & plurimos saucios, signo Crucis confestim liberauit. Seipsum ab omni peccati contagione purum assiduis precibus, ieiunijs, alijsque macerationibus cilicio indutus seruabat. Cum verò terminum vitæ præsciuisset, ad solum natale, vt propinquos inuiseret, & cœlestibus monitis instrueret, veniens, leui correptus infirmitate 5. Kal. Decembris cessit è vita. Corpus Regium relatum, in æde Sancti Petri, quam viuens ipse condiderat, summo cum honore sepultum est, miraculis clarum. *Ex off. Eccl. Regien. ac ex vita per Dinamium Patricium scripta à Sur. tom. 6. rel.*

Maximus virtutũ fama ad Episcopatũ Regij, licet inuit⁹, rapitur.

Dæmon templo S. Albino ædificãdo sub Aethiopis forma resistit.

Puerum, ac Puellã defunctos ad vitam reuocat.

Alia mirãda gloriosus efficit.

ANNOTATIO.

BAronius in Annotat. ad Martyrolog. Rom. hac die duo de Maximo habet, primum, quòd Episcopus fuerit Regij, non Galliæ Cisalpinæ, sed Galliæ Narbonensis: alterum quod Prospero eiusdem Vrbis Episcopo successerit. Primum Ecclesia Regien. in Gallia Cisalpina, seu in Aemilia, quæ vtrumque suum Episcopum agnoscit, & veneratur, vt ex monum. & tab. apparet, apertissimè aduersatur: alterum nonnihil dubitationis habet, nam Prosper an. D. 465. ex eius vita. Maximus verò an. 470. ex Tab. & Cron. Lirinens. decessit.

Cum autem Baron. Card. vir eruditiss. Sanctum Maximum Episcopum fuisse scribat Regij in Gallia Narbonen. non Regij Lepidi, atque corpus illius ibidem, vti accepimus reperiatur, Regium verò Lepidi Maximum Episcopum suum agnoscat cuius corpus Venetijs asseruatur, & eius adhuc natiuus locus, Coniatus pagus in territ. Regien. inter Corrigium. & Nouellariam (vbi domus & familia Sancti Maximi Azaria cognomine perseuerat) demonstratur: Sancti autem Maximi Episcopi Regien. in Gallia Narbonen. locus natiuus alius assignetur in vita per Dinamium Patricium scripta, quam Sur. tom. 6. refer. fieri potest. vt Maximus, qui Regij Lepidi colitur, ab illo, qui Regij in Gallia celebris est, diuersus sit, licet vita vnius cum alterius vita fuerit confusa. Nisi quis eundem dicat natum, apud Regium Lipidi, & Regij in Gallia Episcopum creatum: cuius corporis pars ibi. pars Venetijs sit.

DE S. APOLLINARE ABBATE CASINENSI.

APollinaris Abbas 14. Casinensis, ei cœnobio annis 13. Paschale, & Eugenio II. Pontificibus, Sitoneque Principe Beneuentano summa cum laude

præfuit

præfuit. Is sanctitate, & miraculis fulsit. Cum enim monasterij possessiones, & loca visitaret, essetq; Liris amnis sibi traijciendus, cum nauis deesset, facto crucis signo, illum siccis plantis mirabiliter transiuit. Eius causa Principes monasterium Casinense summo honore ducentes, non modo priuilegia, sed & prædia, villas, & castra, ei cócedebant, ita Apollinaris sanctitatis opinio apud eos inualuerat. Optimè itaque de suo cœnobio meritus 5. Kal. Decembris migrauit ex hac vita. Cuius corpus ibidem sepultum est. *Ex monum. monasterij Casin. in eius Biblioth. M.S. ac ex Cron. Leon. Ostien. lib. 1. ca. 23. & Pet. Diac. de vita & ob. SS.*

Apollinaris Lirim amnē siccis plantis traijcit.

ANNOTATIO.

MIgrauit è vita an. D. 828. primo ann. Pontif. Valentini, qui Eugenio II. anno 827. defuncto successit. Ludouico Pio Imp.

Nouembris die 28.
DE S. RVFO MARTYRE ROMÆ.

RVfus patricius Romanus à S. Chrysognono dum is in carcere detineretur ad Christum cum tota domo sua conuersus, vbi Christo baptizatus nomē dedisset, apud Diocletianum Imp. delatus comprehendi iubetur: cumque de religione interrogatus, se cum familia Christianum esse liberè confessus esset; vbi variè tentatus, vt propositum mutaret, se non posse semel agnitam veritatem dimittere diceret, dum Deos venerari constanter recusat, cū omnibus suis gladio obtruncatur est. 4. Kal. Decembris. *Ex Vsuard. Adone. Petro in Cat. lib. 10. cap. 120.*

ANNOTATIO.

PEt. in Cat. lib. cit. Rufum à S. Sebastiano conuersum, & à S. Polycarpo Presbytero baptizatum refert. ex Adone. Sed in Act. M.S. quæ à Baron. citantur, non à S. Sebastiano, sed à S. Chrysogono conuersus legitur: Quod probabilius est, cū in Act. S. Sebastiani nulla fiat Rufi mentio.

DE S. GREGORIO PAPA III.

GRegorius III. huius nominis natione Syrus, vir mitissimus, & sapientissimus græcè latineq; doctus Gregorio II. subrogatur an. sal. 731. Leone Isaurico Imp. quem initio Pontificatus missa non semel legatione, vt SS. imagines restitueret, in impietate persistentem anathemate percellere non dubitauit. S. Bonifacium Episcopum Moguntinum vti Germanorum Apostolum Pallio, & priuilegijs decorauit. A Luitprando Longobardorum Rege vexatus ad Karolum Francorum Regem confugit: Cuius opera rebus cum Luitprando compositis, ad sacras ædes instaurandas, & exornandas animum conuertit. Multa extruxit monasteria. Vrbem Centumcellensem, & ædem S. Chrysogoni prædijs illi attributis reficit. Statuam auream B.M.V. paruulum inter brachia tenentis in eius basilica maiore collocauit. Columnis ex Onychino marmore altare Beati Petri Apostoli exornauit, ac sacellum in eiusdem basilica ædificauit, plurimorum SS. reliquijs in eo reconditis. Pauperum curam, viduarum, & pupillorum patrocinium suscepit. Ferunt illum Episcopos per diuersa loca ad 148. creasse. Denique sanctissimus Pontifex multis pro Ecclesia exantlatis laboribus, cum annos decem, menses nouem, dies vndecim. Sedisset 4. Kalen.

Greg. Leonē Isauricū Imper. anathemate damnare non veretur.

A Luitprando Longobardorum Rege vexatur.

Pauperū, viduarū, & pupillorū patrocinator.

Decembris an. sal. 741. (quo anno. & Leo Isauricus defunctus est Constantino Copronymo succedente) abijt in Cœlum apud S. Petrum corpore sepulto. *Ex lib. Pont. Anastas. Bibliothec. Plat. & alijs.*

ANNOTATIO.

Platina, & Panuin haud in mensib. & dieb. cum Anastasio (cui tamen fides adhibenda est) minime conueniunt.

DE B. IACOBO ORDINIS MINORVM.

Iacobus in Piceno in Oppido M. Brandoni natus, & Minorum Ordinem ingressus Euangelij prędicationi operam dedit. Is cum doctrina vitæ sanctitate coniuncta à Pont. Rom. in diuersas mundi partes ad prædicandum mittitur; donec à Pio II. Pont. Max. vt sibi cogendo aduersus Turcas exercitu adiumento esset, reuocatur. Falsò apud Rom. Ponr. accusatus, quod de sanguine D.N.I.C. inter prædicandum malè sentiret, miraculo innocentiam defendit. Nam omnes illius aduersarij eadem nocte interierunt. Claruit spiritu prophetico, ac diuersis generibus linguarum. Neapoli, quò à Ferdinando Rege vocatus fuerat, ægrotans breui migrauit è vita. 4. Kalen. Decembris anno sal. nostræ 1476. Cuius corpus in ecclesia S. Mariæ Nouæ conditum adhuc integrum asseruatur. *Ex Cron. Minor.*

Aduersarij Iacobi accusatores eadé nocte intereunt.

ANNOTATIO.

Leo X. Pont. Max. Indulsit, vt eius fiat in propria ecclesia commemoratio.

Antiphona, quæ quotidie Neapoli in sacello B. Iacobi pro eius Commemorat. post Completorium recitatur.

Gemma lucis paupertatis, rosa rubens charitatis, martyr desiderio: vas totius puritatis, speculumq; castitatis, Picenorum gloria, decus morum, & Minorum, Prædicator verbi Dei, extirpator Hæresum. Tu forma sanctitatis Iacobe beatissime ora pro nobis Dominum. ℣. Ora pro nobis B. Iacobe. ℟. vt digni efficiamur promissionibus Christi. Oratio. Deus, qui prædicationibus B. Iacobi confessoris tui Ecclesiam tuam erudire dignatus es, nos tribue meritis adiuuari, cuius commemoratione lætamur. Per Christum Dominum nostrum.

Is multis post mortum miraculis fulsit; in quibus nobilem fœminam ex partu morituram vnà cum prole incolumem reddidit. Infantem post partum defunctum vitæ restituit. Pucro à natiuitate surdo, & mutuo auditum, & loquelam impetrauit. A Dæmonibus obsessi ad eius tumulum delati tactu cinguli in dies liberantur. Plura alia de eo mira in Chron. parte tertia lib. 6. narrantur. Vbi etiam Breue Clem. VII. Pontif. Max. Karolo 5. Aug. petente super eius Canonizatione continetur.

Multis claret post mortem mirac.

Karolus V. Imp. à Clem. VII. Canonizationem petit.

CARMEN IACOBI SANNAZARII ad B. Iacobum Piccinum.

,, *Sancte senex, quem nec sceleris contagia nostri,*
,, *Nec pessum vitijs sæcla dedere suis,*

Aequa-

,, *Aequasti magnos qui paupertate triumphos,*
, *Tantus amor niueæ simplicitatis erat.*
,, *Sylua tibi sedes, viridique è cespite lectus,*
, *Explebant mensas amnis, & herba tuas.*
,, *Talis erat Priscis victus mortalibus olim,*
, *Sed Priscis tantum viuere cura fuit.*
Et infra
,, *Fœlix, qui nostras potuisti linquere curas,*
, *Et procul humanas despicere illecebras.*
,, *Felices, qui te colles videre loquentem,*
, *Quæque tibi gratos præbuit herba toros.*
,, *Quæque arbor, rupesve sacra te fouit in vmbra:*
, *Et quæ nunc manes continet vrna tuos.*
,, *Nam licet incultis fuerit tibi vita sub antris,*
, *Nunc pedibus data sunt astra terenda tuis.*

Nouembris die 29.

DE SS. SATVRNINO, ET SISINNIO Martyribus Romæ.

Saturninus arenā fodit.

SAturninus cum alijs Christianis à Maximiano Imp. ad arenam fodiendam, & portandum ad Thermas Diocletiani, quæ ædificabantur, damnatus, cum sarcinam præ senio ferre non posset, à Sisinnio, & Cyriaco Diaconis Sancti Marcelli Papæ adiuuabatur. Quod cum Maximianus resciuisset, iussit eos à Laudicio vrbis Præfecto in carcerem trudi: in quo cum 17. dies fuissent, multosque ad Christum conuertissent, educti Saturninus, & Sisinnius, ac coram Præfecto constituti, cum Idola, quæ venerari iubebantur, expuentes comminuissent, eoque miraculo Papias, & Maurus milites in Christum credidissent, in equuleo suspensi torquentur, neruis, & fustibus, ac scorpionibus crudeliter cæduntur. Cumq; in confessione Christi immobiles permanerent, de equuleo depositi, ac extra vrbem ducti via salaria secundo ab vrbe milliario capite plectuntur. 3. Kal. Decembris. Quorum corpora Traso cum Ioanne Presbytero in suo prædio sepeliuit. *Ex Gest. S. Marcelli Papæ, à Sur. Tom.* 1. *rel. De eisd. Pet. in Cat. lib.* 1. *cap.* 4.

Idola comminuuntur.

ANNOTATIO.

EXtabat horum mart. memoria à Felice IV. restituta via salaria, nunc manent vestigia. Illorum reliquiæ in Titulum Pammachij translatæ asseruari feruntur ex eius Eccles. monum. Tametsi corpus Saturnini Papiæ vbi is hac die celebratur quiescere traditur, vti ex Tab. Eccles. Papiens. & corpus S. Sisinnij in titulo Equitij eo à Sergio II. translatum asseruatur, vt habent marmoreæ inscriptiones.

DE SS. BLASIO, ET DEMETRIO Martyribus Verulis.

Blasius, & Demetrius fratres, cum ex Euangelio audiuissent; *Vendite, quæ possidetis, & date eleemosynam*; & alibi: *Nisi quis renunciauerit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus*. Venditis omnibus, iisque pauperibus distributis, per Italiam peregrinantes, & sancta loca visitantes ad Verulanam ciuitatem perueniunt: vbi à ciuibus adhuc Gentilium errore detentis iniurijs affecti, & apud Honorium Campaniæ Præsidē accusati ab illius satellitibus cōprehenduntur. Ad Præsidem autem perducti, cum se Christianos esse faterentur; neque Dijs sacrificare, quod facere iubebantur, vellent, flagellis cæduntur. Cumque in proposito fortes persisterent, gladio animaduersi martyrio coronantur 3. Kal. Decembris. Quorum corpora à Christianis sepulta cum diu ignota fuissent, Cœlestino III. Pont. Maximo. Cum cuidam Bernardino Verulano in somnis apparuissent, Verulis ab Episcopo reperta sunt. 4. Kal. Iunij. *Ex monum. Eccles. Verulana M.S.*

SS. Pauperibus omnia distribuunt.

ANNOTATIO.

P*Atria horum mart. ignoratur, putantur in persecutione Diocles. vel Iuliani passi fuisse.*

DE S. ILLVMINATA VIRGINE TVDERTI.

Illuminata, ante baptismum Cæsarea, Rauennę Martiano, & Fabiana parentibus Idolatris nata, à teneris Christi fide imbuta ad Sebastianum Præfectū delata, cum ieiunijs, & orationibus vacaret, comprehenditur, ac ad Præfectum (qui statim virginis amore captus est ob eius egregiam formam) adducta, cum se Christianam fassa esset, custodiri iubetur in cubiculo à parentibus. Verum illa virginitati suæ insidias parari timens, à Deo opem precibus postulabat. Quare ab Angelo educta Britinorium peruenit, vbi à muliere hospitio benignè excepta eius filios: alterum à cæcitate; alterum ab immundo spiritu liberat. Parentibus etiam, qui cæcitate percussi fuerant, ad fidem conuersis lumen restituit: qui post eam pergentes illam in Martana ciuitate assecuti, veniam ab ea postulatam impetrant. Cum autem illuminata, multa edens miracula, multos ad Christum conuerteret, iterum ad necem ab Imperatorum satellitibus quæritur. Sed cùm à Deo, vt ipsa cum parentibus in pace reciperetur, impetrasset, breui inter psallendum, vbi ad psalmum quinquagesimum peruenisset, vnà cum parentibus migrauit è vita 3. Kal. Decembris. à Christianis in loco, qui Papinianus dicebatur, sepulta, miraculis fulgens. Postea verò brachium illius vnum Tudertum translatum in monasterio Militiarum conditum est. *Ex offic. Eccles. Tudertina.*

Illuminata cęcū illuminat; obsessumque liberat.

Miraculis ꝑ multos ad Christi fidē conuertit.

ANNOTATIO.

L*Icet in dictis off. nulla temporis mentio habeatur: in Actis tamen M.S. à Baron. citatis sub Maximiano Imp. claruisse legitur.*

DE S. SPEO EPISCOPO SPOLETANO.

Speus, siue Spes Honorio, & Arcadio Imperatoribus Spoletinam per annos 32. rexit ecclesiam tanta sanctitate, & pietate, tanta vigilantia, & prudentia, vt illum omnes venerarentur. Erat in rerum diuinarum contem-

pla-

platione, & sacrarum litterarum lectione, ac precibus assiduus, in pascendis ouibus peruigil, in fouendis pauperibus benignus, in corrigendis excessibus sapiens. Fuit etiam artis poeticæ non ignarus, ea in ijs, quæ ad diuinum cultũ spectarent, præcipuè vsus. Maximè verò in ornandis ecclesijs, & antiquis martyrũ memorijs instaurandis, quas carminibus, elegantibusq; inscriptionibus decorabat, diligentissimus. Claruit etiam miraculis: nam dum Ecclesiam S. Fortunato à S. Seuero dicatam consecraret, columbam super eum cœlitus aduolasse, scriptumq; reliquisse ferunt. *Corona hodie super caput eius pretiosa*. Quæ Ecclesia apud Oppidum M. Falchi adhuc manet; Vbi etiam presbyteros, & Clericos ordinauit. Denique multis præclarè gestis, migrauit ad Dominum 9. Kal. Decembris. *Ex antiq. lectionib. Eccles. Spoletin.*

Columba super eum volitat.

ANNOTATIO.

Dies natalis in 23. huius incidit; at propter S. Clementis festum transfertur.

Nouembris die 30.

DE S. ANDREA APOSTOLO.

Andreas Petri Apostoli germanus natu maior, & ipse ex piscatore ante omnes à Domino vocatus Apostolus factus est; Ioanne patre Bethsaide in Galilæa natus, cum prius Ioannis Baptistæ discipulus esset ab eoque audisset de Iesu: ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Statim eum secutus est eum & ad eum Simonem fratrem perduxit: Is post Ascensionem Dominicam, in Achaiam, quæ sibi in Prouinciarum partitione obuenerat, profectus in ea prouincia Christi Euangelium maximo cum prouentu prædicauit cum prius Epirum, & Thraciam peragrasset innumeris ad Christum conuersis, Patras vrbem longè clarissimam, regionisque Metropolim cum venisset, multos ad Christi Domini fidem pertraxit; quod vbi Aegeas Proconsul rescivisset, festinus ad eam vrbem contendit, vt nouos Christi cultores ad Idolorum cultum reduceret. Cui Andreas occurrens benignè quidem; sed audenter increpauit, quòd qui Iudex hominum haberi vellet, summum illum viuorum, & mortuorum Iudicem, hoc est, Christũ non agnosceret à Dæmonibus illusus. Cui Aegeas iratus, *desine, inquit, Christum iactare, cui similia verba nihil profuere, quominus à Iudæis crucifigeretur*: Cumque Andreas Christum cruci affixum pro salute generis humani se ipsum obtulisse diceret, ille Apostolum, vt sibi consulens Dijs velit immolare, hortatur. Cui Andreas, *Ego quotidie Omnipotenti Deo, qui vnus est, immolo non taurorum carnes, nec hircorum sanguinem; Sed immaculatum Agnum, cuius carnes postquam omnis populus credentium manducauerit: ille qui sacrificatus est integer, perseuerat*. Quibus Ægeas ita magis incensus Andream in carcerem detrudi imperat. Vnde facilè populus illum liberasset, nisi ipse turbam sedasset rogans ne se ad optatissimam martyrij palmam properantem impedirent. Paulò post in Tribunal productum, ac crucis mysteria extollentem, suamque Ægeæ impietatem exprobrantem Proconsul prius flagellis, cæsum in crucẽ tolli, & Christi Dñi mortem imitari iussit. Andreas itaq; ad locũ supplicij ductus cum crucem sibi paratam à longè conspexisset; *O bona crux*, dicere cœpit *quæ decorem ex mẽbris Domini suscepisti, diu desiderata, & aliquando concupiscenti animo præparata, sollicitè amata, sine intermissione quæsita suscipe me ab hominibus, et redde me magistro meo, qui in te pependit*. Cruci itaq; affixus, & biduũ in ea viuus pẽdẽs assiduè populũ Christi fidẽ docebat: orãs ne ab iniquo iudice deponeretur, ad eũq; migrauit, cuius mortis similitudinẽ cõcupierat, cũ magnus de cœlo super

Andreas Petri natu maior primus Christum secutus.

Epiro, & Thracia peragrata in Achaiã venit.

Patris Aegeã Procons. prædicationi cõtrarium habet.

Ab Ægea carceri includitur.

Ad immolandum Dijs sua detur.

Respõsio Andreæ.

Aegeas Apostol. flagellari, deinde in Crucem tolli iubet.

Andreas lætissimus ad suppliciũ vadit.

Oratio ad Crucem.

eum splendor visus esset. Cuius corpus à Maximilla eius discipula aromatibus conditum optimo loco sepultum est: quod postea Constantino Imp. Constantinopolim, & inde Amalphim apud Salernum translatum fuit. Caput verò Romam Pio II. Pont. Max. delatum in basilica S. Petri conditum est. *Ex Brev. Rom. Metaph. Lipom. Tom. 1.*

Corpus Constantinopolim, deinde Amalphim translatum.

Caput Romæ.

ANNOTATIO.

Variæ de Andrea Apost. sententiæ.

DE S. Andrea varia apud authores leguntur: nam alij, vt habet Ioachinus Perion. In Achaia Matthæum Apost. obcæcatum, carcerique inclusum liberasse dixerunt. Alij eum Cappadociam, Galatiam & Bithyniam peragrasse ferrunt, vt Niceph. lib. 8. c. 6. Alij eum post Petrum martyrium consumasse, vt Chrysost. in serm. de S. Andrea. Alij illum Petro natu minorem ex falso verborum Chrysostomi intellectu. Ferunt etiam alij Aegeam populi tumultum veritum Apostolum de Cruce voluisse deponere, nisi Apostolus obstitisset.

DE SS. CASTVLO, ET EVPREPITE Martyribus Romæ.

CAstulus, & Euprepes Romæ martyrio ob Christi confessionem coronati à Beda, Martyrologio Rom. & alijs Pridie Kal. Decembris referuntur. Cætera ignorantur.

ANNOTATIO.

PEt. Gales. Bedam secutus Euprepitem Epreptum nominat; sed antiqua M.S. quæ à Baronio citantur Euprepitem habent. Horum porrò Mart. nulla alia perdurat memoria præter dictam.

DE S. CONSTANTIO CONFESSORE ROMÆ.

Constantius Pelagianorũ hostis infensissimus.

COnstantius Romæ Honorio, & Theodosio Iuniore Imperatoribus strenuè aduersus Pelagianos Innocentio I. Pontif. Maximo decertauit: à quibus multis expetitus insidijs, multa pertulit. Denique victor de illis triumphans vitæ sanctitate clarus migrauit è vita. Pridie Kal. Decembris. *Ex Martyrol. Rom. & S. Prosp. in Cron. ad ann. Domini* 417.

ANNOTATIO.

AN Presbyter, vel Diaconus fuerit incertum est. Illud perspicuum, doctrina sacra, & vita probitate præditum fuisse.

Decembris die 1.

DE SS. MARTYRIBVS DIODORO PRESBYTERO, Et Mariano Diacono Romæ.

DIodorus Presbyter, & Marianus Diaconus cum alijs clericis, ac plurimis Christianis ex vtroque sexu in Crypta; in qua SS. Chrysanthus, & Daria conditi fuerant conuenientes vigilias, & diuina mysteria celebrabant. Quod cum Numerianus Imp. accepisset, protinus misit, qui ex improuiso, qua die solemnitatem martyribus celebrabant, os speluncæ, aditumque obstruerent. Qd cum summa celeritate factum fuisset, omnis illa virorum, fœminarum, & puerorum multitudo incredibilis (quæ propter crebra miracula, quæ ad SS. Chrysanthi, & Dariæ tumulum fiebant, confluxerat) terra vndique decidente oppressa

pressa extincta est, Diodoro, & Mariano cæteros ad eam mortem pro Christo perferendam hortantibus Kal. Decembris. Quorum corpora à Stephano Papa VI. Anno post Christum natum 886. effossa & inuenta per omnes ferè vrbis ecclesias, & monasteria diuisa sunt, & recondita. In qua inuentione illud mirum contigisse ferunt, quod lampas in ea crypta accensa per sex dies cõtinuos, donec Sanctorum corpora omnia eruerentur absque olei additione perdurarit. *Ex Pass. SS. Chrysanthi & Darij, & Pet. in Cat. lib. 1. c. 12.*

Lãpas accẽsa p sex dies absq; olei additione perdurat.

ANNOTATIO.

AN dies sit passionis hac, vel inuentionis non ita certum est: passiones esse probabile est, nam eodem anno post SS. Chrysanthi, & Dariæ martyrium passi putãtur.

DE SS. MARTYRIBVS LVCIO; ROGATO, CASSIANO, ET CANDIDO ROMÆ.

LVcius, Rogatus, Cassianus, & Candidus Romæ pro Christo passi sunt, vt antiqua Martyrologia manuscripta habent; licet in qua persecutione ignoretur. Beda pro Candidus, Candida habet.

DE S. ANSANO MARTYRE, ET SENENSI ADVOCATO.

ANsanus Tranquillini nobilis Romani filius à puero inscio patre Christianam religionem edoctus duodennis à Protasio Presbytero sacra vnda perfusus regeneratur à Maxima muliere Christiana de Sacro fonte leuatus: ac domum reuersus Christum colebat occultè. Factus grandior annorum 19. cum iam se Christianum publicasset, Delatus apud Imperatores Diocletianum, & Maximianum, quo tempore persecutio in Christianos feruebat, vnà cum Maxima comprehenditur, dumque ad Imperatores duceretur, cæco in via obuio lumen restituit. Oblatus Imperatori cum se Christianum diceret nec Dijs thus adhibere vellet, vt iubebatur, in carcerem mittitur: vbi diu propter fidei constantiam afflictus, Maxima nodosis fustibus ad mortem cæsa, tandem aufugiẽs Balneoregium venit. Inde Angelica visione roboratus Senas proficiscitur, vbi cum Christum liberè prædicaret, multosque signis ad eum perduceret, à Lysia Proconsule tentus, cum neque blanditijs neque minis de constantia dimoueri posset, in ignem valdè accensum inijcitur: sed eo diuinitus extincto ad Arbiam fluuium ductus ibi capitis obtruncatione martyrium compleuit Kalen. Decembris, ibique sepultus est. Passus fuit anno sal. 303. anno 20. Imperij Diocletiani, & Maximiani Imperatorum. *Ex Actis eius M.S. & Pet. in Cat. lib. 1. c. 14.*

Ansanus cæco lumen restituit.

ANNOTATIO.

HVius S. mart. celebris est multis in locis memoria Extat in agro Bononien. antiquum Benedict. cænobium S. Ansano dicatum: quod nunc à monachis desertum Fratres Seruorum Bononiæ cum prædijs possident.

DE S. OLYMPIADE VIRO CONSVLARI, ET MARTYRE AMERIÆ.

OLympiades vir Consularis, ac Ameriæ Præfectus Firmanæ Virginis apud se Christianæ religionis accusatæ, amore captus, cum cęca libidine stimu-

Olympiades Firminę Virginis amore captus in illius amplexu furens, intimis doloribus agitatus, se Christianum fore pollicetur. Crudelissimè torquetur.

latus cubiculum ingressus, in illius precibus operam dantis amplexus ferretur, subitò stupefactis manibus intimis doloribus agitari cœpit, ac veniam precatus opem virginis postulare, se Christianum futurum, si pristinam recuperaret sanitatem, pollicitus. Oratione itaque Firminæ sanatus cum tota familia à Felice Presbytero baptizatur. Re ad Diocletianum delata, Megetius consularis extemplo Ameriam mittitur. Qui Olympiadem accersitum acriter reprehendit, quòd mulierculæ blanditijs delinitus Deorum cultum deseruisset, ac monet, vt bono suo resipiscens pristinam erga Deos mentem retineat, quò pristinos apud Imperatores honores recipiat. Sin minus cruciatus diros, & mortem minatur. Ad quæ Olympiades non posse se ab agnita veritate resilire respondit. Quare in equuleo suspensus, crudelissimeq; tortus, vngulis ferreis dilaceratur; deinde subiecto igne, & ad latera admoto exuritur. Quibus in tormentis constans in fide spiritum Deo reddidit. Cuius corpus inhumatum proiectū noctu à Firmina sublatum in loco, qui Agolianus dicebatur in agro Amerino sepelitur. Passus est anno Domini N.303. sub Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus. Marcellino Pont. Max. *Ex lib. M.S. Eccles. Amerinæ, & ex Pass. S. Firminæ.*

ANNOTATIO.

Cum Olympiades eodem anno ante S. Firminam virg. passus fuerit, vt Acta ipsa testantur, Cur passio illius hac die in Martyrol. Rom. refertur? An propter S. Firminæ solemnitatem in hanc diem transfertur? An verò hac die eius Inuentio, seu transl. celebratur?

DE S. PROCVLO EPISC. INTERAMNATE, ET MARTYRE.

Vide 1. die Iunij.

DE S. EVASIO EPISC. ASTENSI, ET MARTYRE, Patrono Casalensi.

Euasius adolescentulam à septem spiritibus uexatā liberat. Eugeniū insanabili morbo laborantem curat. Astensis Episcopus creatur. Baculus Pastoralis frondescit. Infirmos sanat.

Evasius Beneuenti natus, & educatus, cum humanioribus litteris primum, & postea sacris operam dedisset, pijs addictus operibus, sic cœpit sanctitate præcellere, vt multos à morbo, & à Dæmone oppressos liberaret. In ijs Adolescentulam à 7. spiritibus vexatam, & Eugenium quendam Sabinum, qui insanabili morbo 30. annis laborauerat, quem sanatum cū tota eius domo ad Christum perduxit, in S. Bartholomæi basilica non sine ingenti animarum lucro Euangelium prædicauit, quoad Angelico admonitu cū Natali Romam venit, quo tempore Astenses mortuo eorum Episcopo, & ipsi pastorem deposcentes Romam venerant à Luitprando Longobardorum Rege commendati Gregorio II. Pont. Max. Qui Euasij doctrina, & vitæ sanctitate perspecta eum Astensem Episcopum creat. Astam itaque cum Natali, qui postea Presbyter ordinatus est, veniens eam Ecclesiam annos 28. aduersus Arianos pugnans administrauit. Cum autem eum Hæretici interficere decreuissent, Euasius cū Natali Presbytero, & Proiecto Diacono vrbe excedens in locum; qui Volusianum vocabatur, haud procul à Sedula (cui ciuitas successit Casalensis) veniens, ibiq; obdormiscens, cum expergefactus hostes aduentare intelligeret, ex timore baculi pastoralis oblitus fugit: quem, cum acceptum Natalis regressus esset, frondentem reperit. Ex quo S. Episcopus sibi martyrij palmam eo in loco à Deo paratā intellexit. Ecclesia itaque in proxima sylua apud Padum S. Laurentio extructa, fidem prædicare, ægrotosque, & infirmos curare cœpit, in quibus Diogenem quendam

quendam Sedulæ ciuem, cum Proiecta illius filia. Cum verò plurimi non modò ex Sedula, sed ex locis omnibus finitimis ad veram fidem ad signa, & prædicationem Euasij conuerterentur, Atubalus Sedulæ Dominus, siue Præfectus Arianus illum ad se accersitum vti magum durius increpat, eumque se I. C. Dei veri seruum, non magum asserentem, in profundum carcerem, siue in puteum vinctum mitti imperat: inde Angelica visitatione roboratus, sequenti die eductus, cum Atubali promissa negligeret, ac in Fidei Catholicæ confessione constans persistere, vnà cum Proiecto Diacono, & alijs 145. capite truncatur à Natali Presbytero in æde Sancti Laurentij tumulatus. Atubalus autem diuino excæcatus iudicio, errorem recognoscens, terra sanguine martyris conspersa oculis admota sanatus est, & ad Catholicam Fidem conuersus. *Ex Libello, in quo multa de Casalen. Ciuitate tractantur, Tridinij excusso An. D. 1566.*

Euasius cum Proiecto Diacono, & alijs 145. martyrio coronatur.

ANNOTATIO.

Multa accurataque indiget is liber censura, cum quædam minimè verisimilia contineat, quemadmodum alibi monuimus.

DE S. CASTRITIANO EPISCOPO MEDIOLANENSI.

Castritianus Mediolanensis (qui ex Oldana familia progenitus traditur) post Sanctum Caium Episcopalem Mediolani curam suscepit. Is duas basilicas ædificauit, Portianam, Faustinianam, quæ nunc Sanctorum Vitalis, & Agricolæ nominatur in ædibus Portij, & Fausti Philippi filiorum Ecclesiæ donatis. Quæ ingrauescente sub Domitiano persecutione collapsa erant, restituit. Innumeram Gentilium multitudinem prædicatione, & miraculis ad Christum conuertit. Calimerium virum probum, & doctum, (qui postea ei in Episcopatu successit) è Græcia profectum benignè excepit, & apud se retinuit. Pauperum curam gessit sedulò. cumque in summa persecutionum tempestate, Ecclesiam Mediolanensem annos 41. maxima vigilantia administrasset, multis certaminibus pro Christi religione perfunctus obiens abijt ad Dominum Kalen. Decembris. Corpus in via Romana, in Peregrinorum cœmeterio conditum est. *Ex Breu. & Tab. Eccl. Mediolanen. ac ex P. Gales. in Martyrol.*

ANNOTATIO.

Galesin. in Martyrolog. & Panuin. in Cronolog. Eccles. Castritianum annos 41. sedisse aiunt, cum alij duodecim tantum scribant. Sed in re hac potius Breu. Mediolanen. potius credendum est.

DE SANCTO VRSICINO EPISCOPO BRIXIENSI.

Vrsicinus, seu Vrcisinus, quæ & Vrsinus Sextus Brixiæ Episcopus Sancto Apollonio in Episcopatu successit: licet non proximè. Vixit, vt nonnullis videtur, sub Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus: ac illam temporum pertulit acerbissimam conditionem. Erat Doctrina, & sanctimonia vitæ illustris: qui non modo Christianos in fide, & officio continuit: sed etiam plures ex Gentilibus Christo acquisiuit. Qui cum sibi creditam Ecclesiam aliquandiu sanctissimè gubernasset, ex hac vita mortali

ad

ad immortalem euolauit Kal. Decembris. Corpus eius hoc tempore in æde S. Ioseph asseruatur. *Ex Monum. Eccles. Brixien. & Tab. ac ex Capreolo lib. tertio, Cron. Brix.*

ANNOTATIO.

SVnt, qui Vrsicinum Concilio Sardicen. sub Iulio I. Pontif. interfuisse asserant. Sed cum Faustinus eius successor sub Constantino Magno sedisse feratur, qui potuit Vrsicinus Faustini prædecessor Concilio huic sub Constantio Imp. Constantini filio celebrato interfuisse? Quod si Episcopus Brixien. in eo subscriptus reperitur, is tamen non Vrsicinus, vel Vrsinus, sed Vrsatius nominatur. Quod vero Vrsicinus Apollonio, qui sub Hadriano Imper. vixit, successisse dicitur, non immediatè id accipiendum est, cum Ecclesia Brixien. sedes diu inter Hadrianum & Diocletianum vacasse videatur.

DE S. BESSO MARTYRE, ET PATRONO EPOREDIENSI.

BEssus miles Thebæus ex eorum numero fuit: qui in finibus Sedunorum cum Dijs sacrificari noluissent Maximiani Imperat. crudelitatem, quam in Mauritium, Exuperium, Innocentium, & alios exercuerat, deuitantes, ad diuersa Italiæ loca recessere. Is itaque traiectis Alpibus in Salassorum, & Libicorum fines veniens locum quemdam solitarium in Vercellarum, & Eporediæ confinio (Canapiciam eam regionem vocant) conspicatus, in eum abiectis armis se contulit, ac vitam eremiticam aliquandiu orationibus vigilijs, & ieiuniis, ac cœlestium rerum contemplatione duxit. Cum autem latrones quosdam, qui pecora furtim abstulerant, increpasset, neque ex eorum furto comedere voluisset, ab illis multis inflictis vulneribus crudeliter trucidatus est, ac ex alta rupe præcipitatus, cuius corpus quibusdam rusticis diuinitus reuelatum, dum illud in sacco positum in hospitio apud Eugeniam villam nimio noctu splendore micaret, ab hospite extractum, alio loco illius immisso, ac cum eo summo manè rusticis abeuntibus, in ea villa honorificè conditum est, cum verò in dies magis miraculis coruscaret, Arduinus Canapiciæ regionis comes illud Eporediam transferendum, ac in Ecclesia Cathedrali condigno honore collocandum curauit. In qua translatione miracula aliquot contigere; in quibus illud referre sufficiat. Quod cum Sacrum Beati Bessi corpus deferentes ad Pontem vrbis deuenissent, ita illud immobile effectum est, vt nulla vi vlterius moueri potuerit, nisi voto a clero, e populo, quod eius diem festum anniuersaria solemnitate celebrarent, emisso. Innumera porrò miracula ad eius tumulum subsecuta sunt: nam præter iuuenem Bugiellensis territorij, qui ex diutino morbo corporis compage iam resoluta, animam agebat, & mulierem Scriboniam nomine ex Maniano pago etiam ferè omnium membrorum officio destitutam, aliosque complures, quibus nulla poterat humana arte succurri, sanitati restitutos: illud mirandum, & tremendum de presbytero, qui S. Martyri detrahere ausus illum per iocum Bussum pro Besso vocans, & homines ab illius cultu auertens, statim diuinam vltionem in se expertus vsum brachiorum amisit, donec ad martyris sepulchrum deductus ac crimen suum confessus liberationem impetrauit. *Ex antiquis eius lectionibus, quæ in Eccles. Eporedien. recitari consueuerant.* Quæ nonnulla expurgatione egent, cum aliqua etiam falsa contineant, veluti illud de Arduino Italiæ Rege.

Bessus à latronibus crudeliter trucidatur.

Corpus S. Bessi ad pontem vrbis immobile prorsus efficitur.

Iuuenis corporis compage iam resoluta, & mulier membrorum officio destituta sanantur.

Delusor S. Bessi diuinã expertus vltionem.

AN-

ANNOTATIO.

Auctor Historiæ Martyrum Thebæorum nuper ferè Augustæ Taurinorum edita, illum à Cæsarianis militibus ex altissima rupe à latronibus præcipitatum occisum narrat. Eugenia villa, nunc Ozegna ab incolis appellatur potius oppidum, seu castrum, quam villa.

DE S. PROCVLO EPISCOPO RAVENNATE VI.

PRoculus natione Syrus: (cuius maiores Antiochia Rauennam cum S. Apollinare venerunt) post S. Calocerum 6. Episcopus Rauennatum columbę Cœlo demissæ inditio renunciatus eam Ecclesiam summa vigilantia administrauit. Cum enim ad Christi Dñi præcepta vitæ suæ cursum accommodasset, non tam doctrina, & prædicatione, quàm innocentissimæ vitę exemplo plurimis ad fidem conuersis Ecclesiam, & cultum Ecclesiasticum maximè auxit. Ipse demum pastorali munere egregiè perfunctus, ætateque confectus obdormiens in Cœlos euolauit. Kal. Decembris anno sal. nostræ 157. Hyginio Pontif. Max. sequenti anno defuncto. *Ex monum. Ecclesiæ Rauenn. & Hieron. Rub. lib. 1. Hist. Rauenn.*

Proculus columbæ inditio Episcopus eligitur.

ANNOTATIO.

Corpus apud SS. Aderitum, & Calocerum sepultum.

Decembris die 2.

DE S. BIBIANA VIRGINE, ET MARTYRE ROMANA.

BIbiana virgo Rom. nobilis S. Flauiani Expræfecti, & S. Dafrosæ filia, sanctæq; Demetriæ Virginis soror post patris exilium, & mortem, ac matris necem ad Aproniani Præfecti sub Iuliano Apostata tribunal vnà cum Demetria sorore sistitur, cumq; soror ad primam iudicis interrogationem expirasset ipsa Rufinæ cuidam mulieri, vt ad Idolorum cultum illam reuocaret traditur. Cum vero Bibiana firma, & constans in proposito persisteret, nunciat Rufina Aproniano se in Bibiana operam perdere. Quare is illam tandiù plumbatis cędi iubet, donec animam exhalaret. Cuius corpus cum 4. dies inhumarum in foro Tauri fuisset, noctu à Ioanne Presbytero apud matrem, & sororem iuxta palarium Licinium sepultum est. Passa refertur Kal. Decembris an. sal. 362. Liberio Pont. Max. & Iuliano Imp. ann. 2. Imperij. *Ex eius Actis, ab Adone, Petr. lib. 1. cap. 19. & Anton. Gallon. lib. de Virg. Rom. rel.*

Demetria Bibianæ soror expirat.

ANNOTATIO.

VIget adhuc illius memoria Romæ apud palatium prædictum, à S. Simplicio Papa erecta: in eaque adhuc corpus illius requiescit.

DE SS. MARTYRIBVS EVSEBIO PRESBYTERO, & Marcello Diacono, ac Socijs Romæ.

EVsebius Presbyter, & Marcellus Diaconus vnà cum Hippolito, Maximo, Adria, Paulina, Neone, Maria, Mariana, & Aurelia sub Valeriano Imp. martyrio coronati sunt diuersis tamen diebus: Eusebius enim, & Marcellus simul comprehensi in Valeriani persecutione, simulque cruciati, consumati sunt

sub

ſub Secundiano Iudice, Reliqui etſi eadem de cauſa, ac ſub eodem iudice, alijs tamen diebus paſſi in Actis ipſorũ referuntur. Paſſi ſunt anno ſal. humanæ 259. quo Valerianus perſecutionem in Chriſtianos edicto publico commouit. Cum Eccleſiæ S. Stephanus Papa præeſſet. Corpora SS. Hippolyti, Adriç, & Neonis virorum, ac Mariæ, & Paulinæ mulierũ in æde S. Agathæ in ſuburra quieſcunt. *Ex Actis M.S. Eccleſ. S. Mariæ Maioris.*

ANNOTATIO.

Horum præter Martyrol. Rom. meminit Baron. in Annalib. ad an. præd.

DE S. PONTIANO MARTYRE cum alijs quatuor.

Pontianus à paralyſi curatus baptizatur.

POntianus à S. Euſebio Presbytero dum in carcere detineretur vnà cum Marcello, & alijs à paralyſi; qua diu laborauerat, mirabiliter curatus, ad Chriſtum conuerſus, & baptiſmo regeneratus, cum Secundiano Iudici innotuiſſet, & ipſe comprehenſus, ac carcere incluſus, cum neque blandis, neq; minacibus verbis de Conſtantia Chriſtianæ religionis colendæ demoueri poſſet, cum alijs quatuor, qui & miraculo commoti in Chriſtum crediderant, martyrij palmam 4. Nonas Decembris adeptus eſt. *Ex Actis, & paſſ. S. Euſebij Presbyteri, & Soc.*

Cũ alijs quatuor palmã martyrij adeptus.

ANNOTATIO.

POntiani etiam Beda. & Molan. in Additionib. ad Vſuard. ac Galeſ. in ſuo Martyrol. meminere. Et a Galeſ. ſocij tres Pontiani nominantur, Priminius, Demetrius, & Iulianus.

DE S. CROMATIO EPISCOPO AQVILEIENSI.

CRomatius Aquileienſis, qui ſub S. Valeriano Diaconus fuerat, doctrina, & religione conſpicuus, ſanctique Hieronymi amiciſſimus, vt tot eius Epiſtolæ teſtantur ad illum ſcriptæ 9. Epiſcopus Aquileienſis multa, cum eſſet eruditiſſimus, ſcripſit, ac plures libros è Græco in Latinum conuertit. Vixit Theodoſio ſeniore Imp. Præfuit Eccleſiæ ſuæ ſumma cum laude annis 18. S. Heliodorum, qui ſecum diu fuerat, Epiſcopum Altinatem ordinauit. Denique multis clarus virtutibus, vitaq; beatè acta, ac grege ſuo verbo prædicationis, vitæque probæ exemplo optime enutrito ad cœleſtes ſedes euolauit. 4. Non. Decembris. *Ex Breu. Aquileien. Pet. in Cat. lib. 7. cap. 48.*

Cromatius vir eruditiſſimus plures libros gręcos latinitate donauit.

ANNOTATIO.

PRater Hieronymum, & S. Ambroſ. ad eum Epiſtolam ſcripſit, agitque de eo S. Io. Chryſoſt. in Epiſt. 155. & Rufinus Presbyter lib. 1. Inuect. & alij.

DE S. PETRO CHRYSOLOGO EPISC. RAVENNATE.

PEtrus, cognomento Chryſologus ob ſermonis ſuauitatem, & elegantiã, Foro Cornelij natus, & piè in litteris, & religione educatus Cornelio Epiſcopo Cornelienſi, à quo Diaconus ordinatus eſt, operam dedit. Qui nullo prorſus hominum fauore: ſed diuino tantum nutu Rauennatum Epiſcopus in iuuenili adhuc ætate conſtitutus creatus eſt. Cũ enim Ioanne Epiſcopo defuncto ſucceſſorem Rauennates e more electum Romam ad Sixtum III. Pont. Maximũ

vnà

vnà cum Cornelio Episcopo Corneliensi, quem Petrus Diaconus eius comitatus est, sacrandum misissent, SS. Petrus Apostolus, & Apollinaris Episcopus Pôtifici per visum præcipiunt, vt non quem illi elegissent; sed quem iuuenem inter illos nomine Petrum Episcopum Rauennæ consecraret. Quare Sixtus, vbi Rauennates cum ab eis electo in Episcopum adfuissent, eo reiecto, Petrũ Cornelij Diaconum doctrina, & vitæ Innocentia inter cæteros eminentem, valdè tamen reluctantem ordinauit, ac id Rauennatibus indignè ferentibus S. Pontifex visionem eis aperuit: qua intellecta acquiescentes suum Episcopum Rauennam, non sine ingenti lætitia, & summa populi gratulatione, deducunt, à Valentiniano Imp. & Galla Placidia Augusta benignissimè exceptum. Is cum munus sibi à Deo demandatum summa prudentia & animi ardore exequeretur, à Leone I. qui Sixto successerat Chalcedonem ad concilium ibi contra Eutychẽ Hæreticum vnam tantum naturam in Christo asserentem 360. Episcoporũ coactum destinatur, vt contra illum disputaret: quod ita egregiè, & scripto, & coram præstitit, vt summam ab omnibus laudem consequeretur. Reuersus Rauennam totus erat in pascendo grege, crebris ad populum concionibus habitis. Accessit per id tempus Rauennam sanctissimus Germanus Episcopus Antisiodorensis ad Valentinianum Imper. qui non multò post Rauennæ ægrotans cessit è vita: Cuius cadauer, cum à Petro funus curatum fuisset, in Gallias ad propriam Ecclesiam relatum est, cuculla, & cilicio illius apud Petrum remanentibus. Perualuerat apud Rauennates vetus consuetudo, vt Kalendis Ianuarij personati per vrbem cum Deorum simulacris, quasi Indêtes discurrerent. Quã consuetudinem S. Petrus vti pernitiosam aliquor habitis concionibus abstulit. His, alijsq; præclarè gestis, cum Ecclesiæ Rauennati decennio præfuisset, sibique vitæ terminum adesse præsentiret, ad Forum Cornelij patriam suam se contulit, vt ossa S. Cassiani martyris veneraretur, ibiq; animam suam Deo redderet. Quare vbi Rauennates. vt optimum pastorem sibi deligerent, & diuina mandata seruarent hortatus esset, tranquillam mortem in Domino obijt 3. Nonas Decembris. An. sal. 449. circiter in æde S. Cassiani sepultus. Cuius extant conciones, siue Homiliæ mellifluæ doctrinam, & pietatem vndique spirantes.

Ex vita per Hieron. Rub. lib. 2. Hist. Rauen. scripta, ac ex off. Eccles. Cornelien.

Petrus Chrysologus Rauennæ Episcopus diuina uisione creatur.

Contra Eutychem Hæreticum asserẽtem unã tãtũ in Deo uolũtatẽ egregiè disputans ab omnibus laudatur.

A Leone I. ad Concil. Chalcedon. contra Eutichen Hereticum mittitur.

Priscam quã dã circumferendorũ Deorũ consuetudinem, uti pernitiosam tollit.

ANNOTATIO.

Panuin. in Fast. Petrum 21. Episcopum Rauenn. an. Dom. 433. à Sixto III ordinatum ad annos 18. sedisse scribit; Contra quum habeant monum. Eccles. Rauen. & Hieron. Rub. Ego tamen Rubeum errasse puto: nam S. Germanus Ep. Antisidorensis, cuius funus S. Petr. Chrysog. curauit, Rauennæ obijt an. D. 435. & 4. Sixti Pap. Concilium verò Chalcedonen. cui Petrus interfuisse traditur. An. D 451. celebratum est ex quibus colligitur Petrum saltem annis 18. Rauennati Ecclesiæ præfuisse ab an. 2. Pontificat. Sixti, ad annum 12. Pontif. Leonis. Quare non initio Pontificat. Leonis obijt, vt scribit Rub. nec anno Domin. 450. vt in Off. Eccles Imolen. Sed post ann. 451. eum migrasse oportet. Baron. in Annal. ait illum Episcopum creatum fuisse an D. 433.

Hier. Rub. de tẽpore S. Petri error.

DE S. LVPO EPISCOPO VERONENSI.

LVpus Episcopus XXVIII. Veronæ inter Sanctorum Simplicium, & Seruulum sedisse traditur. Vir fuit admirandæ sanctitatis, & doctrinæ. Qui populum Veronensem diligentissimè in diuinis præceptis eruditum, verbo prędicationis, vitæque immaculatæ exemplo pascere summopere studuit. Vbi verò Ecclesiæ suæ laudabiliter aliquot annos præfuisset, ad præmium migrans euo-

euolauit 4. Nonas Decembris, ac in basilica S. Stephani sepultus est. *Ex libello August. Valer. Ep. Veronen. & Card. de SS. Epp. Verona.*

ANNOTATIO.

QVo tempore, & quantum vixerit, ex dicto libello, & monum. Eccles. Veronen. minime apparet, putatur tamen inter an. D. 500. & 600. in humanis fuisse.

DE S. EVASIO EPISCOPO BRIXIENSI.

EVasius xxx. Episcopus Brixiensis ex eorum numero, quos Ecclesia Brixiensis colit, post Sanctum Antigium illi præfuit Ecclesiæ. Cuius etsi acta iniuria temporum nos latent: haud tamen Sanctitatis eius memoria vllis calamitatibus, quas Brixiani frequenter passi sunt, excidere, aut deperire potuit, cum dum ab Ecclesia Brixiensi anniuersaria solemnitate 4. Nonas Decembris, quibus è vita migrasse creditur, celebrari consueuerit. Eius corpus in æde S. Petri in Olincto, vt vocant, requiescit. *Ex Tab. & monum. Eccles. Brixien.*

ANNOTATIO.

QVi Sanctos Antigium, & Euasium inter Ann. Dom. 680. & 700. vixisse affirmant, apertè falli deprehenduntur: nam si ante annum D. 843. vixissent, à Ramperto Episcopo Brixiensi, qui eo anno translationem Sancti Philastrij celebrauit, haud prætermissi fuissent. Omnes enim Episcopos Sanctos Brixienses, vsque ad sua tempora recenset, vt in historia Translationis, quàm is conscripsit, apparet. Neque dici potest ab eo fuisse prætermissos, quòd illos Ecclesia Brixien. nondum Sanctos haberet; nam nulla eos postea miracula edidisse, propter quæ Sanctorum catalogo adscriberentur, legimus. Floruere itaque SS. Antigius, & Euasius post Rampertum, & post an. D. 843. vt videtur, tametsi Capreol. lib. 5. Sanctum Antigium multò ante Rampertum vixisse affirmet.

Decembris die 3.

DE SS. MARTYRIBVS CLAVDIO, HILARIA, IASONE, ET MAVRO CVM ALIIS 70. ROMÆ.

CLaudius Tribunus cum Sanctum Chrysanthum sibi ab vrbis Præfecto Numeriano Imp. traditum vinctum catenis, & compeditum obscuro, fœdoque carcere includi iussisset, vbi illum, catenis, & compedibus diuinitus in puluerem redactis, solutum, & locum lotio à ministris aspersum, suauissimo odore completum accepit, ac denuò firmioribus catenis constrictum, locoque obscuriore positum, fractis illicò catenis, & loco cœlesti splendore collustrato eò à se vis accersitus eundem liberum, & læsum vidit, factum Magicis artibus tribuẽs, eum mox eductum, palisque alligatum virgis atrociter cædi iubet. Sed virgis instar papyri mollibus factis Tribunus ea re commotus, Chrysanthum solui, & vestibus indui præcipit: & ad milites conuersus: Nostis, inquit, *Magorum fraudes à me tandem deprehensas, dissipatas esse. Quod autem nunc factum est, non certè maleficio hominum, sed diuina virtutis potentia factum existimemus. Quare ad viri huius genua prostrati, veniam petentes precemur, vt nos omnes Deo suo, qui solus verus est, conciliet.* Claudius itaque cum militibus, cum Hilaria vxore, Iasone, & Mauro filijs totaque eius domo ad Chrysanthi pedes supplex accedens Christi lauacrum humiliter flagitat. Qui cunctos breui cathechesi præmissa aqua expiandos salutari curauit. Verùm rumore illicò ad Numeriani aures perlato, is Claudium ligato ad collum lapide in mare præcipitari, ac milites decollari iussit:

Catenæ, ac compedes in puluerem rediguntur.

Virgæ instar papyri molles fiunt.

Ad diuina Chrysanthi prodigia Claudius Tribunus cũ tota eius domo cõuertitur.

iussit:post quos & filij parem martyrij palmam adepti sunt cum alijs militibus. Quorum corpora haud procul ab vrbe in via; quæ Mauri dicta est, à Christianis condita sunt. Hilaria verò à satellitibus apud filiorum tumulum orans comprehensa, cum preces absoluendi spatium impetrasset, genibus flexis, manibusque in Cœlum protensis inter orandum spiritum Deo reddidit, & ipsa apud filios sepulta. *Ex Gest. & pass. SS. Chrysanthi, & Dariæ*, à Sur. tom. 5. rel.

ANNOTATIO.

PEt. in Cat. lib. 1 c. 23. de eisdem pluribus agit, & Hilariam à suis ancillis iuxta filios sepultam narrat.

Corpora Iasonis, Mauri, & Hilariæ Lucæ in templo maiore asseruantur, vti Tab. eiusd. Eccl. indicant.

DE S. MIROCLETE EPISCOPO MEDIOLANENSI.

MIrocles Mediolanensis, à quo S. Epiphanius Episcopus Ticinensis genus duxisse fertur, ob eius singularem doctrinam, & vitæ probitatem post Sanctam Monam Ecclesiam Mediolanensem rexit, & Prouinciam à Gentili superstitione mundauit: Is Romam à Melchiade Papa ad Concilium in causa Cæciliani, & aliorum Episcoporum Africæ euocatus non mediocriter in ea causa laborauit. Ecclesiæ Mediolanensis (cuius sedes ob persecutiones diu vacauerat) Ecclesiasticam disciplinam restituit: statuitque inter alia, vt Clerici statis horis ad psallendum in ecclesiam conuenirent. Memoriam Sancti Anathalonis II. Episcopi Mediolanensis instauratam exornauit imagine cum Epigrammate adiecta. Domus eius egenis, ægris, & peregrinis semper fuit aperta. Denique sic Ecclesiam suam per annos 22. administrauit, vt à Sancto Ambrosio plurimum commendatus fuerit, & à Sancto quoque Ennodio Ticinensi Episcopo celebratus. Obijt diem feliciter 3. Nonas Decembris. Constantino Magno Imper. in æde primum Portiana (quæ nunc Sancti Victoris nominatur) sepultus. *Ex Breu. Ambros. & Act. Eccles. Mediolanen.*

ANNOTATIO.

QVod aiunt Mirocletē an. D. 268. vel 289. obijsse omnino supputationi tēporū repugnat: Si enim Romæ sub Melchiade Concilio interfuit ann. D. 313. qui potuit tanto tempore ante obijsse? vbi & Panuin. error in sua Cronol. eccles. deprehenditur, Maternum Episcopum Mediolanen. ad an. D. 312. adnotantis.

DE S. GALGANO EREMITA APVD SENAS.

GAlganus Clusdino pago, seu castro agri Senensis parentibus antea sterilibus Eugenio III. Pont. Max. ac Friderico I. Imper. natus, voluptuosam primùm vitam duxit, donec patre defuncto à Michaele Archangelo in somnis bis monitus, vt Christi miles fieret, in montem Sepium venit, vbi tertiò ab eodem Angelo monetur, vt mundum deserens Deo vacet. A quo consilio mater, & propinqui illum vxorem ei elegantem, & diuitem proponentes auertere maximopere conantur: cum verò ab eis persuasus ad sponsam videndam equitaret, sic substitit equus, vt calcaribus progredi coactus, locutus feratur, se ab Angelo progredi prohibitum: cuius etiam in saxo vestigia apud eum M. monstrantur. cum igitur Galganus eo miraculo mutatus, ad montem prædictum peruenisset. Cruce ex ense ibi defixa, cellulaque extructa vitam cœpit ducere solitariam tentationibus multis à Dæmone immissis oratione superatis. Assiduè ieiunabat:

Galganus ter ab Angelo monetur.

Equus immobilis loquitur.

Asperrima Galgani pœnitentia.

nabat: bacchæ Syluestres,& herbarum radices cibus, aqua potus, & humus lectus erant. Vehementer rursus tentatus, vt Clustinum rediret, voce de cęlo roboratus tentationem vicit. A venatore deprehensus illi equum, & vestes suas concessit, pellibus ipsius venatoris indutus. Cum autem venator matri: vbi Galganus esset, retulisset, protinus illa vna cum sponsa,& propinquis ad locũ contendit, vt illum abducerent. Sed contra accidit. Nam & sponsam ad virginitatem induxit seruandam, & matrem cum suis lætam dimisit. Fama interim sanctitatis sparsa,cum multi ad eum visendum confluerẽt, Romam, vt loca sancta visitaret,indulgentiasq; perciperet,proficiscitur. Quo tempore,cellula ipsius cũ cruce à nonnullis, qui omnes malè periere, exuritur, quod sibi diuinitus reuelatum Summo Pont. narrauit: à quo accepta benedictione ad Eremum reuertitur. Cellulam reædificat, & ensis partes signo crucis rursus copulat. S. Gulielmum,& socios inde ad 30.M.P. distantes inuisit. Dæmoniacos plures, ægrotos, & corpore vitiatos ad se delatos mirabiliter sanat. Panis venenatus sibi à quodam porrectus signo crucis benedictus comestusque haud ei nocuit. Denique ad æternam requiem ijs verbis vocatus: *Satis est quod laborasti, metes nunc, quod seminasti*. Obdormiuit in Domino 3. Nonas Decembris an.sal. 1181. ætatis verò 33. in Eremo vix annum commoratus. Ibique ab Episcopo Volaterrano (in cuius diœcesi locus est) & Massano, ac aliquot Abbatibus sepultus. Quo in loco ecclesia suo nomini dicata, multis opibus ob crebra S. Viri miracula aucta, in Abbatiam erecta fuit. *Ex eius vita typis excusa. Senis an. Dom. 1572.*

Sponsam suã ad virginitatem seruandit cogit.

Incendiarij eius cellæ malè pereunt.

Dæmoniacos, ægrotos, ac alios corpore vitiatos sanat.

Panem venenatũ absq; læsione comedit.

ANNOTATIO.

Vita huius S. Eremitæ emendatione circa tempus eget. Nam si Eugenio III. Pontif. qui an. Dom. 1153. obijt, natus est, vixitque annos 33. videtur migrasse an. 1186. non 1581. sed fieri potest, vt Galganus ante obitum Eugenij annis 5 natus sit. Illud autem prorsus cum rerum veritate pugnat: Quod aiunt Galganum ab Alex. III. in SS. relatum fuisse, cum Alex. anno 1580. decesserit anno ante Galgani obitum vno.

Circa tẽpus S. Galgani animaduersio.

DE SS. QVADRAGINTA MARTYRIBVS VERONÆ.

Qvadraginta martyres, quorum nomina non extant scripta, nisi in libro vitæ, Veronæ venerationem habent. Hi in Diocletiani, & Maximiani Imperatorum persecutione pro fidei Christianæ confessione in ea vrbe martyriũ 3. Nonas Decembris subierunt. Corpora à Christianis sepulta, postea in ecclesia S. Stephani condita sunt, ibique in præsens vsque asseruantur. *Ex Tab. & monum. eccles. Veronens.*

ANNOTATIO.

Horum SS. martyrum, & si gesta nos latent; Ossa tamen adhuc in æde S. Stephani religiosè asseruantur, eos Veronæ passos traditio est. Illorum meminere ex recentioribus Franc. Corna, & Raphael Bagata Archipresbyter Veron. & alij.

DE S. FVLGENTIO EPISCOPO VTRICVLANO.

Vide supra die 22. Maij.

Decembris die 4.

DE S. FELICE EPISCOPO BONONIENSI V.

Felix Mediolani natus,& enutritus sub S. Ambrosio, cuius discipulus,& Diaconus fuit, vnà cum S. Venerio spiritualis militiæ stipendia haud pœnitẽda

Felix S. Ambrosij discipulus.

da tantoque doctore digna fecit. Morienti S. Ambrosio affuit. Ad Bononiensis Ecclesiæ regimen post S. Eusebium anno sal. circiter 401. assumptus est. Is monasteria duo construxisse putatur; vnum SS. Geruasio, & Protasio: alterum SS. Felici, & Nabori, SS. Proculi, Vitalis, & Agricolæ reliquias aliquot S. Paulino Episcopo Nolano largitus est. A Ioanne; qui post Honorium Imperium biennio vsurpauit, monasterium S. Mariæ in M. Palensi, qui nunc Oualus dicitur, accepit. Cum autem Ecclesiæ Bononiensi annos 28. summa cum laude præfuisset, migrauit è vita pridie Non. Decembris An. sal. 429. In æde SS. Felicis, & Naboris a se constructa tumulatus. *Ex monum. Eccles. Bonon. & Karolo Sigon. lib. 1. de Epp. Bononiens.*

ANNOTATIO.

Felicis meminit Paulinus in vita S. Ambrosii, vbi eum commemorat cum Venerio, Polemio, & Casto Diaconis de ipsius Ambrosij successore colloquentem secretò tamen & seorsum ab Ambrosio in lecto decumbente, mortique proximo, cumque illi Simplicianum inter se proponerent, Ambrosium quasi eos clarè loquentes audisset, & præsens esset, ter approbante dixisse senex; sed bonus.

DE S. BERNARDO EPISCOPO PARMENSI, Ord. Vallis Vmbrosæ.

Bernardus Florentiæ ex Vberta familia natus moribus, & litteris instructus adolescens ex diuina visione ad S. Saluij cœnobium pergens à Dominico Abbate, & monasterio post S. Ioannis Gualberti obitum præfecto recipitur, cũ patrimonium vniuersum monasterio condonasset, parte, quæ alendis matri, & sorori satis esset, excepta, illis lacrymis a proposito religionis illum retrahere conantibus. Bernardus itaque sic in cœnobio vitam instituit, vt Dominico defuncto illi Abbas inuitus suffectus fuerit. Suscepto autem regimine monachorum precibus exoratus, multò magis abstinentiam, humilitatem, patientiam, & cæteras virtutes coluit, in pauperes, hospites, & ægrotos præcipuè benignus, cumque Abbas Generalis sui Ordinis vita functus esset, & fama Bernardi peruagaret, is omnium consensu vniuerso ordini præficitur. Fama autem sanctitatis eius, & prudentiæ ad Vrbanum II. Pont. Maxim. perlata, ab eo Romam, vt honoribus augeret, euocatur. cumque accersitus bis terque se humiliter excusans ad vrbem accedere recusaret, tandem adhibita à Pont. Ecclesiastica censura, ad eum coactus accessit, a quo statim tituli S. Chrysogoni Præsbyter Cardinalis creatur. Quo in honore vitam, & disciplina regularem minimè deseruit, Post Vrbani excessum à Paschale II. qui Vrbano in Pontificatu successit legatus per Italiam ad hæreticam perfidiam comprimendam destinatur. Qui Parmam ingressus, vt eam vrbem ab hæresis labe purgatam ad Rom. Pontificis obedientiam reduceret, ita illam pacatam, & Catholicam reddidit, vt ipsa legatos ad Pont. veniam deprecantes, & obedientiam spondentes Bernardum sibi Episcopum dari humiliter poscens miserit. Consecratus itaque licet inuitus Parmensium Episcopus, eam Ecclesiam sanctissimè administrauit. Cum autem finis vitæ sibi diuinitus reuelatus appropinquasset: quem suis monachis, quos apud se retinebat, prædixit, sactis munitus inter psallentium manus sanctam Deo reddidit animam pridie Non. Decembris, An. à partu Virgineo 1133. in ecclesia Cathedrali non absque populi, & cleri, viduarum maximè, & pauperum, quorum præcipuam curam gesserat, planctu sepultus, multis post mortem ad eius sepulchrum perpetratis, clarus miraculis. *Ex Breu. Ord. Vall. Vmbrosæ. & Sanctuario Eccles. Parmen.*

Abbas Generalis eligitur

Presbyteri Cardinalis creatur.

Parmam missus legatus ab hæresi infectam liberat, quæ ipsum Episcopum obtinet.

ANNOTATIO.

NEcdum in Albo SS. quòd legerim adscriptus est, Parmæ tamen præcipuè colitur hac die magno ciuium concursu, Florentiæ quoque officium illius ecclesiast. sub ritu dup. recitatur.

Decembris die 5.

DE S. DALMATIO MARTYRE PEDONÆ apud Cuneum.

DAlmatius haud obscuro loco natus in Germania; inde, Decio Imp. Christianos persequente, adolescens in Galliam Cisalpinam venit, primumque Auriati, (pagus est Cuneo Pedemontanæ vrbi proximus, qui hodie ab incolis Roccauione nominatur) inter Getium, & Sturum flumos prædicans Auriatenses, & finitimos populos multis editis miraculis ad Christianam fidem perduxit. Inde Albam Pompeiam profectus, eam quoque ciuitatem ad Christũ conuertit, multis ad eum etiam ex remotis Italiæ regionibus, vt à morbis insanabilibus sanarentur, aduenientibus. Postea cœlesti admonitu Ticinum comite Angelo venit, Ticinumq; flumen sicco vestigio nullo ibi nauigio reperto vnà cum ijs, qui eum sequebatur, traiecit: quo miraculo, & prædicatione Ticinensibus in fide confirmatis, Mediolanum se contulit; in cuius ingressu hominem à Dæmone obsessum populo inspectante liberauit. A Ticinensibus & Mediolanensibus in Episcopum postulatus, eam dignitatem recusauit: cumque eos, quibus primum Christum annunciauerat, quorundam Magorum opera à Christo defecisse accepisset, Auriatum ad eos reducendos reuertitur. Verum quidã à Magis inducti, Dalmatium in altera Getij ripa existentem, nec, quasi martyrij cupidum refugientem, gladijs strictis aggrediuntur, ac 29. comitibus interfectis, illi partem capitis abscindunt: quam is in manus accepta, & amne traiecto expirauit 9. Decembris. Cumque Auriatenses, & alij de martyris corpore disceptarent, placuit, vt ibi conderetur, quò plaustro impositum ab indomitis iuuencis delatum fuisset: qui cum illud Pedonam visum propinquum inter eos amnes, cui nunc Burgus S. Dalmatij nomen est, in Vicensi diœcesi, deduxissent, ibi cum corporibus sociorum conditum est. Passus est circa annum Dom. 254. *Ex eius vita in M. vici paucis ab hinc annis edita, quæ cum ea, quæ M.S. apud Moniales S. Dalmatij Papiæ asseruatur, concordat.*

Dalmatius Albã Põpeiã ad Christum conuertit.

Ticinũ comite Angelo venit.

Ticinumque flumen sicco vestigio transit.

Hominem à Dæmone obsessũ liberat.

Ecclesiã Ticinens. ac Mediolanens. sibi oblatã recusat.

Dalmatius partẽ capitis abscissam in manibus tenens amnem Getii traijcit

ANNOTATIO.

MVltis in locis huius S. Martyris memoria celebratur. Sed alij illũ Ep. & mart. faciunt Martyrol. Rom. secuti (quod eum Papiæ attribuit, cum tamen Papiæ, neque mart. neque Episcopus fuerit, vt eius Acta demonstrant, licet Papiæ, sicuti, & Albæ, & Mediolani, & alibi prædicarit.) Alij tantùm martyrem, vti apud Ecclesiæ Vicen. & Papiens. & apud Pet. Galesin. Quod autem Episcopus dicatur, Hieronym. Vida autor fuisse videtur. qui illum versibus celebrans Episcopum appellat, fortè quod prædicando officium Episcopale executus sit, quem Laurent. Sur. tom. 6. SS. secutus est, qui vt circa martyrij locum decepti videntur: cum scribant eum apud Papiam cuius illum Episcopum faciunt, (cum tamen Papien. Eccl. hunc suum Episcopum non agnoscat) martyrio affectum, ita falli potuerunt appellantes Episcopum, qui re vera Episcopus non fuerit. Est & de corpore controuersia: nam in Burgo S. Dalmatij

in propria

Dalmatius cur Episcop. appelletur.

in propria eccl. propè passionis locum illud certò affirmant asseruari; quod tamen Quadringenti in agro Alexandrino ostenditur. Qua in re quid dicam non suppetit, nisi quod alibi diximus, corpus nimirum S. alicuius alicubi esse affirmari, vbi magna, vel insignis pars ossium habetur.

DE S. PELINO EPISCOPO BRVNDISINO, & martyre in Pelignis.

PElinus Dyrrhachij in Macedonia nobili loco Constantio Imp. natus, sub S. Basilij disciplina educatus Diaconus primùm; deinde Presbyter ordinatur. Posthæc, Iuliano Apostata Imp. Christianos persequente, à S. Basilio discedēs, & cum Cyprio puero, Sebastio, & Gorgonio socijs in Italiam nauigans Brundisium venit à S. Aproculo Episcopo benignè acceptus. Vbi Sebastio, & Gorgonio ob eorum doctrinam, & sanctitatem bibliothecæ præpositis, Pelinus in omni virtutum genere excellens, vt ab Aproculo iam ætate grandæuo successor totius cleri, & populi applausu designatur. Itaque Aproculus cum Pelino, Cyprio, Sebastio, Gorgonio, & alijs ex clero Romam profectus. Pelinum in Episcopum Brundisinum consecrandum curat: quo facto, dum in patriā redeūt, apud Ardeam ægrotans Aproculus breui apud Antiū migrat è vita. Cuius corpus à Pelino, & socijs ibi honorificè tumulatum miraculis fulsit, multis in dies infirmis sanitati restitutis. Quapropter S. Aproculo à ciuibus ecclesia ædificata, Pelinus in ea aliquot menses demoratus eum populum adhuc rudem erudiuit in fide. Inde in Apuliam veniens à Sempronio Præside tentus sacra Dijs facere iubetur, quod facere recusans dētibus forcipe ferrea extractis, cum socijs ad Iouis simulacrum trahitur. Cumque illud cum templo ingenti terræmotu corruisset, iratus Præses Pelinum rotæ ferreæ 140. dentibus acutis constanti alligari, eamque circunduci iubet, donec carne dilacerata ossa confringerentur. Cum verò vnus ex dentibus illis exiliens Præsidi oculum sinistrum eruisset, is perterritus solui illico imperat Pelinum sine vlla prorsus læsione repertū: à quo Præses oculo sibi restituto sanatus cum quatuor millibus, qui huic spectaculo aderant, ac sequenti die cum 14. millibus, & 600. ex ciuitate vtriusque sexus in Christum credens sacra vnda expentusus est. Pelinus Brundisium reuersus nō multò post Aurelianum ducem à Iuliano Imp. cum Maximo Tribuno, & quingentis militibus missum, vt Pelinum, & Sempronium Romam vinctos perducerent, ad fidem priusà morbo curatum cum 160. militibus conuertit quod cū Imp. accepisset a Maximo Tribuno, qui Romam cum reliquis militibus redierat, Præfectum mittit, qui Pelinum Aurelianum, & Sempronium cum alijs conuersis interficiat. Qui Aureliano, & Sempronio serra secatis, ac militibus obtrūcatis apud Catacumbas via Ardeatina Pelinum, Sebastium, Gorgonium, & Cyprium vinctos Romam perductos Corniculario, & Præsidi tradidit. Qui eos Corphinium ductos sacrificare Marti iubent, cumq; orante Pelino Martis tēplum corruens Cornicularium, & Præsidem cum alijs 207. oppressisset, Pelinus ab Idolorum sacerdotibus virgis cæsus, & vulneribus 85. confossus expirauit 9. Decembris: Sebastius verò, & Gorgonius, Cyprio ob iuuentutem dimisso, postridie obtruncati gloriosum martyrium compleuerunt. Quorū corpora ibi à Fidelibus condita sunt, ac S. Pelino templum, quod nunc Valuensis ecclesiæ Cathedralis est, excitatum fuit, in quo corpus illius honorificè conditum multis clatuit miraculis. *Ex off. eccles. Brundisinæ, vbi etiam S. Martyri ecclesia à S. Cyprio extructa, & dicata manet.*

Aproculus migrat è vita, ad cuius tumulū multa patrantur miracula.

Pelino dētes ferrea forcipe extrahuntur.

Templū Iouis cum eius simulacro corruit.

Truculentissimū supplicij genus.

Sinister Præsidi oculus rotæ dente exiliente eruitur.

18. millia, & 600. vtriusq; sexus in Christū credunt.

Aurelianus, & Sempronius serra secātur.

Martis tēplū corruit.

Pelinus ab Idolorū sacerdotibus 90. vulneribus confossus occumbit.

Sebastius, & Gregorius obtrūcantur.

ANNOTATIO.

Iulianus, dũ Augustus esset, Romæ haud quaquam fuit.

EXpurgatione egent hæc S. Pelini acta, maximè in eo, quod de Iuliano Imp. Romæ agente dicitur: cum is nunquam Romæ Imp. fuerit: sed quod ab eius Præfectis factum fuit, inconsulto Iuliano tribuitur.

Vidimus eiusd. Acta M.S. in quibus præter nomina deprauata, illum à Iulio Pap. ordinatum esse continetur: quod esse non potuit, si à Basilio in persecutione Iuliani nõdum Episcopus discessit.

DE S. APROCVLO EPISCOPO BRVNDVSINO
Apud Antium.

S. Aproculus Pelinum succeff. suum eligit. Romã pro cõfirmatione pergit. Obit, & sepelitur apud Antium. Sibi ecclesia ob miracula dicatur. Dies obitus, seu natalis ignoratur.

APtoculus Episcopus Ecclesiam Brundusinam regebat, cum S. Pelinus ad eã vrbem venit: qui iam ætate grandæuus dilecto sibi Pelino successore, Romam, vt à Summo Pont. illius consecrandi facultatem impetraret cum Ciprio, Gorgonio, & Sebasto contendit: qua impetrata, dum in patriam rediret, apud Ardeates in morbum incidit, ac paulopost migrat è vita haud procul ab Antio à Pelino, & socijs sepultus. Cum autem ad eius tumulum accedentes, à languoribus liberarentur, ciues basilicam illius nomini excitatam dedicarunt: in qua S. Pelinus aliquandiu demoratus plebem illam instruxit. *Ex vita S. Pelini.*

ANNOTATIO.

QVa die natalis huius S. Pontificis recolatur, mihi incompertum est, idcirco hoc loco libuit memoriam eius scripto commendare.

DE S. BASSO EPISCOPO NICIENSI
Martyre, & patrono.

BAssus I. Nicææ, seu Niciæ ad Varum Episcopus, cum Decio Imper. fidem Christianam prædicare non cessaret, à Præside tentus, ac Dijs iussus immolare; cum id facere negligeret, in equuleo suspensus diutius torquetur, & candentibus laminis ad eius corpus admotis aduritur: in quibus cruciatibus constantior effectus, fustibus, & scorpionibus dirissimè cæditur, posthæc ligna ad Deorum statuas deferre compellitur, quibus igne accenso, si Dijs non sacrificaret viuus combureretur. cum autem in ignem iniectus diu in eo inuiolatus fuisset, extractus ad Iudicem Niciæ mittitur, aut Dijs sacrificaturus, aut supplicijs exquisitissimis perimendus. Qui S. martyrem Deos venerari constantissimè recusantem duobus clauis longissimis a planta pedum ad capitis verticem immanissimè perforari præcepit: quo in supplicio spiritum Deo reddidit Nonis Decemb. Cuius corpus à Christiani cõdigno honore sepultum est. *Ex monument. Eccles. Nicienss. & Pet. in Cat. lib. primo, cap. 30. qui eum sub Decio, & Valeriano passum scribit, cum inter Decium, & Valerianum, Gallus, & Volusianus imperauerint.*

Plurima, eaque dirissima Bassi martyria.

Inauditum agonis gen^9.

ANNOTATIO.

NIcia quæ Antiquis Nicæa ad Varum, ad Nicæa Bithyniæ differentiam dicta est, & si hodie in Prouincia Galliæ Narbonen. regione censetur, in Italia tamen finibus est. Cum Varus fl. citra quem sita est, Italiam à Gallia separet.

DE

DE SS. MARTYRIBVS AVRELIANO, ET SEMPRONIO
Via Ardeatina.

SEmpronius Apuliæ Præses sub Iuliano Apostata, cum S. Pelinum Episcopũ Brundusinum varijs cruciatibus affecisset, & ipse oculo inter torquendum læsus, & S.Pelini oratione sanatus ad Christum conuersus est. Post quem Aurelianus Roma missus, vt S. Episcopum eò perduceret, ab eodem à morbo, quo laborabat, liberatus etiam Christo nomen dedit. Quibus Romæ cognitis Maximus Tribunus in Apuliam mittitur: qui illos omnes Romam vinctos pertraheret. Is igitur Pelinum, Sebastium, & Gorgonium manibus post terga reuinctis se Romam præcedere iussit, Aurelianum verò, & Sempronium, quòd in acceptæ fidei confessione constantes persisterent via Ardeatina serra per medium secari præcepit, ingenti cum illis multitudine ob eandem fidei professionem decollata. Quorum corpora à Casto, Nicostrato, & Tiberio Presbyteris in Crypta condita sunt. *Ex Actis, & pass. S. Pelini Episcopi.*

A N N O T A T I O.

HAc die S. Pelinus martyrio affectus est. Sempronius verò, & Aurelianus paulò ante passi sunt. Sed eorum passionem hac die Franc. Maurol. in suo Martyrol. adnotauit.

DE S. CYPRIO EPISCOPO BRVNDISINO.

CYprius Hilladij filius in S. Basilij prius disciplina educatus, deinde S. Pelini discipulus cum eo Brundusium venit, inde Romam; totius peregrinationis S. Pelini comes, ac persecutionis particeps. Cum autem Romam vinctus, cum illo, & inde Corphinium ductus ibi aliquandiu in carcere detentus fuisset post S. Pelini, & sociorum passionem liber propter tenoram eius adhuc ætatem dimissus est. Qui Brundisium rediens, eius vrbis licet iuuenis Episcopus summo totius cleri, & ciuium consensu eligitur. Factus autem Episcopus Templũ S. Pelino Episcopo, & martyri, ac suo præceptori extruendum curauit, ac diu ecclesia Brundisina sanctè administrata S. fine quieuit. *Ex Actis S. Pelini. Eius mem. Dauid Rhomaus in Catal. SS. Neapolit. Regni hac die. Qua cum S. Pelino sit sacer, haud S. Cyprio festus esse potest.*

DE S. BENEDICTO EPISCOPO ALBINGAVNENSI.
Vide die 12. Bebruarij.

DE SS. CYRINO, ET QVINGESIO,
Episcopis, & Confessoribus Salerni.

CYrinus, & Quingesius Episcopi hac ipsa die ab ecclesia Salernitana coluntur: Quorum corpora Faiani pago agri Salernitani haud procul ab vrbe iacentia Bernardus I. eius nominis Episcopus Salerni anno sal. 909. sub Gisulpho Principe magna Cleri, & populi frequentia in vrbem transtulit, ac in sacra æde; quam is in illorum honorem construxerat, decenter condidit. Quę demum à Cæsario Archiepiscopo anno Domini 1226. in basilicam Cathedralem translata sunt. Agitur illorum dies festus Nonis Decembris. *Ex monum. Eccles. Salernit. & Gaspare Musca lib. de Epp. Salernit.*

ANNOTATIO.

Cuius Vrbis Episcopi fuerint, quaeve eis patria fuerit, scire non potui. Illud certum, Salernitanos non fuisse: cum in Catalogo Epp. illius sedis non contineantur.

DE S. CONSOLATA VIRGINE GENVÆ.

Consolata miraculis clatet in ortu. Septennis vitam agit Angelicam. In morte cantus Angelorũ auditur. Infirmi sanãtur. Corpus delatũ Genuã varijs miraculis fulget.

Consolata virgo Floridæ in Palæstina trans mare Galilææ Christianis,& claris parentibus nata in ipso sui ortus exordio sanctitatis specimen dedit: nam radius super caput eius igneus apparuit:& ipsa lac nunquam suxit, ab apibus quotidie melle mirabiliter refecta. Quæ septem annos nata Angelicam in orationibus, vigilijs,& ieiunijs cilicio induta vitam ducere cœpit. Grandior effecta in cœnobio sibi à patre cum oratorio constructo vnà cum aliquot virginibus vitam egit monasticam. In cuius obitu Angelica melodia exaudita est: & suauissimus ex corpore eius odor efflabatur: Sed & diuersi generis ægroti ad corpus illius cateruatim accurrentes, tactis, vel vestibus pristinam recuperabãt sanitatem. Cuius corpus aliquando Genuam delatum multis effulsit miraculis; vt illi propterea extructa fuerit ecclesia. Nam inter cætera puellæ dementi, quæ se gladio lethaliter vulnerarat, ad matris preces vtranque præstitit sanitatem. Puero obcæcato, vbi mater preces, & vota S. virgini nuncupasset, visum illicò restituit. Tempestatem ortam inter Genuam & Sauonam: in qua ciuis quidam Genuensis cum vxore,& liberis periclitabatur, ab eis exorata sedauit. In carcere detentum, vinculisque constrictum, qui nomẽ suum inuocauerat, liberauit. Puerulum iam morti propinquum à matre sibi flente commendatum vitæ restituit. Pacem inter mutuò rixantes fratres, ac inter vxorem, quę si illius auxilio commendarat,& virum suum conciliauit. *Ex eius vita, & officio typis excusis anno* 1587. *In quibus tamen quædam etiam contra Grammatica præcepta corrigenda sunt.*

Officium & vita corrigẽda.

ANNOTATIO.

Hist. S. Consolatæ suspecta. Altera Regij Consolata Virg. & mart.

Historia, vt verum fatear mihi suspecta est, cum tempus, quo S. virgo floruit, sileatur; neque vrbis Florida apud scriptores antiquos, neque recentiores mentio reperiatur. Illam tamen in humanis fuisse, sanctamque esse crebra miracula testantur. Est & Consolata Virg. & mart. cuius ab ecclesia Regien. ad diem 6. Septẽb. fit Commemoratio.

Decembris die 6.

DE S. NICOLAO EPISCOPO MYRENSI, & patrono Barensi.

Nicola' Eps eligatur diuino admonitu. Ieiuniũ ab incunabilis seruat. Patrimoniũ pauperibus distribuit.

Nicolaus Pataræ in Lycia natus, cum mortuo Myræ Episcopo Episcopi Prouinciales de successore eligendo dissiderent, diuino admonitu, Myram veniens Episcopus eius vrbis eligitur. Nam Episcopi diuinitus moniti fuerãt, vt eum Episcopum eligerent, qui primus mane Nicolaus nomine ecclesiam ingressus fuisset. Cuius viri sanctitas iam ab incunabilis manifesta fuit: nam cum à parentibus sterilibus precibus impetratus fuisset, lac nutricis feria quarta, & sexta semel tantum idque vesperi sugebat: quam ieiunij consuetudinem in tota vita seruauit. Orbatus parentibus patrimonium pauperibus distribuit,& cũ quidam tres filias ob paupertatem prostituere cogitaret Nicolaus ter per fenestram noctu tantum pecuniæ in domum illius iniecit, quantum satisfuit ad triũ virginum dotem. In Palæstinam ad loca sancta visenda proficiscens horribilẽ nau-

nautis tempestatem prædixit;quam etiam oratione sedauit. Factus Episcopus castitatem, grauitatem, orationis assiduitatem, vigilias, abstinentiam, liberalitatem, hospitalitatem, in hortando mansuetudinem, in reprehendendo seueritatem perpetuò adhibuit, viduarum, & orphanorum præcipuam curam gerens. Cum autem contra Diocletiani, & Maximiani Imperatorum edicta Myræ prædicaret, longè abductus in exilium in carcerem coniectus est: in quo vsque ad Constantinum Magnum fuit. Cuius iussu ereptus ad propriam rediit ecclesiam, & Concilio Nicæno cum alijs 308. patribus aduersus Arij Hæresim interfuit. Constantino peruisum minaciter apparens tres Tribunos per calumniam delatos, & ab eo condemnatos liberauit: Se enim ei absenti commendarant,cum alios tres insontes Myræ à morte liberasset. Cum rediisset ad Episcopatum paulò post,cum,instante morte, Angelos sibi occurrẽtes intueretur,pronunciato psalmo: *In te Domine speraui, In illis verbis: In manus tuas Domine commendo spiritum meum*. Spiritum Deo reddidit 8.Id.Decemb. an.sal.343. Cuius corpus circa annum Domini 1087. Myra à Saracenis euersa à nonnullis Barensibus mercatoribus in suam vrbem translatum fuit, ac in templo suo nomini excitato reconditum: quæ translatio die 9. Maij celebrata est. Ex eius verò corpore manna adhæc vsque tempora scaturit morbis sanandis maximè salutaris. Porrò templum illius augustum in quo corpus ipsius est, singulis annis ab innumeris gentibus ob crebra miracula inuisitur. Inter miracula verò illud libet referre: quod cum Vuandali Calabriæ loca prædarentur vnus ipsorum inter cætera ex Christiani domo S.Nicolai imaginem in Africam abstulit; de quo cũ mira quàm plura perpetrasse audisset, ei pecuniam suam,quæ multa erat domo sua egrediens commendauit. Rediens autem,cum pecuniam omnem sublatam comperisset, D.Nicolai imaginem affatus fertur se illam,nisi pecuniam recuperasset, combusturum. Cum autem S. Nicolaus furib. apparens eos pecuniam restituere compulisset, Vuandalus Christianus effectus sancto templum ædificauit. Illud etiam mirandum; Cum Christianus Iudæo pecuniam deberet,& coram iudice baculo (in quo maior summa continebatur) creditori porrecto per S.Nicolaum se illi plus quàm deberet restituisse iurasset, recepto baculo (quem Iudæus pecuniam intus continere nesciens reddidit) paulo post à prętereunte curru cum baculo confractus est,pecuniaq; effusa. Cumque Iudæus accepta pecunia se Christo nomen daturum diceret, si S. Nicolaus mortuum suscitasset, illicò ferunt mortuum Christianum reuixisse Hebræumq; in Christũ credidisse. *Ex Breu. ex vita à Sur.tom.6.relata. & Paulo Reg. lib.2. de SS. Regni Neapolit.*

Loca SS. Patriarchæ inuisit.

In persecut. Diocl mittitur in exiliũ, & in carcerẽ. Liberatur, & interfuit Cõcil.Nicæno.

Corpus Barium transfertur.

Manna ex eius corpore manat.

Mirum de pecunia Vuandalo restituta.

Mirum de Iudæo ad Christum conuerso.

ANNOTATIO.

Corpus S.Nicolai Venetijs asseruare ferunt: sed cum illud Barij in Apulia esse fama constantissima sit, Venetijs alterius Nicolai, qui huius auunculus fuisse traditur eiusdem vrbis Episcopus, corpus quiescere dicendum est.

DE S. ASELLA VIRGINE ROMANA.

Asella Romana virgo claris orta parentibus in ipso matris vtero benedicta, quam in aquæ lympidæ ampulla antequam æderetur in lucem pater sibi diuinitus ostensam vidit; seipsam ab infantia Christo Domino consecrauit. Facta decennis,torquem auream, quam ornatus causa, vt mos erat nobilibus iussu parentum gestabat, vendidit, ac ex pretiò vestes nigri coloris emptas depositis pretiosis induit: seq; in cubiculo paternæ domus, quasi in eremo includens.

Mira de Asella visio.

Asella torquem aureã in nigras vestes commutat.

cludens,vitam in orationibus,ieiunijs,pijsq; meditationibus ducere cępit thalamo nunquam ferè egressa. Humi cubabat: sæpe triduum cibo abstinebat: victum sibi labore manuum quærebat: silentij fuit obseruantissima,ab omniū penè consuetudine abhorrens. Si quando ad SS. martyrum memorias visitandas exisset, quantocius ad cellam redire videbatur. Cum in ea vitæ austeritate ad annum ætatis 50. quibus nulla vnquam corporis ægritudine,nullove dolore capitis, vel stomachi pulsata fuit, callis tantum genibus ob orandi assiduitatē obductis peruenisset. Obdormiens migrauit ad sponsum 8. Idus Decembr. anno sal.420. circiter. Honorio, & Theodosio Imperatoribus. *Ex Palladio lect. 104. lib.Virg.Rom.*

Ea fulget abstinentia, vt triduò cibo abstineat. Callos genibus ob duas preces obducit.

ANNOTATIO.

Vitam pluribus S.Hieron. cuius tempore hæc virgo vixit,in Epist.SS. ad Marcellam scripsit.

DE S. APOLLINARE SVBDIACONO TERGESTINO, & martyre.

Apollinaris Subdiaconus apud Licinium Præsidem Tergesti accusatus comprehenditur. Qui coram illo præsentatus ac iussus Idolis sacrificare, cum id facere constantissimè renueret, varijs cruciatibus afficitur: nam primùm fustibus nodosis à quattuor viris cæditur: deinde super craticulam extensus igne supposito viuus assari iubetur: Sed igne signo crucis extincto, cum illæsus surrexisset,impius iudex dexteram illi iussit amputari. Qui denique felicem confessionis suæ agonem iussu Præsidis capitis obtruncatione compleuit 8. Id. Decembris. Passus est Antonino Imp. Cuius corpus à Christianis sepultum, postea Veronam cum alijs SS.corporibus translatum in æde S.Firmi maioris post altare maius in sepulchro marmoreo cum alijs SS. corporibus conditum est. 6. Kal.Iunii anno sal.755. *Ex monumen.eccles. Veronen.& ex lib.toties memor. Aug. Valer. Episcopi de SS. eccles.Veronen.*

Ignis signo crucis extinguitur.

ANNOTATIO.

Corpus S. Apollinaris cum corporibus SS. Marci, Primi, & Lazari mart. à S. Maria cognomento Consolatrice S. Annonis Episc. sorore Tergesto Veronam translata sunt.

Decembris die 7.

DE S. AMBROSIO EPISCOPO MEDIOLANENSI, & ecclesiæ Doctore.

Ambrosius Romanus patre Galliæ Præfecto natus liberalibus disciplinus excultus anno ætatis 36. Æmiliæ,& Liguriæ præficitur Valentiniano Imper. Is mortuo Auxentio Episcopo Mediolanensi Ariano Mediolanum ad dissensionem de successore sedandam profectus, infantis voce acclamatus Episcopus: licet adhuc Cathecumenus,& inuitus, cogitur onus suscipere pastorale baptizatus, & octauo die consecratus,quod cum ecclesiasticis regulis aduersaretur,ei Simplicianus Rom.Presbyter vti monitor, & adiutor à Damaso Pont. datur. Ordinatus bona sua renunciat immobilia quidem ecclesiæ, mobilia verò partim ecclesiæ, partim pauperibus distribuit vsufructu germanæ suæ reseruato. Vitam clericalem cum monachali, quod & Eusebius Episcopus Ver-

Ambrosi᷒ infantis voce Episcopus acclamatur.

Bona Ecclesiæ distribuit sua.

cellensis

cellensis fecerat, coniunxit, singulis diebus Dominicis concionabatur ad populum, & circa baptizandos solus laborem sustinuit, quem post illum vix quinque Episcopi, cum tamen audiendo promptissimus esset, semperque ad eum aditus cuiq; pateret. *Omnia omnibus erat*, à tribus abstinens, vt nemini vxorem quæreret, nulli militiā suaderet, nec ad conuiuium ē inuitatus accederet. Omnes lapsos ē labe Ariana infectos, modò pœniterent, excipiebat. Clerū ad exactam disciplinam ecclesiasticam perduxit tribus libris de officio conscriptis. Gentiles ritus, & mores tollere maximoperè studuit. Cum aliquando Romæ sacrificium offerret, paralytica mulier vestes, & manus illius exosculata sanata est. A Valentiniano Imper. ad disputationem cum Auxentio Episcopo Ariano coram Gentilibus, & Iudæis iudicibus, ac ipso Imp. adhuc Cathecumino euocatus ire noluit, quòd ea in ecclesia, seu in concilio fieri deberet. Cum ad populum conciònaretur, quidam Arianus acerrimus disputator, & inconuertibilis Angelum ad aures illius loquentem videns conuersus est. Maximas à Iustina Augusta passus est persecutiones; quæ Ambrosium in exiliū deportantibus cū dignitates pollicer etur, quidam Euthymius proxima domo conducta, per annum inuigilauit, vt opportunè illum curru arriperet, sed factū est, vt ipse eodē curru in exilium post annum deportaretur. Ipse verò Ambrosius præcipienti Imp. vt vrbe excedens ecclesiamque, & sacra vasa tradens abiret, quò vellet, non paruit, ne oues sibi cōmissas desereret. Haruspex quidam ad quæstiones positus, se dæmones, qui Ambrosium necarent, adiurasse, eosq; nequiuisse ad eius domum accedere vndique diuina protectione vallatam confessus est. Cū Theodosius Imp. synagogam Iudæis restituendam scripsisset, Ambrosius rescribens illum ab hac sententia remouit, nec illummet ob cædem Thessalonicæ factum excommunicare dubitauit. Profectus Bononiam corpora SS. Vitalis, & Agricolæ inuenit, & Florentiam diuertens, ibi S. Laurentio ecclesiam dedicauit. Stiliconis seruum à Dæmone liberatum, ac postea in flagitium prolapsum, dicente Ambrosio opottere illum tradi Sathanæ, illicò arreptum immundus spiritus agitare cœpit; sed & ipse Stilico valdè deterritus est cum leopardi ex Theatro exilientes eos, qui clericum, licet facinorosum, ex ecclesia Mediolani abstraxerant, discerpsissent. Quædam Marcomanorum Regina audita Ambrosij sanctitate ab eo missis litteris, & donis, in Christiana fide instrui petijt; quod epistola præstitit, scribens, vt ei viro pacem cum Romanis suaderet. Deniq; nondū annum agens 64. anno virginei partus 397. migrauit è vita cum annos 22. mēses 4. clarus miraculis ante & post mortem, ac tot scriptis, quibus ecclesiā illustrauit. *Ex Paulino Presbytero quem Ambrosius apud se ex Hisp profectum retinuerat.*

Omnia omnibus erat à tribus tantū abstinens.

Mulier paralytica Ambrosij manus osculata sanatur.

Arianus quidam disputator Angelū ad aures Ambrosij loquentē uidens cōuertitur.

Dæmones nihil officere Ambrosio possunt.

Theodosium Imp. excommunicat.

Leopardi Clericū licet facinorosum persequētes discerpunt.

ANNOTATIO.

INter cætera post mortem consecuta illud Paulinus narrat miraculum: quod S. Ambrosius paulò ante defunctus Mascezili, qui cum 5. millibus aduersus 70. millia Gildonis in Africam profectus erat, apparens per uisum ter humum, baculo quatiens, dixit: HIC, HIC, HIC. Ex quo ille post tres dies victoriam designari intelligens, orationibus, & sacramentorum perceptioni insistens gloriosissimam de hoste victoriā reportauit.

Mascezili uictoriam de hostibus prēmonstrat.

Ex hymno S. Ambrosij.

IS Infulas dum sæculi
Fert, quæsiit claues poli;
Iusque dum portat gladij,
Suscepit Euangelij,

Mysterium incognitum,
Altissimus quod nouerat,
Nondum ablutus lauacro
Episcopus eligitur.

In-

Ingressus est Ecclesiam
Plebem sedare turbidam:
Cunctorum ora conclamant
Ambrosium Episcopum.
Arij tunc perfidia
Purgatur ab ecclesia:
Cuncta concrepant agmina,
Nec desunt Christi munera.
Nox tetra cedit lumini:
Confunduntur Hæretici:
Adest tantum pijssimus,
Qui purget mentes perfidas.
Virtus ex alto data est
Ambrosio in Baptismate:
Nam statim, vt renatus est,
Cœpit fugare dæmones.
Suscepit is Ecclesiam:
Gubernauit intrepidus:
Confessor esse meruit,
Dum Arianis non cedit.

De S. Ambrosio Carmen S. Ennodij Episcopi Ticinen.

,, *EGit quod docuit, meritis & honore superstes*
, *Ambrosius vates moribus, ingenio.*
,, *Roscida regifico, cui fulsit murice lingua*
, *Verè suo pingens germina, quæ voluit.*
,, *Serta redimitus gestabat lucida fronte,*
, *Distinctum gemmis, ore parabat opus.*
,, *Instituit populos, gesta probitate, pudore*
, *Fouit respiciens, pertulit, admonuit.*
,, *Vatis vt officium postrema pericula poscunt,*
, *Sic teneras culpas, qui tacet, insequitur.*
,, *Succinctus gladijs, clypei de pondere tutus*
, *Pectora claudebat textilibus chalybis.*
,, *Ensis habet vires, vitiorum sector, & hostis*
, *Vipera non tangit squamea terga viri.*

DE S. VRBANO EPISCOPO THEANENSI III.

VRbanus S. Paridis I. Episcopi Theanensis discipulus, & Diaconus cū post magistri excessum à populo illi subrogandus esset, quòd illum Theani natum, & educatum omnes probè nossent, electionem detrectauit, ac vt Amasium virum sanctissimum eligerent, persuasit. Cum autem & ipse Amasius migrasset è vita, summo omnium consensu ad onus pastorale electus, licet principio reluctans se tanti muneris indignum diceret, tandem tamen ciuium precibus victus, passus est se consecrari. Suscepto itaque munere, assiduis prædicationibus populum à vitijs, à contentionibus, & inanibus operibus reuocabat, pauperum curam gerens, ac viduarum, & oppressorum defensioni inuigilās. Cumque diuina in eo gratia præluceret, languentes, & ægroti ad eum confluebant: quod illum cæcis visum; claudis gradiendi, & mutis loquendi, facultatem restituere, & à Dæmone oppressos liberare cernerent. Cum inter visitandā diœcesim, Ecclesias complures reficiendas, & diuinum cultum restituendum curasset, denique sanctis operibus cumulatus, pijs laboribus perfunctus, ætateq; confectus cum obitus sui diem præsciisset, extructo sibi apud fluuium, & portā vrbis inferiorem tumulo migrauit in Cœlum 8. Id. Decembr. *Ex off. & monum. Eccl. Theanen. & Paulo Regio parte 2. de SS. Regni Neapol.*

Ad Vrbanū quot aduersa laborant valitudine ad sanitatē recuperandā, etiam claudi, & obsessi, cæci, mutiq; confugiunt.

AN-

ANNOTATIO.

E*Tsi ex eius vita: quo tempore obierit non apparet, attamen cum Paris sub Siluestro, Amasius sub Iulio vixerint, Vrbanus sub Liberio Papa obijsse putatur.*

DE S. SABINO EPISCOPO, ET MARTYRE, Et alijs Spoletij.

SAbinus, qui & Sauinus Episcopus Assisinas eloquentissimus, & doctissimus apud Venustianum Præsidem in persecutione Diocletiani, & Maximiani accusatus vnà cum Exuperantio, & Marcello Diaconis, & alijs clericis Dijs immolare iubetur. Qui cum Deos lapideos esse diceret, & qui nec sibi, nec alijs prodesse possent, cuius rei periculum faceret, si aliquis ex illis sibi traderetur, allatum est Iouis simulacrum ex coralio miro opere elaboratum, & vestibus aureis indutum: Quod Sabinus acceptum manibus, nulla vi ei illata, sed sola oratione comminuit. Qua re Iratus Præses Sabino manus pręcidi, & Diaconos, quòd & ipsi Deos execrarentur, in equuleo torqueri, fustibus cædi, vngulis dilaniari, igneq; supposito torreri iubet. Quibus in supplicijs immobiles persistentes animas Deo reddidere. Quorum corpora in fluuium proiecta: iuxta viā pridie Kal. Ianuarij sepulta sunt. Sabinus autem carcere inclusus à Serena pia fœmina; quæ manus eius collegerat, & cuius nepotem Priscianum nomine cęcum illuminauerat (quo miraculo omnes, qui in carceribus erant ad Christum conuersi sunt) alebatur. Interea Venustianus maximo oculorum dolore affectus Sabinum ad se eductum orat, vt sibi ignoscens opem ferat, se enim Christum colere velle. Qui in fide instructus vnà cum vxore, & filijs totaq; familia salutaribus vndis expiatus, illico visum sanatus recepit. Quod Maximianus Imp. audiens Lucium Tribunum Assisium mittit. Qui capite Venustiano vxori, & filijs amputato, Sabinum Spoletium ductum plūbatis tandiù cædi iubet, donec spiritum emitteret. Corpus vnà cum manibus propè vrbem à Serena sepultum est. Cui à Petro Episcopo Ticinensi Luitprandi Longobardorum Regis affine templum extructum fuisse fertur. *Ex monumentis Eccles. Spoletinæ, & Fauentinæ, vbi corpus eius nunc asseruatur.*

> Iouis simulacrum ex coralio fabre factum Sabin' oratione comminuit.

> Serenę cæcus nepos illuminatur.

> Venustianus Præses cū tota eius familia baptizat' oculorū dolore leuatur.

ANNOTATIO.

H*Ac die item S. Sauini Episcopi, & mart. in Oppido S. Sauini memoria celebratur quem illi Oppidani Episcopum Clusinum fuisse asserunt, prout in Cronic. eiusdem opp. quod in Aretina diœcesi situm est, legimus.*

Baron in Annal. ad an. 301. Sabinum Episcopum Spoletinum, contra quam Acta habent, facit.

DE SS. MARTYRIBVS SEBASTIO, ET GORGONIO apud Corphinium.

SEbastius, & Gorgonius S. Pelini Comites in itinere, & in martyrio cum eo ex Græcia Brundisium venientes, ibi aliquandiu sub S. Aproculo Episcopo Brundusino cum S. Pelino commorati sunt. Quem Romam, & ad Episcopatum Brundisinum secuti, rursus Romam vincti, & inde Corphinium vnà cum S. Pelino perducti, ibi post S. Pelini martyrium, & ipsi capitibus abscissis martyrij palmam adepti sunt sub Iuliano Imp. Apostata. 8. Idus Decembris. Quorum corpora à Christianis prope S. Pelinum sepulta sunt. *Ex Actis, et pass. S. Pelini Episcopi.*

AN-

ANNOTATIO.

Vbi eorum corpora hoc tempore quiescant nondum accepi.

DE S. POTENTE MARTYRE TVSCANÆ.

POtens martyr ab Ecclesia Tuscanensi hac die celebratur; corpus enim illius habet in templo maiore, vt ferunt. Sed an ibi martyrium pertulerit, & quãdo, incompertum est. *Ex Tab. & monum. eccles. Tuscanen.*

ANNOTATIO.

ET si nulla in Martyrologijs S. huius martyris mentio reperitur; neque acta illius extant; haud tamen in dubium quisquam ipsius sanctitatem reuocare debet: Cum, vti diximus, in ecclesia Tuscanen. antiqua eius memoria cum veteri inscriptione asseruetur.

DE S. VICTORE EPISCOPO I. PLACENTINO.

Victor omnibus virtutib⁹ excultus.

VIctor vir ingenio præstanti, diuinarumq; litterarum scientia, eloquentia, & pietate, ac omnibus virtutibus exculius Ecclesiam Placentinã diù summa cum sanctitatis laude gubernauit. Is templum S. Victori martyri, quod postea S. Antonini dictum est, quòd corpus illius in illud illatum fuerit, exædificandum curauit. Multa sanctè, pieq; ad animarum salutem instituit: ac Deum pro gregis sui salute assiduè precabatur. Cum ad extremum vitæ diem peruenisset, illud stantibus fore prædixit, vt post eius obitum eodem met tumulo, quẽ sibi parauerat, alius longè se præstantior conderetur. Quod postea euentu ipso comprobatum est: nam corpus S. Antonini martyris Placentiæ patroni à S. Sauino Victoris successore inuentum, in eo tumulo collocatum fuit. Sanctus itaque Episcopus multis præclarè gestis, clarusq; miraculis migrauit è vita 8. Idus Decembris in templo, quod extruxerat, tumulatus. *Ex off. & monument. eccl. Placent.*

Victor spiritu propheticę clarus.

ANNOTATIO.

VIctor I. Placentiæ Episcopus putatus: quòd eo prioris nulla in Cron. eius vrbis, & Eccles. Placentinæ extet memoria.

DE S. GERARDO EPISCOPO VELITERNO, & protectore.

GErardus, qui & Giraldus, & Ghirardus natione Gallus ex monacho Veliternus Episcopus à S. Gregorio Papa ob eius vitæ sanctimoniam creatur. Is viduarum, pupillorum, e pauperum præcipuam curam gessit. Ægrotantes quoque, quos etiam re ipsa fouebat, frequens visitabat: seipsum verò assiduis precibus ieiunijs, pijs meditationibus expletis charitatis operibus hostiã Deo acceptabilem exhibebat. Cuius sanctitatem Deus multis miraculis testaram esse voluit. Cum enim vrbs Veliatrensis graui obsidione ab hostibus premeretur, Orationibus Gerardi liberata fuit: cum plumbeam grandinem super eos pluisset. Cæcus, qui lumen dudum amiserat, Gerardi intercessione illud recepit Sed & mulier Priuernas paralytica ad Gerardi tumulum delata, sanata est; & bibulcus, qui in rabiem versus fuerat, ad S. Episcopi sepulchrum ductus, statim liberatus fuit. Migrauit ex hac vita 7. Idus Decembris, qua die natalis eius Velitris magna solemnitate celebratur. *Ex monumentis Eccles. Veliterna. M.S.*

Vrbs Velitrẽsis à graui obsidione liberatur.

Cæcus lumẽ recuperat.

Mulier paralytica sanatur.

Bubulcus in rabiẽ versus liberatur.

AN-

ANNOTATIO.

CVm plures Gregorij SS. extiterint: à quo Gerardus Episcopus ordinatus fuerit, ex citatis Veliterna Eccl. monum. non apparet. Mirandum verò, quod hic S. Episcopus Romæ adeò vicinus, & suæ vrbis protector in Martyrol. Rom. prætermissus sit.

Decembris die 8.

DE S. EVTYCHIANO PAPA, ET MARTYRE.

EVtychianus patria Lunensis in Hetruria natus post S.Felicem I. Pontificatum iniit Aureliano Imp. an. sal. 275. Hic instituit, vt fruges in ecclesia benedicerentur: vt, qui martyres sepelirent, dalmaticâ vterentur. Pontificatum vsque ad Numerianum Imp. seu Cæsarem gessit: cumque multi ipso Pontifice martyrio affecti fuissent, ex ijs 342. suis manibus sepeliuit. Sub eo Manichæorum Hæresis excitata est, vel maximè ebullire cœpit. Duas scripsit Epistolas alteram ad Bæticæ Episcopos: in qua multa de Christo Deo, & Homine disserit: alteram ad Siciliæ Episcopos, vbi modum in accusatione Clericorum præscribit. Cum Præsbyteros 14. Diaconos 5. & Episcopos 9. sub Numeriano martyrio coronatus est in cœmeterio Callisti via Appia sepultus 6. Idus Decembr. An. sal. 284. *Ex Damas. lib. Pont. & Plat. & alijs.*

Sub Eutychiano Manichæorum hæresis excitata est.

ANNOTATIO.

EVseb. lib. 7. c. 27. Hist. Ecclesiast. Eutychiano menses tantum 10. Pontif. tribuit, Damasus cum Plat. menses 13. Panuin. & Baron. in Annal. annos 8. mens. 6. Puto librum Damasi deprauatum fuisse: si enim Eutychianus quinquies mense Decemb. vt scribit Damasus habuit ordinationes, & epistolas illas duas diuersis Consulibus. Illud etiam de die martyrij controuersum est. Cum Damas. & Plat. scribant illum martyrio coronatum 8. Kal. Aug. Martyrol. vero Rom. 6. Idus Decemb.

Decembris die 9.

DE S. PROCVLO EPISCOPI VERONENSI.

Vide die 23. Martij.

DE S. SYRO I. EPISCOPO TICINENSI, & patrono Ticini.

SYrus B. Petri Apostoli discipulus ab eo sicuti Apollinaris Rauennæ, Hermacoras Aquileiæ, Priscus Capuæ, Aspren Neapolis, Ptolemæus Pentapolis, Romulus Fæsalarũ, Paulinus Lucæ, Euprepius Veronę, Prosdocimus Patauij, Epaphroditus Tarracinæ Episcopus ordinatus circa annum sal. nostræ 46. Ticinum venit, vnà cum Inuentio, Pompeio, Chrysanto, & Fortunato. Cui aduẽtãti, ac prodigijs per uiam multis coruscanti ciuitas occurrit, Pastorem suũ ingenti excipiens lætitia. Qui vrbem ingressus Christum priuatim primum, deinde cum dociles ciues cerneret publicè annunciare cœpit: breuique prædicationibus, & signis ciuitatem ad Christum cum tota ferè Liguria conuertit: Mediolanum

Episcopi à S. Petro ordinati.

Syrus Ticinum cum tota ferè Liguria conuertit

diolanum ad Præsidem, cui, quòd nouam religionem, & doctrinam prædicaret delatus fuerat, euocatus eas suæ religionis causas attulit, vt liber dimissus ad Euangelij prædicationem: licet sibi interdictum redierit. Ticini templũ SS. martyribus Geruasio, & Protasio, qui suo tempore martyrium Mediolani passi fuerant, ædificauit. Admirandis planè miraculis ab eo diuersis in locis perpetratis ita refulsit, vt non immeritò Thaumaturgus dici possit. Veronæ filium nobilissimæ fœminæ vnicum defunctum ad vitam precibus suis reuocauit. Quo miraculo non modo tota illius familia, sed & magna eius vrbis multitudo Christo nomen dedit. Brixiam inde profectus ibi etiam diuinæ virtutis Dæmone ab obsesso puerulo mirabiliter profligato specimen dedit. Apud Laudem Pompeiam, cum cæco, qui sic natus fuerat, in magna populi frequentia lumen à Deo impetrasset, plurimos in ea vrbe ad Christi fidem perduxit. Cum loca Liguriæ vltra Padum visitaret, eaq; in accepta fide confirmaret puerum sibi oblatum à natiuitate surdum, & mutum signo crucis adhibito loquentem, & audientem effecit. Illud quoque minimè prætereundum; quod cum S. Episcopus sacra Missæ mysteria in basilica SS. Geruasij, & Protasij celebraret, & Iudæus ad sacram communionem cum Christianis percipiendam conuenisset illã contumelia affecturus, mox vt eam ore excepit, quasi ignem accepisset, vehementer cruciari cœpit, & clamare opem Syri implorans; qui vbi sacrosanctam Eucharistiam ex ore sacrilegi (in quo quasi in aere suspensa manebat) extraxisset, non modò illum ab eo cruciatu liberauit; sed etiã muto effecto cũ ipsum baptizasset, loquendi facultatem restituit. His, alijsque compluribus gestis clarus, cum Ticinensem ecclesiam insistens optime à se institutam annos circiter 60. administrasset, assiduis laboribus pro Christo, senioq; confectus migrauit ad Dominum 5. Idus Decembr. an. post Christum natum 106. Anacleto Pont. Max. & Traiano Imperatore. Cuius corpus in æde SS. Geruasij, & Protasij à se constructa summo ciuium mœrore sepultum, post annos 700. in ecclesiam Cathedralem 17. Kal. Iunij translatum, ibi ante aram maiorem intra templi colũnam honorificentissimè conditum est. *Ex monum. Eccles. Papien. De eo Breuiar. Aquileien. monumenta antiqua eccles. Veronen. Pet. in Catal. lib. 1. cap. 50. Bonin. Mombrit. tom. 2. Sur. tom. 7. præter scriptores Papiens. Luitprandum, Guallam, Breuent & Speltam.*

Veronæ defunctum vitę restituit.

Brixiæ puerulum à Dæmone obsessum mirabiliter liberat.

Cęco nato lumen datur.

Surdus, & mutus signo crucis sanatur.

Iudæus Sacramentũ Eucharistiæ sumens, quasi ab igne excruciatur, mutusque efficitur.

ANNOTATIO.

PLerique Syrum S. Hermacoræ Episcopi Aquileien. discipulum ab eo Episcopum Ticini ordinatum putant, cum ex Annal. ecclesiast. Baron. à Petro Apostolo inter primos Italiæ Episcopos creatum constet. Quod si Episcopus Aquileiens. Ticino Episcopum dedisset, hic illius suffraganeus esset. Fieri tamen potest, vt Syrus Roma discedens Hermacoram necessitudinis causa Aquileiam vsque comitatus, inde ad destinatum sibi locum dirigens iter, visus fuerit ab Hermacora Ticinum missus.

Num Syrus à B. Petro, vel à S. Hermacora Ticinũ transmittitur.

Circa S. Syri tempus, quo Ecclesiæ Ticinen. præfuit non est vna omnium sententia: alij enim illi annos 50. alij 58. alij 60. tribuunt Episcopatus. Et alij illum anno ætatis 80. alij 112. excessisse tradunt: quod dici minimè posse videtur. Cum enim anno Dom. 46. circiter Episcopus ordinatus fuerit. si præfuit annos 50. oportet illum anno 62. ætatis, Episcopum creatum fuisse, vt anni 112. colligantur: Si verò sedit annos 60. vt colligantur anni 112. oportuit illum, quando ordinatus est, annum 52. ætatis egisse: quo pacto ipso Domino secundum carnem antiquior fuisset. Possumus itaq; conijcere Syrum anno ætatis 30. Episcopum ordinatum fuisse, peruenisseque ad annum ætatis 90. si sedit annis 60. vel ad annum 80. S. sedit annis 50.

DE

DE SS. MARTYRIBVS MARTINIANO, Et Socijs Taurini.

MArtinianus Miles Thebæus vnus ex ijs, qui ex finibus Sedunotum à Maximiano Imp. ne sacra Dijs facere cogerentur, cis Alpes vnà cum Iuliano, & Besutio refugerant, & ipsi in Taurinorum finibus ab Imperatoris satellitibus comprehensi propter fidei Christianæ confessionem interfecti martyrij palmam adepti sunt 5. Idus Decembris. Quorum corpora Augustæ Taurinorũ sepulta sunt, ecclesia postea, quæ Cathedralis erat, illis dicata. *Ex Historia Thebæorum mart. recens ferè Taurini edita.*

ANNOTATIO.

EXtat etiamnum ecclesia antiqua Taurini parochialis: quæ S. Martiniani appellatur. Ex Tab. Eccles. Taurinens.

DE S. HERACLIANO EPISCOPO PISAVRENSI, ac eius vrbis tutelari.

HEraclianus circa annum sal. 347. singulari sanctitate floruit, quo tempore S. Seuerus adhuc Rauennati Ecclesiæ præerat; à quo Heraclianus Episcopus Pisaurẽsium ordinatus eam Ecclesiam, ita administrauit, vt tanto magistro dignus habitus sit (fuit enim Seueri discipulus) & cum diem 5. Idus Decembris obijsset, non modò honores Diuis debitos promeruit; sed & illi templum Pisauri excitatum fuit, quod ante aliquot annos extabat collegiatum. *Ex monumentis Eccles. Pisauren. quæ illum hac die præcipuè colit.*

Heracliano templum excitatur.

ANNOTATIO.

ACta huius S. Episcopi non extant: de eo tamen Hieron. Rub. in Hist. Rauen. in vita S. Seueri nonnihil agit.

Decembris die 10.

DE S. MELCHIADE PAPA, ET MARTYRE.

MElchiades, qui & Meltiades alijs dicitur, natione Afer S. Eusebio Papæ anno sal. 312. subrogatur Constantino Imp. qui hoc Pontifice Maxentium Tyrannum signo crucis munitus deuictum extinxit. Melchiades pace Ecclesiæ post interfectum Maxentium in Occidente restituta (in Oriente enim adhuc Maximinus & Licinius Christianos persequentes imperabant) nonnulla constituit: In ijs, ne die Dominico, & Feria quinta ieiunium à Christianis seruaretur, quòd hi dies sacri apud Gentiles haberentur, vt fermentum sacræ cõmunionis symbolum fidelibus certis diebus distribuendum ab Episcopo benediceretur. Vnam scripsit Epistolam ad Episcopos Hispaniæ; in qua de multis eos commonet, & eorum quæstioni; vtrum maius sacramentum sit impositio manus Episcoporum, an Baptismus satisfacit. Hoc Pontifici rursus Manichæi in vrbe deprehensi sunt. Habuit ordinationem vnam mense Decembri; in qua creauit Presbyteros 6. Diaconos 5. Episcopos per diuersa loca 11. Deniq; cum sedisset annos duos, menses duos, & dies 7. obdormiuit in Domino 4. Idus Decembris 8. anno Constantini Magni, sepultus in cœmeterio Callisti via Appia. *Ex Damaso in lib. Pontif. Plat. & alijs.*

Maxentius tyranus à Constantino Melchiade Papa prosternitur.

AN-

ANNOTATIO.

Platina Melchiadem martyrio coronatum sub Maximino asserit; cum tamen Maximinus Orienti cum Licinio tantum praeesset. Alij illum in pace quieuisse tradunt, appellari tamen martyrem: quòd aliquid perseueranti sub Maxentio persecutione pro Christo passus fuerit. Sic Baron. in Annal. Eccles.

DE SS. CARPOPHORO PRÆSBYTERO, & Abundio Diacono martyribus Spoletij.

Carpophorus, & Abundius fratres, qui vnà cum Anastasio patruo, ac Britio, & Eutitio sobrinis, alijsque 7. fratribus ex Syria Romam Diocletiano, & Maximiano profecti, ibi apud vrbem ab Vrbano Episcopo ordinantur, Carpophorus Presbyter: Abundius verò Diaconus, cum ob Christi confessionem in carcerem cum socijs coniecti fuisset, & Anastasio iussu Tyranni caput amputatum fuisset, fuga elapsi Spoletium omnes Eurytio excepto, qui Viterbium; deinde Vulfinios contendit, ibique vitam degens solitariam sancto fine quieuit, peruenere, Proculo à cæteris auulso, & Carsulam profecto. Cum autē Carpophorus, & Abundius, cum Britio (qui cæteris tanquam senior præerat) & Ioanne, Teudila, Isacio, Laurentio, Herculano, & Bractale Gentilium conuersioni operam darent, apud Martianum Præsidem Turgium, & Leontium militiæ Principes accusati in carcerem conijciuntur: vnde ab Angelo educti apud Spoletium in loco; qui Marianum dicitur, sacello extructo consedere, Britio munus Episcopale exequente, ac etiam Episcopos iussu Principis Apostolorum ordinante. Qui cum ad M. Martani radices secessisset, à Spoletio ad 5. M.P. distantis, (qui locus hodie S. Britius appellatur) Carpophorus, & Abundius cum reliquis fratribus in specu apud vrbis mœnia Gentilium conuersioni rursus insistentes denuò apud Martianum delati comprehenduntur, ac Dijs iubentur sacrificare: quod cum facere recusarent, reliquis extra vrbem capite truncatis, Carpophorus, & Abundius rursus in carcerem truduntur. Postero die vincti ad Martiani tribunal in medio fori sistuntur, iussique Deos venerari: cum Dijs, qui dæmones sunt, & quidem mali, nunquam se immolaturos dicerent, in equuleo suspensi dirè torquentur, ac vngulis ferreis dilaniantur: deinde nodosis fustibus mactati reducuntur in carcerē. Qui iussu Martiani apud Fulginium ducti in eo loco, qui Saxum Viuum dicitur, prope quem cœnobium Ord. Oliuetani extructum est, Turgio in via ab vrso inuaso, & occiso, capitis abscissione martyrij cursum feliciter confecerunt 4. Idus Decembris. Quorum corpora ab Eustochia pia fœmina sepulta, modò Spoletij in æde S. Gregorij asseruari feruntur. *Ex monum. & antiq. lection. M.S. Eccles. Spolet. De eis plurib. Mombrit. tom. 1. & Pet. in Cat. lib. 1. cap. 54. paucis. De eisd. Io. Baptista Braceschus Florent. Ord. Præd. In libello Camerini impresso an. 1586.*

Britius iussu Apostolorū Episcopos ordinat.

SS. Martyrū tormenta.

ANNOTATIO.

IN Martyrol. apud Vsuar. Bed. & Adon. & apud Petr. loco cit. & apud alios pro apud Spoletum, apud Hispalim legitur, & quod maius est, ipsi Hispani scriptores Carpophorum, & Abundium sibi vendicant, Carpophorum Episcopum Hispalensem fuisse affirmantes. Quod si ita est, duos Carpophoros, & Abundios affirmare necesse est: nec mirum, cum id in alijs SS. vsu euenire videamus: non enim de his; qui apud Spoletium passi sunt, ob Actorum certitudinem dubitari potest.

De

De corporibus dubitari potest; quòd in cœnobio Olinetano supra memorato asseruari etiam dicuntur; sed fieri potest, vt vtrobique secundum partes habeantur.

DE SS. MARTYRIBVS MERCVRIO, & socijs Leontinis.

MErcurius miles cum alijs vndeuiginti cum iussu Tertulli Præsidis SS. fratres Alphium, Philadelphum, & Cyrinum vinctos Tauromínio Leontinos deducerēt, ac in M. Mascalorum iugum ab illorum ceruicibus diuinitus ablatum, seque humi deiectos consurgere non posse cernerent, quiddam diuinū de religione Christianorum concipere cœperunt. Cumque Sanctos Martyres Symethum amnem siccis plantis traiecisse, milites verò, qui eos percusserant, aquis præfocatos vidissent, ad Christum conuersi sunt. In ingressu itaque vrbis Leontinæ, vbi Hebræus energumenus liberatus est, equis descendentes se à socijs SS. Martyribus tanquam Christiani adiungi, & colligari petierunt; & ad Alexandrum Tertulli Consiliarium ducti in carcerem trudi, compeditique vsque ad Tertulli, qui Leontinis aberat, aduentum. Qui vbi aduenisset, eos milites sibi sisti iubet, eosque à proposito remouere conatur. At Mercurius respōdit: *Nos olim Deum verum ignorantes, ambulabamus Deos inanes adorantes in tenebris. Nunc diuino beneficio per hos fratres veritatem assecuti, illum etiam morte sustinere parati sumus.* Quapropter Præses eos statim gladio animaduerti præcepit 4. Idus Decembris. Quorum corpora Tecla illustris fœmina sepeliuit. *Ex Pass. & Gest. SS. trium fratrum. ac ex off. Eccles. Leont. nuper Romæ approb.*

SS. MM. Symethum amnem siccis plātis traiiciūt.

ANNOTATIO.

IN Martyrol. Rom. sub Licinio Imper. passi referuntur. Cum tres fratres non sub Licinio, qui in Oriente eodem tempore, quo Constantinus Mag. in Occidente, imperabat; sed sub Decio passi sint.

DE S. DEVSDEDIT EPISCOPO BRIXIENSI.

DEusdedit, qui & Adeodatus Episcopus Brixiensis 28. post S. Felicem ei prę fuit Ecclesiæ doctrina, & sanctitate clarus. Is sextæ synodo Constantinopolitanæ, quæ anno sal. 680. sub Agathone Pont. Maximo, & Constantino Pogonato Imp. celebrari cępit aduersus Monothelitas præsertim, vnà cum alijs Episcopis 289. affuit, quemadmodum ex Episcoporum subscriptionibus apparet. Reuersus autem ad suam Ecclesiam; eaque præclarè administrata. 4. Idus Decembris ad laborum præmium euolauit. *Ex monum. Eccles. Brixien. & Tab. seu Epp. Catal.*

Deusdedit concilio Cōstantinopolitano subscribit.

ANNOTATIO.

QVæ fuerit huic Sancto Episcopo patria incompertum est, actaque desiderantur. Corpus in æde S. Petri in Olineto asseruatur.

DE S. CATERVO MARTYRE, ET SEPTIMIA EIVS VXORE Tolentini.

CAteruus Romæ nobiliss. parētibus, ab Apostolis ad Christū cōuersis in senectute generatus, & in Christiana fide ab eis instructus factus grādior post

mortem parentum in militiam adscriptus Septimiam virginem Christianam, & nobilem duxit vxorem: cum qua, Probiano Presbytero, qui Caterui fidei magister fuerat, autore, cęlibem vitam egit, militiæ spirituali magis, quam temporali addictus: multisque cœpit sanctitatis signis emicare ab obsessis dæmones signo Crucis eijciens. Postea nominis celebritatem declinans in Palæstinam nauigat; in qua nauigatione sæuissimam tempestatem oratione sua sedauit Christi autem incunabulis, & alijs locis sanctis inuisis vnà cum vxore multis vbique ad fidem perductis, in Apuliam venit: vbi cæco visum, mutoque loquelam Christi nomine inuocato restituit: ac sponsam nobilem defunctam ad vitam reuocauit, plurimis eo miraculo ad fidem conuersis. Inde cum Septimia vxore, & Basso, ac alijs, in Picenum profectus Tolentini substitit; ibique plurimos prædicatione, & signis infirmis, & obsessis à Dæmone liberatis, Christo peperit. Quibus ad Præfectum delatis ad eum perductus, & interrogatus, quis esset. & quam profiteretur religionem exposuit, iussusque secundum Principū decreta Deos venerari, & à prædicatione Christi desistere Deo magis, quā hominibus parendum esse respondit. Quare multis affectus verberibus, & per noctem integram variè excruciatus, cum constantior appareret, & multi per eū Christo nomina darent, securi percussus 16. Kal. Nouembris ad Cœlos euolauit, Præfecto à Dæmone arrepto, ac tortoribus sese mutuò necatis. Quo miraculo omnis ferè ciuitas ad Christum cōuersa est à Septimia in fide erudita: quę viro suo tumulum, vbi percussus, fuit extruxit: vbi hoc legitur epitaphium. FL. VI. VRBIS CONS. EX PRAEF. PRAETORIO. QVI VIXIT CVM SEPTIMIA SEVERINA CAII FILIA DVLCISS. CONIVGE ANN. XVI. MINVS DIEB. XIII. QVIEVIT IN PACE ANN. XLVI. DIER. XVIII. XVI. Kal. NOVEMB. DEPOSITVS EST IIII. Kal. DECEMB. SEPTIMIA SEVERINA CAII FILIA MARITO DVLCISS. AC SIBI SARCOPHAGVM CVM TRICORO DISPOSVIT, ET PERFECIT. *Ex eius pass. & Gest. M. S. ab Eccl. Tolentinate accep. In quibus plura inverisimilia continentur, quæ egent expurgatione.*

Caterus dæmones signo ✠ expellit. Cæco visum mutoq; loquelam reddit. Sponsam ad vitam reuocat.

Præfectus à Dæmone vexatur; eiusq; tortores se mutuo interficiunt.

ANNOTATIO.

Hac die non obitus, aut depositionis memoria, sed translationis recolitur. ex Epitaphio superiori: quod tamen ad Caterum non videtur pertinere, cum nulla eius mentio fiat, & in pace quieuisse dicatur. Septimia autem Seuerina alia mihi videtur à Septimia Caterui vxore. Tum in vita Caterui nulla fit mentio, quòd vrbis sexies Cons. fuerit.

Decembris die 11.

DE S. DAMASO PAPA, ET CONFESSORE.

Damasus natione Lusitanus vir egregius, & eruditus Anno sal. 367. ætatis vero 60. Valentiniano, & Valente Imperatoribus Liberio in Pontificatū subrogatus est, electo post eum in schismate Vrsicino quodam Diacono (quo, cum multæ fierent in vrbe cędes, sequenti anno à Prætextato vrbis Præfecto vrbe eiecto, & Neapolim Episcopo misso, quies redijt) is Concilio Constantinopolitano I. indicto nefariam Eunomij, & Macedonij spiritum S. non eiusdem substantiæ, & maiestatis, atque potentiæ cum Patre, & Filio esse asserentiū Hæresim extinxit, illis verbis in symbolo additis, & in Spiritum S. Dominum, & viui-

Damasus Eunomij & Macedonij de Spiritu S. hæresim extinguit. Auxentium Epūm Mediolanēs. Arianū damnat.

viuificantem; qui cum Patre,& Filio simul adoratur &c. Idem Auxentium Episcopum Mediolani Arianum multis habitis Romæ, & alibi Concilijs dãnauit, & Ariminensem conuentum à Liberio iam ante damnatum rursus reiecit: cum in eo, vt scribit S. Hieronymus Valentis potissimum, & Vrsatij fraudibus Nicæna fides damnata fuisset. Accusatus falsò adulterij à Concordio,& Callisto Diaconis Vrsicini adhuc schismati fauentibus à 44. Episcopis purgatus est: eiectis accusatoribus de Ecclesia. Basilicas duas ædificauit, alteram S. Laurentij ad Theatrum Pompeij, quam & titulum multis muneribus domibus, & prædijs auctã instituit; alteram via Ardeatina ad Catacumbas, Platoniam, vbi aliquandiu corpora SS. Apostolorum Petri,& Pauli iacuerant, dedicauit,& exornauit, versibus. Idem de virginitate prosa,& metro scripsit,& alia ẽt versibus edidit. Pœnam talionis ijs, qui alterum falsi criminis accusassent, constituit. Statuit etiã vt in omnibus Ecclesijs (cum id in aliquibus tantùm fieret) Psalmi ab alternis canerentur, diceretur; in fine cuiuslibet: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*. Eius iussu S. Hieronymus nouum testamentum græcæ fidei reddidit. Cum Ecclesiæ annos 17. menses duos, dies 26. præfuisset, & quinque ordinationib. mense Decembri habitis creasset Presbyt. 31. Diaconos 11. Epõs per diuersa loca 62. virtute, prudentia, & doctrina clarus, maximis laboribus pro Ecclesia, tot habitis concilijs, tot scriptis Epistolis, vt fidem catholicam tueretur perfunctus, octogenarius Theodosio seniore Imp. obdormiuit in Dño, via Ardẽtina vnà cum matre, & sorore in basilica à se constructa sepultus. Cuius reliquiæ postea in alteram S. Laurentij à se ædificatam Ecclesiam, ab eius nomine in Damaso vocatam translatæ sunt. Claruit autẽ Damasus viuens,& post mortem miraculis. Nam viuens cęcum signo crucis, & illis verbis, *Fides tua te saluũ faciat*, diuinitus illuminauit: post mortem ad eius tumulum Dæmonia ab obsessis eiecta sunt,& febricitãtiũ corpora sanata. *Ex Breu. Ro. lib. Põt. Plat. & alijs*

Pœnam talionis cõstituit.

Damasus viuens cæcum lumine donat. Post mortem energumeni liberantur, et febre correpti sanãtur.

ANNOTATIO.

PEtrus Diac. in sermone de B. Damaso, de eius miraculis hæc subdit. Hæc autem miracula alij B. Laurentio martyri, alij B. Damaso deputant confessori, Nos aũt in miraculis non diuidimus, *quos vna patria* genuit (cũ vterq; fuerit Hispanus) vna fides ꝑmouit, vna basilica colit in terris, vnus Dñs honorat in cęlis.

DE SS. MARTYRIBVS THRASONÆ, PONTIANO, & Prætextato Romæ.

THrason Togatus nobilis Rom. vir pietate clarus,& opibus diues, quo tẽpore Thermæ Diocletiani ædificabantur, Christianis a Maximiano Imp. ad fodiendam arenã,& onera cõportanda damnatis, iniqua Christianorum cõditione permotus nullis neq; sumptibus, neq; laboribus parcebat, quominus sanctis martyribus subueniret, necessarijs eis ad victum, vestitumq; suppeditatis,& eorum afflictiones modis omnibus subleuaret, qua in re Sisinnio, Cyriaco, Smaragdo,& Largo tanquam ministris vtebatur. Qui post S. Marcelli Papę passionem, Maxentij Imp. iussu vnà cum Pontiano & Prætextato Christianis comprehensus propter fidei Christianæ confessionem capitalem sententiam accepit. 3. Idus Decembris. *Ex Gest. & Passione S. Marcelli PP. apc. SS. Cyriaci, & Smaragdi à Sur. tom. 1. & 4.*

Thrason in afflictos christianos, ac martyres charitate flagrãtissimus.

ANNOTATIO.

AGit, & de eis *Pet. in Cat. lib. 1. c. 58. sed tam Sur. quam ipse censura indiget in eo, quod hos sub Maximiano passos referunt: cum is iam Imperio abdicasset, Maxentiusque Roma illud arripuisset.*

DE S. VIVENTIO EPISCOPO BLERANO.

Viuentius Parochus, Archipresbyter, & Episcopus Bleræ fuisse traditur. Qui cum sanctitatis laude floreret à nonnullis ex Scticiola, siue Paulitia familia, qui sancto inuidebant, illusus est. Nam muliebri veste clam in cubiculum eius immissa ab ipsis quendam agentem animam simulantibus nocte intempesta instanter vocatus, indutus processit. Ea ignominia affectus, (nam & à multis eam vestem gerens visus fuerat, & æmuli mane rem per vrbem disseminarât dicentes: *en, qui sanctus a nobis habebatur, mulieris non solum commercio frui, sed & indumenta gestare non erubescere*, vir Dei vrbe cedens in locum, qui Septem Cryptæ dicitur, secessit, vbi vitam ducens asperrimam in morbum incidit: ex quo cum se hinc migraturum cognosceret, Luciam spiritualem filiam, quæ ad se visendum venerat, oculorum lumine ob senium orbatam orat, vt Bleranos adiens ab eis iuuencos quatuor nondum domitos, qui currui adiuncti corpus suum ad vrbem reuehant, quanto ocyus impetret. Quæ cum cæcitatem excusaret, *Vade*, inquit, *filia: nam videbis*. Illa Viuentio obtemperans Bleram absque viæ duce videns venit, & quæ in mandatis habebat, exponit. Blerani itaq; iuuēcos, qui se capi permisere, currui adiungunt: qui citato cursu sine ductore ad Septem cryptas peruenientes, Sanctum senem, qui currum, vtcunq; poterat, cōscendit per fines Cassitanorum (nunc eos Vetrallenses dicunt) Capronicensium, & Viterbiensium vltrò vbique campanis Ecclesiarum sonantibus Blerā vsque deferunt, & in foro vbi nunc Parochialis est ecclesia B. M. V. dicata subsistentes, vbi Sanctus Episcopus animam Deo reddens expirasset, & ipsi ventre disrupto statim concidentes expirarunt. Corpus eius ibi à fidelibus conditum miraculis fulsit, & caput hac die, qua eius memoria celebratur, quotannis exponitur, & in magna ob beneficia, quæ in dies ægris maximè præstantur, religione habetur, multis etiam Septem cryptas ad 7. M. P. distantes secundo die Paschatis deuotionis ergò visentibus. *Ex monumentis Eccl. Blerana*. In quibus diuina vltio, q̄ S. Viri detractores secuta est, ijs breui extinctis, continetur.

S. Viuentius illusus recedit.

Pœnitentiam asperā agit.

Cæca mulier videt.

Iuuenci cum curru sine ductore ad Viuentium veniunt.

Campanæ vltro sonant.

Obit vnà cū Iuuencis.

Miraculis fulget.

Illusores puniuntur.

ANNOTATIO.

Hæc ex scriptura ad nos transmissa, in qua testes ea quæ diximus iure iurando ex antiqua traditione affirmant, excerpsimus, tempus scire non licuit: neque quo pacto S. Viuentius Parochus, Archipresbyter, & Episcopus eius vrbis (quæ olim Episcopalis fuit, vti ex concilijs colligitur (& quæ S. Leonis Papæ I. Patria fuisse à nonnullis putatur) fuerit in ea scriptura explicatur.

Quo tempore vixerit nescitur.

DE S. TASONE ABBATE COENOBII S. Vincentij in Samnio.

Taso patria Beneuētanus nobili genere satus vnà cū Paldone, & Tatone fratrib. relictis parētibus, & sæculo vale dicens, in solitudinē se recepit: ac primū in fines Marsorum peruenere, inde in Sāniū, circa Vulturni fluminis ortū cōsidentes vitā asperrimā sub Paldonis disciplina egere. ibi monasterio S. Vincentij extructo cum plures in dies discipuli ad eos accessissent. Paldone defuncto, deinde, & Tatone, Taso charitate, pietate, zeloque insignis monasterij guberna-

Asperrima Tasonis vita

gubernacula suscepit. Qui nunquam lauit caput, capillos nunquam neq; barbam tonsus, lorica ferrea interius indutus, nunquam in lecto se strauit, & integras hebdomadas ieiunasse traditur. Denique pijs laboribus confectus obdormiuit in Domino 3. Idus Decembris An. sal. 739. *Ex Cron. & monum. illius Monasterij.*

ANNOTATIO.

De eo supra in S. Paldone, & Iasone eiusdem cœnobij Abbatibus mentio habetur.

Decembris die 12.

DE S. SYNESIO MARTYRE ROMAE.

Synesius Rom. lector à S. Sixto Papa ordinatus, cum Aureliano Imp. multos ad Christũ prædicando perduceret, apud Imp. accusatus comprehenditur. Cumque modis omnibus tentatus, vt abiecta religione Christiana cultum Deorum reciperet, neque promissis, neque minis flecteretur, dirissimè, & variè cruciatur. Ad extremum, vbi fortiter tormenta omnia superasset, gladio percussus peruenit ad palmam martyrij. Pridie Idus Decembris. Cuius corpus à Christianis sepultum, postea circa An. sal. 830. in Augiam Insulam apud Cõstantiam Germaniæ vrbem translatum est. *Ex Martyrol. Rom. & Cron. Hermanni Contracti.*

ANNOTATIO.

Lector fuit Sixti PP. I. qui sub Valeriano, & Galieno M. occubuit: quibus post annos 12. Aurelianus succ. sub quo Synesius coronatus est.

DE SS. MARTYRIBVS GERONTIO, & socijs Genuæ.

Gerontius martyr cum socijs Genuæ hac die colitur: qui tamen vbi, & quãdo passi sint, ignotãtur: nisi fortè sint qui in Martyrol. Rom. ad diem 19. Ianuarij in Africa coronati referuntur, quorum nomina sunt Paulus, Gerontius, Iunuarius, Saturninus, Successus, Iulius, Carus, Pia, & Germana: qui propterea Genuæ in ecclesia celebrantur; quòd ibi eorum adsint reliquiæ.

Sociorũ Gerontij nomina.

ANNOTATIO.

Nullam apud Martyrologiorum Scriptores horum martyrum mentionem reperire potui; in solis Tab. siue Eccles. Genuen. Kalendario nomina descripta leguntur. Quos hic inter Italia SS. adnumerare visum fuit.

Decembris die 13.

DE S. LVCIA VIRGINE ET MART. SYRACVSANA.

Lucia Virgo Syracusana nobilis & genere, & fide in Christum vnà cum matre Eutitia sãguinis fluxu iã 4. an. laborãte Catanã ad L. M.P. à Syracusis distantẽ ad corpus B. Agathę Virg. & Mar. venerãdũ venit. Vbi diuinis pe-

sacris mysterijs, in quibus Euangelium de muliere tactu fimbriæ vestimenti à sanguinis fluxu liberata lectum fuerat, post populi ab Ecclesia discessum matre ad S. Agathæ Sepulchri contactum inuitata, postquam suppliciter orasset, eique S. Virgo, & martyr apparuisset dicens: *Lucia Virgo Deo deuota quid à me petis, qđ ipsa poteris cõtinuò p̄stare matri tuæ per te ciuitas Syracusana decorabitur à Dño. I.C.* mater illicò sanata est. Lucia verò tunc matrē exorare cępit, ne sibi spōsū tradere vellet mortalē, sed dotē, quā sibi datura esset, pauperib. distribueret. Quod cū Syracusas reuersa faceret, sponsus, cui Virgo à parentibus inuita desponsa fuerat, rem hanc molestissimè ferens, Luciā apud Paschasium Præfectum: quod Christiana esset, accusat. Quam ille accersitam cum nec precibus, nec minus ad Idolorum cultum posset perducere; atqui eam ad celebrandas Christianæ fidei laudes tantò magis incensam videret, quo magis illam à sententia auertere conabatur; *Cessabunt* inquit (*verba, cum ventum fuerit ad verbera.* Cui Virgo: *Dei Seruis verba deesse non possunt*) *quibus a Christo Domino dictum est: cum steteris ante Reges, & Præsides nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini: non enim vos estis, qui loquimini: sed Spiritus Sanctus: qui loquitur in vobis.* Dicenti autem Paschasio: *Est ne in te Spiritus Sanctus.* respondit virgo: *castè & piè viuentes Templum sunt Spiritus Sancti.* At ille: *Iubeba*, inquit, *te ad lupanar duci, vt te deserat Spiritus Sanctus.* Cui Virgo: *Si inuitam iusseris violari; castitas mihi duplicabitur ad coronam.* Quare Paschasius ira inflammatus Luciam eo trahi iussit, vbi eius virginitas violaretur. Sed tanto pondere eam fixit Spiritus Sanctus, vt nulla vi loco dimoueri posset. Quamobrem circum eam pice, resina, ac feruenti oleo perfusam ignem accendi imperat; Sed cum in medio flammarum nulla prorsus afficeretur lęsione, guttur ei gladio trāfigitur. Quo vulnere accepto Lucia p̄dicta Ecclesię tranquillitate, quæ paulò post mortuis Diocletiano, & Maximiano secuta est, Idibus Decembris Spiritum Deo reddidit. An. sal. 303. Cuius corpus Syracusis sepultum, circa annū sal. 1010. Constantinopolim delatum, anno 1040. Venetias à Venetis, qui Constantinopolim ceperant translatum, & in propria ecclesia honorificentissimè conditum est. *Ex Breu. Rom. Pass. à Sur. tom. 6. & à Pet. in Cat. lib. 1. c. 64. & lib. 2. c. 99. vbi de eius translat. agit. & ab alijs. lat. & Grecis.*

B. Agatha ad Luciam.

Pulcherrima Lucię ad Præfectū responsa.

Lucia immobilis permanet in medio flammarū illesa. Spiritu prophetię clara.

ANNOTATIO.

Petrus in Cat. loco cit. Corpus S. Luciæ Constantinopolim à Rugerio Imp. Constantinopolitano, qui nunquam fuit, translatum scribit; cum id sub Basilio, & Constantino Impp. factum historiæ Siculæ habeant.

DE S. ANTIOCHO MARTIRE IN INSVLA SVLCITANA Sardiniæ.

Antiochus Medicus præstantissimus natione Maurus, cum Christum coleret, iussu Hadriani Imp. captus; cum nullo artificio ad Idolorum cultū induci posset, acerbissimis tormentorum generibus cruciatur. Nam & in ahenum feruentis olei, picis, & resinæ plenum immergitur (ex quo tamen signo Crucis, & Angeli tutela munitus nulla affectus lęsione exiuit, & vrso, leoni, ac pardo obijcitur: quorum feritatem S. Martyr oratione compescuit, & Deorum simulacra; quæ allata fuerant, vt ea adoraret, similiter oratione contriuit. Quapropter ab Imp. In Insulam Sulcitanam desertam; quam solæ feræ habitabant,

Dirissimos Antioch⁹ superat cruciatus.

Leonis, ac pardi feritatem. S. cōpescit; ac simulacra Deorum conterit

habitabant,deportari iubetur. Vbi in antro vastissimo Deo Ieiunijs,vigilijs,& Orationibus vacans, infirmos, qui ad eum fama sanctitatis sparsa deferebantur,diuinitus curabat,plurimosque ad fidem Christi conuertebat,donec re cognita atque ad aures Præsidis perlata, iubente eo comprehenditur. Qui porrectis Deo precibus, voceq; de cœlo exaudita, cunctis mirantibus, Obdormiuit in Domino, Idibus Decembris. Cuius corpus in ea insula à Christianis sepultum est. Quo in loco postea; cum illud multis clareret miraculis, amplissimũ, & augustissimum templum à Populis Sardiniæ nomine Antiochi excitatũ fuit. ad quod quotannis anniuersaria festiuitate martyris recurrente innumera multitudo deuotionis ergò confluere solet. *Ex Io.Franc. Farra lib.de Reb.Sard. Io. Arca de SS. Sardiniæ, & F. Dima Serpo in Cron. eiusd. ins.*

Augustissimũ S. Antiochi templũ.

ANNOTATIO.

A *Ntiochus primus Sardiniæ Martyr fuisse traditur; quem propterea omnis Sardinia præcipuè colit. Passus est. enim anno sal. 125.*

Decembris die 14.

DE S. VIATORE EPISCOPO BRIXIENSI III. & Bergomatæ II.

VIator Brixiæ Christianis,& honestis parentibus ortus, sicque diuino consilio, quasi in hoc sæculo peregrinus iuxta D. Pauli Apostoli sententiam: *Non habemus hic ciuitatem permanentem; sed futuram inquirimus*: nominatus,ab ineunte ætate in S. Anathalonis primum, dein in S. Narni primi Bergomensis Episcopi disciplina eruditus, humilitate maximè, & pietate excelluit: ac corporis, & rerum caducarum cura abiecta, in ieiuniis, orationibus, vigilijs, Ecclesiasticis functionibus, & charitatis officijs exercitam vitam ducens,nil aliud curare videbatur. Factus Sacerdos à Narno: cum Clatheus II. Brixiæ Episcopus decessisset,summo Brixianorum consensu Episcopus absens eligitur. Qui diu repugnans, tandem precibus ciuium victus, Narno hortante colla oneri submisit. Brixiam itaque Bergomo profectus, ac munus aggressus episcopale, totus in reuocandis ab Idolorum cultu ciuibus erat, eos ad christianam pietatẽ instituens. Sed cum Narnus iam senio confectus,ægrotari cœpisset, accersito ad se viatore, ab eo sacra accipit mysteria, & illum sibi successorem designat. Quare Narno defuncto,cui piam in funere operam persoluit,Brixiæ latino episcopo subrogato ad Bergomensem Ecclesiam regendam venit. In qua cum ingentem multitudinem eorum, qui adhuc Idola colebant, ad Christum conuertisset,ac summa vigilantia fidei finibus longè, lateque prolati, ei Ecclesiæ annos 13. præfuisset.ad præmium in Cœlos euolauit. Cuius corpus in arca lapidea iuxta magistri, & prædecessoris sui corpus conditum est donec à B.Adalberto Episcopo circa An.sal. 903. in ędem S. Alexandri translatum fuit. *Ex Off. Eccles. Bergomen. & monum. Eccles. Brixien.*

Viator in extinguendo Idolorũ cultu egregiè elaborat.

Narno ægrotanti sacrum uiaticum ministrat.

ANNOTATIO.

I *N antiquis eius lectionib. quibus Ecclesia Brixiana vtebatur. Eum 19. Kal. Ianuarij migrasse legitur; at in lectionib. Eccles. Bergomen. Kal. Ianuarij obijsse traditur. Quod si ita est, hac die transl. non natalis celebrari videretur. Obijt autem, vt Cron. M.S. Brixien. vrbis habent circa ann. D. 88. Cleto Pont. Max. & Domitiano Imp.*

DE S. POMPEIO EPISC. II. TICINENSI.

Pompeius discipulus, & Diaconus S. Syri. I. Ticinensis Episcopi, cum quo Roma Aquileiam, & inde Ticinum vnà cum Inuentio, Chrysantio, & Fortunato venit, post magistri sui excessum, in Episcopatu illi subrogatus est Traiano Imp. Qui principio Episcopalis officij instituit, vt dies 5. Idus Decembris, quo S. Syrus ex hac vita migrauerat, illi sacer, & festus esset: qua die artes omnes in ciuitate cæreum ingentem in ecclesia, in qua conditus erat, perpetuo offerrent, statua ærea illi in templo cathedrali habitu pontificali dicata. Posthęc vt Christianos in accepta religione confirmaret, ad visitationem diœcesis suæ profectus, eam maxime in Liguria præsertim extendit, aliquot populis extra Ticinensem agrum, quibus nondum Christus annunciatus fuerat, sua prędicatione ad fidem perductis. Denique S. Episcopus cum Ecclesiæ Ticinẽsi annos 14. sanctissimè præfuisset, illam S. Iuuentio gubernandam relinquens corpore exutus abijt in Cœlum 19. Kal. Ianuarij, circa annum sal. 120. Cuius corpus in æde SS. Geruasij, & Protasij, quæ diu Cathedralis fuit, apud S. Syri corpus sepultum, ibi ad hæc vsque tempora quiescit. *Ex monum. Eccles. Ticinen. à quibus Gualla, Breuent. Spelta & alij accipere.*

Pōpeius diē festum S. Syro instituit.

Multos ad fidem sua prędicatione traxit.

ANNOTATIO.

Alij Pompeium anno D. 117. decessisse tradunt. Qui verò anno D. 120. obijsse affirmant, id anno 1. Sixti PP. sub Imperio Hadriani contigisse volunt: cum tamen ex Annal. Ecclef. Sixtus I. Alexandro PP. anno D. 132. Hadriano Imper. successisse appareat.

Hymnus aliquot SS. Epp. Papiens. ex off. S. Syri.

, Syrus qui primus Pontifex,
Ducatum fert sequentium.
Pompeium, & Inuentium
Locus beat Vinentium.
, Vrsicenus assumitur
Ad veritatis semitam:
Quam etiam prosequitur,
Per Præcessores traditam.
, Crispinus vir mitissimus
Director Epiphanij.
Qui ei successit protinus
In gradibus officij.
, Hunc Maximus ex nomine
Sed amplior in meritis,
Consequitur ex munere,
Associatus superis.
, At eloquens Ennodius
Mores describit hominum
Fæcundans suis actibus
Catologum Illustrium.
, Alter Crispinus oritur
In præsulatus solio:
Quem Damianus sequitur,
In spiritali studio.
, Theodorus in acie
Cum sanctis Pontificibus:
Hieronymus vas gratiæ
Cum alijs cœlitibus, & c.

DE S. AGNELLO ABBATE, ET PROTECTORE Neapolitano.

Agnellus Neapoli pijs & honestis parentibus, natus, (qui cũ steriles essent, illum à Dei genitrice Maria precibus impetrarunt) vt ætate, sic moribus, virtutibus

virtutibusque crescebat, octennis scholam frequentare, & litteris operam dare cœpit: quibus apprimè eruditus, annum natus 15. monasticam vitam amplexus, extructo in specu sacello, ibi Deo in orationibus, ieiunijs, pijsq; meditationib. famulatus est, donec mortuis parentibus ex facultatibus xenodochium non lõge ædificauit: in quo ægrotos excipiens illis necessaria ministrabat, proprijsq; manibus inseruiebat. Accidit autem, vt quidam gallinam ex ijs, quibus infirmi in Agnelli xenodochio vescebantur, raperet: qui obiurgatus à S. Viro dicente, si, qui esurientes non pascunt ex suo, damnantur, quanta eos pœna manet, qui ab esurientibus cibos auferunt? illum pugno percutere præsumpsit. Sed is repente diuinam expertus vltionem officio manus, qua percusserat, destitutus cęcus etiam effectus est; donec crimen suum fassus, ac veniã suppliciter poscẽs, Agnelli oratione pristinam recuperauit sanitatem. Cum aũt fama sanctitatis Agnelli peruagante plurimi ad eum in dies confluerent, nominis sui celebritatem fugiens in altissimos Samnij montes secessit: vbi cum in specu aliquandiu omnibus ignotus demoratus esset syluestrib. herbis sustentatus, cælesti monitu ad xenodochij curam cogitur redire, cui cum. 7. annos præfuisset, assiduis prædicationibus, ac priuatis hortationibus intentus, in extructo à Gaudioso Episcopo Africano cœnobio propè vrbẽ; in quo ipse Gaudiosus, Quod vult Deus, & alij Episcopi ex Africa eiecti vitam duxerant monasticam, licet inuitus Abbas præficitur, cum paulò ante cæco lumen restituisset, ac toto corpore contractum diuinitus sanasset: cumque aliquot annos ei cœnobio sub S. Benedicti regula, quam monachos exactè seruare docuerat, præfuisset, annum ætatis agens 61. postquam in festo die S. Lucię celebrasset, cæcumq; manibus oculis eius admotis illuminasset, 19. Kal. Ianuarij cessit è vita. An. sal. 596. Gregorio I. Pont. Max. & Mauritio Imp. Cuius corpus suauissimum mittens odorem, B. Fortunatus Episcopus Neapolitanus IIII. Episcopis finitimis accitis in æde S. Mariæ; quę postea S. Agnelli dicta est, condidit. innumeris subsecutis ad eius tumulum miraculis *Ex eius vita vnà cum aliorum vrbis Neapolitanæ Protectorũ edita. Quam Paul. Reg. Ep. Equen. lib. 2. de SS. Regni Neapolit. multis eius miracula prosecutus refert.*

Agnellus xenodochium ex suis facultatibus ędificat.

Idem gallinę fur, ac percussor Agnelli manus vsu destitutus cęcus efficitur.

Cæco lumen restituit, contractumque sanat.

Alium cæcũ illuminat.

Corpus suauissimũ efflat odorem.

ANNOTATIO.

Cœnobium S. Gaudiosi multo ante tempora S. Agnelli constructum fuerat: cum ipse Gaudiosus anno D. 440. decessisse legatur. Corpus Lucæ in Eccles. Cathedrali requiescere fertur, vt tab. eccl. Eccles. Lucens. habent: quod tamen constans fama est Neapoli in propria ecclesia seruari.

DE S. MATRONIANO EREMITA MEDIOLANI.

Matronianus Mediolani nobili genere natus, ac à parentibus piè enutritus, Deoque dicatus, factus grandior Dei verbum prædicare cœpit, vt autem Deo liberius omnib. curis absolutus inseruiret, patria, oĩbusq; relictis in solitudinem Angelo duce se recepit; vbi cęlestẽ vitam in assiduis precibus, & Cœlestium rerum contemplationibus agens, ab eodem Angelo mirabiliter pascitur: à quo ẽt, cum nullus Sacerdos in ijs locis adesset, Sanctissimã Eucharistiam accepit, ac vita functus sepultus est. Cum aũt corpus eius diu latuisset, à quodã nomine Gulielmo, qui accepta à S. Ambrosio benedictione ad venationẽ exierat, inter venandum insolito canum latratu deprehensum est, Anno sal. 364. feretroque impositum Clero comitante Mediolanum delatum in æde S. Nazarij ab ipsomet S. Ambrosio conditum fuit. *Ex eius vita in Eccl. memorata depicta.*

Matronianus adeò cœlestẽ agit vitam, vt vel ab Angelo pasci mereatur.

Insolito canum latratu corpus deprehenditur.

ANNO-

ANNOTATIO.

Fieri non potest, vt S. Matroniani Corpus anno D. 364. à S. Ambrosio conditum fuerit. Cum nondum esset eo tempore Episcopus: si quidem ann. D. 374. ad Episcopatum euectus est, ex Annal. Eccles.

DE SS. MARTIRIBVS FANTIO, ET ADEODATA Syracusis.

Fantius diuinitus paritur

Fantius, & Adeodata, siue, vt alij scribunt Deodata S. Fantini parentes, cum Syracusis adhuc gentiles multas pauperibus eleemosinas facerent, ac prole carerent, diuinitus eam suscepere: quam Fantinum nominarunt. is vbi grandior factus mirabiliter ad Christum conuersus fuisset, etiam ad eandem parentes perduxit. Qui cum sua pauperibus erogassent, ac Christianam præcipuè religionem colerent, apud Proconsulem, seu Præsidem delati, vnà cum filio comprehensi in vincula, et carcerem coniiciuntur, vnde Fantino ab Angelo erepto & abducto, ipsi postero die educti, cum Dijs immolare variè tentat, renuissent, capitis obtruncatione martyrij palmam adepti sunt. *Ex Vita S. Fantini.*

ANNOTATIO.

In qua persecutione, & qua die martyrium obierint, ex Fantini vita non apparet; In tab. tamen quibusdam Eccles. Leontina M.S. hac die eorum Natalis adnotatus est.

Decembris die 15.

DE S. EVSEBIO EPISCO. VERCELLENSI, ET MART.

vide die 1. Augusti.

De SS. Martyribus Irenæo, Antonio, Theodoro, Saturnino, Victore, cum alijs 17. Romæ.

Irenęus, Antonius, Theodorus, Saturninus, & Victor Romæ in Valeriani Imp. persecutione delati; quod essent Christiani, vnà cum alijs 17. quorũ nomina ignota sunt, comprehensi, ac variè tentati, vt à Christo deficientes, Deorum cultum repeterent, cum impietatem hanc maximè detestarentur, exquisitis tormentorum generibus excruciati, denique fortes in confessione fidei ad martyrij palmam peruenere 18. Kal. Decembris. *Ex Martyrol. Rom. & Pet. Gales. qui Cod. M.S. antiq. citat.*

ANNOTATIO.

Vbi horum Mart. corpora iaceant nulla extat memoria, cum neque, in quo Roma passi sunt, in Martyrol. indicetur.

DE S. SANCTVLO PRAESBIT. NVRSINO.

Sanctulus Pręsbyter apud Nursiam mira sanctitate, & miraculis S. Gregorij Papæ tempestate floruit. Cum enim aliquando ad Longobardos Gentiles adhuc oliuas in prælo, vt inde oleum exprimerent, prementes cum vtre venisset, & audacter hilarique vultu, vt sibi vtrem implerent, præciperet, ab eis, cum totam fere diem incassum laborassent, iniurijs, & contumelijs affectus est. Cumque rursus instaret, vt vtrem suum implerent, illi maiore iracundia

dia accensi, maioribus etiam contumelijs illum insectantur, Qui nihil olei ex oliuis egredi cernens, aquam iussit afferri, quam benedictam suis manibus in torcular super oliuas proiecit. Quo facto tanta cœpit olei vbertas erumpere, vt Longobardi omnibus vasis suis impletis, etiam vtrē sanctuli ei gratias agentes implerent. Quod multiplicationis prodigium, & in pane contigit: nam cum Vir S. Ecclesiam S. Laurentij à Longobardis incensam instauraturus artifices plurimos, & subministrantes operarios multos congregasset, accidit, vt quadam die panis deficeret, cūq; sanctulus, vt erat iocundus sermone, & vultu lenius eos verbis solaretur, grauiterque quod cibum laborantibus promissum non reperiret, angeretur, ad clibanum accessit, in quo vicinæ mulieres pridiè eius diei panem coxerant, ac intro spiciens miræ magnitudinis, maximique candoris panem conspexit: quem extractum artificibus non prius detulit, quàm interrogatæ mulieres suum non esse respondissent, (non enim ex alieno laborantes etiam pro Ecclesia pascere volebat) cumque illum diuisisset, ita creuit, vt non modo satis fuerit omnibus laborantibus illa die, sed & fragmenta ipsa diuinitus multiplicata per dies 10. artifices omnes, & operarios satiarunt. Illud planè mirandum: quod cum Longobardi Diaconum quendam interficiendum iussissent, Sanctulus cum liberationem eius impetrare non potuisset, illū sibi in custodiam tradi postulauit: qui sibi traditus est ea conditione, vt si Diaconus fugisset, ipse pro Diacono moreretur. Acceptum itaq; ea conditione Diaconum illum noctu dimisit. Mane Longobardis aduenientibus, ac Diaconum non inuenientibus, sanctulus se illis pro Diacono obtulit occidendum. Illis autem dicentibus: *Bonus homo es, nolumus te per varios cruciatus mori, tu tibi mortem quamuis elige.* Vir Dei respondit; *In manu Dei sum, ea me morte occidite, qua ille permiserit,* Cumque illi caput obtruncare decreuissent, accito, qui vnico ictu caput abscinderet, in medio eorum positus orandi spatium petijt, at cū diutius humi prostratus oraret, *surge,* inquit lictor, *& genu flexus ceruicem tende.* Quod cum fecisset, & carnifex gladium eduxisset, vbi Sanctulus ea verba pronunciasset *Sancte Ioannes suscipe illum,* & carnifex brachium, vt feriret, eleuasset, ita illi in aere obriguit, gladio in altum extenso, vt nullam in partem flecti posset. Quare illum liberatum orant Longobardi maxime stupentes, vt carnifici pristinam restitueret incolumitatem: quem iuramento adstrictum se nunquam Christianum interfecturum sanauit, ac omnium captiuorum liberationē impetrauit. Hæc de illo S. Gregorius narrat: quem præcepta diuina magis obseruantem fuisse, quam legentem ait, nam non probè legere norat. Denique Vir S. Obdormiuit in Domino 18. Kal. Ianuarij. *Ex S. Greg. lib. 3. cap. 36. Dialog.*

Sanctulus aquā in oleum uertit.

Panem candidum mirum in modum inuenit, atque auget.

Pro Diacono in custodiam accepto mori non ueretur.

Lictoris brachium moueri haud potest.

ANNOTATIO.

Dies obitus nō ex S. Greg. neq; ex Martyrol. Rom. Sed ex Addit. Mol. ad Vsuard. habetur: qui forte illum ex tab. Eccl. Nursina accepit.

Decembris die 16.

DE SS. MARTYRIBVS VALENTINO, CONCORDIO, Nouale, & Agricola Rauennæ.

VAlentinus Rauennæ Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus Magister militum, cum filium nomine Concordium; quem vnicè diligebat, graui, ac diutino morbo laborantem, cui nulla Medicorum ars profuerat, haberet, ac.

Fama

Fama miraculorum, quæ S. Dalmatius Albæ & alibi super infirmis ediderat, ad eum perlata illò profectus, opem ab eo filio breui interituro supplex poscit. Cui Dalmatius; *Vade, Concordius conualuit, & Antonius vir S. Rauennas obijt*. Quod vbi Rauennam reuersus est verũ comperit, rursus Dalmatium cum filio, vt ab eo Sacro Lauacro expiaretur. adijt. Baptizatus autem cum filio, Rauennamque reuersus, pietatis officia colere cœpit, & alios ad fidem perducere. Quapropter ab hostibus fidei comprehensus, cum Concordio, Nouale, & Agricola, cum cõstanter Idola venerari renuissent, capitalem sententiam exceperũt. 17. Kal. Ianuarij. *Ex Monument. eccles. Rauenn. ac ex Hieron. Rub. in Histor. Rauenn.*

Concordius Valentini filius desperatam à Medicis salutem à Dalmatio impetrat.

ANNOTATIO.

Acta hac cum Actis S. Dalmatij circa tempus pugnant. Nam Dalmatius sub Decio passus traditur circa ann. D. 254. Hi vero sub Maximiano, & Diocles. Quare emendatione opus est.

DE S. ALBINA VIRGINE, ET MARTYRE CAIETAE.

Albina Virgo Cæsariensis in Palæstina nobilissima, cum Decius Imper. eò perueniens Christianos omnes necari iussisset, blandis ab eo verbis Dijs sacrificare suadetur. Sed cum id facere negligeret, eam liquato plumbo perfundi, & cum nulla læsionis inditia apparerent, acetum in os illius instillari iubet; sed nec sic læsa cum minas Imperatoris, & blandimenta Virgo derideret, lampades accensas ad pectus illius admoueri præcipit: quibus extinctis illam in caminum ignis oleo perfusam immitti imperat, rursusque lampades ardentes lateribus eius apponi, Verum ab igne illæsa exiuit, & lampades extinctæ sunt, manibus tortorum arentibus. Posthæc in craticula ferrea igne subiecto extenditur, ac machæra acutissima membratim secari iubetur: sed ingenti exorto terræmotu magna Gentilium pars concidit, ac manus rursus carnificibus aruerunt. Quod videns Cæsar Virginem toto corpore nouacula dilacerari, & per vrbem circumduci, cumque Christi fidem prædicare populis non desisteret eam super fragmenta fictilia, & crepidas ferreas: plagis aceto & calce perfricatis sterni, aquamque per eam ebulientem infundi iubet, sinapemque cum sale, & aceto in os immitti, ac toto corpore nodosis fustibus cædi, obrigentibus tortorum brachijs. Quos omnes cruciatus cum Virgo plusquam viriliter superasset, ad extremum certamen capitis abscissione feliciter absoluit. Corpus naui peruetustæ impositum ad littus Formianum mirabiliter delatum, ibique à Christianis conditum postea Caietam translatum est. *Ex eius pass. M. S. qua in Ecclesia Caietana asseruatur.*

Grauissima Albinæ supplicia.

Magna Gentiliũ pars cõcidit.

Atrocia sanè tormenta.

Obrigẽt Tortorũ manus.

ANNOTATIO.

In Martyrol. Rom. Albina Formijs passa videtur: sed propterea Formijs non Cæsarea Palestina adscribitur; quia Formijs sepulta est.

DE S. RVBIANO EPISCOPO COMENSI.

Rvbianus XIV. Episcopus Comensis, eam Ecclesiam post S. Agrippinum admirabili pietate gubernauit. Fertur ex Siscia vrbe (quæ in Pannonia superiore sita est ad Colapim fluuium nunc in Crouatia apud Zagabriam) ortum

tum duxisse, cumque Nouocomum aduenrantem ita virtutibus claruisse, vt Episcopus eius vrbis effectus, sic illi præfuerit, vt moriens honores, qui diuis debentur, promeruerit. Obijt autem diem 17. Kal. Ianuarij. *Ex Tab. & monum. Eccles. Comen.*

ANNOTATIO.

Acta illius desiderantur, sicuti & aliorum complurium Episc. Comens.

DE S. MELETIO EPISCOPO SPOLETINO.

MEletius Spoletij, vt est antiqua vrbis illius traditio, natus, ac in pietate, & litteris educatus, ob eius egregias animi dotes Archidiaconus Ecclesiæ Spoletinæ creatur. Quo in munere, cum se præclarè gessisset, mortuo Episcopo, illi miro totius cleri, ac populi consensu subrogatur Anastasio Imp Qui cum Ecclesiam sibi commissam aliquot annos summa cum laude ad ministrasset, onus Ioanni, qui sibi successit in Episcopatu sicuti, & in Archidiaconatu successerat relinquens. 17. Kal. Ianuarias ad cœlestem patriam euolauit. *Ex monum. Eccl. Spoletina Acta non extant.*

ANNOTATIO.

ECclesia Spoletina seu Spoletana olim metropolitana fuit: pluresque habuit Archiepiscopos, quibus vti suffraganei, Nursinns, Trebias, Meuanas, Hispellas, Fulginas, & alij Episcopi subiecti erat. In ijs Meletius, Ioannes, Laurentius post Brittum floruere.

Decembris die 17.

DE S. HONORATO ABBATE FVNDANO.

Vide ad diem 16. Ianuarij.

DE S. LAVRENTIO MONACHO SVBLACENSI.

LAurentius natione Apulus, cum rebus humanis vale dicens se totum diuino seruitio mancipasset, sublacum veniens, ac factus monachus vitā solitariam in proximo monte tanta abstinentia, & sanctitate duxit, vt crebra eius miracula, quæ viuens, & mortuus edidit, Innocentium IV. Pont. Max. mouerint ad Inquisitionem, quæ Canonizationem præcedere solet, faciendam. Extare autem in monasterio Sublacensi processus dicitur: in quo illius miracula continentur. *Ex Martyrol. Monast. monum. cœnobij prædicti extante.*

Laurentius multis clar. miraculis.

ANNOTATIO.

AN hic Laurentius, cuius in nostro Martyrol. die 17. huius SS. extra Romanum Martyrol. continente mentionem fecimus, cultum acceperit Ecclesiasticum, ignoramus; Cum acta illius paucis ab Arnoldo Belga in suo lib. Ligni vitæ inscripto relatis tantum legerimus.

Decembris die 18.

DE S. VICTORIA VIRGINE, ET MARTYRE ROM.

Vide infra die 23.

DE S. EVSEBIO EPISCOPO SVTRII.

EVsebius Episcopus Sutrinus, vt habet antiqua traditio, hac die: qua ex vita migrasse creditur, in Ecclesia Sutrina venerationem habet. *Ex Tab. Eccl. Sutrina.*

AN-

ANNOTATIO.

Acta illius ad manus nostras non peruenere; ne nec si extent hactenus scire potuimus.

Decembris die 19.

DE S. FAVSTA MATRONA ROMANA.

Fausta nobilissima Matrona Romana Prætextati viri clarissimi coniunx, ac S. Anastasiæ Virginis mater: licet vir eius Idola veneraretur, ipsa tamen Christianam religionem colens, in ea Anastasiam educauit, erudiendamque curauit. De qua hæc in Epistola Anastasiæ ad Chrisogonum, *Fausta mater Christianissima semper uixisse probatur, & casta. Hac me inter ipsa cunabula fecit fieri Christianam.* Ea itaque non tam nobilitate generis, quam pietate insignis, opera in christianos pietatis, quandiu illi vita superstes fuit exercens, Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus multo antè filiæ passionē migrauit ad Dominum 14. Kal. Ianuarij. *Ex Martyrol. & gest. S. Anastasiæ Mar.*

Faustæ encomium.

ANNOTATIO.

Fuit & Narnia Fausta Virgo S. Cassii Episcopi Narnien. soror, quæ & ipsa sanctitate poluit, apud fratrem sepulta, ut ex tumuli epitaphio legitur.

DE S. ADIVTORE EPISCOPO CAVÆ ET BENEVENTI

Adiutor, siue vt alij legunt, Adiutorius Episcopus Africanus, ex eorum numero, qui in persecutione Vuandalica suis sedibus pulsi ad Campaniæ littora peruenere, ac diuersa petentes loca, in ijs, vel functiones Episcopales prædicando exercuerunt, vel ab vrbibus in Episcopos electi, ibi cōsedere, vnus fuit. Qui Beneuenti, & Cauæ ob eius reliquias ibi quiescentes, vel etiam, quod in ijs locis viuens prædicarit, venerationem habet, hac die. *Ex Tab. Eccles. prad.*

ANNOTATIO.

Adiutoris mem. cum alijs Martyrol. Rom. die 1. Septemb. ac Paul. Reg. & Dauid Rhom. in Catal. SS. Regni Neapolit.

DE S. EBERARDO EPISC. APRVTINO.

Eberardus, siue Berardus ex nobilissima Vrsinorum familia, & Pallæ Aureæ Comitibus adolescens habitum monasticum in Cœnobio Casinensi induitus in monasterio S. Ioannis in Territorio Anxanensi, in quo Regularis vigebat obseruantia, vitam duxit ea sanctitatis laude, vt mortuo Episcopo Aprutino, siue Interamnensi, illi sufficeretur. In Episcopatu inter cœtera eius præclarè gesta, curam pauperum, & orphanorum præcipuam gessit: Cumque Ecclesiæ suæ annos 7. piè præfuisset. 14. Kal. Ianuarij. Obdormiuit in Domino Ann. sal. hum. 1122. multis clarus post mortem miraculis, plurimis infirmitate grauatis ad eius tumulum confluentibus, ac sanatis. In ijs fuere, mulier toto corpore contracta ita, vt pedes natibus iungerentur: quæ ita Berardi intercessione curata est, vt suis pedibus ad propria remearit. Miles quidam morti adiudicatus, cum vinculis in carcere constrictus se S. Berardo commendasset, diuinitus

Mulier contracta sanatur.

Miles morti adiudicatus eripitur.

tus folutus euafit. Quidam eiufdem Prouinciæ vtroque lumine orbatus cum ei S. Epifcopus candelis accenfis per vifum appatens manibus oculos eius tetigiffet, ad eius tumulum delatus vifum recepit. *Ex vita ipfius Venetijs typis excufa An. D. 1601.*

Vtroq; oculo orbatus uifū recipit.

ANNOTATIO.

AN in SS. relatus fit, mihi in compertum: celebratur tamen eius memoria, vt accepimus ab ecclefia Aprutina folemniter.

Decembris die 20.

DE SS. LIBERATO, ET BAIVLO MARTIRIBVS Romæ.

Liberatus, & Baiulus Romæ martyrio coronati à Beda, Vfuardo, Martyrologio Romano referuntur, tametfi Vfuardus folius liberati meminit. Cætera prorfus ignorantur.

ANNOTATIO.

VSuardus in fuo Martyrol. hac die S. Liberati duntaxat mentionem facit, in Ampithræa: qua forte locus aliquis erat vrbis Romæ, vel vrbs aliqua fuit, cuius veteres fcriptores non meminere. Quod fi vrbs fuit, Liberatum, de quo Vfuardus agit, à Liberato de quo in Martyrol. Rom. diuerfum effe oportet.

DE S. DOMINICO EPISCOPO BRIXIENSI.

DOminicus Epifcopus 26. Brixienfis fub Gregorio Magno Papa, & Theodolinda Longobardorum Regina Ecclefiam Brixianam adminiftrauit. Qui Bertaceno cuidam repentina morte defuncto; quod diuiti cuidam peffimo fepulturam in æde SS. Fauftini, & Iouitæ conceffiffet, fucceffit, ac Ecclefiæ ftatum, qui fub prædeceffore deterior euaferat reformauit, Litanias à S. Gregorio Papa Romæ inftitutas in Ecclefia Brixienfi introduxit. Templa difiecta, aut vetuftate collapfa inftaurauit, cultum diuinum reftituit, clarusq; virtutibus fanctimoniam multis miraculis comprobauit. Denique fedem S. Felici, qui fibi fucceffit, relinquens terræ autem corpus ad Cœleftes fedes euolauit 13. Kal. Ianuarij cuius corpus in templo maiore affertuatur. *Ex monum. Ecclef. Brixien. De eo Capreol. in Cron. & Afcanius Martineng. in lib. de epp. Brixien.*

Bertacenus Epifcopus repētina mortē obijt.

ANNOTATIO.

QVod diximus Dominicum Epifcopum 26. fuiffe non quantum ad feriem omnium Epp. eius vrbis, fed in ferie tantum SS. Epp. accipiendum eft.

Decembris die 21.

DE S. THOMA APOSTOLO.

THomas, qui ob dubitationem, & Didymus appellabatur, Galilæus Chrifti Domini Apoftolus, qui de Domini refurrectione dubitare permiffus eft, vt mens noftra omni prorfus dubitatione careret, qua in re plus nobis refte D. Gregorio

Thomas qua re Didymus. Eius dubit. nobis utilis.

Quib⁹ pop. prædicauit.

Gregorio Thomę infidelitas profuit, quam aliorum Discipulorum fides. Is post acceptum Spiritum Sanctum Euangelium Parthis, Medis, Persis, Hyrcanis, Bactrisque prædicauit. Postremo se ad Indos conferens fidem Brachmanis & alijs gentibus miraculorum magnitudine comprobatam disseminauit. In quibus illud primum refertur, quòd cum Sagamus Rex ædeficium quoddam extrueret, truncumque inusitatæ magnitudinis à maris fluctibus ad littus eiectum ad vrbem Calaminam, quæ nunc Incolis *Malipur*, & à Lusitanis instaurata *c. S. Thomæ* nominatur, à littore 8. Leucis distantem pertrahere multis funibus, & organis adhibitis, multis robustissimis hominibus, & elephantis trahentibus incassum conatus fuisset, Thomas zona qua cingebatur alligata, factoque signo super eo crucis, illud facillimè stupentibus Rege, & qui cum eo erant, ad optatum locum vbi in ædificij regij vsum conuerteretur, perduxit.

Miracula ab eo in India patrato. Lignũ ingens zona trahit.

Cum autem eo miraculo maior in dies eius prædicationi fides haberetur, vnus Brachmanum, quorum autoritas, & religio Thomæ præsentia apud populos iã deficere cœperat, rabie accensus, & tabescens inuidia filium infantem propriũ necat, vt crimen hoc posset Apostolo obijcere. Cõquestus itaque apud Regem sibi à Thoma filium ad veneficia occisum, remque fucis quibusdam persuadẽs id effecit, vt Thomas in iudicium vocaretur. Qui coram Rege constitutus crimen sibi obiectum ita depulit. Pueri interfecti cadauer in medium produci rogauit, quo producto, *quid*, inquit, *hic aut testibus, aut coniecturis opus est, vt homicidij author deprehendatur? si libet, interfectum interrogemus, & eum interfectorem habeamus, quem puer diuinitus prodiderit.* Accepta conditione, Thomas omnibus vnà cum Rege audientibus, *Agedum puer ait per Christũ quem ego Deum colo, & prædico, palam, quis tanti sceleris author extiterit clara voce promito.* Mirabili dictu, ad Christi nomen vitales spiritus in exangui corpusculo rediere & puer clam voce, nefarias sibi manus à parente illatas fuisse, vt is Thomæ seruo Dei, & Apostolo calumniam strueret, professus est. Tum Sagamus Rex parricida in exilium acto vnà cum suis Christianam complexus est religionem: cum autem fides admirabiles in dies faceret progressus, Brachmanes facta in Thomam conspiratione, illum in tumulo quodam semoto orationi operam dantem lancea confodiunt: quod iussu Regis, qui Sagamo successerat, fecisse tradunt. Corpus ibi sepultum, postea Edessam Syriæ vrbem trãslatum est: & ea à Saracenis vastatam Chium insulam delatum postremo Orthonam Marrucinorum arcem Aprutij, insula à Turcis occupata, deductum ibique honorificæ conditum. *Ex Breu. Rom. Metaph. apud Lipom. & alijs script. maximè ex Pet. Maffæo societ. Iesu.*

Impane Brachmanum in eum odium.

Thomas homicidij defertur.

Puer adiuratus reuixit & interfectorẽ prodit.

Rex cum suis fidem amplectitur.

Thomas à Brachm. lancea confoditur.

Corpus Edessam Syriæ, inde Chium & postremò Orthonam.

ANNOTATIO.

Varia sunt, valdeque diuersa, quæ de S. Thoma scripta circunferuntur: ex quibus nonnulla Apocrypha, velut ea, de Gundiphero Indiæ Rege, & de Abane ab eo Romam misso ad Architectum ad se adducendum, quodque is Cæsarea à Christo Domino Thomam architectum acceperit, & in Indiam deduxerit, cum prius Andranopolim peruenissent, ibique in conuiuio Thomas à Conuiuij præfecto quod non ederet, neque biberet percussus, vltionem prædixerit, quod is à leone interficeretur, & manus, qua percusserat, à canibus comederetur: quodque in India acceptam pecuniam ingentem à Rege pro palatij constructione, pauperibus distribuerit, & reuerso Rege periculum capitis adierit, & cætera, quæ in vulgatis SS. vitis leguntur, cùm parum verisimilia videantur, neque alicuius scriptoris antiqui fide digni testimonio probentur.

Illud

Illud quoque dubitationem ingerit; quod, si lusitanis rerum Indicarum scriptoribus fidem habemus, corpus S. Thomæ in vrbe sui nominis superiore ano, quo tempore Indiā sub lusitanis Eduardus pro Rex Io. III. Regis Lusitani nomine administrabat, vt Maphæus soc. Iesu lib. 8. Hist. Ind. repertum fuit, cum lancea cuspide, & baculi viatorij frusto albi coloris, aliorum verò, hoc est Sagami Regis, & discipuli nigri, cum suis inscriptionibus. Qua de re præter ea quæ à Maphæo in Hist. Indica narrantur, extant litteræ Regis Lusitani ad Sum. Pont. quas vidimus. Quod quidem corpus Constantino Brigantio Prorege biennio post Goam Lusitanorum Metropolim translatum est. Sed & Hieron. Osorius lib. 3. Ind. Hist. refert repertam crucem apud Apostoli tumulum in lapide incisam, Maculis sanguinis conspersam, cum litteris obsoletis, quæ Christicolis eò ad festum ante dies 8. Natalis D. N. aduenientibus, cum Euangelium legi inciperetur, in nigrum colorem verti solitam, ex eaque liquorem manare copiosum, deinde cæruleum, maculasque sanguinis splendescere, idque per multos annos ea celebritate recurrenti accidisse. Quod rursus obseruatum fuisse an. D. 1561. non sine maximo omnium stupore tradunt.

DE SS. MARTYRIBVS IOANNE, ET FESTO IN TVSCIA.

IOannes, & Festus martyres in Tuscia coronati apud Vsuardum, Adonem, Martyrologium Rom. & alios Martyrologiorum scriptores referuntur. Quos tamen nullibi in Tuscia extare, aut coli inuenimus. Quod de alijs SS. cōtigisse manifestum est, cum enim Acta exciderint, & corpora lateant, sola ipsorum permanet apud nos mortales memoria. *Ex Martyrol.*

ANNOTATIO.

Horum mem. Pet. in Catal. lib. 12.

Decembris die 22.

DE SS. TRIGINTA MARTYRIBVS ROMÆ.

TRiginta martyres in persecutione Diocletiani, & Maximiani comprehensi propter fidei christianę Constantiam extra vrbē ducti via Lauicana inter duas lauros, quo in loco SS. Petro, & Marcellino martyribus memoria à Constantino Magno exstructa fertur, simul gladio animaduersi martyrio coronati sunt 11. Kal. Decembris. *Ex Adone. Vsuar. Martyrol. Rom. & alijs. Petro item lib. 1. c. 81.*

ANNOTATIO.

Nomina horum mart. neque à veteribus, neque à recentioribus exprimuntur.

DE S. FLAVIANO MARTIRE, ET PATRONO M. PHISONIS.

FLauianus nobilissimus Rom. Expræfectus fideq; Christiana clarissimus, cū in persecutione Iuliani Apostatæ martyres sepeliret, ac recens Priscum Presbyterum, Priscillianū Clericū, & Benedictam religiosam fęminā martyrio affectos sepulturę tradidisset, apud Apronianū vrbis Pręfectū christianis infensissimū delatus, ad illū accersitur, à quo grauius obiurgatus cū nullo modo

 posset

possit ad Idolorum cultum perduci, nulla habita nobilitatis ratione in fronte obsignatus (quod genus ignominiæ proditoribus, & seruis irrogari consueuerat) in exilium ad aquas Taurinas apud centum cellas deportari iubetur. Quo in loco post tres dies spiritum in oratione Deo reddidit 11. Kalendis. Ianuarij. Cuius corpus postea ad M. Physconem (quam vrbem M. Flasconem vulgus appellat) delatum ibi honorificè conditum maximè colitur. *Ex Pass. S Bibiana V. eius filia.*

Flauianus in fronte, licet nobilissimus, obsignatur.

ANNOTATIO.

Vidimus acta eius M.S. apud eccl. M. Phyconem, sed prorsus deprauata, ac multis à veritate alienis, planeque fabulosis referta.

DE SS. MARTYRIBVS DEMETRIO, HONORATO, ET FLORO Ostiæ.

Demetrius, Honoratus, & Florus apud Ostiam (quæ ciuitas apud Ostia Tyberis iacet euersa vnà cum Portuensi vrbe apud alteram Tyberis ripam) martyrium subierunt pro Christo 11. Kal. Decembris, licet in qua persecutione, & quo supplicio ignoretur. *Ex Vsuard. Adone, Martyrol. Rom. & alijs.*

ANNOTATIO.

Ostia Tyberina, licet non longè ab Ostia vrbe adsint, diuersa tamen sunt ab illa: siquidem illa C. non ignobilis fuit nunc planè iacens quemadmodum & portus Rom. exaduerso Ostia situs ab vrbe Roma ad 16. M. P. distans: Hac loco, vbi tyberis in mare exit, duo sunt; cum flumen in duos paulò supra alueos diuidatur. Episcopatus Ostien. manet Cardinalium Decano semper collatus: qui Velitris vrbe in via Appia exercetur. Qua de re in nostra topographia diximus.

Decembris die 23.

DE S. VICTORIA VIRGINE ROM. ET MARTYRE. apud thoram.

Victoria Virgo Rom. nobilis S. Anatholiæ Virginis soror Eugenio pagano desponsa, cum sponsi rogatu, sororem, vt in Aurelij sponsi sui nuptias consentiret, suaderet, è contra longa inter eas de virginitate, & nuptijs habita disputatione, ipsa ad virginitatem seruandam ab Anatholia persuasa est. Quo in proposito ex Angelica apparitione ad Anatholiæ preces confirmata, gemmis, & rebus alijs pretiosis venditis, pretioque in pauperes erogato, se non aliũ sponsum, quàm Christum habere constituit. Quod cum Eugenius rescuisset, omnique artificio frustra adhibito, vt sibi nuberet, illam quod christiana esset, apud vrbis Præfectum Decio Imp. accusauit, obtinuitque vt illa in exilium eijceretur apud thoram ciuitatem, vbi aliquandiu in ipsius Eugenij prædijs detenta, varieque ab eo tentata, vt Deos coleret, & sibi nuberet, cum ea neutrum facere vellet, Eugenius amore in odium conuerso à Iuliano Capitolij Pontifice impetrauit, vt à Taliarcho carnifice eò misso interficeretur. A quo virgo cum multis editis miraculis plurimas Christo Virgines aggregasset, gladio in corde, vt Eugenius petierat, transuerberata migrauit ad sponsum. 10. Kal. Ianuarij.

Victoria plurimas aggregat uirgines.

An. sal.

An. sal. nostræ 253. cuius corpus inde in Picenum in oppido sui nominis vnà cum ferro, quo fuerat percussa, translatum honorificè conditum est. *Ex S. Adelmo lib. de Laud. Virginit. Actis M.S. Pet. in Cat. lib. 1. c. 83.* vbi nomina *deprauata leguntur, inter quæ pro ciuitate Thorana, Tibulana legitur. Ex lib. virgg. Rom.*

ANNOTATIO.

De ea hac die in Eccl. Placentina agitur: quæ se corpus in Ecclesia S. Mariæ de Campania habere in lect. eiusd. virg. asserit, quod sanè mirandum est, cum in oppido S. Victoria in Piceno apud Tignium asseruari fama sit.

DE S. SERVVLO CONFESSORE ROMÆ.

Seruulus pauper Romæ apud ædem S. Clementis tempore S. Gregorij Papæ ita paralyticus erat, vt idē Greg. scribit, vt nec stare, nec sedere, nec in lecto surgere, non manum ori admouere, neque se in latus declinare posset. Cui mater cum fratre ad seruiendum aderant, ipse verò quicquid eleemosynarum accepisset, illorum manibus alijs pauperibus diuidebat, cum legere non nosset, libros tamen sacros, quos emerat, sibi à religiosis viris hospitio susceptis legēdos curabat: ex quo in sacris scripturis versatus euasit. In assiduis doloribus, gratias Deo hymnis, & laudibus diu noctuque agebat. Cum verò vitæ terminum sibi adesse præsentiret, peregrinos, & alios in suo hospitio existētes, vt ad secum psallēdum surgerent, & psalmos pro sui exitu decantarent, orauit. Cūq; & ipse iam moriturus psalleret, voces aliorum magno clamore compescuit dicens: *Tacete, Nunquid non auditis quanta resonent laudes in Cœlo?* & obdormiuit 10. Kal. Ianuarij. Cuius corpus tanta odoris suauis fragrantia aspersum est, vt ea odoris suauitate omnes, qui aderant, replerentur. Cumque sepulturæ traderetur, adhuc in adstantium naribus odor ille perdurauit. *Ex lib. 4. Dialog. c. 14. & Hom. 5. in Euang. S. Greg. Papa.*

Seruulus paralyticus.

Moritur, suasq; cœlo laudes audit.

ANNOTATIO.

Extat S. Seruuli memoria apud eccl. S. Clementis, in qua eius miracula, quibus viuens & mortuus fulsit, in pariete depicta leguntur.

DE S. VICTORIA VIRGINE PLACENTIÆ.

Victoria virgo S. Sauini Episcopi Placentini soror Romæ nata, postea à fratre cœnobio virginum S. Michaelis Archangeli, quod olim Placētiæ fuit, præficitur. In quo multos annos in vigilijs, orationibus, ieiunijs, alijsque sanctis operibus Domino seruiens, tandem ad cœlestes nuptias euocata quieuit in pace. Cuius corpus in æde SS. Apostolorum apud fratrem sepultum, postea in nouam basilicam in vrbe S. Sauino dicatam ab Euerardo Episcopo vnà cum alijs SS. corporibus reuerenter translatum est. *Ex off. Eccles. Placent. recens Roma approb.*

ANNOTATIO.

Dies depositionis huius S. Virginis ignoratur. Sed Eccles. Placentina hac die eius commemorationem facere libuit: qua alterius Victoria V. festum celebratur.

Victoria alia V. & M. apud Segesta Tiguliorum in ora maris Ligustici Prunatem. Diocesis colitur, ibique corpus asseruatur. Quam ex antiqua Incolarum traditione Placentinam genere fuisse ferunt. Hanc à Romana diuersam esse oportet. Romana enim, ut Ecclesia Firmana testantur monumenta: corpus in Piceno in oppido sui nominis habetur, quod & Anton. Gallonius lib. de Rom. virginib. affirmat, tametsi Ecclesia Placent. se illud habere gloriatur.

Decembris die 24.

DE S. GREGORIO PRESB. ET MARTYRE SPOLETANO.

GRegorius Presbyter Spoleti gentilium conuersioni, prædicatione, & miraculis fana Deorum, & simulacra euertens operam dabat, cum excitata in Christianos à Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus persecutione, Flaccus cum Tircano eò, vt Idolorum cultum instauraret, missus est. Is Gregorium à 40. militibus captum, & ad per se ductum: *Tu ne es, inquit, ille Gregorius Deorum, & Principum contemptor?* cui Gregorius. *Ego ab infantia Deo meo seruio, qui hominem fecit ex limo terræ, cunctaque creauit ex nihilo: qui solus Deus est, & vnicuique reddet iuxta opera sua.* Flaccus verò, *omissis*, inquit, *verbis ad rem præcipio vt Dijs sacrifices, nisi pœnas dirissimas subire velis*: ac Gregorio constanter impietatem hanc execrante, tormenta proferri, maxillasque martyris tanquam blasphemi saxo contundi, & eum extensum in dorsum, & ventrem nodosis fustibus mactari iubet. cumque S. Martyr Deorum vanitatem non cessaret arguere, manibus pedibusque iunctus in craticula igne supposito assatur. Quo in supplicio Gregorio diuinum numen inuocante, repente horribilis fit terræmotus, qui 401. paganos oppressit: ex qua calamitate cum Flaccus se celeri fuga eripuisset, Tircanus martyrem ferro constrictum in carcerem reclusit. Quẽ sequenti nocte Angelus dissipatis lumine tenebris, vinculisque confractis consolatus est, & ad certamen magis incendit. Postera itaque luce eductus admotis ad latera lampadibus aduritur, Cum verò nec eo supplicio constantia martyris moueretur, Flaccus ita exæstuans, & moræ impatiens, illum in medium Amphiteatrum ductum capite plecti iubet. Tircanus autem immanes feras, quæ martyris corpus deuorarent, immisit: at illæ illo humaniores sacrum corpus lambere, & demisso capite venerari cœperunt. Quo viso populus magna voce clamabat: verè magnus est Deus Christianorum, multique Christo nomina dedere. Flaccus verò diuina vrgente iustitia præcordia euomens expirauit. Corpus Gregorij Abundantia insignis matrona 35. aureis à Tircano redemptum, & aromatibus conditum iuxta pontem, & riuum sanguinarium propè ciuitatis mœnia 9. Kal. Ianuarij sepeliuit. An. sal. 303. ecclesia eius nomine postea extructa, quæ collegiata est: & corpus martyris habet. *Ex pass. quam Sur. tom. 6. affert, & ex antiquis lect. eccles. Spolet. M. S, in quibus martyrium paulo diuersè narrantur, eandem Pet. in Cat. lib. 1. c. 88. & Membrit. tom. 2.*

Gregorius cō stātissimus in fide craticula igne supposito assatur.

Terræmotus 401. Paganos opprimit.

Feræ Sacrum Gregorij corpus lambunt, ac demisso collo uenerātur.

Flacc⁹ Iudex præcordia euomens expirat.

ANNOTATIO.

SVr. loco citato corpus Gregorij Coloniam Agrippinam translatum, ac in templo maiore conditum asserit: quod cum etiam Spoleti in propria ecclesia iacere feratur, necesse est non totum, sed partem Coloniam translatam fuisse, Spoleti dies festus 10. Kal. Ianuarij celebratur, licet 9. Kal. in Martyrol. Rom. scriptus sit.

DE S.

DE S. TARSILLA VIRGINE ROMANA.

Tharſilla virgo Rom. S. Gregorij Papæ amita vnà cum Æmilia, & Gordiana ſororibus vitam in propria domo quaſi in cęnobio potius Angelicam, quam humanam in magna regularis diſciplinæ obſeruantia diu duxit, cum verò in Gordiana ſpiritus feruorem remitti in dies, eamque paulatim Dei ad ſæculi amorem deficere cerneret, maximè cum Æmiliana triſtabatur, nihilq; non agebat, quo Gordianam à voluptatibus, & mundi cupiditatibus auerteret, aſſiduos ad Deum preces fundens, & illam crebris increpationibus, ſalutaribusq; admonitionibus excitans. Quo in officio cum occuparetur. Felix Papa ei per viſum nocturnum apparens, & habitationem perpetuo ſplendore fulgentem oſtendens viſus eſt dicere. *Tharſilla veni mecum, vt te in hac domo excipiã.* Quæ ſtatim febri correpta, cum multi ad eam morti vicinam viſendam ex propinquis & amicis veniſſent. Virginum ſponſum intuens, ad circunſtantes magna voce dicere cœpit: *Recedite hinc. Nam I. Chriſtus adeſt*, quibus dictis haud ſuſtinens aduentum illius præſuauitate ſpiritus expirauit 9 Kal. Ianuarij, cubiculo protinus miro ſuauiſſimoq; odore ex Saluatoris præſentia completo. Cuius corpus cum de more ablueretur, duritiem camelorum in genibus, & cubitis, ex aſſidua orandi conſuetudine contraxiſſe repertum eſt. Ea Æmilianæ paulò poſt apparens eam Epiphaniorum feſtum ſecum celebrandum; cum ſola Natalem Domini celebraſſet, inuitauit. *Ex lib. 4. c. 16. Dialog. S. Greg. PP. qui de eadem Homel. 18. in Euang. agit. à quo Pet. lib. 11. c. 110. & al. acceperunt.*

S. Felicis Papæ uiſio.

Suauiſſimus guſtatur ob ſactus.

ANNOTATIO.

Obijt paulò ante S. Greg. Pontif. qui anno 4. poſtquam Pontifex creatus eſt, librũ Dialog. compoſuit, vt Anton. Gallon. lib. de Virgg. Rom. adnotauit.

De Chriſti Saluatoris Natiuitate, & educatione ex Euangelio.

Anno quinquies milleſimo, centeſimo, nonageſimo ab orbe condito; vrbis verò 752. & Imperij Octauiani Auguſti 42. Chriſtus Dei filius, & verbũ Patri coæternus in vtero Mariæ V. Ioſeph deſponſatæ Angelo nunciante conceptus naſcitur in Bethleem Iudæ (quò parentes, quòd eſſent ex familia Dauid, ad profitendum iuxta Imp. edictum venerant) in præſepio, (cum non eſſet eis locus in diuerſorio) poſitus à paſtoribus exultantibus, & canentibus Angelis, qui Paſtoribus partum annunciauerant, inuiſitur, & octauo die circunciſus Ieſus nominatur, prout ab Angelo, antequam conciperetur, præceptum fuerat. Expletis purgationis Mariæ diebus, in templo præſentatus, à Symeone ſene; qui reſponſum à Spiritu ſancto acceperat, ſe mortem non viſurum, niſi prius Chriſtum Dñi videret, manibus excipitur, Qui canens, *Nunc dimittis ſeruum tuum domine ſecundum verbum tuum in pace.* &c. illum in reſurrectionem, & ruinam multorum veniſſe prænunciat. Anna quoque vidua annorum 80. à templo nunquam recedens, omnibus, qui expectabant redemptionem Iſrael, de illo benedicens Deum loquebatur. A Magis quoq; (cum adhuc eſſet infans in Bethleem) ab Oriente inditio Stellæ, quæ illis apparuerat, donec venirent ad locũ vbi puer erat, delatis adoratur, auroq;, thure, & myrrha ab eiſdẽ donatus.

Quibus, sic in somnis admonitis, alia via in suam regionem reuersis, Ioseph Angelico admonitu cum puero, & matre fugit in Ægyptum: Herodes enim, qui puerum ad necem quærebat, à Magis, quos in reditu expectabat, illusus, omnes pueros infra bimatum, in Bethleem, & finibus eius occidit. Illo mortuo, Ioseph matrem, & puerum iussu Angeli retulit in Iudæam: & Archelao Herodis filio regnante, venit Nazareth: vbi puer crescebat ætate, plenus sapientia, & gratia Dei. Ascendentibus autem parentibus singulis annis Hierosolymam ac solemnitatem, & ipse annum iam 12. natus cum ipsis ascendit: qui à parentibus existimantibus illum esse in comitatu, Hierosolymæ relictus, ab illis inter cognatos, & notos requisitus, non repertus est ab eis Hierosolymam reuersis, nisi post triduum in templo in medio Doctorum interrogans & audiens illos, stupentibus omnibus, qui aderant, super prudentia, & responsis eius. Qui ad matrem sibi dicentem. *Fili quid fecisti nobis sic? ego, & pater tuus dolentes quærebamus te.* conuersus ait: *Quid est, quòd me quærebatis? Nesciebatis, quia in ijs, quæ patris mei sunt, oportet me esse?* Et venit cum illis Nazareth, eratque subditus illis, proficiens ætate, sapientia, & gratia apud Deum, & homines donec ad annos 30. peruenit ætatis.

ANNOTATIO.

Apparẽs dissentio inter Matth. & Lucam.

Videntur Matthaeus & Lucas hic dissentire. Lucas enim post circuncisionem, & præsentationem in templo eos Nazareth rediisse scribit; Matthaeus verò post adorationem Magorum, illos in Aegyptum fugisse, ibique vsque ad obitum Herodis mansisse, quo mortuo in Iudæam rediisse, venisseque Nazareth narrat. Sed certè nulla est inter Euangelistas dissonantia.

Tollitur apparens dissonantia.

Videntur autem dissidere, quia non eadem ab omnibus gesta Domini narrantur: non enim cuilibet Euangelistæ singula Saluatoris acta prosequi propositum fuit, cum videamus quædam ab vno prætermitti, quæ ab alio narrantur: quod exemplo Matthæi, & Lucæ manifestum fit.

Narrari ab uno Euangelista, quę ab alio prætermittuntur.

Matthæus enim Edictum Cæsaris Augusti de Orbe describendo, & pueri præsentationem in templo à Luca non prætermissa prætermisit. Lucas verò Magorum adorationem, & fugam in Aegyptum, de quibus Matthæus abundè agit, præterijt. Quod si Lucas post præsentationem in templo ait eos venisse Nazareth; non tamen statim id factum fuisse scribit, vt in Aegyptum fugere non potuerint.

Quo tempore Magi Dñm adorauerint.

Illud potius addubitari posset, quando à Magis Saluator adoratus fuerit, an quinto post circuncisionem die eiusdem anni, an sequentis. Quod enim eiusdem anni persuaderi videtur, ex eo, quòd nulla tanta mora in Bethleem causa appareat, quòdque Magos Stella duxit ad præsepium, vt canit Ecclesia in quo non diu fuisse puerum verisimile est cessante aduenarum frequẽtia. Quod verò alterius anni, illud declarat, quod Herodes a bimatu, & infra occidit pueros, secundum tempus, quod exquisierat à Magis, quasi stella, quæ illis in ortu Saluatoris apparuit multo ante puta ante annum exactum illis apparuerit: & quod Magos tam modico temporis interuallo tantum spatij (longè enim ab Oriente venere) confecisse haud probabile sit.

Magos Dñm adorasse post dies 13. ab eius natiuitate trãsactus. Fugã in Aegyptum cædem Innocẽtiũ præcessisse

Augetur dubitatio, quòd Ecclesia prius natalem puerorum interfectorum ab Herode, quàm Magorum adorationem, siue nati infantis manifestationem celebrat, cum tamen hæc præcesserit. Quod si Ecclesia has, quo die contigere, festiuitates agit, inter Epiphaniam Domini, & cædem infantium annum quasi fluxisse oportet. Ego eius sum sententia, vt Magi ex Sabæorum regione, quæ in Arabia Felici in ortum vergit, citissimè dromedarijs aduecti 13. die post Christi ortum Bethleem peruenerint; Herodem verò multò post tempore necem infantium præcepisse: cum ante illam Dominus in Aegyptum fugisset: qua fuga ante præsentationem in templo fieri

non

non potuit. Quòd si vt dictum est Ecclesia Natalem infantium suo die recolit, inter Magorum adorationem, & Innocentium cædem annus ferè intercessit. à bimatu verò & infra occisi sunt infantes: fortè quia Herodes incertus erat an Christus iam natus, vel eo anno nasciturus esset, non reuersis ad eum Magis, à quibus de re diligentius percunctaretur.

De eiusdem Gestis, & peregrinatione.

CHristus Dominus 30. ferè annum agens ætatis ad Ioannem Baptistã apud Iordanem fluuium pœnitentiam prædicantem, & baptizantem venit: à quo baptizatus, cùm super eum Spiritus Sanctus in columbæ specie descendisset, & cœlo aperto vox patris: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*, audita esset, venit in desertum vbi post 40. dierum, & noctium ieiunium esuriens tentatur in tribus à Diabolo: quo superato venit in Galilæam in Capharnaum prædicans pœnitentiam, & Regnum Dei, vocatis discipulis iuxta mare Simone, & Andrea, ac Ioanne, & Iacobo filijs Zebedæi, Inde Nazareth, vbi Synagogam ingressus ea verba Isaiæ c. 61. *Spiritus Domini super me &c.* completa esse demonstrauit, cum prius fuisset in Cana Galileæ ad nuptias cum matre, & discipulis, ibique aquam in vinum (quod fuit primum Signorum teste Ioanne) conuertisset posteaque Capharnai, vbi habitauit post captum Ioannẽ, & alia ædidit signa. Cum autem à Nazaræpis, vt quæ signa Capharnai fecerat, faceret, & in patria sua rogaretur, se excusauit dicẽs: *Nemo propheta acceptus est in patria sua*, id exemplo comprobans Heliæ, qui in illa ingenti fame ad nullam viduam in Israel missus est, nisi ad Sareptanam, & Helisæi, qui nullum in Israel mundauit leprosum, sed solum Naaman Syrum: quibus auditis cum vellent illum ex montis supercilio præcipitare, transiens per medium illorum abijt Capharnaum vrbem Galilææ iuxta mare Tiberiadis (quod & Galilææ dicitur, & lacus Genesaret) ibiq; docuit, & in Synagoga Dæmoniaco liberato, ingressus domum Simonis socrum illius à febre, multosque præterea infirmos, ac dæmoniacos in ea vrbe liberauit. Egressus in desertum à turbis, quæ eum sequebantur, detinetur: quibus ille se alijs ciuitatibus prædicare oportere dicens, Galilæam lustrat, prædicans in synagogis, quòd appropinquauit regnum Dei, sanansq; omnes infirmitates fama per totam Syriam exeunte, ad eumque delatis omnibus male habentibus; turbisque de Galilæa, Decapoli, Hierosolymis, Iudæa, deque regione trans Iordanem se sequentibus. Ascendens autem Dominus in montem cum discipulis, eos 8. beatitudines docuit, sal terræ, & lucem mundi eosdem appellans, legem omninò implendam, quis magnus, & quis minimus sit in Regno Cœlorum exponens, iustitiam discipulorum maiorem esse debere iustitia Pharisæorum: non solùm non occidendum, sed neq; irascendum esse, reconciliationem cum fratre munus ad altare præcedere debere. Non solum non esse mœchandum, sed neque concupiscendum. Oculum, si scandalizat, eruendum, & manus amputandas. Non esse vxorem nisi causa fornicationis dimittendam. Non esse omninò iurandum. Non esse resistendum malo, sed percutienti vnam maxillam præbendam, & alteram. Non esse contendendum in iudicio, sed petenti tunicam, & pallium dandum. Dandum esse petenti, & volenti mutuandum. Inimicos diligendos esse, benefaciendum odientibus, & pro persequentibus orandum. Non esse benefaciendum, vt videamur ab hominibus, sed in abscondito faciendam esse eleemosynam, & in cubiculo orandum, Nec multis verbis, sed sic orandum: *Pater noster, qui es in cælis &c.*

Marc. c. 1. Luc. c. 3. Matth. c. 3. Matth. c. 4. Luc. c. 4. Marc. c. 1. Io. c. 2. Luc. c. 4.

Matth. c. 5. Luc. ca. 6. refert illum in loco Campestri 4 Beatitudines declarasse cum descendisset de M & elegisset duodecim Apost. in eo M. quãdo multitudo copiosa ab omni, Iudea, & Hierusalẽ, & Tyri, & Sidonis uenit ac eũ, ut audierent, & sanarẽtur à lãguoribus. sed dici põt, q' licet descendisset de M. ad sanãdum infirmos, qñ tñ docuit discipulos Beatitudines, rursus in M. ascẽdit.

Luc. c. 11. de oratione, & perseuerãtia exemplo eũtis ad amicũ nocte.

Luc. c. 16. habet hanc sententiam. Nemo põt duobus Dñis seruire

Ex quo liquet gesta & dicta Dñi ab Euangelistas non semper eod. ordine seruato referri, uel eadem ab ipso Saluatore pluries dicta, aut gesta.

Luc. c. 11. et de petẽdo q̃rendo, & pulsando exemplo petentis à patre panẽ, ouum, aut piscem.

Luc. c. 13.

Luc. c. 6. ibid. Hæc, q̃ à Matthæo in M. à Dño dicta referũtur diuersis in locis à Luca memorantur.

Scribit autẽ Luc. c. 7. post illa uerba de ædificante su p arenã Dñm sanasse puerũ Centurionis.

Matth. ait in M. descensu mũdasse leprosũ, quem Lucas, supra ca. 5. mũdatũ refert.

lis &c. Deum ijs peccata dimittere, qui alijs dimittunt. Non esse ieiunandum vti ab Hypocritis, neque thesaurizandum in terra, sed in cęlo; vbi neque fures sunt, neque erugo, neque tinea. Oculum esse lucernam corporis, qui si simplex fuerit, totum corpus lucidum erit, si nequam, tenebrosum. Neminem posse duobus Dominis seruire Deo præsertim, & Mammonæ. Non debere quemquã de victu, & vestitu sollicitum esse, nec curandum de crastino: qui enim volatilibus cæli, & lilijs agri prouidet, multo magis hominibus prouidebit. Non esse quenquam iudicandum, aut condemnandum. Eadem mensura, qua alios mẽsi sumus, remetiendum nobis fore. Eijciendam trabem de proprio oculo, ab eo, qui ab oculo alterius eijcere vult festucam. Non esse sancta canibus danda, neque margaritas porcis. Petendum esse, quærendum, & pulsandum: omnis enim petens, quærens, & pulsans accipit, inuenit, & aperitur, & Deus dat multo magis petentibus bona, quàm nos mali bona demus filijs nostris. Faciendũ alijs, quod nobis fieri volumus. Intrandum esse ad vitam per augũstam portã: lata enim ad perditionem ducit. Cauendum esse à falsis prophetis, qui ouina pelle induti, ex fructibus lupi esse deprehenduntur: non enim arbor bona malos, neque mala bonos fructus facit. Non prodesse prophetiam, dæmonum eiectiones, & signa etiam in Dei nomine facta operantibus iniquitatem. Qui audit verba Dei, & facit, similem esse ædificanti domum supra petram. Qui verò audit, & non facit, ædificanti super arenam. Hæc in monte apud Matthæum. Descendens de monte leprosum obuium mundat: intrat Capharnaum seruũ Centurionis curat: deinde socrum Simonis à febre liberat: Scribæ dicenti: *Magister sequar te quocunque ieris*: at *vulpes foueas habent, & volucris cœli nidos, filius autem hominis non habet, vbi reclinet caput suum*: & discipulo dicenti, vt permitteret se ire ad sepeliendum patrem, respondit: *dimitte mortuos sepelire mortuos*, & alij dicenti permitte me prius renunciare his qui sunt domi, dixit, *Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro &c.* Transfretantibus autem facta est tempestas in mari, & suscitauerunt eum dormientem dicentes: *Salua nos perimus*. qui ijs ob modicam fidem reprehensis, imperauit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna: mirantibus hominibus, dicentibusque: *Qualis est hic, cui mare, & venti obediunt ei?* Et cum venisset, in regionem Gerasenorum, Dæmonia duos obsidentia, cum licentiam in porcos intrandi obtinuissent illos omnes in mare præcipitarunt: quapropter ciuitas Gerasenorum obuiam veniens illum orat, vt à finibus transeat. Qui cum in ciuitatem suam transfretasset, paralyticum à tecto demissum (non enim aliter inferri poterat præ multitudine) à peccatis primum, deinde scribis, & pharisæis dicentibus, *hic blasphemat*) à paralysi curat dicens, *vt autem cognoscatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* stupentibus omnibus, qui aderant (aderant autem pharisæi, & legis doctores ex omni Castello Galilææ, Iudææ, & Hierusalem). Posthæc Matthæum, qui & Leui publicanũ ad telonium sedentem vocat. In cuius domo facto conuiuio, ac discumbentibus cum Domino multis publicanis. *Quare* (inquiunt pharisæi discipulis) *cũ publicanis, & peccatoribus manducat magister vester?* quibus ille respondet *non est opus medico valentibus, sed male habentibus*. seque venisse vocare non iustos, sed peccatores. & dicentibus quare discipuli sui non ieiunarent, ieiunantibus frequenter discipulis Ioannis, & ipsis pharisæis respondit filios sponsi eo sponso præsente non ieiunare, allata parabola de vestimento, & de vino nouo, & veteri, inquiens vinum nouum in nouos vtres mitti, & bibentem vinum vetus non statim velle nouum. Interea Iairus archisynagogus accedens rogat, vt filiã

suam

suam defunctam suscitaret, quod fecit, imperando illi vt surgeret, irridētibus illum, qui circunstabant: & dum iret, mulierem iam 12. annos pluxum sanguinis patientem solo tactu vestis sanat: inde duos cæcos illuminat, & dęmoniacū mutum liberat, & dicentibus intra se pharisæis, quòd dæmonia in Principe dæmoniorum eijceret, eos multis argumentis redarguit. Hæc agens & docens omnes ciuitates, castella, & vicos Galilææ circuit, monteque iuxta mare Galilææ conscenso insequente eum magna multitudine ex Galilæa, Iudæa, Hierosolima Idumæa, regione trans Iordanem, & quæ circa Tyrum, & Sydonem eligit 12. Apostolos præcipiens, vt tantum ouibus Israel prædicarent Regnum Dei, curarent infirmos, suscitarent mortuos, dæmonia eijcerent, leprosos mundarent, idque gratis, ne possiderent aurum, neque argentum, neque pecuniam. Ne ferrent peram in via, neque duas tunicas, neque calciamenta, neque virgam, vt manerent in ciuitatibus, & castellis, in quibus reciperentur, & digni essent, vtque pacem annunciarent, excuterent autem de pedibus puluerem exeuntes à non recipientibus, & non audientibus; vt quoniam tanquam oues inter lupos mittebantur, essent prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ: vt cauerent ab hominibus, a quibus tradentur, in concilijs, & synagogis, ante Reges, & Præsides Ne cogitarent quid, aut quomodo loquantur, quia spiritus patris loquitur in eis. Prædicens fratrem traditurum fratrem, & patrem filium, eosque fore odio omnibus hominibus propter nomen suum. Vt eos hominibus persequentibus fugiant in aliam ciuitatem. Non esse etiam dicebat, discipulum supra magistrum, & si se Belzebub dixerunt, tales & ipsos nominandos esse: Nihil opertum, quod non reueletur, ideo vt prædicent super tecta, quæ in aure audierunt: nec timeant qui occidunt corpus, sed qui potest corpus, & animam perdere in gehennam; eos esse curæ patri, sine cuius nutu nec passer cadit super terram, eorumque capillos omnes numeratos esse: se confessurum coram patre in cęlis, qui se coram hominibus confessi fuerint, & negaturum, qui se negarint, se non venisse pacem mittere in terram, sed gladium, separando filium à patre, & filiam à matre &c. Non esse se dignum, qui patrem, aut matrem, filium, aut filiam amat plusquam ipsum, quique non accepta cruce sua non sequitur illum: perdere animam illum, qui hic inuenit, inuenire autem, qui illam propter ipsū perdiderit: se recipere, qui suos, recipit, nec perdere mercedem, qui calicem aquæ frigidæ etiam in nomine discipuli porrexerit. Inde digressus reprehendit Cozain: & Bethsaidam proximas vrbes è regione Capharnai, quod pœnitentiam non egerint, prędicens durius cum illis actum iri, quàm cum Tyro, & Sidone: reprehendit & Capharnaum, inquiens quod durius cum eo fiet, quā cum sodomis: quia si ibi factę fuissent virtutes, quæ hic, egissent pœnitentiam. Confitetur, & gratias agit patri, quod hęc absconderit à sapientibus, & reuelarit paruulis, neminem dicens nosse filium nisi patrem, & patrem nisi filium, & cui voluerit filius reuelare. Inuitat laborātes ad refectionem, vt tollant iugum suum, quod est leue, & suaue, discentes à se mansuetudinem, & humilitatem: Abiens inde per sata sabbato discipulis spicas edentibus, & pharisæis hoc non licere sabbato dicentibus respondet, & Dauid cum esuriret, panes propositionis, quod non licebat, comedisse, sabbatum enim propter hominem, non hominem propter Sabbatum factum fuisse, ingressus autem Synagogam (prædicta enim apud Capharnaum contigere) manum cuiusdam aridam Sabbato curat, docens id licere exemplo eius sabbato in foueam cadentis, quæ continuò extrahitur. Cum autem dæmoniacum cæcum, & mutum sibi oblatum curasset dicentibus pharisęis intra se, quòd in Beelzebub principe dęmoniorum dęmonia

Luc. c. 7. qui post curatū seruum Centuriones Dñi aduentū in ciuitatē Naim & filij viduæ resuscitē describit.
Marc. c. 1.
Matth. c. 8.
Luc. c. 5. ait leprosū mundatū ī vna ex ciuitatibus q̄ forte erat ad M. radices.
Matth. hic post sanatū seruum Centurionis sanitatē socri Petri subdit, q̄ tū Luc. c. 4. ante sanatum puerum Centur. refert.
Luc. c. 8. Gerosa est C. Decapolitanæ regionis, in qua Dñus S. Lucam c. decem leprosus mūdauit.
Matth. c. 9.
Per suam c. intelligitur Capharnaū, vbi habitare consueuerat, nō Nazareth
Luc. c. 5. de eisdē & seq.
Marc. c. 1.
Luc. c. 12.
Matth. c. 10.
Marc. c. 3.
Luc. c. 6. narrat electionē 12. Apost. tā-ctū post quā ascēderat in montem so-

nia eijceret, respondens ad cogitationes illorum ostendit se non ita eijcere dæmonia, quia Regnum in seipsum diuisum desolatur, quia filij ipsorum (discipulos suos intelligens) non in Beelzebub eijciunt, sed in digito Dei: & quia fortis non eijcitur nisi à fortiore, quodque ipse contrarius esset Beelzebub addens quod omne peccatum, & omnis blasphemia remittitur excepto peccato & blasphemia in Spiritum Sanctum, quæ neque in hoc, neque in alio remittitur sæculo. Quod arbor bona & mala cognoscitur ex fructu, & cor cognoscitur ex ore, quod ex abundantia cordis loquitur: quodque homo reddet rationem de omni verbo etiam otioso. Cumque scribæ, & pharisæi dicerent: *Magister volumus à te signum videre*. Respondet eos generationem prauam, & adulteram vocans, signum non daturum nisi Ionæ Prophetæ (erit enim filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus, vti fuit Ionas in ventre cœti) Surrecturosque esse Niniuitas, qui egerunt pœnitentiam ad prædicationem Ionę & Reginam Austri, quæ venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis in iudicio contra ipsos Iudęos, qui Christum maiorem Iona, & Salomone pręsentem contempserunt, cumque tunc mater, & fratres eum foris expectarent, extendens manum in discipulos ait: *Quicunque fecerit voluntatem patris, hic meus frater, & soror, & mater est.*

Ingressus inde nauiculam ob maximam, quæ eũ sequebatur, multitudinem, parabolam eius, qui exiuit seminari semen suum, quod super petram, in viam inter spinas, & in terram bonam cecidit proposuit, & causam adferens ex Isaia c. 6. cur in parabolis loqueretur: deinde parabolam eius, qui bonum semen seminauit in agro suo, sed hominibus dormientibus superseminata sunt ab homine inimico zizania: præterea parabolam de grano Sinapis adeò crescentis, vt fiat arbor: nec non & parabolam de fermento abscondito in farinę satis tribus. Dimissis autem turbis parabolam seminis discipulis exposuit, subinferens parabolam de thesauro abscondito in agro: de homine negotiatore: de sagena missa in mare. Posthæc venit in patriam suam docens in Synagogis, mirantibus ciuibus super doctrina, & virtutibus, & dicentibus: *Nonne hic est filius fabri? Nonne mater eius Maria?* &c. Cum autem Herodes Ioannem Baptistam decollasset ad filiæ Herodiadis saltatricis petitionem, diceretque audita fama signorum, quæ Dominus faciebat, Ioannem surrexisse, & ea signa operari, Ipse Dñs secessit in desertum trans mare Tiberiadis, vbi ex quinque panibus, & duobus piscibus interrogato Philippo: *Vnde ememus panes, vt manducent?* quinque millia hominum præter mulieres, & paruulos satiauit collectis 12. cophinis fragmentorum, Inde dimissis turbis eum Regem facere volentibus, & discipulis iussis transfretare, ascendit in montem solus orare vsque ad vesperam, iactatis autem discipulis in mare venit ad eos ambulans super aquas, & cum Petrus postquam dixerat: *Domine si tu es iube me venire ad te.* iret illi obuiam, & timens ob ventum validum cępisset mergi, apprehendit illum Dominus manu dicens *Modicæ fidei quare dubitasti?* Venitq; naui in terram Genesar (à qua mare Tiberiadis etiam lacus Genesareth appellatur) Vbi tactu vestimenti omnes sanat ægrotos, vt scribæ, ac Pharisæi aduenientes ex Hierosolymis arguunt discipulos, quod manducantes manus non lauarent, dicentes: *Quare discipuli tui trãsgrediuntur traditiones seniorum? Quibus ille, quare & vos transgredimini mandata Dei propter traditiones vestras,* & subdit *Non quod intrat per os coinquinat hominem sed quod exit de ore veluti blasphemia, falsa testimonia, homicidia, furta, adulteria, quæ exeunt de corde*, Inde secedens in finis Tyri, & Sidonis filiam Cananææ clamãtis: *fili Dauid miserere mei.* cum reiecta illis verbis: *Non sum missus*

lus orare, antequam descenderet ad turbas & beatitudines doceret. Luc. c. 10 hic Dñm 72. discipulos, hoc est post 12. designasse, & ad pdicandũ misisse, atque hęc eadem p̃ cęptá dedisse narrat. Cũ. in dies cresceret multitudo sequentiũ postq̃ & discipulos elegit ad curandos obsessos, & infirmos, ac ad pdicãdũ alios 72. designauit. Marc. c. 9. Luc. c. 10. Io. c. 13. qui hęc illũ dixisse ĩ tẽplo, q̃n in illum post Lazari resurrectionem ingressus est. Matth. c. 11. Hic Matth. p̃ mittit, à Io. Bapt. in vinculis tẽto mis s[us] discipulos vt interrogarent Dñm, an esset, qui venturus est, qb[us] illi, Eũtes renũciate Ioanni cęci vidẽt, claudi ambulant, mortui resurgũt, &c. & multa in cõmendatiõe Ioãnis dicta.

sus nisi ad oues demus Israel diceret etiã *Domine: nam & catilli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum*. sanat dicens: *O mulier magna est fides tua fiat tibi sicut petisti.* Reuersus ad mare Galilææ conscensoque monte sanat mutos, cæcos, claudos, & alios infirmos ac ex 7. panibus & paucis piscib. quatuor millia hominum pascit præter mulieres, & pueros: simpletis septem sportis ex fragmentis. Quibus dimissis venit in finis Magedon, vbi accedentes pharisæi, & Saducæ tentantes illum signum petunt: quos appellat generationem prauã, & adulteram, cui non dabitur nisi signum Ionæ Prophetæ, ijsque relictis abijt transfretum monens discipulos, vt caueant à fermento pharisæorum, & Saducæorum: hoc est à doctrina. Inde venit in fines Cæsareæ Philippi, vbi interrogat discipulos, quem se opinentur homines, & dicentibus illis, vnum ex Prophetis, subdit: *vos autem quem me esse dicitis?* & respondente Petro: *tu es Christus filij Dei viui.* ait & *ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam &c.* & præcipiens discipulis ne cui dicerent ipsum esse Christum passionem suam illis prædicit, & post tres dies resurrectionem Petrum reprehẽdens, qui passionem dissuadebat. Subdens: *qui vult venire post me, abneget se ipsũ & tollat crucem suam, & sequatur. Qui enim voluerit animam suam saluam facere perdet eam, & qui perdiderit animam suam propter me inueniet eam.* Illud etiam addens. *Quid prodest homini si vniuersum mundum lucretur, anima verò sua detrimẽtum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? cum filius hominis venturus sit cum Angelis suis, & vnicuique secundum opera sua redditurus?* Cum autem diceret quosdam ex astantibus non morituros antequam viderent filium hominis venientem in Regno suo, post sex dies assumptis Petro, Ioanne, & Iacobo duxit illos in M. excelsum Thabor, & transfiguratus est vestibus factis albis sicut nix, & facie lucida sicut sol in medio Moysis, & Heliæ, nube lucida obumbrante, & voce patris audita: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui ipsum audite?* Descendens autem de monte puerum lunaticum curat, quem ait patri suo non potuisse à discipulis curari propter suam incredulitatem: qui si haberent tantam fidem, vt granum sinapis etiam montes transferrent: genusque illud dæmoniorum non ejci nisi per orationem, & ieiunium. Cum versaretur in Galilæa, rursus se tradendum, & occidendum, ac tertia die resurrectum prædicit. Et redeunt Capharnaum vbi Petrus staterem inuentum in ventre piscis à se hamo capti soluit pro se & magistro exactoribus ne scandalizarentur: licet ad tributum non tenerentur.

Hæc quærentibus discipulis, quis maior esset in Regno Cælorum Dominus accito paruulo ait, non posse quemquam intrare in Regnum Cælorum: nisi se humiliauerit, vt paruulus ille, nec nisi conuersum, & effectum vti paruulus, & expedire ei, qui talem scandalizauerit, vt mola ad collum suspensa demergatur in profundum: Necesse esse vt veniant scandala, væ tamen homini, per quem scandalum venit: Amputandum esse manum, vel pedem, vel oculum eruendũ si scandalizat. Non esse scandalizandum aliquem ex pusillis, quorum Angeli semper vident faciem patris: cuius voluntas est, ne pereat vnus ex illis, afferẽq; exemplum eius, qui habet centum oues in deserto, & perdit vnam, quam dimittis nonaginta nouem quærit, & ea inuenta magis gaudet, quam super nonaginta nouem. Hic etiam docet quomodo frater peccans sit corripiendus dicens, *si peccauerit frater tuus in te, vade & corripe inter te, & ipsum solum, si te audierit lucratus eris fratrem tuum: si te non audierit, adhibe vnum, aut duos testes: quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ. si autem Ecclesiam non audierit sit tibi tanquam Ethnicus & publicanus.* Nec solum septies peccantibus esse parcendum; sed septuagies

Hic Luc. c. 7. Dñm ĩ domo Simonis discubuisse, & ad eum mulierẽ peccatricẽ accessisse ait.

Matth. c. 12. Luc. c. 6. Marc. c. 3.

Hęc Luc. c. 6. facta anteq̃ ĩ M. solus ascẽderet ad orãdũ narrat.

Luc. c. 11. Matth. hoc idem de pharisęis dicenti bus Dñm eijcere dęmonia in Principe dæmoniorũ supra c. 9 scribit. Quapp hoc bis euenisse dicendũ est.

Luc. c. 8. hæc verba de matre & fratrib. post parabolã seminis, & post ea verba nihil occultũ q̃ non reuelabat refert, quare nõ semel dicta esse oportet.

Matth. c. 13. Matth. c. 14. Io. c. 6 & c. 5. scribit dñum fuisse Hierosolymis ad diem festum Iudæorũ, & languidũ 38. annos habentẽ in infirmitate ad piscinam probati eam curasse

gies septies, subdens parabolam Regis, qui rationem ponens cum seruis suis, ac miserens eius, qui non habebat vnde redderet, seuerè puniit illum, qui conserui misereri noluerat, sic facturum, inquiens, patrem cęlestem nobis, nisi remiserimus fratri de cordibus nostris. Inde veniens in regionem trans Iordanē post curatas turbas à Pharisæis tentatur: si licet dimittere vxorem quacunque de causa. Quibus respondet, *quod Deus coniunxit, homo non separet*, licet Moyses ad duritiam cordis libellum repudij permiserit. Esse eunuchos sic natos, & alios ab hominibus factos, & alios, qui si castrauerunt propter Regnum Cęlorū, qui potest capere capiat. Reprehendit discipulos non permittentes paruulos ad se intrare dicens: *Sinite paruulos venire ad me, talium est regnum Cælorum*. Interroganti: *Magister quid boni faciendo possidebo vitam æternam.* Respondit *solus Deus bonus est, si vis ad vitam ingredi serua mandata.* Adoliscenti autem dicenti se illa seruasse, ait, *si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & sequere me.* Cum autem illi abiret tristis (habebat enim multas possessiones) Dominus ait, *facilius est camelum per foramen acus intrare, quam diuitem in Regnum Cœlorum*. Petro vero dicenti: *Ecce nos reliquimus omnia, quid ergo erit nobis?* Respondit, *In regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis sua sedebitis, & vos super sedes 12. iudicantes 12. tribus Israel. Et omnis, qui reliquerit patrem, aut matrem, aut fratres, aut sorores, aut agros propter nomen meū centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit*, Subdens quod multi primi erūt nouissimi, ac nouissimi primi, quod parabola patris familias exeuntis, & conducentis operarios in vineam primo mane, hora tertia, sexta, nona, & vndecima, singulisque denarium dantis declarat. Hinc ascendit Hierosolymam, & inter eundum secretò 12. discipulis se tradendum flagellandum & crucifigendum, ac tertia die resurrecturum ait, matreque filiorum Zebedei accedente, & petēte prima loca: hoc est dexteram, & sinistram in Regno suo pro filijs, respondit, *Nescitis quid petatis*, & quod sedere ad dexteram, & ad sinistram dabitur ijs, quibus paratum est à patre: alijs autem 10. indignantibus dixit, non factum iri apud se, apud Principes; sed qui maior fuerit, fore aliorum ministrum; sicut ipse venit non ministrari, sed ministrare. Procedens versus Hierosolymam apud Hierico duos cæcos tactis eorum oculis illuminat. Ingressus Hierico hospitio accipitur à Zachæo Principe publicanorum, & murmurantibus quòd ad hominem peccatorem diuertisset, ait se venisse saluum facere, quod perierat? Appropinquans autem Hierosolymæ parabolam hominis euntis in regionem longinquam ad acquirendum Regnum, & dantis 10. seruis decem minas, vt negotiarent, & auferentis minam ab eo, qui nihil lucratus fuerat, adfert. Cumque venisset Bethphage misit duos ex discipulis ad soluendam asinam cum pullo, super qua sedes Hierosolymam ingressus est turba sternente vestimenta, & alijs cędentibus ramos in via, & acclamantibus *Osanna filio Dauid Benedictus, qui venit in nomine Domini.*

Commota autem tota ciuitate, dicentibus *Quis est hic.* respondetur à populis, *Hic est Iesus Propheta à Nazareth.* Qui templum ingressus eiecit ementes, & vendentes euersis etiam mensis, dicens. Hoc factū alias quoque refertur, qū primum ex Galilæa ante captum Ioannem venit Hierosolymam ad Pascha, & facto quasi flagello eiecit ementes, & vendentes: quando dixit Iudæis, *soluite tēplum hoc &c.* quando ad eum venit Nicodemus nocte, & dixit illi Dominus *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non potest introire in Regnū Dei* (vt Io. c. 3.) & qū Dominus rediens in Galilæam transiens per Samariam venit in ciuitatem Sichar, vbi mulierem Samaritanam, & ciuitatem Samaritanorum conuertit

sabbato: pp q, & quia dicebat si patrē habere Deū Iudęi qrebāt eum interficere.
Io. c. 6.
Luc. c. 9.
Matth. c. 15. post signū 5. Io. c. 6. scribit turbas venisse Capharnaum & Dn̄m illos reprehēdisse, q se sequerētur pp panē materialē: cum ipse esset panis viuus, & de cęlo descēdens. & caro eius esset cibus, & sāguis potus, dicentibus Iudęis, Nōne hic est filius Ioseph & discipulis Durus est hic sermo.
Marc. c. 7.
Matth. c. 16.
Marc. c. 8.
Luc. c. 11. q post redargutos à Dn̄o dicētes intra se, illū in Beelzebub eijcere dæmonia, p̄mittit mulierem dicentē Beatus vēter qui te portauit, & vbera, q̄ suxisti, & respōsionem Saluatoris, Quinimmò Beati, qui audiūt verbum

conuertit vti apud Io. c. 4. *Auferte ista hinc domus mea, domus orationis est, vos autem fecistis illam speluncam latronum.* Cumque sanaris claudis, & cæci clamarent pueri, *osanna fili Dauid*, indignantibus Principibus sacerdotum ait, *Nunquam legistis, quia ex ore infantium perfecisti laudem* ? Eadem die abijt Bethaniã, maneque rediens in ciuitatem ficulneam in via arefecit, quod non nisi folia haberet, & mirantibus discipulis dixit illos non solùm id facturos, sed etiam montes translaturos si fidem haberent. Ingressus templum docebat, interrogatusq; à Principibus sacerdotum, & senioribus in qua potestate hæc faceret, respondit se dicturum, si prius sibi diceret, an Baptisma Ioannis esset è celo, an ex hominibus, & dicentibus se nescire cum tamen scirent ait nec se eis dicturũ in qua potestate hæc faceret, proposuit autem parabolam patris habentis duos filios, quorum primus cum iussus à patre laborarare in vinea respõdisset se nolle, postea tamen pœnitentia ductus laborauit, alter verò cum dixisset *eo laborare*, haud tamen iuit, cumque Principes sacerdotum interrogati, quis horum fecisset voluntatem patris, respondissent primum. *Sic vos*, inquit, *præcedent meretrices, & publicani in Regno Dei. Venit enim ad vos Ioannes in via Iustitia, & nõ credidistis ei, sicuti meretrices, & publicani.* Aliam parabolam adiecit patris familias, qui plantauit vineam, & sepe circundatam cum turri, & torculari locauit agricolis, qui non solum seruos missos tẽpore fructuum occiderunt, sed & ipsum filium interfecerunt, dicentes, *Hic est hæres, venite occidamus eum, & habebimus eius hæreditatem.* cumque interrogati ipsi Sacerdotes, *quid faciet Dominus vineæ agricolis illis*, respondissent, *Malos malè perdet, & vineam suam locabit alijs agricolis, qui reddant fructum temporibus suis*, conclusit dicens, *ideo auferetur à vobis Regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius*. seque esse lapidem ab ipsis reprobatum, super quem cadentes confringentur, conterentur autem ij, super quos illi ceciderit. Quibus auditis voluerunt eum apprehendere, sed timuerunt turbam illum habentem vt prophetam. Rursus parabolam aliam proposuit Regis, facientis nuptias filio suo, & mittentis seruos ad vocandum inuitatos, & illis se variè excusantibus alijsque seruos occidentibus, mittentis ad exitus viarum, vt quoscunque inuenissent. vocarent ad nuptias, Qui Rex cum intrasset ad discũbẽtes, & vidisset hominem non vestitum veste nuptiali ait illi, *Amice quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem* ? iussitque illum ligatis manibus, & pedibus mitti in tenebras exteriores, vbi fletus, & stridor dentium, concluditque Dominus dicens, *multi enim sunt vocati, pauci verò electi*, pharisæi autem vt illum caperent in sermone, mittunt discipulos cum Herodianis interrogantes, *si licet dari censum Cæsari*: quibus cum respondisset, *Reddite, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo*, succedunt Saducæi quæstionem proponentes circa Resurrectionem: cuius nam futura sit vxor, quæ successiue septem fratribus sine filijs decedentibus nupsit. Quibus ille, *In Resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei*, & quia Saducæi negabant Resurrectionem eos conuicit, quòd Deus est Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob, & non est Deus mortuorum, sed viuentium. Quibus confusis succedunt pharisæi interrogantes per legis doctorem, Quod sit mãdatum magnũ in lege, cui is primum est, *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & ex omni mente tua. Secundum, diliges proximum tuum sicut te ipsum*, Interrogatis autem pharisæis, *quid vobis videtur de Christo? cuius filius est?* & respondentibus *Dauid* eos confutat dicens, *quomodo ergo Dauid vocat eum Dominũ dicens dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis?* nec amplius ausi sunt illum interrogare. Conuersus autem Dominus ad turbas hortatur illas, vt

seruent

Dei, & custodiunt illud.
Matth. c. 17.
Marc. c. 9.
Luc. c. 9. qui ait transfigurationẽ factã ferè post dies 8. cũ Matth. dicat post dies 6. sed distinctio hæc tollit dissonantiã apparẽtẽ.
Matth. c. 18.
Luc. c. 9.
Luc. c. 17. de scãdalo post historiã diuitis, & mẽdici.
Luc. c. 15 exẽplũ hñtis 100 oues, & dimittentis 99. vt inueniat perditã, & ea inuẽta gaudentis affert, qñ scribæ, & pharisæi murmurabant, q manducaret cum peccatoribus narrãs etiam exẽplũ mulieris hñtis 10. drachmas, & vnã amittẽtẽ subdens parabolã filij prodigi, deinde seq. c. parabolã villici diffamati apud Dñm suũ, q dissipasset bona illius. Vbi ẽt subinfert de Homine quodã diuite & de Lazaro mendico.
Matth. c. 19.

ferueent ea, quæ à Scribis, & Pharifeis fedentibus fuper Cathedram Moyfis dicuntur, fed non faciant fecundum opera illorum, *dicunt enim*, inquit, *& non faciunt, & omnia opera fua faciunt, vt videantur ab hominibus: à quibus volunt honorari, & vocari Rabbi*. monet autem difcipulos ne vocentur magiftri, cum vnus magifter fit Chriftus, nec patrem vocent fuper terram, cum vnus tantum fit pater cęleftis, fintque miniftri aliorum maiores alijs: *Nam qui fi exaltauerit humiliabitur, & qui fi humiliauerit, exaltabitur*. Poftea reprehendit fcribas, & pharifæos, ꝙ nõ intrent in Regnũ Cęlorũ, nec finant alios intrare, ꝙ comedãt domos viduarũ, qđ circũeant mare, & aridã, vt faciãt fibi vnũ profelytũ, quẽ faciũt filiũ Gehennæ magis quam feipfos, qđ iurare per aurum, & donum altaris magis æftiment, quam per templum, & Altare, quod relinquant grauiora legis decimantes mentham, anethum, & cyminum, quod exteriora mundent immũda habentes interiora, fimiles fepulchris dealbatis. Et quia dicebant, quod fi fuiffent tempore prophetarũ interfectorum immunes fuiffent ab illorum fanguine ait ad illos: *ecce ego mitto ad vos profetas, fapientes, & fcribas: & ex illis, occidetis, & crucifigetis, & flagellabitis, vt veniat fuper vos omnis fanguis iuftus à fanguine Abel iufti vfque ad fanguinem Zachariæ &c.* Egreffus de templo illius ruinam difcipulis prædixit dicens, *amen dico vobis, non relinquitur hic lapis fuper lapidem*. Cum veniffet ad M. Oliueti, à difcipulis interrogatus de aduentu fuo, & de tempore confumationis fæculi: refpondit, *Videte, ne quis vos feducat, multi enim venient in nomine meo dicentes, ego fum Chriftus, & multos feducent*, prædicit futura effe prælia, terrores de cęlo, peftilentias, & fames, & terremotus, qđ erunt odio omnibus hominibus propter nomen fuum, quod abundabit iniquitas, & refrigefcet charitas: quod qui perfeuerauerit vfque in finem faluus erit. Monet etiam difcipulos dicens, *Cum videritis abominationem defolationis, quæ dicta eft à Daniele Propheta &c.* ne tunc, fi quis dixerit, *Ecce hic eft Chriftus* credant. *Sicut enim fulgur*, inquit, *exit ab Oriente, & paret vfque in Occidentem, ita erit aduentus filij hominis*, quodque poft tribulationem dierum illorum (qui breuiabuntur propter electos) Sol obfcurabitur, & Luna non dabit lumen fuum, & Stellæ cadent de cęlo, & virtutes cœlorum commouebũtur, & tunc parebit fignum filij hominis in cęlo. Quod tamen de die illo, & hora nemo fcit nifi folus pater. Quod homines erunt, ficuti ante diluuium comedentes, bibentes, & nubentes, & ficuti diluuium eos improuifos oppreffit, ita aduentus filij hominis erit inopinatus. Ideo vigilandum monet, quia nefciunt, qua hora Dominus venturus fit, exemplo patris familias, qui fi fciret furem venturum vigilaret, & non fineret perfodi domum fuam; terrensq; exemplo mali ferui; quem dominus in malo perfeuerantem, qua hora non putabat, adueniens inuenit, & inter Hypocritas, vbi fletus, & ftridor dentium, collocauit.

Luc. c. 18. ante oblatos parulos parabolam pharifæi, & publicani afcẽdẽtium in templum ad orãdum ꝑmittit. Hic Luc. c. 10 ad interrogat. legis periti, Magifter qđ faciendo poffidebo vitam æternã? cum Refpondiffet ilege qđ fcriptũ eft? & ille diliges Dñm Deum tuum &c. & proximum tuũ ficut te ipfum, fubdit qs fit. Proxim⁹ exẽplo eius, qui inter Hierufalem, & Hierico incidit in latrones. Matth. c. 20. Luc. c. 18. acceffi, & petitionẽ matris filiorum Zebedæi prętερit. Marc. 10. Luc. cap. 18. Luc. cap. 19. Matth. c. 21. Ioan capit. 12.

Hic

Aduentum Domini in Hierufalem, & in templum fuper afinam, turbis clamantibus Ofanna filio Dauid poft Cęnam Bethaniæ factam, in qua Maria Magdalenæ vnxit pedes illius defcribit. Matthæus verò multo ante cap fcilicet 21. & Cœnam c. 26. forte, ꝙ bis faluator ea pompa ingreffus eft Hierofolymam. Matth. c. 22. Luc. c. 14. parabolam hominis, qui fecit Cęnam magnam refert: quę videtur diuerfa ab hac, cum ea nihil de homine non veftitum vefte nuptiali dicatur, atque ante vineæ parabolam hac narretur via. Matth. c. 23 Luc. c. 11. hęc paulo aliter, quo ad ordinem referre videtur. Vbi hanc Dñi fñiam habet, date eleemofynam, & omnia munda funt uobis. Matth. c. 24. Luc. c. 19. hoc quod ait, *Non relinquebitur lapis fuper lapidem*, non in egreffu, fed cum appropinquaret ciuitati, quãdo uidens fleuit fuper illam, quod alias a Saluatore dictum oportet, quando fcilicet ingreffus urbem, & templũ eiecit ementes, & uendentes. Luc. c. 21. de abominatione, & fignis futuris ante Domini aduentum, ubi ait, *Erunt figna in Sole, & Luna.*

Hic ad vigilandum inducens, parabolam 10. virginum, quantum quinque prudentes, & quinque fatuæ erant, adfert, concludens, *Vigilate itaque, quia ne scitis diem, neque horam*, & parabolam Hominis peregrè proficiscentis dantis seruis suis talenta, vni quinque, alij duo, & alij vnum; qui reuersus remunerauit eos, qui superlucrati sunt; qui verò talentum abscondit, nihil superlucratus, misit in tenebras exteriores ablato ab eo talento, & dato ei, qui decem habebat. Denique filium hominis in maiestate sua venturum ait, cum Angelis, et congregatis ante eum omnibus gentibus, separandos malos à bonis, his ad dextram, illis ad sinistram locatis, atque bonis dicturum: *Venite benedicti patris mei possidete paratum vobis Regnum à constitutione Mundi*, ob opera misericordiæ mihi præstita; *quod enim vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*. Malis vero: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius*: Mihi enim non dedistis manducare neque bibere; *Non me cooperuistis nudum, non me visitastis infirmum, nec in carcere, cum hac vni ex minoribus his non præstiteritis*.

Matth. c. 25. Luc. c. 19. loco talentorũ minas habet, videtur enim eadem parabola hęc talẽtorũ, & minarũ, cũ eodem tpe relata videntur.

Cum autem Dominus in festo Enceniorum à Iudæis interrogatus: *Dic nobis palam, si tu es Christus*, respondisset: *Opera, quæ ego facio in nomine patris mei ipsa testimonium perhibent de me, & Oues meæ vocem meam audiunt*, et *Ego & pater vnum sumus*, et alia plura, et voluissent eum lapidare elapsus e manibus illorum, venit in regionem trans Iordanem, sed egrotante Lazaro in Bethania, et certior factus à sororibus illius, ire distulit, eo autem mortuo Bethaniam venit dissuadentibus discipulis, et Lazarum iam quatriduanum in monumento à mortuis excitauit multis in eum credentibus. Quapropter Pontifices, et Pharisæi colligentes concilium dicebant: *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? &c.* et decreuerunt, prophetante Caipha Pontifice illius anni, et dicente; *Expedit, vt vnus homo moriatur pro populo &c.* illum interficere. Iesus autem abijt in desertum iuxta ciuitatem Ephrem, venitque Bethaniam ante sex dies Paschæ, vbi fecerunt ei cœnam Martha ministrante, et Maria Magdalenæ vngente pedes eius vnguento pretioso, et capillis suis eos tergente.

Io. c. 8. & 9. ante festũ Enceniorũ cum Dñs ex M. Oliueti diluculo uenisset in tẽplũ, & mulierẽ in adulterio deprehensã digito scribẽs in terra absoluisset Iudęisq; dixisse, Quęretis me, & nõ inuenietis, & ĩ pctõ uestro moriemini Quis ex uobis arguetme de pctõ &c. narrat illum exeuntẽ de tẽplo, qa uolebãt eũ lapidare, cęcũ natũ illuminatus.

De Passione, Morte, Resurrectione, et Ascensione Domini.

CVm Principes, et seniores Iudæorum publico Edicto Dominum Iesum occidendum decreuissent non semel ad illum capiendum miserunt; sed aliquando non ausi sunt propter turbam; aliquando, quia noluit, cum dixit. *Quod modo vultis facere nolo, facturi autem estis postea, &* aliquando, quia ministri sermonibus eius deliniti re infecta abibant dicentes Principibus, *nunquã sic locutus est homo*. Sed et ante illud Decretum quærebant illum Iudæi capere, et interficere, quando propterea abijt in Galilæam, et in festo Scenophegiorum suadentibus fratribus, vt ad illud ascenderet, respondit, *Tempus meũ nondum aduenit*. Ascendit tamẽ in quasi in occulto in templum docens mirantibus Iudæis, *quomodo scit litteras, cum non didicerit*, et eo respondente: *Mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me*. Tunc inquam, miserunt Iudęi ministros, qui illum apprehenderent: quibus ille. *Quæretis me, & non inuenietis, & quò ego vado vos non potestis venire*, et quia Nicodemus dixerat neminem à lege iudicari inauditum, audiuit ab ipsis Iudæis, *Nunquid & tu Galilæus es?* Adueniente itaque tempore, quod sibi Saluator præstituerat ad mortem pro nobis subeundam. Cum iussisset sibi parari Pascha lauit pedes discipulorum, dicens: *Exẽplum dedi vobis, vt quẽadmodum, Ego feci, ita & vos faciatis*, et peracta cœna in qua

Io. c. 10. Io. c. 11. Io. c. 12. Matth. c. 26. Io. c. 11. Marc. c. 14. Io. c. 7. Io. c. 13.

qua panem in corpus, & vinum in ſanguinem ſuum conuerſa tradidit diſcipulis (abeunte Iuda, in quem Sathanas introiuerat poſt acceptum bucellam panis benedictam) multa illis locutus eſt, veluti : *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicē: in hoc cognoſcēt oēs, q̄ diſcipuli mei eſtis &c. Nō turbetur cor veſtrū creditis in Deū, & in me credite; vado parare vobis locū, iterū veniā, & accipiā vos* & dicente Thoma, *Dn̄e neſcimus, quo vadis*, reſpondit, *Ego ſum via, veritas, & vita*, & dicente Philippo, *Domine oſtende nobis patrem*, ait, *Qui videt me, videt & patrē meū &c. qui credit in me, opera, qua ego facio & ipſe faciet, & maiora horū faciet &c. Ego rogabo patrem, & alium paraclitum dabit vobis. Si quis diligit me ſermonem meum ſeruabit &c. Ego ſum vitis vera, & pater meus agricola &c. Ego ſum vitis, & vos palmites &c. Hoc eſt praceptum meum, vt diligatis inuicem &c.* & rurſus: *Hac mando vobis, vt diligatis inuicem: & Mundus vos odit &c. Non eſt ſeruus maior Domino ſuo, ſi me perſecuti ſunt, & vos perſequentur &c. Abſque ſynagogis facient vos &c. Hac locutus ſum vobis, vt cum venerit hora &c. Et nunc vado ad patrem, & nemo ex vobis interrogat me quo vadis? &c. Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò: cum autē venerit ſpiritus veritatis &c. Modicum & iam non videbitis me, & iterum modicum, & videbitis me. Plorabitis & flebitis: Mundus autem gaudebit; ſed triſtitia veſtra &c. Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis, &c. Exiui à patre, & veni in mundum. Iterum relinquo mundum, & vado ad patrem &c. Hac locutus ſum vobis, vt pacem in me habeatis: in mundo preſſuram habebitis; ſed confidite, ego uici mundum.* Cumque precatus eſſet patrem dicens, *pater venit hora clarifica filium tuum, vt omne, quod dediſti ei, det eis vitam aternam. Hac eſt autem vita aterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum &c. Manifeſtaui nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi, ego pro eis rogo, non pro mundo, quia tui ſunt, & omnia mea tua ſunt, & tua mea ſunt &c.* Venit trans torrentem Cedron in villam Gethſemani, vbi hortus erat, aſſumptiſque Petro, & duobus filijs Zebedei, cœpit contriſtari, & progreſſus puſillum, humique proſtratus orauit patrem ter, *Pater ſi fieri poteſt, tranſeat a me calix iſte, veruntamen non mea, ſed tua voluntas fiat:* dormientibus diſcipulis, quos increpauit, & eis dixit, *Vigilate, & orate, vt non intretis in tētationē.* Interea Iudas cum Dominum 30. argenteis Iudæis vendidiſſet, cum turba miſſa à Principibus Sacerdotum, cum fuſtibus, & gladijs adueniens acceſſit, & oſculatus eſt eum dicens: *Aue Rabbi*, cui ille, *Amice ad quid veniſti?* & accedentes miniſtri, cum prius interrogati: *quem quaritis? reſpondente*: Domino, *Ego ſum*, retrò non ſemel cecidiſſent, & Petrus ſtricto gladio ſeruo Pontificis auriculam amputaſſet, (quam Dominus illi reſtituit, dicens Petro, vt cōuerteret gladiū in vaginam ſuam) eum comprehenderunt, diſcipulis aufugientibus, & vinctum primum ad Annam Caiphæ ſocerum, adduxerunt, à quo de doctrina, & diſcipulis interrogatus cū reſpondiſſet, *Ego palam locutus ſum mundo, interroga eos qui me audierunt*, ab vno miniſtrorum, cui auriculam reſtituerat alapa percuſſus eſt, dicens: *Si male locutus ſum teſtimonium perhibe de malo; ſi autem bene, cur me cadis?* Deinde illum ad Caipham perductum cùm falſis teſtibus condemnare vellent, nec eſſent teſtimonia eorum cōuenientia; licet duo nouiſſimè depoſuiſſent, *Hic dixit, poſſum deſtruere templum Dei & in triduo readificare illud*, nec is quicquam illis reſponderet, Pontifex adiurauit illum dicēs, *Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis ſi tu es Chriſtus filius Dei?* & eo reſpōdente, *Tu dixiſti*, ſcindens veſtimenta ait: *Blaſphemauit, quid adhuc egemus teſtibus?* quid vobis videtur, & cunctis clamantibus: *Reus eſt mortis*, expuerunt in eum, & colaphis cædentes, palmas in faciem dederunt dicentes propheti̇za nobis

Io. c. 14. Quę Dn̄s diſcipulis poſt cęnā locutus eſt.

Io. c. 15.

Io. c. 16.

Io. c. 17. Oratio Dn̄i ad patrē poſt cęnam.

Io. c. 18.

nobis Christe, quis est, qui te percussit. Petrus interim, qui à longè cum Ioanne Dominum secutus fuerat, cum ab ancillis, & seruis interrogatus de Iesu ter illũ negasset, canẽte gallo, recordatus verbi Domini: *Antequam gallus cantet ter me negabis*, exiuit foras, & fleuit amarè. Mane inito à Iudæis concilio (in quo Iudas pœnitentia ductus retulit 30. argenteos dicens: *Peccaui tradens sanguinẽ iustum*, & abiens laqueo se suspendit) sistitur Pilato nihil respondens se accusantibus Iudæis, ita vt miraretur Præses (cum nec sibi responderet) & diceret: *Nescis, quia habeo potestatem crucifigendi, vel dimittendi te?* cui illi, *Non haberes in me potestatem vllam, nisi tibi datum esset desuper &c.* Cumque Pilatus diceret, se non inuenire in eo vllam mortis causam, illi clamare, & dicere cœperunt, qđ se Regem faceret, & Dei filium: quòd negaret censum dari Cæsari; quòdque vniuersum populum incipiens à Galilæa subuertisset. Missus autem ad Herodẽ tunc Hierosolymis existentem (qui Galilææ pĕrat, quique illum videre cupierat) cum neque signum, neque verbum vllum fecisset, neque ad accusationes respondisset despectus, vesteq; alba indutus remissus est ad Pilatum (illo, & Herode hac de causa reconciliatis) qui cum flagellatum, purpura indutum, & spinis coronatum eduxisset dicens: *Ecce homo*, ac populum interrogasset quẽ vellet dimitti Iesum, an Barabam latronem, isque à Principibus subornatus peteret sibi dimitti Barabam, Iesum verò crucifigi, lauans manus, & dicens: *Innocens ego sum à sanguine iusti huius*, respondentibus Iudæis: *sanguis eius super nos, & super filios nostros*, tradidit eis illum crucifigendum. Qui suis indutus vestibus cum crucem ferre non posset, in via coactus est Simon Cyrenæus illam tollere, ipse verò ad mulieres, quæ illum sequebantur flentes conuersus ait, *Nolite flere super me, sed super vos, & super filios vestros &c.*

Matth. c. 27.

Luc. c. 23.

Vbi ad Caluariæ locum peruentum est, cum vinum felle mixtum sibi porrectum bibere noluisset, vestibus (quas ministri partiti sunt, tunicam inconsutilem non diuidentes, sed cuius futura esset sortientes) exutus cruci affigitur inter duos latrones: quorum qui à dextris alterum increpans, aiebat: *Nos quidem digna factis recipimus hic autẽ quid mali fecit?* & ad ipsum Dominum in cruce pendentem, conuersus: *Memmento mei Domine*, (*inquit*) *dum veneris in Regnum tuum*, cui ipse, *Hodie mecum eris in paradiso*, Iudæis autem illum blasphemantibus, & ludentibus: *Vah qui destruis templum Dei, & in tribus diebus reædificas illud. Alios saluos fecit, seipsum saluum facere non potest &c.* ipse illis veniam precabatur dicens, *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*. Cum verò matrem, & discipulum, quem diligebat iuxta crucem stãtes conspexisset, dixit matri suæ: *Mulier ecce filius tuus*, deinde discipulo: *Ecce mater tua*, sitiens autem ait, *sitio*, & cum illi spongiam aceto plenam porrexissent, dixit: *Eli Eli lamma-zabatani?* militibus putantibus eum Heliam, qui sibi subueniret, inuocare. Cũque tenebræ factæ essent super vniuersam terram à sexta vsque ad horam nonam (quia velum templi scissum est, & monumẽta aperta, ex quibus multa SS. corpora surrexerunt, & petræ scissæ sunt,) & ipse dixisset: *consumatum est*, vbi hæc verba: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*, pronunciasset, expirauit. Cuius propterea non fregerunt crura, sicuti latronum nondum mortuorum fregerant; sed vnus militum lancea latus eius aperuit; ex quo exiuit sanguis, & aqua. Quibus visis Centurio ait, *Verè filius Dei erat iste*. Corpus à Ioseph ab Arimathia nobili decurione à Pilato petitũ cruce depositum, genibus & brachijs matris exceptum, sindone munda inuolutũ in monumento nouo in petra exciso, positum est adhibitis à Iudæis custodibus, & signato lapide, ne illud furarentur discipuli, & dicerent: *surrexit à mortuis*. Sed die altera cum Ma-

ria Magdalenæ,& M. Iacobi,& Salome emptis aromatibus,vt vngerent Iesum, venissent verò ad monumentum, illud apertum inuenerunt, & ingressæ viderunt Angelos Stolis albis indutos, qui dixerunt, *Iesum, quē quæritis,non est hic. Surrexit sicut dixit. præcedet vos in Galilæam &c.* quibus abeuntibus quidam ex militibus custodibus venientes in ciuitatem,quæ facta fuissent,Principibus Sacerdotum nunciarunt. Qui consilio inito, militibus copiosam pecuniam dederunt,vt dicerent, quòd ipsis dormientibus venerunt discipuli, & furati sunt illum;qui accepta pecunia,ita dixerunt, vt erant edocti: Dominus autem post resurrectionem multoties apparuit. Mariæ Magdalenę,duobus discipulis euntibus Emaum; quibus ille, *O stulti, & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ &c.* Petro & discipulis in vnū congregatis propter metum Iudæorum,ingressus ad eos ianuis clausis absente Thoma, & rursus post dies octo presente Thoma,cui cum his dixisset: *Nisi videro in manibus fixuram clauorum,& mittam manum meam in latus eius, non credam*, ostendit manus, & latus,dicens, *infer digitum tuum huc, & mitte manum tuam in latus meum, & noli esse incredulus,sed fidelis*, & cum is diceret: *Dominus meus, & Deus meus*,ait illi *Quia vidisti me Thoma credidisti;beati qui non viderunt,& crediderunt*,cum prius cōterritis illis,& existimantibus se Spiritum videre dixisset. In medio eorum, *Pax vobis,nolite timere;palpate & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet.* eos reprehendens, quod eis, qui viderant eum resurrexisse, non credidissent. Quibus rursus cum pacem dedisset,ait, *Accipite Spiritum sanctum:quorum remiseritis peccata,remittantur eis, & quorum retinueritis retenta sunt: ac euntes in vniuersum mundum prædicate Euangelium omni creaturæ qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit, signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur. In nomine meo, &c.*

Denique se illis ad mare Tiberiadis manifestauit, quando discipulis piscantibus nihilum per totam noctem capientibus ipse stans in littore ait: *Mittite in dexteram nauigij rete,& inuenietis*, & illi ceperunt piscium multitudinem, quā trahere non valebant, & post prandium ter Petrū interrogatus,an se plus alijs diligeret,ter ait, *Pasce agnos meos*, Cumque Petrus dicente ei Domino, *sequere me*, de Ioanne sciscitaretur, *Hic autem quid?* respondit. *Sic eum volo manere, donec veniam, quid ad te? tu me sequere*. Ex quibus verbis arbitrati sunt discipuli Ioannem non moriturum; quod tamen Dominus non dixit. Qui demum eos foras educens in Bethaniam,pollicitus se illis missurum Spiritum sanctum,sequi fore cum illis vsque ad consummationem sæculi,benedixit illis, & assumptus est in cœlum sedetque à dextris Dei, Illis ad prędicandum profectis Domino cooperante,& sermonem confirmante sequentibus signis.

Marginalia: Marc. c. vlt. cū alijs Angelū mulieribus locutū scribit Luc. c. 24. duos viros in veste fulgenti ait locutos mulieribus in monum. — Matth. c. vlt. — Luc c. 24. — Matth. c. vlt. — Matth. c. vlt. verba hęc data est mihi oīs potestas, & c. & *Euntes docete oēs gentes*, dicta discipulis in Galilęa ait. Io. c. vlt. — In Galilæa Dñs discipulis alias apparuit, iuxta Angeli pmissū, *Præcedet vos in Galilæā ibi eum videbitis*, & iuxta Matth. c. vlt. ī M. Galilęę, sicut inquit, cōstituerat illis Iesus. — Marc. c. vlt.

ANNOTATIO.

LOca itaque Dominicæ peregrinationis hæc (quantum ex Euangelio colligitur) sunt, Beethlem, vbi natus: Aegyptus, quò fugit apud Heliopolim aliquandiu commoratus; Nazareth, vbi vsque ad annum ferè 30. subditus parentibus vixit, Iordanis fium. vbi baptizatus; desertum, vbi à Sathana tentatus. Capharnaum, & mare Galilææ, vbi discipulos vocauit: Cana Galilææ. vbi ad nuptias aquam in vinū conuertit: Capharnaum rursus vbi vt plurimum habitauit, docuit, & plura edidit miracula: Vrbes omnes, & Castella Galilææ, in quibus Zabulon, Nephthalim, Bethsaida, Chorozaim, Tyberias, Genezareth & alia multa: vbi prædicauit, & curauit omnes infirmos, ac dæmoniacos: Decapolis regio, in qua Damascus Scythopolis Gadara, Gerasa, & alia, vbi decem leprosos mundauit, & Gerasa eiectos spiritus immūdos

Marginalia: Bethlem. — Ægyptus. — Nazareth. — Iordanis. — Desertum. — Capharnaū. — Cana Galil. — Chorozain. — Bethsaida. — Decapolis. — Gerasa.

dos misit in porcos: Capharnaum iterum, & Nazareth, vbi cum miracula edere non luisset, eum de montis supercilio præcipitare voluerunt. Chorozain, & Bethsaida, quas reprehendit, quod pœnitentiam non egerent; dicens mitius agendum cum Tyro, & Sydone, similiter, & Capharnaum, dicens mitius tractanda esse Sodoma: Genesara, vbi tactu vestimenti omnes sanauit ægrotos: Finis Tyri vbi Chananæā mulierem exaudiuit pro filia orantem: Mari rursus Galilææ, iuxta quod in monte sanat omnes claudos cæcos & alios infirmos, ac ex 7. panibus, & paucis piscibus pascit 4. milia virorum præter mulieres & pueros cum prius ad mare Tyberiadis S. M. hominum ex 5. panibus, & duobus piscibus satiasset, Finis Magedon, vbi accedentes Pharisæi volunt ab eo signum videre: Cæsarea Philippi, vbi interrogat discipulos suos: Quem dicunt homines esse filium hominis *M. Thabor, in quo transfiguratus est. Capharnaum rursus, vbi Petrus staterē in ventre piscis inuentum soluit pro se, & Domino, licet non teneretur. Regio trans Iordanem, vbi à Pharisæis interrogatur, si licet homini dimittere vxorem quacunque ex causa. Hiericus, vbi à Zachæo Principe publicanorum conuiuio excipitur, & exiens duobus cæcis visum restituit. Bethphage villa apud M. Oliueti vnde sedens super asina Hierosolymam solemniter ingreditur via strata vestimentis, & ramis palmarū, et oliuarum, quando ingressus templum eiecit vendentes & ementes, & claudos, cæcosque sanauit: Bethania, vnde rursus Hierosolymam, reuersus, ficulneam non habentem fructum arefecit. M. Oliueti, vbi de signo aduentus sui, & quando hæc erunt à discipulis interrogatur. Galilæa rursus, vnde Bethaniā ad suscitandam Lazarum iam quatuor dies in monumento venit habentem. Multoties autem Hierosolymam venit ex Galilæa per Samariam vbi Sichar, ad quam mulierem conuertit in medio existentem præsertim ad Pascha solemnitatem, & ad alias celebritates, ad quas in lege præceptum erat, vt quotannis ascenderetur Hierosolymā. Cœpit autem Dominus ascendere in templum Hierosolymā ab anno 12. ætatis. Gethsemani villa trans torrentem Cedron, vbi Dominus à Iudæis comprehensus, & Hierosolymam noctē perductus mane sequenti cruci affixus est, in Caluaria loco extra vrbem. Cum autem surrexisset, apparuit Mariæ Magdalenæ apud sepulcrum, duobus discipulis eūtib. Emmaū Ioanne Petro, & in vrbe vbi erāt discipuli congregati ianuis clausis propter metum Iudæorum bis, in Galilæa in monte, vbi Dominus discipulis constituerat, & ad mare Tyberiadis, ac demum, apud M Oliueti, & iuxta Bethaniam in Cœlum ascendit.*

Nazareth. Gensara. Tyrus. Mare Galilçç. Fines Magedon. Cçsarea Philippi. Regio trans Iordanem. Hiericus. Bethphage. M. Olíueti. Hierosolyma. Bethania. Samaria. Sichar. Gethsemani. Torrens Cedron. Caluaria. Emmaus. Mare Tiber.

Decembris die 25.

DE S. ANASTASIA ROM. MARTYRE.

ANastasia nobilissima Romana Prætextato viro clarissimo Gentili tamen patre, & Fausta matre Christiana nata est. Quæ animi, & corporis pulcritudine excellens in fide Christiana educata, & à Chrysogono viro pio eius mysteria edocta, à patre inuita Publio viro, quidem nobilissimo, at christianæ religionis hostis acerrimo, matrimonio copulata est. Ea viro in administratiōe rerū publicarum occupato, vili amictu induta vnica ancilla se comitante carceres obibat, pecunia custodibus data martyrum corpora curabat, lauabat pedes, & caput, pilos tondebat, vulnera sanabat cæteraque charitatis explebat officia. Confessores etiam pascebat, & fouebat. Quibus cognitis Publius illam in domestico carcere diu afflixit, quam tamen Chrysogonus, per litteras est consolatus; ac profecturus in Persidem vinculis constrictam reliquit in eam post reditum animaduersurus. Sed eo in itinere defuncto Anastasia libertati pristinæ restituta,

Publi⁹ christianç Relig. hostis acerrimus.

Inclyta, ac inaudita Anastasię erga martyres charitas.

Egregia ad Imp. Anastasiæ respõsio.

stituta, præstina officia pietatis resumpsit, bonis in vsus confessorum, & martyrum obsequia erogatis. Cum autem Diocletianus Aquileiæ S. Chrysogonum morte affecisset, & post illum Agapen, Chioniam, & Irenen sorores in Christi confessione cõstantissimas martyrio coronasset, illarum corpora Anastasia: quę eò Roma profecta fuerat, vt martyribus inseruiret, prætiosis vnguentis delibuta sepelijt. Quod cum alijs martyribus fecisset agones illorum deplorans deprehensa ad Florum Illyrici Præsidem perducitur, qui illam ob summã nobilitatem non ausus attingere, Romam ad Imp. misit. A quo interrogata: *Vbi aurum, vbi opes à patre tuo viro clarissimo, & Deorum amico relictæ.* respondit: *Si aurum haberem, quo Dei seruis subuenirem non me tibi tradidissem. Nunc, omnibus erogatis, quod reliquum est, corpus Christo meum offerre statui.* Quibus dictis Præfecto examinanda traditur; qui ea frustra blanditijs, & minis deterrita, Vlpianum Capitolij Pontificem actu pollẽtem accersit, vt Anastasiam aliqua fraude ad impietatem alliceret. Sed cum his nihil profecisset, quod illa ad omnia mala perferenda paratissima erat, dolens quod eius martyrium differretur, tridui inducias ad deliberandum martyri concessit: quæ ad Vlpianum: *Cogita iã hos tres dies elapsos esse: nam eadem animi, qua nunc, tunc erit sententia.* Triduo transacto: in quo mulieribus gentilibus deprauanda tradita omnis cibi, & potus expers fuerat, assiduè Deum precata, ne optata martyrij palma frustraretur. Vlpianus ad eam accedens quasi aliquid inhonestum attentaturus, repẽtè oculis captus est, nec multo post acrius doloribus cruciatus interijt. Anastasia autẽ liberata ea molestia, paulo post à Floro illyrici Præfecto, quod Theodotam matronam ad martyrium animasset, carcere diù inclusa, in Palmariam Insulam cũ 200. viris, & 70. fœminis deportata, ibi pedibus, manibusque extensis ad palos ligata. & circa eam ignẽ accenso martyrium consumauit, corpore eius ab igne nil læso, socijsque vario genere mortis interfectis. Passi est Anno Christi 300. 8. Kal. Ianuarij. *Ex eius Pass. à Sur. tom. 6. Pet. lib. 2. c. 2. Mombrit. tom. 1. & ab al. rel.*

Vlpianus im Anastasiæ illaturus oculis captus interit.

Theodata Matrona coronatur.

ANNOTATIO.

Corpus eius Troia in Apulia: vbi ea maximè colitur, quiescere fertur. Sur. nihil de eius deportatione apud eius Breuiatorem habet.

DE S. EVGENIA VIRGINE, ET MARTYRE Romana.

EVgenia Virgo Philippo Ægypti Præfecto Commodo Imper. patre, & Claudia matre Romæ nata est. Quæ cum patre Alexandriam profecta litteris, & philosophiæ operam dedit, ita vt annos 16. nondum nata, sapientissimos quosque superare videretur. Cum autem S. Pauli Apostoli Epistolæ ad eius manus peruenissent, easque legisset, vanitatem Deorum cępit cogitare, ac erga Christianam religionem affici. Vrbe aliquando egressa vnà cum Proto, & Hyacintho eunuchis, cũ monachos psalmos canẽtes, ac eum pręsertim versiculum. *Omnes Dij gentium Dæmonia Dominus autẽ Cælos fecit*, obuios habuisset, ijs verbis cõmora, cũ eunuchis de Dijs, & de Christianorũ fide pluribus differens, eos in suam sententiam traxit, vt falsò Deorum cultu reiecto, Christi fidem amplecterentur. Quare ipsa virili habitu induta, vt inter monachos reciperetur, vnà cum Eunuchis ad monasterium profecta ab Heleno episcopo vnà cum illis bapti-

Eugenia annorũ 16. omnium sapientissima.

Eugenia uirili induitur habitu, atq; inter Monachos recipitur.

baptizatur, (cum is S. Episcopus eo, omnes, qui essent, Deo reuelante nosset,) ac habitu monachali induitur. Cumque Eugenius appellaretur, ac in disciplina regulari proficiens omnes antecelleret, ita vt fama sanctitatis editis miraculis peruagaret, Melantia nobilis matrona Alexandrina opulentissima febre quartana laborans ad monasterium, in quo Eugenius moram trahebat porrexit, à quo oleo benedicto sanata recessit, ac tria uasa argentea ecclesiæ dono dedit. Qua liberalitate Eugenius allectus, cum aliquando Alexandriam profectus Melantiam visitasset, illa monachum virum suspicata, & eius amore capta, ad suæ libidinis assensum illum pertrahere conatur. At Eugenius ab ea incassum monita, vt eam cogitationem noxiam deponeret, elapsus monasterium reperit. Ipsa verò timens, ne eius impudicitia ab Eugenio detegeretur, illum præuenire decreuit. Quare multis comitata, Philippum Præfectum adit, sibique ab Eugenio monacho vim illatam in propria domo queritur, vix se clamoribus ab eius manibus euasisse dicens continuò Præfectus Eugenium adduci iubet. Quo præsente: *Hacine, inquit, sunt, quæ uos docuit Christus vester, matronas violare?*

Melantiam à febre quartana curat.

Melantia Eugenii amore capitur.

Melantia Eugeniũ coram Philippo Patre adulterij falsò accusat.

Eugenius verò ad hæc oculos humi defigens, ne attollens agnosceretur à patre, maiorem criminis suspitionem efficiebat. Cumque Melantia verbis, ac seruorum testimonijs vrgeret, Eugenius si succumberet, hanc calumniã Christianæ nomini obfuturam ratus, eam sic depulit, cum aliter non posset falsis cõuictus testibus. Nam veste à collo ad pectus discissa, se fœminam, non virum ostensione mamillarum omnibus mirantibus demonstrauit: ac ad Præfectum conuersa se Eugeniam eius filiam, esse, cur, & quando cum Eunuchis, & quo discesserit, ac vbi vixisset, aperuit, parentibus, & fratribus ad eius amplexus, & oscula ruentibus, & prælætitia cum tota penè ciuitate lacrymantibus. Interea Melantiæ domo de Cęlo tacta illa miserè cum omni eius familia igne consumpta est. Quo miraculo non modo parentes, & fratres Eugeniæ, sed & magna gẽtilium pars ad Christum conuersi baptizati sunt. Quibus Seuerus, qui Commodo successerat, & Præfecturam Philippo prorogarat, cognitis, successorem misit, qui illum nolentem Dijs sacrificare interficeret, Eo itaque martyrio affecto Eugenia Romana, cum matre, fratribus, & eunuchis redijt, vt ibi Christo Domino cum alijs virginibus vacaret. Cum verò Basillam virginem nobilissimam ad Christum perduxisset, ab eius sponso apud Imp. accusata Nicetij vrbis Prę- fecti iussu comprehenditur: à quo interrogata: *Quis te magiam sic docuit, ut tibi Dij magni etiam parere cogantur?* respondit: *si ita est, ut ais, cur tu eos Deos uenerariis, & non potius eum, in cuius nomine Dijs tuis impero?* Ducta verò ad Dianę templum, eique sacrificare iussa, cum Deo preces fudisset, subito terrę motum templum contremuit, Idolumque confractum est. Quod cum Imp. accepisset, illam saxo ingenti alligatam in Tyberim præcipitari iussit, sed illa diuinitus soluta, super vndas incedens ad ripam incolumis peruenit. Rursus autem cõprehensa, ac in ardentem fornacem iussu Imp. iniecta, cum in medio flammarũ inuiolata diu fuisset, in obscurissimũ carcerẽ sine cibo, & potu truditur, in quo cum cœlesti cibo recreata 10. dies fuisset, ad vltimum viua, & incolumis, pręter opinionem reperta, gladio percussa feliciter triumphauit 8. Kal. Ianuarij à Claudia eius matre in via Romana haud longè ab vrbe sepulta. *Ex vita à Metaph. scripta à Lipom. tom. 5. & à Sur. tom. 6. rel. ac ex lib. de uirg. Rom.*

Eugeni⁹ mamillarũ ostẽsione detegit innocẽtiam.

Agnoscitur à parentibus.

Philipp⁹ Pater Eugenię coronatur.

Templũ Dianæ terręmotu corruit.

In medio flammarũ illæsa manet.

ANNOTATIO.

Passus est An. D. 261. Dionysio Pont. Max. & Valeriano ac Galieno Imper. Ex Annal. Eccles. Cuius corpus in basilica SS. Apostol. una cum Claudia matris corpore quiescit.

Decembris die 26.

DE S. STEPHANO PROTOMARTYRE.

Cur Steph. lapidatus.

STephanus vnus ex ijs adolescentibus, qui Hierosolymis in lege erudiebantur, discipulus Gamalielis, Saulique coætaneus cum in Christum credidisset, post illius ascensum in Cœlum, & Spiritus Sancti aduentum ab Apostolis vnà cum alijs VI. Diaconus creatus est. Cumque esset plenus fide, & Spiritu Sancto, multaque signa faceret in populo, & aduersus fidei hostes disputabat in Synagogis Alexandrinorum, Cyrenensium, Libertinorumque ex Asia, & Cilicia illorum in odium concitauit, qui cum Sapientiæ, & Spiritui, qui loquebatur, in Stephano resistere non possent, ad calumnias confugientes falsos adhibent testes, qui se Stephanum verba blasphemiæ in Deum, & Moysen proferentem audisse dicerent. Licet autem Stephanus diuino illustratus lumine Christum, eiusque gratiam annunciare non desisteret, aduersariorumque proderet perfidiam, illi tamen ferina in eum rabie debacchantes, ne sanctissimi iuuenis, qui illorũ furori patientiam, inuidiæ beneuolentiam, odio charitatem, minis, terrorique vitæ contemptum opponebat, vocem vlterius audirent, in scelere obfirmati continentes aures suas ipsum extra ciuitatem eiectum, vestibus ad pedes Sauli, qui neci eius consentiens erat, depositis, lapidibus obruunt pro ipsis orantem, & dicentem: *Domine Iesu ne statuas illis hoc peccatum*, cum inter lapidum imbres diuina claritas, ei affulsisset, isque Dominum intuens dixisset: *Ecce video cœlos apertos, & Iesum stantem à dextris uirtutis Dei.* Cum autẽ genuflexus pro lapidantib. se veniam precatus fuisset, obdormiuit in Domino, corpusque non sine ingenti fletu à pijs viris in villa Gamalielis sepultum est. Quod cũ diu vnà cum corporibus: SS. Gamalielis Nicodemi, & Abibonis latuisset, Honorio & Theodosio Imperatoribus à Luciano Presbytero, (qui propè Hierosolymam habitabat) in somnis admonito inuẽtum in ecclesia in M. Sion honorificè conditum est: Inde Constantinopolim deportatum, Constantinopoli verò Romam Eudoxiæ (quæ martyri basilicam in eo loco, vbi passus est haud procul à porta, qua Cedar ibatur, posuit) opera apud S. Laurentium in eodem tumulo collocatum fuit. Eius reliquiæ multis in locis habentur, ac miraculis fulgent, in primis verò Neapoli in æde S. Gaudioso dicata vitrea asseruatur ampulla concreti sanguinis: qui dum 3. Nonis Augusti ipsa Inuentionis sacri corporis die festo sacra peragũtur mysteria, ebullire, ac si recens esset, ad hæc quoque tempora conspicitur. *Ex Act. Apostol. Beda in tract. de Act. Apost. Niceph. lib. 14. cap. 9. Hist. Baron. in Analib. Eccles. & in Annot. in Martyrol. Rom.* & alijs multis.

Os corpus inuentum.

ANNOTATIO.

Opinio de die mortis S. Steph. refellitur.

SVnt, qui S. Stephanum non 7. Kal. Ianuarij, qua die Ecclesia illius natalem colit, sed 3. Non. Aug. quo tempore eiusdem Inuentionem celebramus, lapidibus obrutum obijsse velint: Quorum opinioni tot SS. Patrum homilia Stephanũ die post Domini Natalis diem de hostibus triũphasse apertissimis verbis asserentiũ repugnat.

Cur

Cur verò die 3. Aug. eius inuentio (quæ 3. Non. Decembr. contigit, vt ex Luciani Presbyteri literis apparet) celebretur, & videtur causa, quod olim hac die lapidis vnius, quo S. Protomartyr percussus est, Anconam delati ob crebra miracula, quæ ad eum fiebant, commemoratio fieri consueuerat. qua de re in Martyrol. S. Cyriaci Romæ & apud Bedam hac die (vt notat Card. Baron.) fit mentio. Subsecuta itaque corporis Inuentione visum est illam eadem die, qua lapidem, recolere. Neque dicendum est, hanc esse translationis diem: nam prior translatio, quando Constantinopolim delatum est. 5. Kal. Octob. posterior, qua Romam portatum fuit, prid. Non. Maij, celebrata est.

Cur Inuẽtio die 3. Aug. celebretur.

DE S. MARINO MARTYRE ROMANO.

MArinus puer Romani Senatoris filius Carino Imp. apud Martianum vrbis Præfectum, quòd Christianus esset accusatus comprehenditur, ac cũ nollet Deos venerari miris afficitur cruciatibus. Nam loris dirissimè flagellatus, vinctus in custodiam traditur: postera die eductus in equuleio suspensus vngulis ferreis nulla nobilitatis, & ætatis ratione habita dilaceratur: deinde serræ ligneæ, ac machinæ lapideæ alligatus, ea machina diuinitus fracta, in scissã arborem immittitur: qua in duo diuisa in craticula subiecto igne extenditur plumbo liquato perfusus: verum igne subito imbre extincto, in sartaginem pice ebullientem iniicitur: at igne in rorem diuinitus conuerso liberatus feris obiicitur: à quibus nil læsus, leone collum leniter amplexante, pardo pedes lingente, parda verò, & tigre manus exosculantibus, in caminum ignis immittur: ex quo sequenti die extractus, absque vlla ignis læsione repertus est. Ad aram tandem Serapidis ductus, eique iussus immolare, statuam illius oratione, præsente populo contriuit. Quare nobilissimus adolescens nobilissimum martyrium gladio percussus compleuit 7. Kal. Ianuarij. Cuius corpus inter latronum corpora proiectum, cum subita orta tempestate inde lictores recessissent, à Theophilo Episcopo sepultum est. Martiano vermibus ex eius ore procedentibus extincto. *Ex Martyrol. Rom. Pet. in Cat. lib. 2. c. 6. Mombrit. tom. 2. Vincent. Bellouacen. in Spec. lib. 13. c. 38.*

Marin⁹ dirissimis torquetur suplicijs.

Leo collum amplexatur. Pardus pedes lingit. Tigris manus exosculatur.

Illæsus de igne exit.

ANNOTATIO.

PAssus est ann. D. 284. cum Carinus Occidenti. Numerianus Orientali præesset Imperio. Quibus seq. anno succ. Dioclet. Dalmata quondam Anulini Senatoris Libertus.

DE S. DIONYSIO PAPA.

DIonysius cuius patria ignoratur ex Monacho Pontifex S. Sixto II. An. sal. 261. Valeriano, & Galieno Imperatoribus subrogatur. His aduersus Hæreticos præsertim Sabellianos suo tempore exortos strenuè decertauit: Sabellium enim distinctionem diuinarum personarũ tollentem damnauit prius à Dionysio Episcopo Alexandrino damnatum, ac confutatum. Ecclesias Presbyteris diuisit, parochias distinxit, & Diœcesum terminos posuit. Sub eo Paulus Samosatenus Episcopus hęreticus Christum Dominum ante Mariam Virginem matrem non fuisse asserens in Concilio Antiochiæ habito damnatus fuit.

Dionisius aduersus Sabellianos strenuè decertat Sabelliumque damnat.

Paulus Samosatenus damnatur.

Zamam primum Bononiæ Episcopum ordinasse traditur. Cum Ecclesiæ annos 11. menses 3. dies 14. præfuisset, ac duabus ordinationibus mense Decembris habitis Presbyteros 12. Diaconos 6. Episcopos vero 7. per diuersa loca creasset. Scriptis duabus epistolis: vna ad Vrbanum Præfectum, alteram ad Seuerum Episcopum migrauit in pace 7. Kal. Ianuarij An. sal. 272. Aureliano Imp. *Ex Damaso, & Plat. ut Annal. Eccles.*

ANNOTATIO.

Damasus, & Plat. annos tantum 6. menses 2. Dionysio tribuunt, Panuin. in cronol. annos 10. & menses cum ex Epistola Synodica concil. Antioch. ad annũ 2 peruenisse constet.

DE S. ZOSIMO PAPA.

Zosimus natione Græcus post S. Innocentium I. Ecclesiæ præfuit An. sal. 417. Honorio, & Theodosio iuniore Imperatoribus. Cœlestium, & Pelagium, qui à concilio Carthaginensi, quod Peccatum originale inter alia negarent damnati ad ipsum venerant, cum ab errore noluissent recedere, licet sub dolè se Pont. Roman. corrigi paratos verbis profiterentur, rursus damnauit. Constituit ne quis ad Summum Pontificatum nisi per gradus Ecclesiasticos ascenderet. Tempora cuique Ordini Sacro præscripsit. Benedictionem Cærei omnibus Parochialibus Ecclesijs concessit, cum is in basilicis tantùm adhiberetur. Epistolam ad Episcopos Galliæ, Hispaniæ, & Africæ scripsit aduersus eos, qui per saltum ad sacerdotium ordinabantur; quod in epistola ad Hesychium Episcopum Salonitanum repetitur. Hoc Pontifice S. Augustinus plures ritus sacrilegos, & gentiles sustulit, veluti saltationes, *choreas*, conuiuia, in festis SS. Martyrum, & Teleptense concilium in Africa celebratum est.

Zosimus Cœlestiũ, & Pelagiũ damnat.

Cum Ecclesiam annum 1. menses 4. & dies 7. sanctè administrasset, creatis Romæ Presbyteris 10. Diaconis 4. & Episcopis per diuersa loca 8. migrauit in Cœlum 7. Kal. Ianuarij. Sepultus via Tiburtina apud S. Laurentium. *Ex Damaso. Plat. & Annal. Ecclesiast.*

ANNOTATIO.

Panuinus in Fast. Ecclesiast. Zosimum 3. annis totidem; mens. & dieb. 12. sedisse scribit sed obstat temp. calculus apud Baron. in Annalib.

DE S. THEODORO MANSIONARIO ECCLESIÆ S. Petri Romæ.

Theodorus Paulò ante S Gregorij Papæ tempora mansionarius Ecclesiæ S. Petri Apostoli inseruiens ministrabat, noctuque ad accendenda lumina, quæ oleij defectu, siue alia de causa extincta reperisset. Cum verò quadam nocte citius ad lumina iuxta ianuam instauranda surrexisset, atque sub lampade in gradibus ligneis de more staret, lumen refouens, repente S. Apostolus stola candida indutus in pauimento ei visus est dicens; *Colliberte quare tam citò surrexisti?* Quibus dictis disparuit. Theodorum verò tantus pauor inuasit, vt deficientibus corporis viribus, de strato suo per multos dies surgere non valeret. Qui tandem migrauit ad Dominum 7. Kal. Ianuarij. *Ex S. Gregorij lib. 3. c. 24. Dialog.*

S. Apostolus Colliberto apparet.

ANNOTATIO.

De hoc S. Confessore nullus præter Greg. loco cit. loquitur: neque eius vlla extat memoria præter quam in Martyrol. Rom. hac die.

DE S. ABVNDANTIA VIRGINE SPOLETANA.

Vide die 19. Ianuarij, in quem diem transfertur eius Festum.

Decembris die 27.

DE S. IOANNE APOSTOLO, ET EVANGELISTA.

IOannes Galilæus Zebedæi filius, & Iacobi maioris frater (quem D. Iesus plurimum dilexit, ita vt in cœna supra pectus ipsius recumberet, & Dominus moriens matrem suam illi commendaret, aliaque maioris erga eum amoris argumenta demonstraret) in Apostolum annum 22. natus electus est. Cum ipse in Apostolorum diuisione apud Sanctissimam Dei genitricem, quam sibi à Domino commendatam loco matris habebat remansisset, (tametsi sunt, qui scribant illi Asiam obtigisse, eoque cum ipsa Dei matre profectum Ephesi habitasse, & in tota Asia Dei verbum prædicasse) postremus Euangelium scripsit rogatus ab Asiæ Episcopis aduersus Cherinthum, & alios Hæreticos, maximè Ebionitas Christum ante matrem non fuisse asserentes, id quod causa ei fuit multa de diuinitate in Euangelio scribendi. Cum autem à Proconsule Asiæ vinctus Romam ad Domitianum Imper. missus fuisset, & teste Tertuliano in dolium feruentis olei iniectus apud Portam Latinam, illæsus exisset, ab eodem Imp. in Pathmon Insulam relegatus est; vbi scripsit Apocalypsim. Mortuo autem Domitiano, actisque illius ob eius nimiam crudelitatem rescissis Ephesum redijt sub Nerua, Asiæque Ecclesias iam pridem fundatas rexit. Ferunt Ioannem, cum concionem haberet, à Barbaris seditione commota captum, & ad Dianæ Templum, vt ei immolaret pertractum. hanc illis conditionem proposuisse, vt si Christi nomine inuocato Dianæ templum corruisset, ipsi in Christũ crederent, sin minus ipse Dianam veneraretur. Accepta conditione, Ioannes preces ad Deum fudit, statimque templo collapso statua Dianæ comminuta fuit. Cum autem ab Aristodemo Pont. magna seditio concitata esset, Ioannes illum adijt, rogans qua nam ratione animum illius placare posset: eo autem dicente se placatum iri, atque in Christum crediturum, si præparatum venenum biberet nulla læsione subsecuta, illud, quod ante Episcopatum duos capitis reos necauerat, signo crucis præmisso securus bibit, & mortuos præterea eodem veneno, hoc etiam petente Aristodemo, ad vitam reuocauit: quibus miraculis adeo manifestis Proconsul, & Aristodemus cum alijs permultis sacris mysterijs imbuti aqua salutari expiati sunt, plurima alia miranda effecisse Ioannem tradunt scriptores, ipsumque à conspectu nedum à colloquio Hæreticorum abhorruisse. Cum enim, vt de eo Irenęus scribit, Ephesi lauandi causa balneum ingressus Chorinthum quẽdam Hæresi infectum ibi conspexisset, re infecta mox recessit dicens, vereri se ne balneũ, in quo Cherinthus fidei hostis esset, concideret. Denique senio confectus, vt iam non posset vocem in plura verba contexere, quam in hæc: *Filioli diligite alterutrum*, (quando discipulis tædio affectis, & dicentibus: *Magister cur semper idem loqueris*: respondit illum dignam Ioanne sententiam: *præceptum hoc Domini esse, illudque solum si fiat sufficere*) ac ad Ecclesiam inter discipulorum manus tantum deferretur migrauit è vita Traiano Imp. apud Ephesum sepultus. *Ex Breu. Rom. D. Hieron. Baron. in Annal. ad An. D. 101.*

Io. ann. 22. elect. Apost.
Cum Sanctiss. Deipara remāsit.
Postremus scripsit Euangelium.
Vinctus Romam mittitur.
In doliũ olei feruentis missus illæsus exit.
Relegatur in Pathmon.
Redit Ephesum.
Io. Templũ Dianæ, & Statuam comminuit.
Venenum securus bibit, & mortuos veneno resuscitat.
Conuertit Pont. & Procons.
Abhorret à communione Hæretica.
Senio confectus migrat.
Sepelitur extra vrbem apud Ephesum.

ANNO-

ANNOTATIO.

Historia Adolescẽtis à Io. educato, & Episcopo cõmẽdato apud quos legatur.

Apocryphũ esse, quod Io. viuus in sepult. descenderit.

O Misimus breuitatis ergo illud de adolescente à Ioanne educato, & ab ecclesiarum visitationibus occupato cuidam Episcopo commendato: sub quo is ob nimiam viri indulgentiam adeo in peiora conuersus est, vt caput latronum effectus fuerit: quod cum Ioannes reuersus demum accepisset, egressus vrbe, perque solitudines illum quærens, tandem illum inuenit, quem fugientem secutus verbis blandis paternis eum ad se reuocauit, & ad pœnitentiam reduxit. Episcopum verò reprehendit, quod depositum male sibi seruasset. Id quod apud Clem. Alexandrinum, & Io. Chry. sost. legitur. Quod verò traditur Ioannem sibi sepulturam parasse, in eamque viuum flentibus discipulis descendisse, vestibus exutum, ac splendore cœlitus demisso amictum non amplius uisum fuisse sepultura humo desuper tecta, inter apocrypha, & inuerisimilia censetur; sicuti quod mortem non obierit, ad Antichristi tempora reseruatus.

DE S. ZOILO PRESBITERO AQVILEIENSI.

ZOilus presbiter Aquileiensis inter cœtera pietatis opera: quibus in persecutione Diocletiani, & Maximiani Imperatorum intentus erat, SS. martyrum corpora perquisita sepeliebat; in quibus S. Chrysogoni corpus in mare proiectum haud Diocletiani præsentis immanitatem veritus in propria domo tumulauit, caputque diligenter conquisitum, ac recenti sanguine conspersum, quasi ea die amputatum, inuentum corpori apposuit; cui mirabiliter copulatũ est. Cum verò iam vitæ terminus sibi instaret à S. Chrysogono, ei ante aliquot dies in somnis apparente denunciatus est. Qui lætus breui ex hac vita migrauit in Cœlum 6. Kal. Ianuarij, Aquileiæ sepultus. *Ex pass. S. Chrysog. Ex Tab. & monum. Eccles. Aquileien. de quo, et Pet. in Cat. lib. 6. c. 17. Paucis agit. & Mol. in addit. ad Vsuardum hac die Zoelum vocans.*

S. Chrysogoni caput recenti sanguine madẽs corpori mirabiliter copulatur.

Zoilus de obitu à S. Chrysog. monetur

ANNOTATIO.

EIus memoria in Aquileien. diœc. die 24. Ianuarij celebratur, in eum diem propter intercurrentia festa translata.

DE S. FABIOLA MATRONA ROMANA.

FAbiola clarissima fœmina, cum facto cum priore marito diuortio, ad secundas nuptias errore seducta transijsset, circa an. sal. 390. Siricio Pont. Maximo, ac Valentiniano, & Theodosio Imperatoribus, vbi iam secundus vir vita excessisset, publicam suscepit pęnitentiam: nam ante diem Paschæ tota fere inspectante Roma in basilica Lateranensi Episcopo Presbiteris, & omni populo ad tantam nobilissimæ Matronæ humilitatem, & deiectionem collacrymantibus, sparsum crinem, ora lurida, squalidas manus, & sordida colla submisit. Quæ prorsus in alteram mutata eos pœnitentiæ fructus fecit, vt summam sanctitatis laudem consecuta. Prima Romæ nosocomium: in quo pauperes præcipuè exciperentur, ædificauit. Denique cum Ieiunijs, vigilijs orationibus, officijs charitatis vitam ad extremum perduxisset, migrauit è vita 6 Kal. Ianuarij, circa an. sal. 400. Anastasio I. Pontif. Max. Cui S. Hieronymus rogatu Oceani Epitaphium composuit. *Ex Mol. in addit. ad Vsuard. Baron. in Annal.*

Fabiola egregium humilitatis, ac penitentiæ exemplum.

ANNOTATIO.

EIus laudes S. Hieron. prosequitur lib. 3. epist. 30. unde cæteri accepere.

Di-

Decembris die 28.

DE S. ROMVALDI ABB. TRANSLATIONE APVD FABRIANVM.

TRanslatio corporis S. Romualdi Abbatis, quod furtim Æsium delatum fuerat circa has dies. Ann. Domini 1481. Sixto 4. Pontifice actitata resistētibus Æsinis, quo minus restitueretur, tandem 7. Idus Februarij absoluta est, eo Fabrianum oppidum maximum, & clarissimum Piceni asportato, atq; in æde S. Blasij honorificentissimè collocato cum huiuscemodi inscriptione marmorea. DIVO ROMVALDO CAMALDVLENSIS ORD. AVTHORI MVLTA REI P. IMPENSA AB ÆSINIS RESTITVTO S. P. Q. F. SIXTO PONT. IV. S. D. P. DICAVIT M. CCCC. LXXXII. *Ex vita S. Romualdi. Ann. Domini 1605. Venetijs impressa.*

DE SS. MARTYRIBVS CALLISTO, FELICE, & Bonifacio Romæ.

CAllistus, Felix, & Bonifacius Romæ pro Christo martyrio coronati sunt, vt Beda, & Martyrologium Rom. habent. Cæterùm, quando, & quam necē passi sint, latet.

ANNOTATIO.

DE his Sanctis Martyribus, nihil amplius apud aliquem scriptorem legimus, præter id, quod apud Bedam, & Martyrolog. Roman. paucis adnotatum legitur, nec quidquam sciri potuit de corporibus, vel reliquijs eorundē: quod de alijs quāplurimis, vt nuda, & simplex restet illorum memoria.

Decembris die 29.

DE TRANSLATIONE S. AMBROSII MARTYRIS Ferentinatis patroni.

CVm corpus S. Ambrosij martyris extra Ferentinum conditum, diu ignotū fuisset, diuinitus in æde S. Agathæ; quo tempore Saraceni Campaniā populabantur inuentum, in vrbem ab excidio S. Martyris intercessione liberatam in ecclesiam S. Mariæ Maioris non absque prodigijs cæcis illuminatis, alijsque languentibus mirabiliter sanatis translatum est. Inde postremò, cum S. Martyr cuidam Archipresbitero in visu nocturno apparuisset, in Cathedralem basilicam SS. Ioannis, & Pauli loco ciuitatis sublimiore sitam delatum ibi honorificè 4. Kal. Ianuarij reconditum fuit; qua die populus Ferentinas ad translationis huius celebrationem voto se publico adstrinxit. In qua translatione; dū Sacræ reliquiæ reponerentur, quidam Archipresbiter, nonnihil ex illis nisus furari, ita brachio obriguit, vt non nisi errorem confessus, ac S. Martyrem precatus sanitatem recuperarit. Cum postea Episcopus de S. Martyris reliquiarum subdubitaret, duab⁹ puellis graui, & diutino morbo oppressis eas admouit; quibus repente sanatis dubitatio omnis sublata est. *Ex vita, & pass. eiusd. Ambrosij Romæ anno 1605. typis excusa.*

Archipresbiter furatus reliquias brachio obriget.

Puellæ duæ graui morbo oppressæ sanantur.

Decembris die 30.

DE SS. Martyribus Sabino episcopo, Exuperantio, & Mercello Diaconis, Venustiano Præside cum vxore, & filijs Spoleti, vide die 7. huius.

De

DE S. EVGENIO EPISCOPO MEDIOLANI.

Pro Officio Ambrosiano laborat.

EVgenius Episcopus Gallus Karolo Magno charus, cum Romam ad Apostolorum limina veniens Hadriano I. Pont. Max. ritum Ecclesiæ Mediolanensis in recitando diuino Officio abrogatum comperisset, rem hanc, quòd erga S. Ambrosium esset impensè affectus, molestissime ferens, adeò lacrymis, precibus, & rationibus effecit, vt à Pont. Romam patribus; qui triduò ante recesserant, reuocatis, reque denuo examinata, illa diuino iudicio definienda cōmitteretur. Vtroque enim Missali, & Breuiario, hoc est Gregoriano, & Ambrosiano clausis in ecclesia diligenter obserata dimissis, cum Deum omnes enixè rogassent, vt signo aliquo indicaret, quo vtendum esset, ecclesiam ingressi spectante pop. vtrunque apertum inueniunt, Gregoriani paginis per totam ecclesiam sparsis. Ex quo patres Gregoriano vbique, Ambrosiano verò in Ecclesia Mediolanensi duntaxat vtendum esse intelligentes, illud, vt hactenus, permiserunt. Eugenius in patriam reuertens Mediolani summa totius populi, & Cleri gratulatione exceptus est, ibique aliquot dies ad eorum preces demoratus, in morbum incidit: ex quo breui S. Episcopus diem vltimum clausit multo cum honore apud S. Eustorgium sepultus. Cuius corpus cum postea diu latuisset, ipso Eugenio reuelante detectum est. Cum enim matrona quædam nobilis, & pia ex diutina paralysi laboraret, illi S. Episcopus in somnis apparauit, ac vbi corpus suum lateret, indicauit, sanitatem ei pollicitus, si inde eleuandum curasset. Quod cum illa marito narrasset, isque ad locum perrexisset, ipsa è lecto surgere conata, ita se liberam sensit, vt post virum ad locum pedibus suis incedens peruenerit; vbi effossa terra corpus S. Episcopi cum eiusmodi inscriptione repertum est, HIC S. EVGENIVS EP. IACET. Quod in arca marmorea reconditum rursus venerationi Mediolanensibus esse cœpit. *Ex Bonino Membrit. tom. 1.*

Miraculo officium Ambrosianum approbatur.

Corpus suū reuelat.

Paralyticam sanat.

ANNOTATIO.

Error Membrit.

QVod Membrit. ait id Karolo II. factum, qui Papiam cœpit, corrigendum est. Nā qui Papiam cœpit Hadriano I. Pont. Max Karolus Magnus fuit: qui postea I. Imp. Occid creatus est.

DE S. LIBERIO EPISCOPO RAVENNATE.

LIberius Episcopus XIV. post Agapitum II. Rauennatem rexit Ecclesiam. Vir summa pietate præditus, & singulari eloquentia excultus: qua sæpius concionatus ad populum, eum à vitijs ad virtutes mirum in modum commouisse traditur. Cum verò nihil omittens eorum, quæ in optimo quoque pastore requiruntur, præclarè suo functus munere, deque Ecclesia Rauennate optimè meritus, tandem obiens 3. Kal. Ianuarij ad præmium euolauit. Cuius corpus primum in æde SS. Apostolorum Petri, & Pauli sepultum, nunc in æde S. Francisci in sacello crucifixi requiescit. *Ex Monum. Eccles. Rauenn. de eo Hieron. rub. in Hist. Rauenn.*

ANNOTATIO.

TRes à Panuin. in Fast. huius nominis Episcopi recensentur: Quorum 1. (vt idē autor est) 9. Episcopus Datho successit, Anno Domini 185. præfuitque annis 21. Alter 14. Agapito 2. anno Domini 349. subrogatus biennio vixit in episcopatu. Tertius post F[illegible] 17. anno Domini 374. & sedisse 4. annis traditur. Horum

rum duos Ecclesia Rauennas in numero SS. Epp. habet in Tab. ad vsum sacrum compositis adnotatos sunt autem 1. & 2. licet aliter Hieron. Rub. in sua Hist. sentiat.

DE S. RAINERIO EPISCOPO FORCONIENSI AQVILÆ.

RAinerius Episcopus Forconiensis, (quæ vrbs fuit Vestinorum: ex cuius, & Amiterni ruinis Aquila C.creuit) magna floruisse sanctitate traditur; Cuius corpus Forconio euerso Aquilam delatum, ibi honorificè reconditum colitur. *Ex Martyrol. Rom. & Tab. Eccl. Aquilana.*

ANNOTATIO.

ACta Rainerij Episcopi nondum videre licuit. Fuit, & Rainerius cōfessor Pisanus, cuius ibi memoria anniuersaria die 17. Iunij recolitur.

DE S. LIBERALE EPISCOPO CANVSINO, ET MARTYRE.

LIberalis, qui & Liberius, Eleutherio Senatore Rom. & Euanthia matre natus traditur. Qui sacris litteris eruditus à quodam Episcopo, ab eodem Diaconus, deinde Sacerdos ordinatur: nec multo post cum sanctitate, & miraculis coruscaret Episcopus Canusij consecratur. Cuius fama ad Hadrianum Imp. perlata, iussu ipsius Romam perducitur. Vbi inauditis, & exquisitissimis tormentis affectus est. Nam cum lectum ferreum, & craticulam ignitam, sartaginem, caminum ardentem, feras, & alia tormenta nō sine multorum Gentiliū conuersione superasset, denique cum Imp. ipse superatus videretur, nec quid in martyrem crudelitatis exerceret, haberet, eiusdem iussu capite plexus martyrium consumauit. 3. Kal. Ianuarij, cuius corpus ad suam sedem à Christianis delatum, ibi conditum fuit. *Ex pass. eiusd. m. s. & Pet. in Cat. lib. 2. c. 20.*

Liberalis varia, atque exquisita supplicia.

ANNOTATIO.

ACta S. Liberalis prorsus eadem sunt cum actis S. Eleutherij Episcopi Illyrici, qui Messana in Sicilia passus traditur, nisi quòd mater Eleutherij Antia, huius verò Euanthia nominatur. Ex quo quis facilè suspicari poterit Liberalem, et Eleutheriū vnum, & eundem esse Episcopum, cum eadem acta, ijdemque socij, & ijdem vtriusque persecutores sint. Immò cum etiam in nomine conueniant. Idem enim Liberalis apud Latinos, quod Eleutherius apud Græcos significat.

Liberalem Eleutherium esse conijcitur.

Pet. loco cit. Episcopum Cannensem facit, quem alij Canusij proxima Apulia vrbe asseruari, & coli tradunt.

DE S. NICEPHORO MARTYRE, ET PATRONO PETENENSI.

NIcephorus martyr Petenæ in Histria; cuius vrbis, & diœcesis patronus est, maximè colitur; cuius ibi corpus habetur. Idem in Aquileiensi Ecclesia, & tota illius diœcesi celebratur in eiusdem ecclesię Tabulis adnotatus hac die. *Ex Tab. Eccl. Petenen.*

ANNOTATIO.

ACta nondum uidimus; nec sibi, aut alibi, & quando passus sit à quoquam accepimus.

De

DE S. CRICHINO EPISCOPO VERONENSI.

Crichinus Doctor appellatus.

CRichinus, siue Cricinus Episcopus II. Veronæ S. Euprepio successit. Is ob multiplicem rerum præcipuè diuinarum notitiam doctor appellatus, in eam maximè curam incumbere uisus est, vt singulis veræ pietatis, & virtutum documenta præberet, ac multas Christo animas lucrifaceret. Quod, cum diu Ecclesiæ suæ præfuisset, egregiè præstitit. Obiens autem diem 3. Kal. Ianuarij magnum sui reliquit ciuitati Veronensi desiderium. Cuius corpus hodie in basilica S. Proculi apud S. Euprepium conditum est. *Ex monum. Eccles. Veronen. & lib. Aug. Valerii ep. & Card. de Epp. & SS. Veronens.*

ANNOTATIO.

TRaditur obiisse, an. sal. 72. si si diu vixit in Episcopatu, vt dictum est, & S. Euprepius etiam multos annos præfuisse dicitur, videtur vlterius vitam protraxisse.

DE S. NICEPHORO MARTYRE PATRONO PETENENSI.

Patria Nicephori quæ.

NIcephorus adolescens Thessalonicæ ad Christum conuersus Valeriano, & Galieno Imp. cum Sapritio Sacerdote magistro plurimùm in ieiunijs, orationibus, eleemosynis, alijsque pijs operibus proficeret, ita dęmone instigante, cępit à magistro odio haberi, vt rectis oculis ab illo iam non aspiceretur. Cũ autem Sapritius: quòd Christianus esset, delatus fuisset, nec detrusus in carcerẽ minis, vel promissis, vt Deos veneraretur, adigi posset, ad illum sæpius venit Nicephorus, veniam, si se offensum putabat, & benedictionem impetraturus; Sed frustra: nam in re hac sic illi cor Diabolus obstrinxerat, vt neque lacrymis adolescentis moueretur. Cumque ad mortem duceretur, Nicephoroque in via genuflexo, & cum fletu veniam, & benedictionem petente nec parcere, nec benedicere voluisset, in alterum mutatus, cum iam decollãdus esset, carnificem orat, ne se obtruncet Dijs immolare paratum. Quod Nicephorus cernens, vbi Sapritium frustrà ad resipiscendum hortatus fuisset, ministros rogare cępit, vt se supplicio afficerent, quod Sapritio decretum fuerat. Illi verò iuuenem ab huiusmodi concilio abducere conati rem ad Præsidem deferunt; Qui Nicephorum nullis verbis deterritum, fustibus cædi, & in catasta extendi iubet, & post dira verbera, cum excarnificatus, & fractis ossibus constantior euaderet, capitalem præcepit subire sententiam, eo itaque tertio Kal. Ianuarias capitis abscissione ad cęlum transmisso, corpus à Christianis honorificè sepelitur. Quod postea Constantinus Magnus naui cum luminibus, Clericis comitantibus, imponens, ibi basilicam, quæ Cathedralis esset, ædificari iussit, vbi corpus martyris naue sponte sua impellentibus ventis delata, conquieuisset. Quæ cum ad Liburniæ, & Istriæ, littora appulsa esset, Petenamque aduerso flumine sacra pignora deportasset, ibi ecclesia Episcopo donata extructa fuit, in qua S. Nicephori corpus adhuc vsque tempora religiosè asseruatur, & colitur. Is enim non vrbis illius tantùm, sed & totius dięcesis tutelaris est, & patronus. *Ex monum. Eccl. Petenen. & ex hist. Istriæ à Nicol. Manzolo. I. C. Iustinopolitano nuper conscripta, & edita.*

Exemplũ tremendum.

Nicephorus se sponte decollandũ offert.

Corpus Petenam diuinitus delatum.

ANNOTATIO.

Acta in nonnullis corrigenda.

MOnumenta, ex quibus vita martyris excerpta est, nonnulla egent emendatione; præsertim cum vrbem, in qua passus est Sablonicum vocent, & Constantinum Magnum Imperio an. sal. 304. successisse contineant; cùm ad annum prad. Diocl. &

Ma-

Maximianus adhuc imperarent; vel certè Imperium Constantio, & Galerio eodem anno tradiderint. Quod verò inquiunt Petenam Pentapolim prius appellatam, eiusque Episcopatum iam tum à Constantino Magno cœpisse, ipsi viderint: cum de re hac nihil apud graues authores legeremus.

DE S. IOCVNDO EPISC. AVGVSTÆ PRÆTORIÆ.

IOcundus Campis castro Agri Augustensis honestis, & pijs parentibus ortus à puero litteris, & moribus excultus, adolescens S. Grato Episcopo traditur erudiendus; cuius & obsequentissimus discipulus, & comes fuit. Nam illū Romam, & inde Hierosolymam vsque ad caput S. Ioannes Baptistæ asportandum comitatus est. Cum vero Augustam reuersi fuissent, Gratus paulò post, laboribus, & annis confectus ægrotauit. Ex qua ægritudine cum breui sibi hinc migrandum esse intelligeret, clerum accersit, illique Iocundum successorem suum proponit. Quem cum omnes quanta doctrina religione pietate morum elegantia, vitæ integritate, & prudentia, ac alijs virtutibus præstaret optimè nossent, post Grati decessum haud grauatè, sed summo canonicorum consensu: licet reluctantem elegerunt. Qui suscepto pastorali munere, illud summa vigilantia cœpit exercere, curæ pauperum, diuino cultui, gregique pascendo summopere intentus; cum Diœcesim visitaret, illud præcipue post ecclesiarum cultum accurabat, vt idolatriam euerreret errores tolleret, & vitia emendaret. Cum itaque assiduis orationibus, concionibus, vigilijs, alijsque sanctis exercitationibus diu Ecclesiam suam, quasi vineam excoluisset, tandem à Domino ad præmium euocatus 3. Kal. Ianuarij obdormiuit non sine ciuium lacrymis, & mœrore. Cuius corpus in ecclesia Cathedrali cōditum miraculis fulsit: In quibus illud memoratu dignum, quod cum Ann. sal. hum. 1449. die 7. Augusti flumina ex nimia imbrium copia ita exundarent, vt in innumera hominū iumentorumque multitudo in valle apud Augustum in summo, manifestoque submersionis esset periculo, non prius caput S. Iocundi eò processione delatū est, quam aquæ recedere visæ sunt; sed & illud mirum quoque accidir; quod cum aliquot ne mergerentur, arborem proceram conscendisset, iamque aqua excrescens penè arborem submersura esset, statim vt sacrum Iocundi caput accessit, aqua arborem deserere cœpit, illiq; descendentes periculo subtracti sunt. *Ex eius vita M.S. ac ex vita S. Grati.*

Gratus Iocūdū clero sui successorem proponit.

Aquæ exundantes ad Caput S. Iocundi eò asportatum recedere visæ sunt. Arboremque proceram deserere cœpit.

ANNOTATIO.

ACta præcipua huius S. Episcopi non extant. Vita enim ipsius ad nos transmissa potius est sermo, quam vita ex communibus, non ex proprijs contextus. Ex quo nos hanc qualemcunque vitam compendio decerpsimus.

DE B. GERARDO CONFESS. ORD. MINORVM APVD Valentiam.

VAlentiæ Op. Liguriæ, quod olim Forum Fuluij appellatum est, Beati Gerardi Ord. Minorum viget memoria. Is in eo oppido natus annos 14. cōtra propinquorum voluntatem, vt vxorē accipere, hortantiū, peregrinatus

in

in solitudine propè Romam aliquandiu Deo mira abstinentia inseruijt: quod & apud Neapolim cum fecisset, in Siciliam profectus ibi in M. Eryce vsque ad ann. ætatis 11. solitarius vixit. Inde in Ord. Minorum cooptatus mirum in modum in obedientia, humilitate, & cæteris virtutibus profecit. Qui Randacij culinæ præpositus, cum orationis dulcedini intentus in die Resurrectionis Dominicæ cibos Fratribus parare oblitus esset, ab Angelis prandium paratum repertum fuit; cum is excusans Dominum prouisurum dixisset. Panormi vitream ampullam à nouitio Missæ inseruienti perfractam restituit. Quod etiã præstitit, cum coram Guardiano ciathus quo ægrotis potum ministrabat, in terram sibi elapsus confractus fuisset, & cum puer amphoram vino plenam fregisset. S. Ludouicum Episcopum Tolosanum mirificè coluit, ad cuius inuocationem mira quædam circa ægrotos operatus est. Spiritu prophetico etiam clarus multa, quæ sic euenere, prædixit. In eius obitu, cum de more campanæ pulsarentur, ruptis funibus, sonitum edere non cessarunt; & ex illius corpore suauissimus odor efflabatur tota penè ciuitate ad rei nouitatem confluente, ac aliquot ægrotis & corpore læsi ad sacri corporis contactum mirabiliter sanatis. Obijt Panormi An. sal. hum. 1545. in sacello S. Ludouici Episcopi, in quo orare solitus erat, sepultus, innumeris per tempora dæmoniacis ad eius tumulum liberatis. *Ex Chron. Ord. Min. parte secunda lib. 9.*

Annorum 40 Ordiné Min. ingreditur.

Angeli, pro Fratribus cibos parant.

Vasea uitrea fracta sæpius restituit.

Spiritu proph. præditus.

In morte cãpanę sonant, & corp. odorem suauem mittit.

Obijt Panor.

ANNOTATIO.

IS non modo Panormi in Sicilia: sed etiam Valentiæ prædictæ, vbi natus est, venerationem habet. Non tamen officio colitur Ecclesiastico.

Decembris die 31.

DE S. SILVESTRO PAPA.

SIluester Rom. Rufino, & Iustina nobilibus parentibus ortus, à prima ætate Cyrino Presbytero operam dedit; cuius doctrinam, & mores egregiè imitatus 30. annũ agens Presbyter S. Rom. Ecclesiæ à Marcellino Pont. creatur. Quo in munere cum omni laude clericis alijs antecelleret S. Melchiadi in Pontificatu Ann. sal. 313. & 8. Imperij Constantini Magni sufficitur. Cui Imper. cum curandæ lepræ causa medicorum consilio ex infantium sanguine balneum pararetur, SS. Apostoli Petrus, & Paulus in visu apparentes, præcipiunt, vt omissa impij balnei immanitate, Siluestrum in Soracte latitantem accerseret, à quo salutari lauacro curatus, in omni ditione Imperij Rom. templa christiano more ædificari imperaret, & sublatis inanium Deorum simulacris, vero Deo cultum adhiberet. Constantinus cœlestibus monitis obtemperãs, Syluestrum diligentissimè conquisitum vocat: à quo Apostolorum Imagines recognoscens, Baptismo suscepto sanatur, & ad tuendam, propagandamque Christi religionem inflammatur; multis auctore Siluestro basilicis ædificatis, quas sacris imaginibus ex auro, & argento, donisque, & amplissimis muneribus, prædijs etiam attributis exornauit, facultate etiam christianis data vbique publicè templa extruendi. Hoc Pont. duo concilia habita sunt: Nicænum, (φ Magnum & I. cognominatur) vbi præsidentibus eius legatis, præsenteq; Constantino, & 318. Episcopis catholica fides Ario eiusque sectatoribus condemnatis explicata est: quam synodum petentibus patribus illius confirmauit: & Roma-

Constãtinus Imper. lepræ morbo laborat.

A Siluestro baptizat. sanatur.

Duo cõcilia Siluestri tempore habentur.

Arius damnatur.

Salutaria Siluestri decreta.

Romanum, in quo præsentibus 284. Episcopis rursus Arius condemnatus est. Multa Ecclesiæ Dei vtilia constituit: in his vt chrisma à solo Episcopo conficeretur: vt Presbyter chrismate summum baptizati verticem liniret: vt Diaconi dalmaticis, & palla Linostima ad læuam in ecclesia vterentur: vt in lineo tantũ velo sacrificium conficeretur. Præscripsit tempus omnibus sacris Ordinibus initiatis singulos ordines exercendi, antequam ad altiorem ascenderent gradum: vt laicus clerico non inferret crimen: nec clericus apud prophanum Iudicem causam diceret: reliquos Hebdomadæ dies præter Sabbati & Dominici, Feriarum nomine appellari voluit, vti antea vocari cœperant, vt clerici hinc intelligerent, se cæterarum rerum cura abiecta, vni Deo vacare debere. Huic cœlesti prudentiæ insignis vitæ sanctitas, & benignitas in pauperes perpetuò respondit. Prouidit enim, vt clericis copiosis egentes coniungerentur, & Sacris virginibus necessaria suppeditarentur. Ferunt eum draconem in speluncam apud M. Tarpeium, qui noxio halitu homines præcipuè infantes interficiebat, obstructo, & obsignato speluncæ ostio extinxisse. Et Iudæos publica disputatione coram Constantino, & Helena eius matre conuicisse, cumque impossibile illi assererent, vt Christus vnica persona in duabus naturis subsisteret, ac secundum vnam tantum passus fuisset, id non esse impossibile manifestis exemplis demonstrauit vestis purpureæ, qua scissa non tamen scinditur color, solaris radij, qui arbori illustratæ iungitur, nec tamen secta arbore secatur, & cum res sordidas illustrat, haud tamen ipse sordidus redditur. Cum autem quidam eorum taurum afferri ferocissimum iussisset, magiaque subito necasset, Siluester exultantibus Iudæis, non sine populi magno applausu, ait, vt quemadmodum taurum necauerat, ita redditiuum faceret, ijs verò id fieri posse negantibus, ipse continuò fusa oratione, his verbis vsus excitauit illum: *si Iesus Christus, quem ego prædico, verus Deus est, de Virgine natus, surge protinus, & abiecta feritate consiste:* qui agno mansuetior illicò surrexit omnibus stupentibus, ac ipsum nefandum Iudæos superatos cõclamantibus. Deniq; S. Pontifex, cum annos 21. mẽses 10. diem 1. vixisset in Pontificatu, ac in 7. ordinationibus mense Decembri creasset Presbyteros 42. Diaconos 25. Episcopos 65. obdormiuit in Domino sepultus in cœmiterio Priscellæ via Salaria. *Ex Breu. Rom. Metaph. à Sur. & Lipom. relato, ac ex Annal. Eccles. præter Damas. in Pont.*

Siluester in mõte Tarpeio draconem extinguit.

Iudæos corã Imp. & Helena cõuincit.

Taurum ferocissimum necatũ iterũ ad vitum reuocat.

ANNOTATIO.

Constantinum à Siluestro baptizatum An. D. 324. Pontif. Siluestri 11. Imperij verò 19. Annal. Eccl. vt apud Baron. tradũt: sed cũ multò ante ann. D. 312. Imperij sui 7. post deuictum signo Crucis Maxentium reb. Christianorum Constantinus fauere cœpisset tot rescriptis, & edictis, quæri potest. Cur Siluester in M. Soracte latitaret. Baron. respondet, quòd cum Constantinus rescriptum de Haruspicib. consulendis, quod prius vetuerat, dedisset, fortè Gentiles in ipsum Siluestrum insurrexisse, eumque vrbe egressum in eo M. Latuisse, seu quod Constantinus immemor beneficij ad auitam religionem rediisset, & propterea à Deo lepra percussum esse, quòd rursus ecclesiam à Gentilibus premi permitteret: cum tamen appareat Cõstantinum res Christianorum semper curasse, ex sacris hist. tametsi Zosimus, & alij variè de Constantino scribunt ante susceptum Baptismum, vt de re hac difficile sit iudicium ferre.

maiore suo nomine dicata honorificentissimè condita est. *Ex antiquis Cod. M.S. à quib. Sur. tom.6. accepit. De qua prater Adon. & Pet.lib. 2. c. 24. etiam Mombrit.tom.1.*

ANNOTATIO.

Passa est anno D. 275. vt Baron in Annal. Eccles. mem. Eutychiano Pont. Max.

DE S.BARBATIANO PRESBYTERO RAVENNÆ.

BArbatianus Presbyter Antiochenus cum Timotheo Presbytero Romā venit, ibique in cœmeterio Callisti demoratus miraculis coruscare cœpit: nā Placidiæ puellæ difficili morbo oculorum laboranti sanitatem impertiuit: & Calogerum Valentiniani Imp. seruū, qui in scalæ descensu pedibus lapsus cōfractus fuerat, signo Crucis sanauit, cæco lumen restituit. ob hæc, & alia signa Romæ patrata à Galla Placidia Augusta Valentiniani matre secum Rauennā deducitur. Vbi cum eius hortatu Placidia templum D. Ioanni Euangelistæ augustum excitasset, precibus impetranit, vt S. Euangelista Pontificali habitu indutus illud dedicaret: qui disparens sandalium dextri pedis eidem Augustæ reliquit. In eo templo Barbatianus Deo diu famulatus multis prodigijs claruit. In ijs filium viri clarissimi à Strumis signo Crucis liberauit: Theodoram matronam illustrem à fluxu sanguinis curauit, cumque illa Barbatianum nonnunquam visitaret, Vrsicius maritus zelotypia correptus illum in ecclesia orātem adoritur; sed districto gladio manus illi continuò aruit, ipseque factus immotus, nec brachium, quod percussurus sustulerat, deprimere, neque inde abire, neque loqui poterat donec a populo ita deprehensus scelus suum confessus à S. Viro liberatus est. Demum in morbum incidens, breui cessit è vita pridie Kal.Ian.à S.Petro Chrysologo in eadēæde S.Ioannis tumulatus, postea in æde Vrsianum translatus. *Ex monum. Eccles. Rauenn. De eo Sur. tom. 6. Pet.in cat.lib. 2.c.23. Hieron. Rub. lib.3. Hist. Rauenn. & al.*

Barbatianus puellam oculorum dolore laborantē sanat.

Calogerum lapsu confractum integrè restituit sanitati.

S. Ioannes Euangelista tēplum consecrat.

Barbatianus à strumis quēdā liberat.

Theodoram à fluxu sanguinis curat.

Vrsicius. S. districto gladio adoriens manu, ac brachio arefacto nec abire nec loqui valet.

ANNOTATIO.

VAlentinianus Imp. sub quo S. Barbatianus vixit 3. fuit: qui cum Theodosio iuniore imperauit, diu Rauenna, & quandoque Mediolani commoratus. Primus enim cum Valente fratre 12. ferè annis Imperium tenuit, obijtque An. D. 375. II. annis 17. partim cum Gratiano partim verò cum Theodosio seniore, decessitque An. D. 392. 3. annis 30. partim cum Theodosio iuniore, partim cum Marciano, ac obijt an. D. 454. quod ad maiorem historia notitiam inuenisse volumus.

DE S. IVSTINO PRESBYT. APVD FORCONIVM.

IVstinus Presbyter Sipontinus SS. Florentij, Felicis, & Iustinæ comes, cum ijs ex Apulia in Vestinorum fines veniens apud Forconium apud Aquilam consedit, cum verò illi à satellitibus Imperatorum Roma missis comprehensi, postea martyrio affecti fuissent, ipse in M. proximum fuga elapsus, abeūtibus persecutoribus SS. Martyres ad M. Offidij radices sepelijt. Ipse verò cum diu Deo orationibus, ieiunijs, sacrorum administratione deseruisset, annum 84. natus migrauit in Cœlum pridie Kal. Ianuarij in villa Offidia apud dictum M. Sepultus. *Ex Gest. & pass. S. Iustina Virg.*

ANNOTATIO.

Legimus alibi illum apud Forconium sub Maximiano Imp. martyrio coronatū fuisse.

FINIS.

SS. VITÆ QVÆ AD NOS TARDIVS transmissæ suis apponi locis non potuere.

Die 11. Ianuarij.

Gen' S. Alex.

Ob fidē cath. interficitur.

Vbi eius corpus.

ALexander Firmanus patria ex Sinigarda familia fuisse traditur: qui factus Ecclesiæ Firmanæ Episcopus ab hostibus fidei Catholicæ haud procul ab vrbe in via, quæ ad cœnobium S. Sauini ducit ob eiusdem fidei defensionē interfectus martyrio coronatus est: cuius corpus in Basilica Metropolitana in arca marmorea conditum quiescit, vbi epitaphium litteris Longobardicis scriptum hoc legitur. HIC IACET RECONDITVM BEATISSIMVM CORPVS GLORIOSI MARTIRIS, ET EPISCOPI ALEXANDRI. Cuius memoria 3. Idus Ianuarij Firmi celebratur, prout in Rom. Martyrol. adnotatur. *Ex monum. & tab. Eccles. Firmanæ.*

ANNOTATIO.

Acta S. Alex. quare non extent.

QVa diximus de S. Alexandro ex tab. & antiqua Eccles. Firmanæ tradit, accepta sunt, nullis scriptis de eius gestis, sicuti nec aliorum SS. extantibus: qua vrbe sub Frid. I. Imp. incensa perijsse feruntur, vti in Annot. S. Philippi Ep. & mart. eiusd. vrbis, & S. Adami Ab. indicauimus.

12. Februarij.

DE S. SISINNIO EPISC. TEI APVD TORCELLVM.

Patria S. Sisinnij.

Ieiunat, vt S. Nicolaus.

Granaria ab eo ī vsus pauperū vacuata diuinitus replentur.

Fit Eps Tei.

Presbyterum & filiū viduæ oppressos à Dæmone liberat.

Quot annos vixit in Episcopatu.

Dies obitus celit* illi denunciatur.

Reuersus in patriā bonis distributis obijt.

SIsinnius Romano Imper. Smyrnæ Eutychio & Euthychia pijs parentibus, qui steriles Ephesum profecti Diuo Ioanni Apostolo, vt prolem suscipe-rent, preces, & vota persoluerant. Ortus ab infantia ieiunium ter in hebdomada, vt S. Nicolaus seruauit. In litteris præsertim diuinis instructus opera misericordiæ egenos, pupillos, & viduas suis facultatibus sustentans prosequebatur. Missus à patre in villam, quo tempore fames per eas regiones inualuerat, frumenta omnia paterna pauperibus distribuit. Quod cum pater ab œconomo accepisset, eò profectus granaria, vt prius diuinitus repleta aperiens inuenit. Fama itaque sanctitatis Sisinnij peruagante mortuo Cyrillo Tei Episcopo illi licet iuuenis à Theodoro Archiep. Ephesino subrogatur Epūs. Qui inter alia, quæ plura operatus est, miracula Leontium Presbyterum à Dæmone 8. annos obsessum, vt neque linguæ officio fungeretur, in festo Natiuitatis D.N.I.C. dū cuncto populo adstanti pacem annunciaret, liberauit. Quod cum Euphemia vidua nob. audisset, filium suum 14. ætatis annum agentem à Dæmonio dudū oppressum ad S. Episcopum attulit, cum lacrymis prostrata opem illius implorans. Qui cum obsesso ecclesiam ingressus, ac triduo in ea clausis ianuis demoratus preces Deo fudisset, illum incolumem matri restituit. Vixit in Episcopatu annos 24. quibus exactis cum in ecclesia horas de more persoluisset, vocem se ad supernam ciuitatem vocantem audiuit. Quare cum populum, & clerum ad se quocari iussisset, & ad eos concionem; in qua salutis monita plurima reliquit, habuisset, qua die, & quo loco ad Deum migraturus esset aperuit. Cumq; ab eis non sine ingenti omnium quasi patrem amittentium fletu discedens in patriam reuersus esset, reliquis bonis pauperibus distributis 16. Kal. Martij cessit è vita. Cuius corpus postea Torcellum delatū in Ecclesia Monialium S. Ioānis honorificè conditum est. *Ex vita eiusd. M.S. penes Moniales predictas existente. In qua aliquot post mortem illius apparitiones, & miracula continentur.*

AN-

ANNOTATIO.

A multis Epus Altinas fuisse putatur: qui si acta ipsius vidissent opinionem mutarent. Quo autem corpus illius Torcellum peruenerit nondum scire potui. Celebratur illius memoria etiam die 14. Iulij, qui dies translationis esse videtur.

Die 27. Martij.

DE S. ADALPRETO EPISC. TRIDENTINO, ET MARTYRE.

ADalpretus Eberhardo Epo Tridentino vita functo subrogatur: cui Friderico Imp. cognomento Aenobardus, quae Conrhadus Imp. Ecclesiae Tridentinae donauerat, Garda ad Benacum lacum op. adiecto confirmauit. Cũ aũt ciuitas Tridẽtina varijs motib. exagitaretur, & armis à Castrobarcis Lagarinã valle, oppidaq; & arces ad vtranq; fluminis ripã tenentib. expeteretur, S. Eps vt afflictae patriae opem ferret, & ecclesiae loca ab hostib. inuasa recuperaret, manu ex Marchia Taruisina, & ex Veronensibus, quibus, vt obsequẽtiores eos haberet, Gardam in feudum concesserat, collecta illis occurrit. Verũ Castrobarci cum multos ad Epi Tridentini tutelam in armis esse cernerẽt, illi insidias struere coepere, cumq; in valle praedicta apud Roboretum Op. per dolum hasta trãsfixum è medio tollunt. 6. Kal. Aprilis Anno post Christum natum 1181. non impunè: nam breui quasi diuino icti fulmine ex fęlicissimo statu in aerumnosissimũ prolapsi tanti sceleris poenas dedere. Adalpretus aũt, cum pro patria, & religione occubuisset, in D. Vigilij templo conditus, & inter Beatos relatus ab Ecclesia Triden. cui annos 20. praefuit die praedicta colitur. *Ex monum. Eccles. Tridentina, & ex Pintio lib. 2. Hist. Trident.*

Quo tẽpore Adalpretus Epatũ inijt. Garda Op. à Frid. Imper. Adalpreto donatum. Castrobarci Tridentum, & loca Eccl. inuadunt. Garda Veronensib. in feudum datur. S. Eps ab hostib. per insidias transfigitur. Castrobarci ob iterfectũ Epm breui vltionem diuinã sentiunt. Adalpretus inter SS. Martyr colitur. Error Pintij in sua Histo. Tridentina.

ANNOTATIO.

EX Pintio praedicto Adalpretus 70. Ep. Tridentinus fuit, & S. Vigilius 18. verũ errorem in hoc authore circa tempus non dissimulandum animaduertimus. Nam donationem Conrhadi Eccl. Tridentinae factam a Frid. Aenobarbo an. D. 1101. confirmatum scribit, cum Fridericus Imperium an. 1152. ceperit. Deinde Adalpretum an. 1181. ab hostibus confossum ait, cum Eccles. Tridentinam annos 20. administrasset: in quibus sibi aduersari videtur.

16. Maij.

DE S. ADAMO AB. ET CONFESSORE FIRMANO.

ADamus Abbas Firmi in Piceno sanctitate, & miraculis floruit. Is coenobij S. Sauini apud vrbem praedictam, in quo monasticã vitã professus fuerat, Abbas fuit. Cuius coenobij ecclesia, siue oratorium à Valeriano notario Ecclesiae Firmanae in S. Sauini Epi, & martyris honorem extructum eo petente à Passiuo I po Firmano D. Gregorio Magno PP. mandante dedicatũ fuit: eiq; postea aedificato monasterio Adamus Abbas fuit praefectus. Cuius corpus cum in ecclesia sibi dicata diu quieuisset, tandem, vt decentius asseruaretur, in ipsam Metropolitanam ecclesiam integrum repertum translatum fuit: ibiq; honorificè conditum in hodiernum vsque diem miraculis fulgere dicitur. *Ex monum. Eccles. Firmana, quae inde accepimus*

Fuit Ab. S. Sauini apud firmum. Ecclesia S. Sauini iussu S. Grego. Papae consecrata. Corpus S. Adami Ab. trãslatum.

ANNOTATIO.

ACta illius cum actis aliorum SS. Ecclesiae Firmanae vrbe Friderico I. Imper. eos qui partes Pontif. Romani sequebantur, persequente, incensa, & direpta disperiere, Dies autẽ quo eius memoria celebratur, non natalis (qui ignoratur) sed translationis est.

Firmana e ab exerc. Friderici I Imper. incensa, & direpta.

28. Maij

18. Maij.

DE S. NICEPHORO EPISC. ET MAXIMILIANO DIACONO Petenensibus, apud Humagum.

Accusatur apud Patriarcham.

In itinere fōtes excitat.

Vrsus paret S. Episcopo. Similia ferè in vita S. Lucani Episco. leguntur.

Anates S. Epō obediunt. Palliū in aere suspensum manet.

Moritur cum S. Maximiliano Diacono Humagi.

NIcephorus Episcopus Petenensis (quæ ciuitas est Istriæ apud fines Liburnorum) haud mediocri sanctitate effulsit. Is iam senio confectus duas apud se neptes habebat: quæ illum calore suo vti alterum Dauid fouerent. Quapropter apud Patriarcham Aquileiensem accusatus cum ad illum contenderet apud Piquentum Op. peruetus Istriæ signo Crucis, & oratione fontem excitauit populo maxima aquarum penuria laborante, & opem ab eo, quem virum sanctum norat implorante: qui adhuc manet, multis molendinis inseruiens, Sacello ibidem suo nomini à Piquentinis extructo. Quod & apud Couedum haud procul à Tergestinis finibus effecit. Vbi hospitatus cum vrsus mulum, quo S. Episcopus vehebatur, deuorasset, illum iussit ad se à duabus virginibus suis neptibus perduci, quibus iubentibus, vt ad Episcopum veniret, paruit illicò, & sibi ab Episcopo imperata faciens, sarcinulas à mulo deferri solitas, sibi impositas portauit Episcopum sequens. Ferunt & anates fortè tunc per aera volantes, iussas se Aquileiam vsque sequi, vt Patriarchę offerretur, dicto illius paruisse. Qui vbi ad Patriarcham peruenit, pallium exutus, illud Solis radio quasi perticæ imposuit: Quod cum in aere substitisset, mirantibus, qui ad rei nouitatem concurrerant, Patriarcha illum vti Sanctissimum virum perhumaniter excepit, honorificentissimèque dimisit. Cum autem S. Episcopus Petenam rediret apud Humagum vnà cum Maximiliano Diacono ægrotans, breui vita excessit vterque. Quorum corpora Humagi adhuc asseruantur, agiturque dies festus ibi, & Petinæ, (vbi Sancti Nicephori manus habetur) 5. Kal. Iunij. *Ex Tab & monum. vtriusque Eccles.* ex quibus Nicol. Manzolus I.C. Iustinopolit. vitam descripsit Venetijs nuper æditam.

ANNOTATIO.

Historia hęc suspectę fidei

ET si historia hæc meritò alicui suspecta videri poterit, quòd nullam temporis mentionem faciens inuerisimilia quadam narrare videatur; illam tamen paucis referre libuit, gratum me factum ratus, si vbi accuratè scripta desunt, qualiacunque haberi potuerunt, referantur.

4. Iulij.

DE S. VLDARICO EPISC. AVGVSTANO.

In cœnobio S. Galli educatur. Ordinatur Presbyter.

Romam contendit.

Epus Augustan⁹ creatur

Opa pietatis exercet.

VLdaricus Hupaldo, & Tietburga nobilibus parentibus ortus in Alemānia Monachis S. Galli instituendus traditur. Inde humanis, diuinisque litteris instructus Adalberoni Episcopo Augustano viro sanctissimo adhæsit: cui non mediocri fuit adiumento. Is enim in munere Episcopali Vldarici præcipue opera vtebatur: Qui cum Presbyter ordinatus esset, & Sacrorum locorum Romæ visendorum desiderio flagraret, eò de sui Episcopi licentia se contulit, vbi à Summo Pont. benignè exceptus. Adalberoni, qui interim sanctè obierat, Hiltemio suffecto, in patriam redijt. Hiltemio autem & ipso post annos 15. vita functo. Vldaricus Summo omnium consensu Episcopus eligitur. Qui pastorali munere suscepto, loca sacra reficere, & mores deprauatos reformare cœpit, in pietatis operibus se se exercens. Nam & infirmos, quos suis orationibus sanabat, & in carceribus detentos, quibus necessaria suppeditabat, frequens visebat

sebat, ad mensam egenos semper adhibens. Parcus erat non modo in cibo frequenter ieiunans, sed etiam in loquendo, & dormiendo, humi cubans. Inter celebrandum in festo Resurrectionis manum cuiusdam Hostiam sacrandam pariter cum ipso benedicentem vidit, ac Presbyterum assistentem, qui rem pateseceerat, reprehendit. Cum autem inter Ludulphum Othonis Imp. filium, & Henricum eiusdem Imp. fratrem discordia eò vsque processisset, vt iam comparatis copijs manus essent conserturi, Sanctus Episcopus eò profectus vi orationis, & eloquentia pacem inter illos conciliauit. Posthæc Romam secundò proficiscens, vt SS. Apostolorum reliquias veneraretur, & Summum Pont. reuerenter inuiseret, cum apud Parmam Tarum exundantem pluuijs inuenisset, statim post Missam ab eo celebratam flumen adeò decreuit, vt S. Episcopus cũ tota familia illud absque periculo traijceret. Roma domum rediens Mediolanum venit: vbi cum in morbum incidisset, seque hinc migraturum intelligeret in æde SS. Apostolorum Petri & Pauli, (quæ nunc S. Nazarij nominatur) humari voluit. Obdormiuit autem 4. Non. Iulij Ann. salutis 9073. ætatis 83. in eaque ecclesia, vti præceperat, conditus, tot tantique fulsit miraculis, vt in SS. numerum solemni ritu referretur. Cuius corpus Ann. 1579. à S. Karolo Archiepiscopo, & Card. in arca lapidea cum huiusmodi inscriptione, *Dilecto Filio Arderico Episcopo Augusten.* repertum in loculo plumbeo reconditũ fuit. *Ex vita ipsius latinè prolixè scripta, & impressa Augustæ, ac Mediolani sermone Italico edita*, vbi vltio in eos, qui sancti statuam ante farciminis apothecam ab ecclesia extractam locarant, refertur omnibus breui vno excepto, qui pœnitẽs veniam exorauerat, mortuis.

Manus cœlestis simul cũ eo hostiã benedicit.

Pacem inter dissidẽtes Prĩcipes cõciliat

Romã secundo proficisci tur.

Tarum exundãtem decrescere facit.

Mediolani ęgrotãs obit.

In SS. refertur.

Corpus à S. Karolo Borrhomæo trãsfertur.

A N N O T A T I O.

*V*Ariè hic S. Episcopus nominatur: nam Vldaricus Augustæ, vti & in Martyrol. Rom. Ardericus Mediolani ex illius antiquis inscriptionibus, & alibi Odoricus. Non solum enim apud Augustam, & alibi in Germania: sed etiam in multis Italiæ ciuitatibus, & locis celebris est S. huius memoria.*

Multis in locis colitur.

Die 29. Augusti.

DE S. PELAGIO MARTYRE PATRONO ÆMONIENSI.

PElagius Æmoniensis Diaconus furentibus in persecutione aduersus Christianos gentilibus tentus, ac in fidei confessione persistens palmam martyrij gloriosam consecutus est. Corpus à Christianis apud Æmoniam humatũ in magna semper fuit apud Æmonienses veneratione: qui illum vti patronum præcipuum coluerunt, & colunt. Nam non solum ciuitatis nouæ, quo Æmonia euersa corpus illius translatum est, sed & totius diœcesis patronus habetur, & maximè colitur. Eius quoque memoria per vniuersam Aquileiæ diœcesim celebratur. *Ex monum eiusd. Æmonien. Eccles. & Hist. Istria a Nicol. Manzolo I.C. Iustinopolitano recens edita.*

Diacon⁹ fuit Æmonien.

Corpus in c. noua.

A N N O T A T I O.

AN S. Pelagius in eadem persecutione, in qua S. Maximus Episcopus, martyrium pertulerit, vel in alia ante, siue post, incertum est: cum Acta ipsius desiderentur. Cum autem in S. Maximi passione nulla fiat S. Pelagij mentio, illum non simul cum S. Maximo coronatum affirmari potest: visitur inscriptio hac in arca lapidea. An. D. 1146. sexto Id. Oct. recondita sunt hæc SS. corpora Pelagij, & Maximi tempore D. Adami Episcopi.

Acta S. Pelagij non extant.

DE BEATO GVLIELMO ALEXANDRINO,

Cuius vita, sicuti & sequentis, quod tardius ad manus nostras peruenerit, suo interseri loco non potuit.

GVlielmus Alexandriæ in Liguria honestis parentibus ex Zucca familia ortus, cum primùm ei per ætatem licuit, Mundi huius illecebris, & terrenarum rerum cura spretis, se se pietatis operibus totum addixit. Fabricæ maioris têpli, quoad vixit, absq; vlla temporali mercede præfecturam gessit. Reliquum, quod supererat temporis, in sacra lectione (erat enim non vulgaris litteraturæ,) & in procuranda proximorum salute insumebat, egenorum præsertim, ac miserorum subleuationi studens: Quorum eos, qui mendicare erubescerent, clam suis sustentabat facultatibus. De quo illud memoriæ proditum est, loculos, quos secum, vt pauperibus eleemosynam erogaret, quotidie deferebat, nunquam semel ab eo pecunia refertos, exinanitos fuisse, quamuis extractam copiosius illam in dies distribueret. Quapropter prouerbio, quod adhuc perseuerat, res cessit. Nam, cum ab aliquo, qui pluries illam erogarit, rursus pecunia postulatur, ab eo responderi solet, *Me ne Beati Gulielmi crumenam, quæ non exhauriatur, putas habere?* Defunctus quoque miraculis claruit. Nam quibus varijs, diuturnis, difficilibusque morbis oppressis spes nulla salutis erat, ad Gulielmi patrocinium confugientes, illicò diuinitus sanabantur. Quod, & calamitosis contigit: qui post illius imploratam opem ad melioris fortunæ statum rediere. Vixit circa An. sal. N. M. CCC. LXXVII. Corpus in æde S. Marci, quæ est Fratrum Prædic. Conditum est: quod cum in opportuniorem locum transferretur, ex eo mirus, & suauissimus odor exhalauit. *Ex Vrbis Alexandrinæ Annalibus.*

Fabricæ maior. Eccles. præficitur.

Egenos, quos mendicare pudet, suis facultatib. alit.

Crumena illius nunquã exhauritur.

Oppressi morbis insanabilibus sanantur.

Miseri ad priorem fortunam redeunt.

Ex eius corpore suauis odor exhalat.

ANNOTATIO.

EIus Imago, quæ habitum illius Monastico similem indicat, cum crumena, & inopum circumstantium turba multis in locis præsertim in Basilica Cathedrali An. Domini 1388. *depicta cum huiusce modi inscriptione conspicitur. B. GVLIELMVS ZVCCVS CIVIS ALEX. MASSARIVS HVIVS ECCLESIAE. Cum dies ob ignoretur: pro libitu ad diem* 10. *Febr. quo S. Gulielmus Eremita colitur, adnotatus est.*

DE S. DEVOTA VIRG. ET MART. apud Monoecum.

DEuota virgo à teneris Christiana in insula Corsicæ Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus Barbaro Præside Christianos persequente in Eutitij Senatoris ædibus latitabat, assiduis Ieiunijs præcibus, & Sacris lectionibus intenta. Cum autem Barbarus in insulam venisset, accepissetque puellam Christianam apud Eutitium latere, isque rogatus tradere eam noluisset, veneno (quòd ob viri nobilit. eum in illum animaduertere vereretur) vti Christianos fouentem necandum, & Virginem comprehensam sibi præsentandam curauit. Quam cum nullis blanditijs, minisque, vt Deos coleret, inducere potuisset, os saxo contundi, deinde colligatam manibus, & pedibus per pomerium, donec membra disiunge-

gerentur, trahi iussit. quæ cum patienter ferrens, Deo seipsam, & Eutitij animam commendaret, Barbarus, quem virgo Dæmoniorum cultorem dicebat, iniquissimum, ira percitus illam in equuleo suspensam torqueri imperat: Quo in cruciatu, cum illa orans diceret, *Suscipe Domine spiritum meum*. Voxque de cœlo exaudita esset, *Audita est oratio tua*, animam, quæ de ore eius instar columbæ egressa est, Deo reddidit. Cuius corpus à Præside iussum cremari, clam à Benenato Presbytero, Apollinare Diacono, & Gratiano Nauta sublatum, nauiq; impositum, apud Monoecum Arcem oræ Ligusticæ inter Albintemelium, & Nicæam, munitissimam (cum inter nauigandum exortam maximam tempestatem Virgo ipsa adparens mirabiliter sedasset) delatum in loco à columba ostenso in æde S. Georgij VIII. Kal. Februarij conditum est. *Ex M. S. Monasterij S. Pontij Niciensis diœcesis: cuius exemplum à multis fide dignis subscriptum. Excellentissimus D. Federicus Landus Princeps, & Velleris Aurei Eques nobis ostendit.*

A N N O T A T I O.

HAEC sancta virgo & martyr multis claruit miraculis, in ijs: cum Arx Monoeci a Gallis noctu inuasa in maximo discrimine versaretur, sanctæ virginis, & martyris intercessione diuinitus liberata est. Quapropter ab incolis deinceps uti protectrix in veneratione habita fuit.

DE S. CRICHINO EPISCOPO VERONENSI.

Crichinus Doctor appellatus.

CRichinus,siue Cricinus Episcopus II.Veronæ S.Euprepio successit. Is ob multiplicem rerum præcipuè diuinarum notitiam doctor appellatus, in eam maximè curam incumbere uisus est,vt singulis veræ pietatis, & virtutum documenta præberet, ac multas Christo animas lucrifaceret. Quod,cum diu Ecclesiæ suæ præfuisset, egregiè præstitit. Obiens autem diem 3.Kal. Ianuarij magnum sui reliquit ciuitati Veronensi desiderium. Cuius corpus hodie in basilica S.Proculi apud S.Euprepium conditum est. *Ex monum.Eccles.Veronen.& lib. Aug.Valerii ep.& Card.de Epp.& SS.Veronens.*

ANNOTATIO.

T*Raditur obiisse,an.sal.72.si si diu vixit in Episcopatu, vt dictum est, & S. Euprepius etiam multos annos præfuisse dicitur, videtur vlterius vitam protraxisse.*

DE S. NICEPHORO MARTYRE PATRONO PETENENSI.

Patria Nicephori quę.

NIcephorus adolescens Thessalonicæ ad Christum conuersus Valeriano,& Galieno Imp.cum Sapritio Sacerdote magistro plurimùm in ieiunijs,orationibus,eleemosynis,alijsque pijs operibus proficeret, ita dęmone instigante,cępit à magistro odio haberi,vt rectis oculis ab illo iam non aspiceretur. Cũ autem Sapritius quòd Christianus esset,delatus fuisset,nec detrusus in carcerē minis,vel promissis,vt Deos veneraretur,adigi posset,ad illum sæpius venit Nicephorus veniam,si se offensum putabat,& benedictionem impetraturus; Sed frustra:nam in re hac sic illi cor Diabolus obstrinxerat,vt neque lacrymis adolescentis moueretur.Cumque ad mortem duceretur, Nicephoroque in via genuflexo,& cum fletu veniam,& benedictionem petente nec parcere,nec benedicere voluisset,in alterum mutatus,cum iam decollãdus esset,carnificem orat, ne se obtruncet Dijs immolare paratum. Quod Nicephorus cernens vbi Sapritium frustrà ad resipiscendum hortatus fuisset, ministros rogare cępit,vt se supplicio afficerent,quod Sapritio decretum fuerat.Illi verò iuuenem ab huiusce modi concilio abducere conati rem ad Præsidem deferunt; Qui Nicephorum nullis verbis deterritum, fustibus cædi,& in catasta extendi iubet,& post dira verbera cum excarnificatus,& fractis ossibus constantior euaderet, capitalem præcepit subire sententiam, eo itaque tertio Kal. Ianuarias capitis abscissione ad cęlum transmisso,corpus à Christianis honorificè sepelitur. Quod postea Constantinus Magnus naui cum luminibus,Clericis comitantibus, imponens, ibi basilicam,quæ Cathedralis esset,ædificari iussit, vbi corpus martyris naue sponte sua impellentibus ventis delata,conquieuisset. Quæ cum ad Liburniæ, & Istriæ,littora appulsa esset,Petenamque aduerso flumine sacra pignora deportasset,ibi ecclesia Episcopo donata extructa fuit,in qua S.Nicephori corpus adhuc vsque tempora religiosè asseruatur,& colitur. Is enim non vrbis illius tantùm,sed & totius dięcesis tutelaris est,& patronus. *Ex monum.Eccl.Petenen. & ex hist.Istria à Nicol.Manzolo.I.C.Iustinopolitano nuper conscripta,& edita.*

Exemplũ tremendum.

Nicephorus se sponte decollandũ offert.

Corpus Petenam diuinitus delatum.

ANNOTATIO.

Acta in nonnullis corrigenda.

M*Onumenta,ex quibus vita martyris excerpta est, nonnulla egent emendatione; præsertim cum vrbem,in qua passus est Sablonicum vocent, & Constantinum Magnum Imperio an.sal.304.succcessisse contineant; cùm ad annum prad. Diocl. & Ma-*

Maximianus adhuc imperarent; vel certè Imperium Constantio, & Galerio eodem anno tradiderint. Quod verò inquiunt Petenam Pentapolim prius appellatam, eiusque Episcopatum iam tum à Constantino Magno cœpisse, ipsi viderint: cum de re hac nihil apud graues authores legeremus.

DE S. IOCVNDO EPISC. AVGVSTÆ PRÆTORIÆ.

IOcundus Campis castro Agri Augustensis honestis, & pijs parentibus ortus à puero litteris, & moribus excultus, adolescens S. Grato Episcopo traditur erudiendus; cuius & obsequentissimus discipulus, & comes fuit. Nam illū Romam, & inde Hierosolymam vsque ad caput S. Ioannes Baptistæ asportandum comitatus est. Cum vero Augustam reuersi fuissent, Gratus paulò post, laboribus, & annis confectus ægrotauit. Ex qua ægritudine cum breui sibi hinc migrandum esse intelligeret, clerum accersit, illique Iocundum successorem suum proponit. Quem cum omnes quanta doctrina religione pietate morum elegantia, vitæ integritate, & prudentia, ac alijs virtutibus præstaret optimè nossent, post Grati decessum haud grauatè, sed summo canonicorum consensu: licet reluctantem elegerunt. Qui suscepro pastorali munere, illud summa vigilantia cœpit exercere, curæ pauperum, diuino cultui, gregique pascendo summopere intentus; cum Diœcesim visitaret, illud præcipue post ecclesiarum cultum accurabat, vt idolatriam euerteret errores tolleret, & vitia emendaret. Cum itaque assiduis orationibus, concionibus, vigilijs, alijsque sanctis exercitationibus diu Ecclesiam suam, quasi vineam excoluisset, tandem à Domino ad præmium euocatus 3. Kal. Ianuarij obdormiuit non sine ciuium lacrymis, & mœrore. Cuius corpus in ecclesia Cathedrali cōditum miraculis fulsit; In quibus illud memoratu dignum, quod cum Ann. sal. hum. 1449. die 7. Augusti flumina ex nimia imbrium copia ita exundarent, vt in innumera hominū iumentorumque multitudo in valle apud Augustum in summo, manifestoque submersionis esset periculo, non prius caput S. Iocundi eò processione delatū est, quam aquæ recedere visæ sunt; sed & illud mirum quoque accidit; quod cum aliquot ne mergerentur, arborem proceram conscendisset, iamque aqua excrescens penè arborem submersura esset, statim vt sacrum Iocundi caput accessit, aqua arborem deserere cœpit, illiq; descendentes periculo subtracti sunt. *Ex eius vita M. S. ac ex vita S. Grati.*

Gratus Iocūdū clero sui successorem proponit.

Aquæ exundantes ad caput S. Iocundi eò asportatum recedere visæ sunt. Arboremque proceram deserere cœpit.

ANNOTATIO.

ACta præcipua huius S. Episcopi non extant. Vita enim ipsius ad nos transmissa potius est sermo, quam vita ex communibus, non ex proprijs contextus. Ex quo nos hanc qualemcunque vitam compendio decerpsimus.

DE B. GERARDO CONFESS. ORD. MINORVM APVD Valentiam.

VAlentiæ Op. Liguriæ, quod olim Forum Fuluij appellatum est, Beati Gerardi Ord. Minorum viget memoria. Is in eo oppido natus annos 14. cōtra propinquorum voluntatem, vt vxorē accipere, hortantiū, peregrinatus

in

in solitudine propè Romam aliquandiu Deo mira abstinentia inseruijt: quod & apud Neapolim cum fecisset, in Siciliam profectus ibi in M. Eryce vsque ad ann. ætatis 11. solitarius vixit. Inde in Ord. Minorum cooptatus mirum in modum in obedientia, humilitate, & cæteris virtutibus profecit. Qui Randacij culinæ præpositus, cum orationis dulcedini intentus in die Resurrectionis Dominicæ cibos Fratribus parare oblitus esset, ab Angelis prandium paratum repertum fuit; cum is excusans Dominum prouisurum dixisset. Panormi vitream ampullam à nouitio Missæ inseruienti perfractam restituit. Quod etiā præstitit, cum coram Guardiano ciathus quo ægrotis potum ministrabat, in terram sibi elapsus confractus fuisset, & cum puer amphoram vino plenam fregisset. S. Ludouicum Episcopum Tolosanum mirificè coluit, ad cuius inuocationem mira quædam circa ægrotos operatus est. Spiritu prophetico etiam clarus multa, quæ sic euenere, prædixit. In eius obitu, cum de more campanæ pulsarentur, ruptis funibus, sonitum edere non cessarunt; & ex illius corpore suauissimus odor efflabatur tota penè ciuitate ad rei nouitatem confluente, ac aliquot ægrotis & corpore læsi ad sacri corporis contactum mirabiliter sanatis. Obijt Panormi An. sal. hum. 1345. in sacello S. Ludouici Episcopi, in quo orare solitus erat, sepultus, innumeris per tempora dæmoniacis ad eius tumulum liberatis. *Ex Chron. Ord. Min. parte secunda lib 9.*

Annorum 40 Ordinē Min. ingreditur.

Angeli, pro Fratribus cibos parant.

Vasea uitrea fracta sępius restituit.

Spiritu pph. præditus.

In morte cāpanę sonant, & corp⁹ odorem suauem mittit.

Obijt Panor.

ANNOTATIO.

IS non modo Panormi in Sicilia: sed etiam Valentiæ prædictæ, vbi natus est, venerationem habet. Non tamen officio colitur Ecclesiastico.

Decembris die 31.

DE S. SILVESTRO PAPA.

SIluester Rom. Rufino, & Iustina nobilibus parentibus ortus, à prima ætate Cytino Presbytero operam dedit; cuius doctrinam, & mores egregiè imitatus 30. annū agens Presbyter S. Rom. Ecclesiæ à Marcellino Pont. creatur. Quo in munere cum omni laude clericis alijs antecelleret S. Melchiadi in Pontificatu Ann. sal. 313. & 8. Imperij Constantini Magni sufficitur. Cui Imper. cum curandæ lepræ causa medicorum consilio ex infantium sanguine balneum pararetur, SS. Apostoli Petrus, & Paulus in visu apparentes, præcipiunt, vt omissa impij balnei immanitate, Siluestrum in Soracte latitantem accerseret, à quo salutari lauacro curatus, in omni ditione Imperij Rom. templa christiano more ædificari imperaret, & sublatis inanium Deorum simulacris, vero Deo cultum adhiberet. Constantinus cœlestibus monitis obtemperās, Syluestrum diligentissimè conquisitum vocat: à quo Apostolorum Imagines recognoscens, Baptismo suscepto sanatur, & ad tuendam, propagandamque Christi religionem inflammatur; multis auctore Siluestro basilicis ædificatis, quas sacris imaginibus ex auro, & argento, donisque, & amplissimis muneribus, prædijs etiam attributis exornauit, facultate etiam christianis data vbique publicè templa extruendi. Hoc Pont. duo concilia habita sunt: Nicænum, (quod Magnum & I. cognominatur) vbi præsidentibus eius legatis, præsenteq; Constantino, & 318. Episcopis catholica fides Ario eiusque sectatoribus condemnatis explicata est: quam synodum petentibus patribus illius confirmauit: & Roma-

Constātinus Imper. lepræ morbo laborat.

A Siluestro baptizat⁹ sanatur.

Duo cōcilia Siluestri tempore habentur.

Arius damnatur.

Salutaria Siluestri decreta.

Romanum,in quo præsentibus 284. Episcopis rursus Arius condemnatus est, Multa Ecclesię Dei vtilia constituit: in his vt chrisma à solo Episcopo conficeretur: vt Presbyter chrismate summum baptizati verticem liniret: vt Diaconi dalmaticis, & palla Linostima ad læuam in ecclesia vterentur: vt in lineo tantũ velo sacrificium conficeretur. Præscripsit tempus omnibus sacris Ordinibus initiatis singulos ordines exercendi, antequam ad altiorem ascenderent gradum: vt laicus clerico non inferret crimen: nec clericus apud prophanum Iudicem causam diceret: reliquos Hebdomadæ dies præter Sabbati & Dominici, Feriarum nomine appellari voluit, vti antea vocari cœperant, vt clerici hinc intelligerent, se cæterarum rerum cura abiecta, vni Deo vacare debere. Huic cœlesti prudentiæ insignis vitæ sanctitas, & benignitas in pauperes perpetuò respondit. Prouidit enim, vt clericis copiosis egentes coniungerentur, & Sacris virginibus necessaria suppeditarentur. Ferunt eum draconem in spelunca apud M. Tarpeium, qui noxio halitu homines præcipuè infantes interficiebat, obstructo, & obsignato speluncæ ostio extenuisse. Et Iudæos publica disputatione coram Constantino, & Helena eius matre conuicisse, cumque impossibile illi assererent, vt Christus vnica persona in duabus naturis subsisteret, ac secundum vnam tantum passus fuisset, id non esse impossibile manifestis exemplis demonstraui vestis purpureæ, qua scissa non tamen scinditur color, solaris radij, qui arbori illustratæ iungitur, nec tamen secta arbore secatur, & cum res sordidas illustrat, haud tamen ipse sordidus redditur. Cum autem quidam eorum taurum afferri ferocissimum iussisset, magiaque subito necasset, Siluester exultantibus Iudæis, non sine populi magno applausu, ait, vt quemadmodum taurum necauerat, ita redditiuum faceret, ijs verò id fieri posse negantibus, ipse continuò fusa oratione, his verbis vsus excitauit illum: *si Iesus Christus, quem ego prædico, verus Deus est, de Virgine natus, surge protinus, & abiecta feritate consiste:* qui agno mansuetior illicò surrexit, omnibus stupentibus, ac etiam Iudæos superatos cõclamantibus. Deniq; S. Pontifex, cum annos 21. mẽses 10. diem 1. vixisset in Pontificatu, ac in 7. ordinationibus mense Decembri creasset Presbyteros 42. Diaconos 25. Episcopos 65. obdormiuit in Domino sepultus in cœmiterio Priscellæ via Salaria. *Ex Breu. Rom. Metaph. à Sur. & Lipom. relato, ac ex Annal. Eccles. præter Damas. in Pont.*

Siluester in mõte Tarpeio draconem extinguit.

Iudæos corã Imp. & Helena cõuincit.

Taurum ferocissimum necatũ iterũ ad uitum reuocat.

ANNOTATIO.

Constantinum à Siluestro baptizatum An. D. 324. Pontif. Siluestri II. Imperij verò 19. Annal. Eccl. vt apud Baron. tradũt: sed cũ multò ante ann. D. 312. Imperij sui 7. post deuictum signo Crucis Maxentium reb. Christianorum Constantinus fauere cœpisset tot rescriptis, & edictis, quæri potest. Cur Siluester in M. Soracte lataret. Baron. respondet, quòd cum Constantinus rescriptum de Haruspicib. consulendis, quod prius vetuerat, dedisset, fortè Gentiles in ipsum Siluestrum insurrexisse, eumque vrbe egressum in eo M. Latuisse, seu quod Constantinus immemor beneficij ad auitam religionem redijsset, & propterea à Deo lepra percussum esse, quòd rursus ecclesiam à Gentilibus premi permitteret: cum tamen appareat Cõstantinum res Christianorum semper curasse, ex sacris hist. tametsi Zosimus, & alij variè de Constantino scribunt ante susceptum Baptismum, vt de re hac difficile sit iudicium ferre.

maiore suo nomine dicata honorificentissimè condita est. *Ex antiquis Cod. M. S. à quib. Sur. tom. 6. accepit. De qua prætor Adon. & Pet. lib. 2. c. 24. etiam Mombrit. tom. 1.*

ANNOTATIO.

Passa est anno D. 275. vt Baron. in Annal. Eccles. mem. Eutychiano Pont. Max.

DE S. BARBATIANO PRESBYTERO RAVENNÆ.

BArbatianus Presbyter Antiochenus cum Timotheo Presbytero Romã venit, ibique in cœmeterio Callisti demoratus miraculis coruscare cępit: nã Placidiæ puellæ difficili morbo oculorum laboranti sanitatem impertiuit: & Calogerum Valentiniani Imp. seruũ, qui in scalæ descensu pedibus lapsus cõfractus fuerat, signo Crucis sanauit, cæco lumen restituit. ob hæc, & alia signa Romæ patrata à Galla Placidia Augusta Valentiniani matre secum Rauennã deducitur. Vbi cum eius hortatu Placidia templum D. Ioanni Euangelistæ augustum excitasset, precibus impetrauit, vt S. Euangelista Pontificali habitu indutus illud dedicaret: qui disparens sandalium dextri pedis eidem Augustæ reliquit. In eo templo Barbatianus Deo diu famulatus multis prodigijs claruit. In ijs filium viri clarissimi à Strumis signo Crucis liberauit: Theodoram matronam illustrem à fluxu sanguinis curauit, cumque illa Barbatianum nonnunquam visitaret, Vrsicius maritus zelotypia correptus illum in ecclesia orãtem adoritur; sed districto gladio manus illi continuò aruit, ipseque factus immotus, nec brachium, quod percussurus sustulerat, deprimere, neque inde abire, neque loqui poterat donec a populo ita deprehensus scelus suum confessus à S. Viro liberatus est. Demum in morbum incidens, breui cessit è vita pridie Kal. Ian. à S. Petro Chrysologo in eadẽ æde S. Ioannis tumulatus, postea in ædẽ Vrsianum translatus. *Ex monum. Eccles. Rauenn. De eo Sur. tom. 6. Pet. in cat. lib. 2. c. 23. Hieron. Rub. lib. 3. Hist. Rauenn. & al.*

Barbatianus puellam oculorum dolore laborantẽ sanat.

Calogerum lapsu confractum integre restituit sanitati.

S. Ioannes Euangelista tẽplum consecerat.

Barbatianus à strumis quẽdã liberat.

Theodoram à fluxu sanguinis curat.

Vrsicius. S. districto gladio adoriens manu, ac brachio arefacto nec abire nec loqui valet.

ANNOTATIO.

VAlentinianus Imp. sub quo S. Barbatianus vixit 3. fuit: qui cum Theodosio iuniore imperauit, diu Rauennæ, & quandoque Mediolani commoratus. Primus enim cum Valente fratre 12. ferè annis Imperium tenuit, obijtque An. D. 375. II. annis 17. partim cum Gratiano partim verò cum Theodosio seniore, decessitque An. D. 392. 3. annis 30. partim cum Theodosio iuniore, partim cum Marciano, ac obijt an. D. 454. quod ad maiorem historiæ notitiam inuenisse volumus.

DE S. IVSTINO PRESBYT. APVD FORCONIVM.

IVstinus Presbyter Sipontinus SS. Florentij, Felicis, & Iustinæ comes, cum ijs ex Apulia in Vestinorum fines veniens apud Forconium apud Aquilam consedit, cum verò illi à satellitibus Imperatorum Roma missis comprehensi, postea martyrio affecti fuissent ipse in M. proximum fuga elapsus, abeũtibus persecutoribus SS. Martyres ad M. Offidij radices sepelijt. Ipse vero cum diu Deo orationibus, ieiunijs, factorum administratione deseruisset, annum 84. natus migrauit in Cœlum pridie Kal. Ianuarij in villa Offidia apud dictum M. Sepultus. *Ex Gest. & pass. S. Iustinæ Virg.*

ANNOTATIO.

Legimus alibi illum apud Forconium sub Maximiano Imp. martyrio coronatũ fuisse.

FINIS.

SS. VITÆ QVÆ AD NOS TARDIVS transmissæ suis apponi locis non potuere.

Die 11. Ianuarij.

Gen. S. Alex.

Ob fidē cath. interficitur.

Vbi eius corpus.

ALexander Firmanus patria ex Sinigarda familia fuisse traditur: qui factus Ecclesiæ Firmanæ Episcopus ab hostibus fidei Catholicæ haud procul ab vrbe in via, quæ ad cœnobium S. Sauini ducit ob eiusdem fidei defensionē interfectus martyrio coronatus est: cuius corpus in Basilica Metropolitana in arca marmorea conditum quiescit, vbi epitaphium litteris Longobardicis scriptum hoc legitur. HIC IACET RECONDITVM BEATISSIMVM CORPVS GLORIOSI MARTIRIS, ET EPISCOPI ALEXANDRI. Cuius memoria 3. Idus Ianuarij Firmi celebratur, prout in Rom. Martyrol. adnotatur. *Ex monum. & tab. Eccles. Firmana.*

ANNOTATIO.

Acta S. Alex. quare non extent.

QVæ diximus de S. Alexandro ex tab. & antiqua Eccles. Firmana tradit, accepta sunt, nullis scriptis de eius gestis, sicuti nec aliorum SS. extantibus: quæ vrbe sub Frid. I. Imp. incensa periisse feruntur, vti in Annot. S. Philippi Ep. & mart. eiusd. vrbis, & S. Adami Ab. indicauimus.

12. Februarij.

DE S. SISINNIO EPISC. TEI APVD TORCELLVM.

Patria S. Sisinnij.

Ieiunat, vt S. Nicolaus.

Granaria ab eo i vsus pauperi vacuata diuinitus replentur.

Fit Eps Tei.

Presbyterum & filiū viduæ oppressos à Dæmone liberat.

Quot annos vixit in Episcopatu.

Dies obitus cælit' illi denunciatur.

Reuersus in patriā bonis distributis obijt.

SIsinnius Romano Imper. Smyrnæ Eutychio & Euthychia pijs parentibus, qui steriles Ephesum profecti Diuo Ioanni Apostolo, vt prolem suscipe-rent, preces, & vota persoluerant. Ortus ab infantia ieiunium ter in hebdomada, vt S. Nicolaus seruauit. In litteris præsertim diuinis instructus opera misericordiæ egenos, pupillos, & viduas suis facultatibus sustentans prosequebatur. Missus à patre in villam, quo tempore fames per eas regiones inualuerat, frumenta omnia paterna pauperibus distribuit. Quod cum pater ab œconomo accepisset, eò profectus granaria, vt prius diuinitus repleta aperiens inuenit. Fama itaque sanctitatis Sisinnij peruagante mortuo Cyrillo Tei Episcopo illi licet iuuenis à Theodoro Archiep. Ephesino subrogatur Epus. Qui inter alia, quæ plura operatus est, miracula Leontium Presbyterum à Dæmone 8. annos obsessum, vt neque linguæ officio fungeretur, in festo Natiuitatis D.N.I.C. dū cuncto populo adstanti pacem annunciaret, liberauit. Quod cum Euphemia vidua nob. audisset, filium suum 14. ætatis annum agentem à Dæmonio dudū oppressum ad S. Episcopum attulit, cum lacrymis prostrata opem illius implorans. Qui cum obsesso ecclesiam ingressus, ac triduo in ea clausis ianuis demoratus preces Deo fudisset, illum incolumem matri restituit. Vixit in Episcopatu annos 24. quibus exactis cum in ecclesia horas de more persoluisset, vocem se ad supernam ciuitatem vocantem audiuit. Quare cum populum, & clerum ad se quocari iussisset, & ad eos concionem; in qua salutis monita plurima reliquit, habuisset, qua die, & quo loco ad Deum migraturus esset aperuit. Cumq; ab eis non sine ingenti omnium quasi patrem amittentium fletu discedens in patriam reuersus esset, reliquis bonis pauperibus distributis 16. Kal. Martij cessit è vita. Cuius corpus postea Torcellum delatū in Ecclesia Monialium S. Ioānis honorificè conditum est. *Ex vita eiusd. M.S. penes Moniales prædictas existente. In qua aliquot post mortem illius apparitiones, & miracula continentur.*

AN-

ANNOTATIO.

A multis Epus Altinas fuisse putatur: qui si acta ipsius vidissent opinionem mutarent. Quo autem corpus illius Torcellum peruenerit nondum scire potui. Celebratur illius memoria etiam die 14. Iulij, qui dies translationis esse videtur.

Die 27. Martij.

DE S. ADALPRETO EPISC. TRIDENTINO, ET MARTYRE.

Adalpretus Eberhardo Epo Tridentino vita functo subrogatur: cui Fridericus Imp. cognomento Ænobardus, quæ Conrhadus Imp. Ecclesiæ Tridentinę donauerat, Garda ad Benacum lacum op. adiecto confirmauit. Cũ aũt ciuitas Tridẽtina varijs motib. exagitaretur, & armis à Castrobarcis Lagarinã vallẽ, oppidaq; & arces ad vtranq; fluminis ripã tenentib. expeteretur, S. Eps vt afflictæ patriæ opem ferret, & ecclesiæ loca ab hostib. inuasa recuperaret, manu ex Marchia Taruisina, & ex Veronensibus, quibus, vt obsequẽtiores eos haberet, Gardam in feudum concesserat, collecta illis occurrit. Verũ Castrobarci cum multos ad Epi Tridentini tutelam in armis esse cernerẽt, illi insidias struere cœpere, eumq; in valle prædicta apud Roboretum Op. per dolum hasta trãsfixum è medio tollunt. 6. Kal. Aprilis Anno post Christum natum 1181. non impunè: nam breui quasi diuino icti fulmine ex fœliciſſimo statu in ærumnosissimũ prolapsi tanti sceleris pœnas dedere. Adalpretus aũt, cum pro patria, & religione occubuisset, in D. Vigilij templo conditus, & inter Beatos relatus ab Ecclesia Triden. cui annos 20. præfuit die prædicta colitur. *Ex monum. Eccles. Tridentina, & ex Pintio lib. 2. Hist. Trident.*

Quo tẽpore Adalpretus Epatũ inijt. Garda Op. à Frid. Imper. Adalpreto donatum. Castrobarci Tridentum, & loca Eccl. inuadunt. Garda Veronensib. in feudum datur. S. Eps ab hostib. per insidias transfigitur. Castrobarci ob iterfectũ Epm breui vltionem diuinã sentiunt. Adalpretus inter SS. Martyr colitur. Error Pintij in sua Histo. Tridentina.

ANNOTATIO.

Ex Pintio predicto Adalpretus 70. Ep. Tridentinus fuit, & S. Vigilius 18. verũ errorem in hoc authore circa tempus non dissimulandum animaduertimus. Nam donationem Conrhadi Eccl. Tridentinæ factam a Frid. Ænobarbo an. D. 1101. confirmatum scribit, cum Fridericus Imperium an. 1152. ceperit. Deinde Adalpretum an. 1181. ab hostibus confossum ait, cum Eccles. Tridentinam annos 20. administrasset: in quibus sibi aduersari videtur.

16. Maij.

DE S. ADAMO AB. ET CONFESSORE FIRMANO.

Adamus Abbas Firmi in Piceno sanctitate, & miraculis floruit. Is cœnobij S. Sauini apud vrbem prædictam, in quo monastica vitã professus fuerat, Abbas fuit. Cuius cœnobii ecclesia, siue oratorium à Valeriano notario Ecclesiæ Firmanæ in S. Sauini Epi, & martyris honorem extructum eo petente à Passiuo Epo Firmano D. Gregorio Magno PP. mandante dedicatũ fuit: eiq; postea ædificato monasterio Adamus Abbas fuit præfectus. Cuius corpus cum in ecclesia sibi dicata diu quieuisset, tandem, vt decentius asseruaretur, in ipsam Metropolitanam ecclesiam integrum repertum translatum fuit: ibiq; honorificè conditum in hodiernum vsque diem miraculis fulgere dicitur. *Ex monum. Eccles. Firmana, quæ inde accepimus*

Fuit Ab. S. Sauini apud firmum. Ecclesia S. Sauini iussu S. Grego. Papæ consecrata. Corpus S. Adami Ab. trãslatum.

ANNOTATIO.

Acta illius cum actis aliorum SS. Ecclesiæ Firmanæ vrbe Friderico I. Imper. eos qui partes Petri Romani sequebantur, persequente, incensa, & direpta disperiere, Dies autẽ, quo eius memoria celebratur, non natalis (qui ignoratur) sed translationis est.

Firmana e ab exerc. Friderici I Imper. incensa, & direpta.

18. Maij.

DE S. NICEPHORO EPISC. ET MAXIMILIANO DIACONO Petenenſibus, apud Humagum.

Accuſatur apud Patriarcham. In itinere fõtes excitat. Vrſus paret S. Epiſcopo. Similia ferè in vita S. Lucani Epiſco. leguntur. Anates S. epo obediunt. Palliũ in aere ſuſpenſum manet. Moritur cum S. Maximiliano Diacono Humagi.

Nicephorus Epiſcopus Petenenſis (quæ ciuitas eſt Iſtriæ apud fines Liburnorum) haud mediocri ſanctitate effulſit. Is iam ſenio confectus duas apud ſe neptes habebat: quæ illum calore ſuo vti alterum Dauid fouerent. Quapropter apud Patriarcham Aquileienſem accuſatus cum ad illum contenderet apud Piquentum Op. peruetus Iſtriæ ſigno Crucis, & oratione fontem excitauit populo maxima aquarum penuria laborante, & opem ab eo, quem virum ſanctum norat implorante: qui adhuc manet, multis molendinis inſeruiens, Sacello ibidem ſuo nomini à Piquentinis extructo. Quod & apud Couedum haud procul à Tergeſtinis finibus effecit. Vbi hoſpitatus cum vrſus mulum, quo S. Epiſcopus vehebatur, deuoraſſet, illum iuſſit ad ſe à duabus virginibus ſuis neptibus perduci, quibus iubentibus, vt ad Epiſcopum veniret, paruit illicò, & ſibi ab Epiſcopo imperata faciens, ſarcinulas à mulo deferri ſolitas, ſibi impoſitas portauit Epiſcopum ſequens. Ferunt & anates fortè tunc per aera volantes, iuſſas ſe Aquileiam vſque ſequi, vt Patriarchę offerrētur, dicto illius paruiſſe. Qui vbi ad Patriarcham peruenit, pallium exutus, illud Solis radio quaſi perticæ impoſuit: Quod cum in aere ſubſtitiſſet, mirantibus, qui ad rei nouitatem concurrerant, Patriarcha illum vti Sanctiſſimum virum perhumaniter excepit, honorificentiſſimèque dimiſit. Cum autem S. Epiſcopus Petenam rediret apud Humagum vnà cum Maximiliano Diacono ægrotans, breui vita exceſſit vterque. Quorum corpora Humagi adhuc aſſeruantur, agiturque dies feſtus ibi, & Petinæ, (vbi Sancti Nicephori manus habetur) 5. Kal. Iunij. *Ex Tab & monum. vtriuſque Eccleſ.* ex quibus Nicol. Manzolus I.C. Iuſtinopolit. vitam deſcripſit Venetijs nuper æditam.

ANNOTATIO.

Hiſtoria hęc ſuſpectę fidei

Et ſi hiſtoria hæc meritò alicui ſuſpecta videri poterit, quòd nullam temporis mentionem faciens inueriſimilia quædam narrare videatur; illam tamen paucis referre libuit gratum me factum ratus, ſi vbi accuratè ſcripta deſunt, qualiacunque haberi potuerunt, referantur.

4. Iulij.

DE S. VLDARICO EPISC. AVGVSTANO.

In cœnobio S. Galli educatur. Ordinatur Presbyter. Romam contendit. Epus Auguſtan⁹ creatur. Opa pietatis exercet.

Vldaricus Hupaldo, & Tietburga nobilibus parentibus ortus in Alemānia Monachis S. Galli inſtituendus traditur. Inde humanis, diuiniſque litteris inſtructus Adalberoni Epiſcopo Auguſtano viro ſanctiſſimo adhæſit: cui non mediocri fuit adiumento. Is enim in munere Epiſcopali Vldarici præcipue opera vtebatur: Qui cum Presbyter ordinatus eſſet, & Sacrorum locorum Romæ viſendorum deſiderio flagraret, eò de ſui Epiſcopi licentia ſe contulit, vbi à Summo Pont. benignè exceptus. Adalberoni, qui interim ſanctè obierat, Hiltemio ſuffecto, in patriam redijt. Hiltemio autem & ipſo poſt annos 15. vita functo. Vldaricus Summo omnium conſenſu Epiſcopus eligitur. Qui paſtorali munere ſuſcepto, loca ſacra reficere, & mores deprauatos reformare cœpit, in pietatis operibus ſe ſe exercens. Nam & infirmos, quos ſuis orationibus ſanabat, & in carceribus detentos, quibus neceſſaria ſuppeditabat, frequens viſebat

febat, ad mensam egenos semper adhibens. Parcus erat non modo in cibo frequenter ieiunans, sed etiam in loquendo, & dormiendo, humi cubans. Inter celebrandum in festo Resurrectionis manum cuiusdam Hostiam sacrandam pariter cum ipso benedicentem vidit, ac Presbyterum assistentem, qui rem patefecerat, reprehendit. Cum autem inter Ludulphum Othonis Imp. filium, & Henricum eiusdem Imp. fratrem discordia eò vsque processisset, vt iam comparatis copijs manus essent conferturi, Sanctus Episcopus eò profectus vi orationis, & eloquentia pacem inter illos conciliauit. Posthæc Romam secundò proficiscens, vt SS. Apostolorum reliquias veneraretur, & Summum Pont. reuerenter inuiseret, cum apud Parmam Tarum exundantem pluuijs inuenisset, statim post Missam ab eo celebratam flumen adeò decreuit, vt S. Episcopus cũ tota familia illud absque periculo traijceret. Roma domum rediens Mediolanum venit: vbi cum in morbum incidisset, seque hinc migraturum intelligeret in æde SS. Apostolorum Petri & Pauli, (quæ nunc S. Nazarij nominatur) humari voluit. Obdormiuit autem 4. Non. Iulij Ann. salutis 9073. ætatis 83. in eaque ecclesia, vti præceperat, conditus, tot tantique fulsit miraculis, vt in SS. numerum solemni ritu referretur. Cuius corpus Ann. 1579. à S. Karolo Archiepiscopo, & Card. in arca lapidea cum huiuscemodi inscriptione, *Dilecto Filio Arderico Episcopo Augusten.* repertum in loculo plumbeo reconditũ fuit. *Ex vita ipsius latinè prolixè scripta, & impressa Augustæ, ac Mediolani sermone Italico edita,* vbi vitio in eos, qui sancti statuam ante farciminis apothecam ab ecclesia extractam locarant, refertur omnibus breui vno excepto, qui pœnitẽs veniam exorauerat, mortuis.

Manus cœlestis simul cũ eo hostiã benedicit.

Pacem inter dissidẽtes Prĩcipes cõciliat

Romã secundo proficisci tur.

Tarum exundãtem decrescere facit.

Mediolani ęgrotãs obit.

In SS. refertur.

Corpus à S. Karolo Borromæo trãsfertur.

Multis in locis colitur.

A N N O T A T I O.

Variè hic S. Episcopus nominatur: nam Vldaricus Augustæ, vti & in Martyrol. Rom. Ardericus Mediolani ex illius antiquis inscriptionibus, & alibi Odoricus. Non solum enim apud Augustam, & alibi in Germania: sed etiam in multis Italiæ ciuitatibus, & locis celebris est S. huius memoria.

Die 29. Augusti.

DE S. PELAGIO MARTYRE PATRONO ÆMONIENSI.

Pelagius Æmoniensis Diaconus furentibus in persecutione aduersus Christianos gentilibus tentus, ac in fidei confessione persistens palmam martyrij gloriosam consecutus est. Corpus à Christianis apud Æmoniam humatũ in magna semper fuit apud Æmonienses veneratione: qui illum vti patronum præcipuum coluerunt, & colunt. Nam non solum ciuitatis nouæ, quo Æmonia euersa corpus illius translatum est, sed & totius diœcesis patronus habetur, & maximè colitur. Eius quoque memoria per vniuersam Aquileiæ diœcesim celebratur. *Ex monum eiusd. Æmonien. Eccles. & Hist. Istriæ a Nicol. Manzolo I.C. Iustinopolitano recens edita.*

Diacon⁹ fuit Æmonien.

Corpus in c. noua.

A N N O T A T I O.

AN S. Pelagius in eadem persecutione, in qua S. Maximus Episcopus, martyrium pertulerit, vel in alia ante, siue post, incertum est: cum Acta ipsius desiderentur. Cum autem in S. Maximi passione nulla fiat S. Pelagij mentio, illum non simul cum S. Maximo coronatum affirmari potest: visitur inscriptio hæc in arca lapidea. An. D. 1146. sexto Id. Oct. recondita sunt hæc SS. corpora Pelagij, & Maximi tempore D. Adami Episcopi.

Acta S. Pelagij non extant.

Die 10. Februarij.

BEATO GVLIELMO ALEXANDRINO;

Cuius vita, ficuti & fequentis, quod tardius ad manus noftras peruenerit, fuo interferi loco non potuit.

GVlielmus Alexandriæ in Liguria honeftis parentibus ex Zucca familia ortus, cum primùm ei per ætatem licuit, Mundi huius illecebris, & terrenarum rerum cura fpretis, fe fe pietatis operibus totum addixit. Fabricæ maioris tépli, quoad vixit, abfq; vlla temporali mercede præfecturam geffit. Reliquum, quod fupererat temporis, in facra lectione (erat enim non vulgaris litteraturæ,) & in procuranda proximorum falute infumebat, egenorum præfertim, ac miferorum fubleuationi ftudens: Quorum eos, qui mendicare erubefcerent, clam fuis fuftentabat facultatibus. De quo illud memoriæ proditum eft, loculos, quos fecum, vt pauperibus eleemofynam erogaret, quotidie deferebat, nunquam femel ab eo pecunia refertos, exinanitos fuiffe, quamuis extractam copiofius illam in dies diftribueret. Quapropter prouerbio, quod adhuc perfeuerat, res ceffit. Nam, cum ab aliquo, qui pluries illam erogatit, rurfus pecunia poftulatur, ab eo refponderi folet, *Me ne Beati Gulielmi crumenam, quæ non exhauriatur, putas habere?* Defunctus quoque miraculis claruit. Nam quibus varijs, diuturnis, difficilibusque morbis oppreffis fpes nulla falutis erat, ad Gulielmi patrocinium confugientes, illicò diuinitus fanabantur. Quod, & calamitofis contigit: qui poft illius imploratam opem ad meliotis fortunæ ftatum rediere. Vixit circa An. fal. N. M. CCC. LXXVII. Corpus in æde S. Marci, quæ eft Fratrum Prædic. Conditum eft: quod cum in oportuniorem locum transferretur, ex eo mitus, & fuauiffimus odor exhalauit. *Ex Vrbis Alexandrinæ Annalibus.*

Fabricæ maior. Ecclef. præficitur.

Egenos, quos médicare pudet, fuis facultatib. alit.

Crumena illius nunquã exhauritur.

Oppreffi morbis infanabilibus fanantur.

Miferi ad priorem fortunam redeunt.

Ex eius corpore fuauis odor exhalat.

ANNOTATIO.

EIus Imago, quæ habitum illius Monaftico fimilem indicat, cum crumena, & inopum circunftantium turba multis in locis præfertim in Bafilica Cathedrali An. Domini 1388. depicta cum huiufcemodi infcriptione confpicitur. B. GVLIELMVS ZVCCVS CIVIS ALEX. MASSARIVS HVIVS ECCLESIAE. Cum dies ob ignoretur: pro libitu ad diem 10. Febr. quo S. Gulielmus Eremita colitur, adnotatus eft.

DE S. DEVOTA VIRG. ET MART. apud Monoecum.

DEuota virgo à teneris Chriftiana in infula Corficæ Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus Barbaro Præfide Chriftianos perfequente in Eutitij Senatoris ædibus latitabat, affiduis Ieiunijs præcibus, & Sacris lectionibus intenta. Cum autem Barbarus in infulam veniffet, accepiffetque puellam Chriftianam apud Eutitium latere, ifque rogatus tradere eam noluiffet, veneno (quòd ob viri nobilitatem in illum animaduertere vereretur) vti Chriftianos fouentem necandum, & Virginem comprehenfam fibi præfentandam curauit. Quam cum nullis blanditijs, minifque, vt Deos coleret, inducere potuiffet, os faxo contundi, deinde colligatam manibus, & pedibus per pomerium, donec membra difiunge-

ge-

getentur, trahi iussit. quæ cum patienter ferens, Deo seipsam, & Eutitij animam commendaret, Barbarus, quem virgo Dæmoniorum cultorem dicebat, iniquissimum, ira percitus illam in equuleo suspensam torqueri imperat; Quo in cruciatu, cum illa orans diceret, *Suscipe Domine spiritum meum*. Voxque de cœlo exaudita esset, *Audita est oratio tua*, animam, quæ de ore eius instar columbæ egressa est, Deo reddidit. Cuius corpus à Præside iussum cremari, clam à Benenato Presbytero, Apollinare Diacono, & Gratiano Nauta sublatum, nauiq; impositum, apud Monoecum Arcem oræ Ligusticæ inter Albintemelium, & Nicæam, munitissimam (cum inter nauigandum exortam maximam tempestatem Virgo ipsa adparens mirabiliter sedasset) delatum in loco à columba ostenso in æde S. Georgij VIII. Kal. Februarij conditum est. *Ex M. S. Monasterij S. Pontij Niciensis diœcesis: cuius exemplum à multis fide dignis subscriptum. Excellentissimus D. Federicus Landus Princeps, & Velleris Aurei Eques nobis ostendit.*

A N N O T A T I O.

HAEC *sancta virgo & martyr multis claruit miraculis, in ijs: cum Arx Monoeci a Gallis noctu inuasa in maximo discrimine versaretur, sanctæ virginis, & martyris intercessione diuinitus liberata est. Quapropter ab incolis deinceps vti protectrix in veneratione habita fuit.*

DE S. CRICHINO EPISCOPO VERONENSI.

Crichinus Doctor appellatus.

CRichinus, siue Cricinus Episcopus II. Veronæ S. Euprepio successit. Is ob multiplicem rerum præcipuè diuinarum notitiam doctor appellatus, in eam maximè curam incumbere uisus est, vt singulis veræ pietatis, & virtutum documenta præberet, ac multas Christo animas lucrifaceret. Quod, cum diu Ecclesiæ suæ præfuisset, egregiè præstitit. Obiens autem diem 3. Kal. Ianuarij magnum sui reliquit ciuitati Veronensi desiderium. Cuius corpus hodie in basilica S. Proculi apud S. Euprepium conditum est. *Ex monum. Eccles. Veronen. & lib. Aug. Valerii ep. & Card. de Epp. & SS. Veronens.*

ANNOTATIO.

TRaditur obiisse, an. sal. 72. si si diu vixit in Episcopatu, vt dictum est, & S. Euprepius etiam multos annos præfuisse dicitur, videtur vlterius vitam protraxisse.

DE S. NICEPHORO MARTYRE PATRONO PETENENSI.

Patria Nicephori quę.

NIcephorus adolescens Thessalonicæ ad Christum conuersus Valeriano, & Galieno Imp. cum Sapritio Sacerdote magistro plurimùm in ieiunijs, orationibus, eleemosynis, alijsque pijs operibus proficeret, ita dæmone instigante, cępit à magistro odio haberi, vt rectis oculis ab illo iam non aspiceretur. Cũ autem Sapritius: quòd Christianus esset, delatus fuisset, nec detrusus in carcerẽ minis, vel promissis, vt Deos veneraretur, adigi posset, ad illum sæpius venit Nicephorus veniam, si se offensum putabat, & benedictionem imperraturus; Sed frustra: nam in re hac sic illi cor Diabolus obstrinxerat, vt neque lacrymis adolescentis moueretur. Cumque ad mortem duceretur, Nicephoroque in via genuflexo, & cum fletu veniam, & benedictionem petente nec parcere, nec benedicere voluisset, in alterum mutatus, cum iam decollãdus esset, carnificem orat, ne se obtruncet Dijs immolare paratum. Quod Nicephorus cernens vbi Sapritium frustrà ad resipiscendum hortatus fuisset, ministros rogare cępit, vt se supplicio afficerent, quod Sapritio decretum fuerat. Illi verò iuuenem ab huiuscemodi concilio abducere conati rem ad Præsidem deferunt; Qui Nicephorum nullis verbis deterritum, fustibus cædi, & in catasta extendi iubet, & post dira verbera cum excarnificatus, & fractis ossibus constantior euaderet, capitalem præcepit subire sententiam, eo itaque tertio Kal. Ianuarias capitis abscissione ad cęlum transmisso, corpus à Christianis honorificè sepelitur. Quod postea Constantinus Magnus naui cum luminibus, Clericis comitantibus, imponens, ibi basilicam, quæ Cathedralis esset, ædificari iussit, vbi corpus martyris naue sponte sua impellentibus ventis delata, conquieuisset. Quæ cum ad Liburniæ, & Istriæ, littora appulsa esset, Petenamque aduerso flumine sacra pignora deportasset, ibi ecclesia Episcopo donata extructa fuit, in qua S. Nicephori corpus adhuc vsque tempora religiosè asseruatur, & colitur. Is enim non vrbis illius tantùm, sed & totius diœcesis tutelaris est, & patronus. *Ex monum. Eccl. Petenen. & ex hist. Istria à Nicol. Manzolo I. C. Iustinopolitano nuper conscripta, & edita.*

Exemplũ tremendum.

Nicephorus se sponte decollandũ offert.

Corpus Petenam diuinitus delatum.

ANNOTATIO.

Acta in nonnullis corrigenda.

MOnumenta, ex quibus vita martyris excerpta est, nonnulla egent emendatione; præsertim cum vrbem, in qua passus est Sablonicum vocent, & Constantinum Magnum Imperio an. sal. 304. successisse contineant; cùm ad annum prad. Diocl. & Ma-

Maximianus adhuc imperarent; vel certè Imperium Constantio, & Galerio eodem anno tradiderint. Quod verò inquiunt Petenam Pentapolim prius appellatam, eiusque Episcopatum iam tum à Constantino Magno cœpisse, ipsi viderint: cum de re hac nihil apud graues authores legeremus.

DE S. IOCVNDO EPISC. AVGVSTÆ PRÆTORIÆ.

IOcundus Campis castro Agri Augustensis honestis, & pijs parentibus ortus à puero litteris, & moribus excultus, adolescens S. Grato Episcopo traditur erudiendus; cuius & obsequentissimus discipulus, & comes fuit. Nam illũ Romam, & inde Hierosolymam vsque ad caput S. Ioannes Baptistæ asportandum comitatus est. Cum vero Augustam reuersi fuissent, Gratus paulò post, laboribus, & annis confectus ægrotauit. Ex qua ægritudine cum breui sibi hinc migrandum esse intelligeret, clerum accersit, illique Iocundum successorem suum proponit. Quem cum omnes quanta doctrina religione pietate morum elegantia, vitæ integritate, & prudentia, ac alijs virtutibus præstaret optimè nossent, post Grati decessum haud grauatè, sed summo canonicorum consensu: licet reluctantem elegerunt. Qui suscepto pastorali munere, illud summa vigilantia cœpit exercere, curæ pauperum, diuino cultui, gregique pascendo summopere intentus; cum Diœcesim visitaret, illud præcipue post ecclesiarum cultum accurabat, vt idolatriam euerteret errores tolleret, & vitia emendaret. Cum itaque assiduis orationibus, concionibus, vigilijs, alijsque sanctis exercitationibus diu Ecclesiam suam, quasi vineam excoluisset, tandem à Domino ad præmium euocatus 3. Kal. Ianuarij obdormiuit non sine ciuium lacrymis, & mœrore. Cuius corpus in ecclesia Cathedrali cõditum miraculis fulsit: In quibus illud memoratu dignum, quod cum Ann. sal. hum. 1449. die 7. Augusti flumina ex nimia imbrium copia ita exundarent, vt in innumera hominũ iumentorumque multitudo in valle apud Augustum in summo, manifestoque submersionis esset periculo, non prius caput S. Iocundi eò processione delatũ est, quam aquæ recedere visæ sunt; sed & illud mirum quoque accidit; quod cum aliquot ne mergerentur, arborem proceram conscendisset, iamque aqua excrescens penè arborem submersura esset, statim vt sacrum Iocundi caput accessit, aqua arborem deserere cœpit, illiq; descendentes periculo subtracti sunt. *Ex eius vita M. S. ac ex vita S. Grati.*

Gratus Iocũdũ clero sui successorem proponit.

Aquæ exundantes ad Caput S. Iocundi eò asportatum recedere visæ sunt. Arboremque proceram deserere cœpit.

ANNOTATIO.

ACta præcipua huius S. Episcopi non extant. Vita enim ipsius ad nos transmissa potius est sermo, quam vita ex communibus, non ex proprijs contextus. Ex quo nos hanc qualemcunque vitam compendio decerpsimus.

DE B. GERARDO CONFESS. ORD. MINORVM APVD Valentiam.

VAlentiæ Op. Liguriæ, quod olim Forum Fuluij appellatum est, Beati Gerardi Ord. Minorum viget memoria. Is in eo oppido natus annos 14. cõtra propinquorum voluntatem, vt vxorẽ accipere, hortantiũ, peregrinatus

in

Annorum 40 Ordiné Min. ingreditur.

in solitudine propè Romam aliquandiu Deo mira abstinentia inseruijt: quod & apud Neapolim cum fecisset, in Siciliam profectus ibi in M. Eryce vsque ad ann.ætatis 11. solitarius vixit. Inde in Ord. Minorum cooptatus mirum in modum in obedientia, humilitate, & cæteris virtutibus profecit. Qui Randacij culinæ præpositus, cum orationis dulcedini intentus in die Resurrectionis Dominicæ cibos Fratribus parare oblitus esset, ab Angelis prandium paratum repertum fuit; cum is excusans Dominum prouisurum dixisset. Panormi vitream ampullam à nouitio Missæ inseruienti perfractam restituit. Quod etiã præstitit, cum coram Guardiano ciathus quo ægrotis potum ministrabat, in terram sibi elapsus confractus fuisset, & cum puer amphoram vino plenam fregisset. S. Ludouicum Episcopum Tolosanum mirificè coluit, ad cuius inuocationem mira quædam circa ægrotos operatus est. Spiritu prophetico etiam clarus multa, quæ sic euenere, prædixit. In eius obitu, cum de more campanæ pulsarentur, ruptis funibus, sonitum edere non cessarunt; & ex illius corpore suauissimus odor efflabatur tota penè ciuitate ad rei nouitatem confluente, ac aliquot ægrotis & corpore læsi ad sacri corporis contactum mirabiliter sanatis. Obijt Panormi An.sal.hum. 1345. in sacello S. Ludouici Episcopi, in quo orare solitus erat, sepultus, innumeris per tempora dæmoniacis ad eius tumulum liberatis. *Ex Chron. Ord. Min. parte secunda lib 9.*

Angeli, pro Fratribus cibos parant.

Vasea uitrea fracta sępius restituit.

Spiritu pph. præditus.

In morte cãpanę sonant, & corp° odorem suauem mittit.

Obijt Panor.

ANNOTATIO.

IS non modo Panormi in Sicilia: sed etiam Valentiæ prædictæ, vbi natus est, venerationem habet. Non tamen officio colitur Ecclesiastico.

Decembris die 31.

DE S. SILVESTRO PAPA.

Constãtinus Imper. leprę morbo laborat.

SIluester Rom. Rufino, & Iustina nobilibus parentibus ortus, à prima ætate Cyrino Presbytero operam dedit; cuius doctrinam, & mores egregiè imitatus 30. annũ agens Presbyter S.Rom. Ecclesiæ à Marcellino Pont. creatur. Quo in munere cum omni laude clericis alijs antecelleret S. Melchiadi in Pontificatu Ann.sal. 313. & 8. Imperij Constantini Magni sufficitur. Cui Imper. cum curandæ lepræ causa medicorum consilio ex infantium sanguine balneum pararetur, SS. Apostoli Petrus, & Paulus in visu apparentes, præcipiunt, vt omissa impij balnei immanitate, Siluestrum in Soracte latitantem accerseret, à quo salutari lauacro curatus, in omni ditione Imperij Rom. templa christiano more ædificari imperaret, & sublatis inanium Deorum simulacris, vero Deo cultum adhiberet. Constantinus cœlestibus monitis obtemperãs, Syluestrum diligentissimè conquisitum vocat: à quo Apostolorum Imagines recognoscens, Baptismo suscepto sanatur, & ad tuendam, propagandamque Christi religionem inflammatur; multis auctore Siluestro basilicis ædificatis, quas sacris imaginibus ex auro, & argento, donisque, & amplissimis muneribus, prædijs etiam attributis exornauit, facultate etiam christianis data vbique publicè templa extruendi. Hoc Pont. duo concilia habita sunt: Nicænum, (quod Magnum & I. cognominatur) vbi præsidentibus eius legatis, præsenteq; Constantino, & 318. Episcopis catholica fides Ario eiusque sectatoribus condemnatis explicata est: quam synodum petentibus patribus illius confirmauit: & Roma-

A Siluestro baptizat° sanatur.

Duo cõcilia Siluestri tempore habentur.

Arius damnatur.

Salutaria Siluestri decreta.

Romanum, in quo præsentibus 284. Episcopis rursus Arius condemnatus est. Multa Ecclesię Dei vtilia constituit: in his vt chrisma à solo Episcopo conficeretur: vt Presbyter chrismate summum baptizati verticem liniret: vt Diaconi dalmaticis, & palla Linostima ad læuam in ecclesia vterentur: vt in lineo tantū velo sacrificium conficeretur. Præscripsit tempus omnibus sacris Ordinibus initiatis singulos ordines exercendi, antequam ad altiorem ascenderent gradum: vt laicus clerico non inferret crimen: nec clericus apud prophanum Iudicem causam diceret: reliquos Hebdomadæ dies præter Sabbati & Dominici, Feriarum nomine appellari voluit, vti antea vocari cœperant, vt clerici hinc intelligerent, se cæterarum rerum cura abiecta, vni Deo vacare debere. Huic cœlesti prudentiæ insignis vitæ sanctitas, & benignitas in pauperes perpetuò respondit. Prouidit enim, vt clericis copiosis egentes coniungerentur, & Sacris virginibus necessaria suppeditarentur. Ferunt eum draconem in speluncа apud M. Tarpeium, qui noxio halitu homines præcipuè infantes interficiebat, obstructo, & obsignato speluncæ ostio extinxisse. Et Iudæos publica disputatione coram Constantino, & Helena eius matre conuicisse, cumque impossibile illi assererent, vt Christus vnica persona in duabus naturis subsisteret, ac secundum vnam tantum passus fuisset, id non esse impossibile manifestis exemplis demonstrauit vestis purpureæ, qua scissa non tamen scinditur color, solaris radij, qui arbori illustratæ iungitur, nec tamen secta arbore secatur, & cum res sordidas illustrat, haud tamen ipse sordidus redditur. Cum autem quidam eorum taurum afferri ferocissimum iussisset, magiaque subito necasset, Siluester exultantibus Iudæis, non sine populi magno applausu, ait, vt quemadmodum taurum necauerat, ita redduiuum faceret, ijs verò id fieri posse negantibus, ipse continuò fusa oratione, his verbis vsus excitauit illum: *si Iesus Christus, quem ego prædico, verus Deus est, de Virgine natus, surge protinus, & abiecta feritate consiste:* qui agno mansuetior illicò surrexit omnibus stupentibus, ac cūctis Iudæos superatos cōclamantibus. Deniq; S. Pontifex, cum annos 21. mēses 10. diem 1. vixisset in Pontificatu, ac in 7. ordinationibus mense Decembri creasset Presbyteros 42. Diaconos 25. Episcopos 65. obdormiuit in Domino sepultus in cœmiterio Priscellæ via Salaria. *Ex Breu. Rom. Metaph. à Sur. & Lipom. relato, ac ex Annal. Eccles. præter Damas. in Pont.*

Siluester in mōte Tarpeio draconem extinguit.

Iudæos corā Imp. & Helena cōuincit.

Taurum ferociſſimum necatū iterū ad uitum reuocat.

ANNOTATIO.

Constantinum à Siluestro baptizatum An. D. 324. Pontif. Siluestri 11. Imperij verò 19. Annal. Eccl. vt apud Baron. tradūt: sed cū multò ante ann. D. 312. Imperij sui 7. post deuictum signo Crucis Maxentium reb. Christianorum Constantinus fauere cœpisset tot rescriptis, & edictis, queri potest. Cur Siluester in M. Soracte lattitaret. Baron. respondet, quòd cum Constantinus rescriptum de Haruspicib. consulendis, quod prius vetuerat, dedisset, fortè Gentiles in ipsum Siluestrum insurrexisse, cumque vrbe egressum in eo M. Latuisse, seu quod Constantinus immemor beneficij ad auitam religionem rediисset, & propterea à Deo lepra percussum esse, quòd rursus ecclesiam à Gentilibus premi permitteret: cum tamen appareat Cōstantinum res Christianorum semper curasse, ex sacris hist. tametsi Zosimus, & alij variè de Constantino scribunt ante susceptum Baptismum, vt de re hac difficile sit iudicium ferre.

maiore suo nomine dicata honorificentissimè condita est. *Ex antiquis Cod. M. S. à quib. Sur. tom.6. accepit. De qua prater Adon. & Pet.lib. 2. c. 24. etiam Mombrit.tom. 1.*

ANNOTATIO.

Passa est anno D. 275. vt Baron.in Annal. Eccles.mem. Eutychiano Pont. Max.

DE S.BARBATIANO PRESBYTERO RAVENNÆ.

BArbatianus Presbyter Antiochenus cum Timotheo Presbytero Româ venit, ibique in cœmeterio Callisti demoratus miraculis coruscare cœpit: nã Placidiæ puellæ difficili morbo oculorum laboranti sanitatem impertiuit: & Calogerum Valentiniani Imp. seruũ, qui in scalæ descensu pedibus lapsus cõfractus fuerat, signo Crucis sanauit, cæco lumen restituit. ob hæc, & alia signa Romæ patrata à Galla Placidia Augusta Valentiniani matre secum Rauennã deducitur. Vbi cum eius hortatu Placidia templum D. Ioanni Euangelistæ augustum excitasset, precibus impetrauit, vt S. Euangelista Pontificali habitu indutus illud dedicaret: qui disparens sandalium dextri pedis eidem Augustæ reliquit. In eo templo Barbatianus Deo diu famulatus multis prodigijs claruit. In ijs filium viri clarissimi à Strumis signo Crucis liberauit: Theodoram matronam illustrem à fluxu sanguinis curauit, cumque illa Barbatianum nonnunquam visitaret, Vrsicius maritus zelotypia correptus illum in ecclesia orãtem adoritur; sed districto gladio manus illi continuò aruit, ipseque factus immotus, nec brachium, quod percussurus sustulerat, deprimere, neque inde abire, neque loqui poterat donec a populo ita deprehensus scelus suum confessus à S. Viro liberatus est. Demum in morbum incidens, breui cessit è vita pridie Kal.Ian.à S.Petro Chrysologo in eadẽ æde S. Ioannis tumulatus, postea in ædẽ Vrsianum translatus. *Ex monum. Eccles. Rauenn. De eo Sur. tom. 6. Pet. in cat. lib. 2. c. 23. Hieron. Rub. lib. 3. Hist. Rauenn. & al.*

Barbatianus puellam oculorum dolore laborantẽ sanat.

Calogerum lapsu confractum integrè restituit sanitati.

S. Ioannes Euangelista tẽplum consecrat.

Barbatianus à strumis quẽdã liberat.

Theodoram à fluxu sanguinis curat.

Vrsicius S. districto gladio adoriens manu, ac brachio arefacto nec abire nec loqui valet.

ANNOTATIO.

VAlentinianus Imp. sub quo S. Barbatianus vixit 3. fuit: qui cum Theodosio iuniore imperauit, diu Rauennæ, & quandoque Mediolani commoratus. Primus enim cum Valente fratre 12. ferè annis Imperium tenuit, obijtque An. D. 375. II. annis 17. partim cum Gratiano partim verò cum Theodosio seniore, decessitque An. D. 392. 3. annis 30. partim cum Theodosio iuniore, partim cum Marciano, ac obijt an. D. 454. quod ad maiorem historiæ notitiam inuenisse volumus.

DE S. IVSTINO PRESBYT. APVD FORCONIVM.

IVstinus Presbyter Sipontinus SS. Florentij, Felicis, & Iustinæ comes, cum ijs ex Apulia in Vestinorum fines veniens apud Forconium apud Aquilam consedit, cum verò illi à satellitibus Imperatorum Roma missis comprehensi, postea martyrio affecti fuissent. ipse in M. proximum fuga elapsus, abeũtibus persecutoribus SS. Martyres ad M. Offidij radices sepelijt. Ipse vero cum diu Deo orationibus, ieiunijs, sacrorum administratione deseruisset, annum 84. natus migrauit in Cœlum pridie Kal. Ianuarij in villa Offidia apud dictum M. Sepultus. *Ex Gest. & pass. S. Iustinæ Virg.*

ANNOTATIO.

Legimus alibi illum apud Forconium sub Maximiano Imp. martyrio coronatũ fuisse.

FINIS.

SS. VITÆ QVÆ AD NOS TARDIVS transmissæ suis apponi locis non potuere.

Die 11. Ianuarij.

Gen.S. Alex. Obfidē cath. interficitur. Vbi eius corpus.

ALexander Firmanus patria ex Sinigarda familia fuisse traditur: qui factus Ecclesiæ Firmanæ Episcopus ab hostibus fidei Catholicæ haud procul ab vrbe in via, quæ ad cœnobium S. Sauini ducit ob eiusdem fidei defensionē interfectus martyrio coronatus est: cuius corpus in Basilica Metropolitana in arca marmorea conditum quiescit, vbi epitaphium litteris Longobardicis scriptum hoc legitur. HIC IACET RECONDITVM BEATISSIMVM CORPVS GLORIOSI MARTIRIS, ET EPISCOPI ALEXANDRI. Cuius memoria 3. Idus Ianuarij Firmi celebratur, prout in Rom. Martyrol. adnotatur. *Ex monum. & tab. Eccles. Firmana.*

A N N O T A T I O.

Acta S. Alex. quare non extent.

QVæ diximus de S. Alexandro ex tab. & antiqua Eccles. Firmana tradit, accepta sunt, nullis scriptis de eius gestis, sicuti nec aliorum SS. extantibus: quæ vrbe sub Frid. I. Imp. incensa periisse feruntur, vti in Annot. S. Philippi Ep. & mart. eiusd. vrbis, & S. Adami Ab. indicauimus.

12. Februarij.

DE S. SISINNIO EPISC. TEI APVD TORCELLVM.

Patria S. Sisinnij. Ieiunat, vt S. Nicolaus. Granaria ab eo ī vsus pauperū vacuata diuinitus replentur. Fit Eps Tei. Presbyterum & filiū viduæ oppressos à Dæmone liberat. Quot annos vixit in Episcopatu. Dies obitus celit illi denunciatur. Reuersus in patriā bonis distributis obijt.

SIsinnius Romano Imper. Smyrnæ Eutychio & Euthychia pijs parentibus, qui steriles Ephesum profecti Diuo Ioanni Apostolo, vt prolem suscipe-rent, preces, & vota persoluerant. Ortus ab infantia ieiunium ter in hebdomada, vt S. Nicolaus seruauit. In litteris præsertim diuinis instructus opera misericordiæ egenos, pupillos, & viduas suis facultatibus sustentans prosequebatur. Missus à patre in villam, quo tempore fames per eas regiones inualuerat, frumenta omnia paterna pauperibus distribuit. Quod cum pater ab œconomo accepisset, eò profectus granaria, vt prius diuinitus repleta aperiens inuenit. Fama itaque sanctitatis Sisinnij peruagante mortuo Cyrillo Tei Episcopo illi licet iuuenis à Theodoro Archiep. Ephesino subrogatur Eps. Qui inter alia, quæ plura operatus est, miracula Leonrium Presbyterum à Dæmone 8. annos obsessum, vt neque linguæ officio fungeretur, in festo Natiuitatis D.N.I.C. dū cuncto populo adstanti pacem annunciaret, liberauit. Quod cum Euphemia vidua nob. audisset, filium suum 14. ætatis annum agentem à Dæmonio dudū oppressum ad S. Episcopum attulit, cum lacrymis prostrata opem illius implorans. Qui cum obsesso ecclesiam ingressus, ac triduo in ea clausis ianuis demoratus preces Deo fudisset, illum incolumem matri restituit. Vixit in Episcopatu annos 14. quibus exactis cum in ecclesia horas de more persoluisset, vocem se ad supernam ciuitatem vocantem audiuit. Quare cum populum, & clerum ad se quocari iussisset, & ad eos concionem; in qua salutis monita plurima reliquit, habuisset, qua die, & quo loco ad Deum migraturus esset aperuit. Cumq; ab eis non sine ingenti omnium quasi patrem amittentium fletu discedens in patriam reuersus esset, reliquis bonis pauperibus distributis 16. Kal. Martij cessit è vita. Cuius corpus postea Torcellum delatū in Ecclesia Monialium S. Ioannis honorificè conditum est. *Ex vita eiusd. M.S. penes Moniales prædictas existente. In qua aliquot post mortem illius apparitiones, & miracula continentur.*

AN-

A N N O T A T I O.

A multis Epus Altinas fuisse putatur: qui si acta ipsius vidissent opinionem mutarent. Quo autem corpus illius Torcellum peruenerit nondum scire potui. Celebratur illius memoria etiam die 14. Iulij, qui dies translationis esse videtur.

Die 27. Martij.

DE S. ADALPRETO EPISC. TRIDENTINO, ET MARTYRE.

ADalpretus Eberhardo Epo Tridentino vita functo subrogatur: cui Fridericus Imp. cognomento Ænobardus, quæ Conrhadus Imp. Ecclesiæ Tridentiuę donauerat, Garda ad Benacum lacum op. adiecto confirmauit. Cũ aũt ciuitas Tridẽtina varijs motib. exagitaretur, & armis à Castrobarcis Lagarinã vallẽ, oppidaq; & arces ad vtranq; fluminis ripã tenentib. expeteretur, S. Eps vt afflictæ patriæ opem ferret, & ecclesiæ loca ab hostib. inuasa recuperaret, manu ex Marchia Taruisina, & ex Veronensibus, quibus, vt obsequẽtiores eos haberet, Gardam in feudum concesserat, collecta illis occurrit. Verũ Castrobarci cum multos ad Epi Tridentini tutelam in armis esse cernerẽt, illi insidias struere cœpere, eumq; in valle prædicta apud Roboretum Op. per dolum hasta trãsfixum è medio tollunt. 6. Kal. Aprilis Anno post Christum natum 1181. non impunè: nam breui quasi diuino icti fulmine ex fęlicissimo statu in ærumnosissimũ prolapsi tanti sceleris pœnas dedere. Adalpretus aũt, cum pro patria, & religione occubuisset, in D. Vigilij templo conditus, & inter Beatos relatus ab Ecclesia Triden. cui annos 20. præfuit die prædicta colitur. *Ex monum. Eccles. Tridentina, & ex Pintio lib. 2. Hist. Trident.*

Quo tẽpore Adalpretus Epatũ inijt. Garda Op. à Frid. Imper. Adalpreto donatum. Castrobarci Tridentum, & loca Eccl. inuadunt. Garda Veronensib. in feudum datur. S. Eps ab hostib. per insidias transfigitur. Castrobarci ob ĩterfectũ Epm breui vltionem diuinã sentiunt. Adalpretus inter SS. Martyr colitur. Error Pintij in sua Histo. Tridentina.

A N N O T A T I O.

EX Pintio prædicto Adalpretus 70. Ep. Tridentinus fuit, & S. Vigilius 18. verũ errorem in hoc authore circa tempus non dissimulandum animaduertimus. Nam donationem Conrhadi Eccl. Tridentinæ factam a Frid. Ænobarbo an. D. 1101. confirmatum scribit, cum Fridericus Imperium an. 1152. ceperit. Deinde Adalpretum an. 1181. ab hostibus confossum ait, cum Eccles. Tridentinam annos 20. administrasset: in quibus sibi aduersari videtur.

16. Maij.

DE S. ADAMO AB. ET CONFESSORE FIRMANO.

ADamus Abbas Firmi in Piceno sanctitate, & miraculis floruit. Is cœnobij S. Sauini apud vrbem prædictam, in quo monasticã vitã professus fuerat, Abbas fuit. Cuius cœnobii ecclesia, siue oratorium à Valetiano notario Ecclesiæ Firmanæ in S. Sauini Epi, & martyris honorem extructum eo petente à Passiuo Epo Firmano D. Gregorio Magno PP. mandante dedicatũ fuit: eiq; postea ædificato monasterio Adamus Abbas fuit præfectus. Cuius corpus, cum in ecclesia sibi dicata diu quieuisset, tandem, vt decentius asseruaretur, in ipsam Metropolitanam ecclesiam integrum repertum translatum fuit: ibiq; honorificè conditum in hodiernum vsque diem miraculis fulgere dicitur. *Ex monum. Eccles. Firmana, quæ inde accepimus*

Fuit Ab. S. Sauini apud firmum. Ecclesia S. Sauini iussu S. Grego. Papæ consecrata. Corpus S. Adami Ab. trãslatum.

A N N O T A T I O.

ACta illius cum actis aliorum SS. Ecclesia Firmana vrbe Friderico I. Imper. eos qui partes Pet. Romani sequebantur, persequente, incensa, & direpta disperiere, Dies autẽ, quo eius memoria celebratur, non natalis (qui ignoratur) sed translationis est.

Firmana ecclesia ab exerc. Friderici I Imper. incensa, & direpta.

18. Maij.

DE S. NICEPHORO EPISC. ET MAXIMILIANO DIACONO Petenensibus, apud Humagum.

Accusatur apud Patriarcham.

Nicephorus Episcopus Petenensis (quæ ciuitas est Istriæ apud fines Liburnorum) haud mediocri sanctitate effulsit. Is iam senio confectus duas apud se neptes habebat: quæ illum calore suo vti alterum Dauid fouerent. Quapropter apud Patriarcham Aquileiensem accusatus cum ad illum contenderet apud Piquentum Op. peruetus Istriæ signo Crucis, & oratione fontem excitauit populo maxima aquarum penuria laborante, & opem ab eo, quem virum sanctum norat implorante: qui adhuc manet, multis molendinis inseruiens, Sacello ibidem suo nomini à Piquentinis extructo. Quod & apud Couedum haud procul à Tergestinis finibus effecit. Vbi hospitatus cum vrsus mulum, quo S. Episcopus vehebatur, deuorasset, illum iussit ad se à duabus virginibus suis neptibus perduci, quibus iubentibus, vt ad Episcopum veniret, paruit illicò, & sibi ab Episcopo impetata faciens, sarcinulas à mulo deferri solitas, sibi impositas portauit Episcopum sequens. Ferunt & anates fortè tunc per aera volantes, iussas se Aquileiam vsque sequi, vt Patriarchę offerrétur, dicto illius paruisse. Qui vbi ad Patriarcham peruenit, pallium exutus, illud Solis radio quasi perticæ imposuit: Quod cum in aere substitisset, mirantibus, qui ad rei nouitatem concurrerant, Patriarcha illum vti Sanctissimum virum perhumaniter excepit, honorificentissimèque dimisit. Cum autem S. Episcopus Petenam rediret apud Humagum vnà cum Maximiliano Diacono ægrotans, breui vita excessit vterque. Quorum corpora Humagi adhuc asseruantur, agiturque dies festus ibi, & Petinæ, (vbi Sancti Nicephori manus habetur) 5. Kal. Iunij. *Ex Tab & monum. vtriusque Eccles.* ex quibus Nicol. Manzolus I.C. Iustinopolit. vitam descripsit Venetijs nuper æditam.

In itinere fõtes excitat.

Vrsus paret S. Episcopo. Similia ferè in vita S. Lucam Episco. leguntur.

Anates S. Epõ obediunt. Palliũ in aere suspensum manet.

Moritur cum S. Maximiliano Diacono Humagi.

ANNOTATIO.

Historia hęc suspectę fidei

Et si historia hæc meritò alicui suspecta videri poterit, quòd nullam temporis mentionem faciens inuerisimilia quadam narrare videatur; illam tamen paucis referre libuit, gratum me factum ratus, si vbi accuratè scripta desunt, qualiacunque haberi potuerunt, referrantur.

4. Iulij.

DE S. VLDARICO EPISC. AVGVSTANO.

In cœnobio S. Galli educatur. Ordinatur Presbyter.

Vldaricus Hupaldo, & Tietburga nobilibus parentibus ortus in Alemania Monachis S. Galli instituendus traditur. Inde humanis, diuinisque litteris instructus Adalberoni Episcopo Augustano viro sanctissimo adhæsit: cui non mediocri fuit adiumento. Is enim in munere Episcopali Vldarici præcipue opera vtebatur: Qui cum Presbyter ordinatus esset, & Sacrorum locorum Romæ visendorum desiderio flagraret, eò de sui Episcopi licentia se contulit, vbi à Summo Pont. benignè exceptus. Adalberoni, qui interim sanctè obierat, Hiltemio suffecto, in patriam rediit. Hiltemio autem & ipso post annos 15. vita functo. Vldaricus Summo omnium consensu Episcopus eligitur. Qui pastorali munere suscepto, loca sacra reficere, & mores deprauatos reformare cœpit, in pietatis operibus se se exercens. Nam & infirmos, quos suis orationibus sanabat, & in carceribus detentos, quibus necessaria suppeditabat, frequens visebat

Romam contendit.

Epus Augustan⁹ creatur

Opa pietatis exercet.

febat, ad mensam egenos semper adhibens. Parcus erat non modo in cibo frequenter ieiunans, sed etiam in loquendo, & dormiendo, humi cubans. Inter celebrandum in festo Resurrectionis manum cuiusdam Hostiam sacrandam pariter cum ipso benedicentem vidit, ac Presbyterum assistentem, qui rem patefecerat, reprehendit. Cum autem inter Ludulphum Othonis Imp. filium, & Henricum eiusdem Imp. fratrem discordia eò vsque processisset, vt iam comparatis copijs manus essent conserturi, Sanctus Episcopus eò profectus vi orationis, & eloquentia pacem inter illos conciliauit. Posthæc Romam secundò proficiscens, vt SS. Apostolorum reliquias veneraretur, & Summum Pont. reuerenter inuiseret, cum apud Parmam Tarum exundantem pluuijs inuenisset, statim post Missam ab eo celebratam flumen adeò decreuit, vt S. Episcopus cũ tota familia illud absque periculo traijceret. Roma domum rediens Mediolanum venit: vbi cum in morbum incidisset, seque hinc migraturum intelligeret in æde SS. Apostolorum Petri & Pauli, (quæ nunc S. Nazarij nominatur) humari voluit. Obdormiuit autem 4. Non. Iulij Ann. salutis 9073. ætatis 83. in eaque ecclesia, vti præceperat, conditus, tot tantique fulsit miraculis, vt in SS. numerum solemni ritu referretur. Cuius corpus Ann. 1579. à S. Karolo Archiepiscopo, & Card. in arca lapidea cum huiusmodi inscriptione, *Dilecto Filio Arderico Episcopo Augusten.* repertum in loculo plumbeo reconditũ fuit. *Ex vita ipsius latinè prolixè scripta, & impressa Augustæ, ac Mediolani sermone Italico edita*, vbi vltio in eos, qui sancti statuam ante farciminis apothecam ab ecclesia extractam locarant, refertur omnibus breui vno excepto, qui pœnitẽs veniam exorauerat, mortuis.

Manus cœlestis simul cũ eo hostiã benedicit.

Pacem inter dissidẽtes Prĩcipes cõciliat

Romã secundo proficisci tur.

Tarum exundãtem decrescere facit.

Mediolani ęgrotãs obit.

In SS. refertur.

Corpus à S. Karolo Borrhomæo trãsfertur.

ANNOTATIO.

Variè hic S. Episcopus nominatur: nam Vldaricus Augustæ, vti & in Martyrol. Rom. Ardericus Mediolani ex illius antiquis inscriptionibus, & alibi Odoricus. Non solum enim apud Augustam, & alibi in Germania: sed etiam in multis Italiæ ciuitatibus, & locis celebris est S. huius memoria.

Multis in locis colitur.

Die 29. Augusti.
DE S. PELAGIO MARTYRE PATRONO ÆMONIENSI.

Pelagius Æmoniensis Diaconus furentibus in persecutione aduersus Christianos gentilibus tentus, ac in fidei confessione persistens palmam martyrij gloriosam consecutus est. Corpus à Christianis apud Æmoniam humatũ in magna semper fuit apud Æmonienses veneratione: qui illum vti patronum præcipuum coluerunt, & colunt. Nam non solum ciuitatis nouæ, quo Æmonia euersa corpus illius translatum est, sed & totius diœcesis patronus habetur, & maximè colitur. Eius quoque memoria per vniuersam Aquileiæ diœcesim celebratur. *Ex monum eiusd. Æmonien. Eccles. & Hist. Istriæ a Nicol. Manzolo I.C. Iustinopolitano recens edita.*

Diacon⁹ fuit Æmonien.

Corpus in c. noua.

ANNOTATIO.

An S. Pelagius in eadem persecutione, in qua S. Maximus Episcopus, martyrium pertulerit, vel in alia ante, siue post, incertum est: cum Acta ipsius desiderentur. Cum autem in S. Maximi passione nulla fiat S. Pelagij mentio, illum non simul cum S. Maximo coronatum affirmari potest: visitur inscriptio hæc in arca lapidea. An. D. 1146. sexto Id. Oct. recondita sunt hæc SS. corpora Pelagij, & Maximi tempore D. Adami Episcopi.

Acta S. Pelagij non extant.

Die 10. Februarij.

DE BEATO GVLIELMO ALEXANDRINO,

Cuius vita, sicuti & sequentis, quod tardius ad manus nostras peruenerit, suo inserti loco non potuit.

GVlielmus Alexandriæ in Liguria honestis parentibus ex Zucca familia ortus, cum primùm ei per ætatem licuit, Mundi huius illecebris, & terrenarum rerum cura spretis, se se pietatis operibus totum addixit. Fabricæ maioris tēpli, quoad vixit, absq; vlla temporali mercede præfecturam gessit. Reliquum, quod supererat temporis, in sacra lectione (erat enim non vulgaris litteraturæ,) & in procuranda proximorum salute insumebat, egenorum præsertim, ac miserorum subleuationi studens: Quorum eos, qui mendicare erubescerent, clam suis sustentabat facultatibus. De quo illud memoriæ proditum est, loculos, quos secum, vt pauperibus eleemosynam erogaret, quotidie deferebat, nunquam semel ab eo pecunia refertos, exinanitos fuisse, quamuis extractam copiosius illam in dies distribueret. Quapropter prouerbio, quod adhuc perseuerat, res cessit. Nam, cum ab aliquo, qui pluries illam erogarit, rursus pecunia postulatur, ab eo responderi solet, *Me ne Beati Gulielmi crumenam, quæ non exhauriatur, putas habere?* Defunctus quoque miraculis claruit. Nam quibus varijs, diuturnis, difficilibusque morbis oppressis spes nulla salutis erat, ad Gulielmi patrocinium confugientes, illicò diuinitus sanabantur. Quod, & calamitosis contigit: qui post illius imploratam opem ad melioris fortunæ statum rediere. Vixit circa An. sal. N. M. CCC. LXXVII. Corpus in æde S. Marci, quæ est Fratrum Prædic. Conditum est: quod cum in opportuniorem locum transferretur, ex eo mitus, & suauissimus odor exhalauit. *Ex Vrbis Alexandrinæ Annalibus.*

Fabricæ ma. Eccles. præficitur.

Egenos, quos mẽdicare pudet, suis facultatib. alit.

Crumena illius nunquā exhauritur.

Oppressi morbis insanabilibus sanantur.

Miseri ad priorem fortunam redeunt

Ex eius corpore suauis odor exhalat.

ANNOTATIO.

EIus Imago, quæ habitum illius Monastico similem indicat, cum crumena, & inopum circumstantium turba multis in locis præsertim in Basilica Cathedrali An. Domini 1388. depicta cum huiusce modi inscriptione conspicitur. B. GVLIELMVS ZVCCVS CIVIS ALEX. MASSARIVS HVIVS ECCLESIAE. Cum dies ob ignoretur: pro libitu ad diem 10. Febr. quo S. Gulielmus Eremita colitur, adnotatus est.

DE S. DEVOTA VIRG. ET MART. apud Monoecum.

DEuota virgo à teneris Christiana in insula Corsicæ Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus Barbaro Præside Christianos persequente in Eutitij Senatoris ædibus latitabat, assiduis ieiunijs præcibus, & Sacris lectionibus intenta. Cum autem Barbarus in insulam venisset, accepissetque puellam Christianam apud Eutitium latere, isque togatus tradere eam noluisset, veneno (quòd ob viri nobilit. tem in illum animaduertere vereretur) vti Christianos fouentem necandum, & Virginem comprehensam sibi præsentandam curauit. Quam cum nullis blandimijs, minisque, vt Deos coleret, inducere potuisset, os saxo contundi, deinde colligatam manibus, & pedibus per pomerium, donec membra disiunge-

gerentur, trahi iussit. quæ cum patienter ferrens, Deo seipsam, & Eutitij animam commendaret, Barbarus, quem virgo Dæmoniorum cultorem dicebat, iniquissimum, ira percitus illam in equuleo suspensam torqueri imperat. Quo in cruciatu, cum illa orans diceret, *Suscipe Domine spiritum meum*. Voxque de cœlo exaudita esset, *Audita est oratio tua*, animam, quæ de ore eius instar columbæ egressa est, Deo reddidit. Cuius corpus à Præside iussum cremari, clam à Benenato Presbytero, Apollinare Diacono, & Gratiano Nauta sublatum, nauiq; impositum, apud Monoecum Arcem oræ Ligusticæ inter Albintemelium, & Nicæam munitissimam (cum inter nauigandum exortam maximam tempestatem Virgo ipsa adparens mirabiliter sedasset) delatum in loco à columba ostenso in æde S.Georgij VIII. Kal. Februarij conditum est. *Ex M. S. Monasterij S. Pontij Niciensis diœcesis: cuius exemplum à multis fide dignis subscriptum. Excellentissimus D. Federicus Landus Princeps, & Velleris Aurei Eques nobis ostendit.*

ANNOTATIO.

HAEC sancta virgo & martyr multis claruit miraculis, in ijs: cum Arx Monoeci a Gallis noctu inuasa in maximo discrimine versaretur, sanctæ virginis, & martyris intercessione diuinitus liberata est. Quapropter ab incolis deinceps uti protectrix in veneratione habita fuit.